www.e-rara.ch

Dignorum laude virorum, quos musa vetat mori, immortalitas, seu vitae theologorum, jure-consultorum, et politicorum, medicorum atque philosophorum, maximam partem Germanorum, nonnullam quoque ...

Adam, Melchior

Francofurti ad Moenum, 1705

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 862

Persistent Link: https://doi.org/10.3931/e-rara-11759

Vitae Germanorum theologorum, qui superiori seculo ecclesiam Christi voce scriptisque propagarunt et propugnarunt.

www.e-rara.ch
Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

Visual Library

VITÆ
GERMANORUM
THEOLOGORUM,
QVI
SUPERIORI SECULO
ECCLESIAM CHRISTI
VOCE SCRIPTISQUE
PROPAGARUNT
ET
PROPUGNARUNT.
CONGESTÆ,
ET
Ad annum usque cIↃ IↃc XVIII.
DEDUCTÆ
A
MELCHIORE ADAMO.
Cum indice triplici : Perſonarum gemino ,
Tertio rerum.

Editio Tertia, prioribus longè correctior.

FRANCOFURTI AD MOENUM,
Apud JOH. MAXIMILIANUM à SANDE.
ANNO M. DCCV.

VITÆ

GERMANORUM THEOLOGORUM,

QUI

SUPERIORI SECULO

ECCLESIAM CHRISTI

VOCE SCRIPTISQUE

PROPAGARUNT

AT

PROPUGNARUNT.

CONGESTÆ,

A°

Ad annum usque clo Ioc xviii.

DEDUCTÆ

A

MELCHIORE ADAMO.

Cum indice triplici : Personarum genitivo ,

Tomo tertio.

Editio secunda, priori bus longe correctior.

FRANCOFURTI AD MOENUM,

Apud JOH. MAXIMILIANUM à SANDE.

ANNO M. DCCV.

Illuſtriſſimis & Celſiſſimis Principibus
Ac Dominis,

DOMINO JOANNI CHRISTIANO,

Duci Sileſiæ Lignicenſi & Bregenſi,

NEC NON

SUMMO UTRIUSQUE SILESIÆ PRÆSIDI:

&

DOMINO GEORGIO RODOLPHO,

Duci Sileſiæ Lignicenſi ac Bregenſi:

FF. GERMANIS,

Dominis meis Clementiſſimis.

VITAM
ET
FELICITATEM.

QUemadmodum hiſtoria univerſalis; tam eccleſiaſtica quàm politica, ſummam adfert utilitatem, cum voluptate & jucunditate conjunctam eximia: ita & ejus, quæ ad ſingulas deſcendit perſonas, antiquitas eſt ultima, fructus egregii, ac delectatio ſingularis. Vetuſtatem eius ſacrarum loquuntur literarum monumenta *αὐτόπτα*, Veteris inprimis In-

ſtrumenti. In eo enim libri hiſtorici, tum pentateuchus Moſis, tum aliorum; qui populi Iſraëlitici res geſtas ſub ſacerdotibus, judicibus, regibus & principibus complectuntur, aliud ferè nihil condunt, quàm annales & vitarum deſcriptiones. Recitantur enim inibi Patriarcharum, Regum, Prophetarum, & aliorum ſanctitate illuſtrium hominum natales, parentes, educatio, facinora, tàm bona quàm mala, tandemque obitus, & anni diesve emortuales. Ad Novum autem ſi abeamus; reperimus in hiſtoria Evangelica, & in Actis, ut liber inſcribitur, Apoſtolicis, mandatam literis vitam tum ipſius JESU CHRISTI, unici Salvatoris mundi, tum ſanctorum Evangeliſtarum & Apoſtolorum. Ac rem ſic habere, teſtantur tam veterum quam recentium auctorum labores: qui ex ipſis ſacris Bibliis hiſtorias ac vitas divinorum hominum virorumque DEI, Græcè Latineque contexuerunt. Horum in numero laudandus venit *Dorotheus*, epiſcopus Tyri & martyr: qui Prophetarum majorum & minorum, duodecim Apoſtolorum, & ſeptuaginta diſcipulorum vitas ſynopticè eſt complexus: hiſce annumerandus eſt *Iſidorus*, epiſcopus Hiſpalenſis: qui de vita & obitu ſanctorum utriusque Teſtamenti ſcripſit: his accenſendus *Gennadius* presbyter, *Epiphanius*, *Philo*, *Prochorus*, & alii complures, ut recentiores jam omittamus. Fuiſſe autem & gentilibus extra Eccleſiam curæ hiſtoriam eiuſmodi perſonalem: non eſt, cur verboſiùs demonſtremus. Quis enim *Plutarchum Chæroneum*, Traiano Imperatori ſummè æſtimatum polyhiſtora, non audivit; eiusque τὸ κάλλιστον τῶν συγγραμμάτων, τὰς καλουμένας παραλλήλους βίους, τῶν ἀρίστων καὶ ἔργα καὶ πράξεις ἀνδρῶν, h. e. monumentorum pulcerrimum opus, *Vitas*, ut vocat, *parallelas*, *quibus præſtantium virorum res geſtas & opera comparavit*? quis *Diogenem Laërtium* vitarum Philoſophorum clarorum ſcriptorem ignorat? quis *Heſychü Mileſii*, *Illuſtrii* cognomento, de eodem argumento librum? quis *Eunapii Sardiani*, quis *Philoſtrati* Lemnii? Quid dicam de Latinis tum hiſtoriæ Auguſtæ, ut appellamus, tum aliarum vitarum conditoribus? quorum lectio hodierna etiam tempeſtate & fructuoſa & jucunda ducitur: idque non ſine cauſa. Debetur enim hoc virtuti eorum: quorum, dum in terris vixerunt, prudentiâ res maximæ fuerunt gubernatæ & geſtæ: & quibus rempub, ac poſteritatem omnem ſibi obſtrinxerunt. Eſt autem honos hic virtutis præmium ac fructus unicus: nec virtus ipſa quicquam, præter laudis & gloriæ mercedem, amplius deſiderat. Hinc *Alexander* ille *Magnus* fortunatum prædicavit Achillem, in Sigæo monumento eius adſiſtens, qui virtutis præconem Homerum inveniſſet: & *Alexander Severus* Imperator vel ideò impenſè amavit fovitque viros literatos: ut eſſent, qui, quæ geſſiſſet, in literas mitterent. Hinc apud Spartanos ante pugnam rex Muſis ſacrificabat: ut res geſtæ ornatam hiſtoriam conſequerentur: & ab illo illo ipſo magno *Alexandro Calliſthenes* philoſophus in caſtra accitus fuit, ad acta eius memoriæ prodenda. Excitantur præterea commemoratione huiuſmodi, & inflammantur animi hominum non degenerum, ad virtutis cultum: & ad nominis decus prenſandum expetendumque. Vis enim exemplorum in utramque partem eſt maxima: & vita omnis magis exemplis, quàm rationum monumentis ducitur.

tur. *Matthiam* equidem *Corvinum*, fulmen illud Asiatici hostis, adolescentulum adhuc accepimus, auditis aliorum fortibus & præclaris facinoribus, adeò accensum fuisse, ut exsultim tripudians, quasi de animi potestate exierit, manuum pedumque applausu virtutis stimulos testatus. Nihil hic dicimus, quòd ex historiarum singularium lectione multa peti possunt, quæ faciunt ad formandum judicium, multa, quæ ad vitam regendam & constituendam: multa, quæ ad consilia rectè ineunda, aut aliis danda. Vidit hoc ille idem *Severus* Imperator, qui in consilium solitus adhibere maximè eos, historiam qui nossent, vidit & *Cyrus Xenophontius*, qui jam morti vicinus liberos monuit, ex antè actis exemplis petendam esse saluberrimam atque optimam doctrinam, vidit idem hoc ille, qui ἰσοείαν ἀρχὴν φρονήσεως τε καὶ Σοφίας, principium prudentiæ sapientiæque historiam perhibuit. Et suavissimi sunt versus optimi poëtæ in panegyrico:

Interea Musis animus dum mollior instat:
Et quæ mox imitere legas: nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.
Antiquos evolve duces: adsuesce futuræ
Militiæ: Latium retrò te confer in ævum.

His aliisque causis, Principes Illustrissimi, Domini clementissimi, adductus & ego, cepi ab annis aliquot virorum in Germania nostra natorum, quosque tum erudita doctrina, tum egregia vel in Ecclesiam DEI, vel in Rempubl. Christianam merita commendarent, sparsim colligere, & in unum quasi corpus coagmentare. Debere me hoc existimavi communi patriæ, virtuti variis speciminibus probatæ, religioni orthodoxæ, ipsorum operâ ad nos, DEI inprimis beneficio propagatæ, & ad posteros etiam propagandæ. Nam Germano non immeritò, opinor, turpe duxerim; nosse, animoque complecti, quid vel Italus aliquis, vel Gallus, vel alius transmarinus, in sua quisque patria, & suo vitæ doctrinæque genere præstiterit, de popularibus verò, & in media Germania natis viris, præclaréque de Ecclesia vel Republ. meritis, parum admodum aut nihil scire, sæpe etiam ne nomen quidem, aut natum esse, inaudiisse. Quod quid est aliud, quam ἐν τοῖς οἰκείοις ἀεὶ παῖδας, in domesticis suisque perpetuo puerum esse? quemadmodum *Plato*, & cum Platone *Cicero*, pueros vocant, historiæ & ante nostram ætatem gestorum ignaros. Suggerent autem narrationes istæ & descriptiones vitarum, præter exempla illustria, religionis in Germania superiori seculo reformatæ historiam, ejus ἀφορμὴν, prædictiones, progressum, eventus & exitus synodorum, colloquiorum, ac consiliorum, adeò ut confirmare ausim, nullius ferè Theologi vitam hoc in volumine apparere, in qua non & aliquid appareat singulare. Ostendent insuper ærumnas Ecclesiæ, & testimonia præsentiæ divinæ in liberationibus, & exhibebunt exempla multorum certaminum ac controversiarum in

doctrina, comprobabuntque illud Apostoli : *oportet hæreses inter vos esse, ut qui probati sunt, manifesti fiant inter vos.* Sub V. V. autem Celsitud. Illustrissimi Principes, Domini clementissimi, augusto nomine, Germanis has Theologorum nostratium vitas unum in volumen conjunctas, commendare ac consecrare volui & debui cum aliis, tum his potissimum de causis. Principio, placuit Domino DEO meo; ut primum hujus cœli spiritum in Silesia vestra hauritem, peregrinationem atque exilium meum in agro Grotgovienſi ordirer, magistros & animi parentes in VV. CC. illustri Gymnasio, quod etiamnum Bregæ floret, invenirem, & fundamenta prima verorum bonorum jacerem. Patriæ itaque charissimæ, ac nutrici beneficentissimæ, pagellis istis, cum luculentius non suppetat, ἀνλυθεπλήεια qualia qualia redditum eo, cum votis ardentissimis ac quotidianis, ad Patrem Domini nostri JESU Christi; floreat illa! floreant ejus principes & coronæ! floreant ecclesiæ & scholæ, quàm felicissimè, quàm diutissimè! Movit me secundo loco vestra, principes inclyti, pietas, & sinceræ religionis adserendæ ac provehendæ studium, quod ut divinitùs omnibus principibus regibusq; est mandatum, ita VV. CC. à parentibus, ab avis, proavisque ingeneratum ac proprium. Qui ergo veritatis Evangelicæ defensores ac vindices estis, ejusdem doctorum vitas, resque stylo & voce in Ecclesia militante gestas, non sine voluptate, spero, cognoscetis. Nec dicam hic de cupiditate vestra legendi historias, communi VV. CC. cum summis principibus, regibus, & Imperatoribus, nec de amore ac prolixo affectu erga bonas literas & literarum propagatores, quem V. V. CC. egregiè declarant, in gemino conservando Gymnasio, alterò Bregæ, Goldbergæ altero, utroque non ab unâ annorum decade jam celebri ac latè incolis accolisque frequentato. Hoc verè dicam, regia res est, Illustrissimi Principes, literas tueri, quibus exstinctis miserabili caligine cuncta confunderentur; hominesque à brutis nihil differemus. Ex Apollinis enim non Delphici, sed Germani, tripode gravissimum hoc prodiit, oraculum, *in scholis non solùm ecclesiæ seminaria sunt, sed etiam ibi præparantur ingenia ad omnem reliquam vitæ gubernationem, imò scholæ sunt fontes humanitatis in tota vita, quibus neglectis necesse est sequi magnas tenebras, confusiones religionum, & superstitiones, legum, literarum, atq; artium interitum, oblivionem antiquitatis & historiarum, morum feritatem, deniq; infinitam barbariem.* Hæc Germaniæ nostræ Phœnix. Postremò, ut extremum etiam aliquid mea habeat compellatio, in hac vitarum sylvula occurrent nonnulli Theologi; qui in Silesiâ & in vestris etiam ditionibus nati, rem Christi aut in patriâ, aut extra eam egregiè gesserunt, patriæque suâ virtute ornamento sunt sempiterno. Solet autem magnorum & eruditorum virorum laus etiam ad principem redundare, sub quo eorum aliquis vel vixit, vel è cujus territorio originem duxit. Accipite ergo, principes clementissimi, & sereno vultu accipite hoc quicquid est chartacei, ad Vestra pulvinaria cum submissâ animi devotione depositi, & istas Christi servorum, ecclesiæque antistitum vitas, vestro patrocinio, sicubi opus, clementer

menter complectimini, meique in patriam affectus qualecunque monumentum ſuffragio maximo probate. Ita DEUS æternus Pater Domini noſtri JESU Chriſti, Veſtras Celſitudines, & totam Illuſtriſſimam domum florentes æternum conſervet, & tempeſtates publicarum cladium, quæ omni ex parte impendere ſuaviſſimæ patriæ videntur, clementer depellat, ſuamque eccleſiam, ipſum in omni æternitate celebraturam, his in terris tueatur & potenter adſerat! Data Calend. Auguſti, Anno cIↃ IↃc XIX.

Veſtrar. Celſitud.

ſubjectiſſimus

MELCHIOR ADAMUS.

Lectori benevolo S. P.

EXSOLVO *tandem promiſſa mea, Lector benevole; fidemque ante annum non unum datam libero, dum heic uno in volumine tibi exhibeo vitas Theologorum clariſſimorum, qui in Germaniâ noſtrâ nati, eccleſiam* CHRISTI *ſtrenuè propugnarunt, & voce ſcriptisque latè propugnarunt. Non ingrata erit, ſpero, bonis & piis mea hæc opella, ex animo divinæ gratiæ dilaudandæ, & patriæ illuſtrandæ, ſincerè cupido profecta. Colligendas putavi ejusmodi micas, & in uſum eccleſiæ patriæq; adſervandas, quarum quædam diſperſæ diverſis in paginis librisve, imò & animis memoriâq; latebant, quædam excuſæ quidem & in publicum productæ, ſed nec tanto numero, ut in plures differri regiones poſſent; nec eâ orationis ſtylive formâ, quæ hiſtoriam decet. Dedi itaq; hoc communi patriæ, præclarorum, quod citra invidiam dixerim, ingeniorum matri, dedi excellenti virtuti, quam* DEUS *vult agnoſci, cùm de ipſo ſit teſtimonium, & nulla magna virtus ſit, ut ſententioſus Seneca ait, ſine* DEO, *quam nolle agnoſcere, ingratitudo eſt, livor eſt & invidia, dedi deniq; piæ, ſi qua futura eſt, poſteritati, quæ profecto & heic habebit non pauca ad patriæ decus, ad* DEI *gloriam, ad inſtitutionem & correctionem facientia. Sed antequam te dimitto, quædam mihi monendus aut rogandus es, mi lector. Primùm, ne præteritos aut omiſſos non paucos queraris, haud indignos, qui hoc in theatro appareant. In eo mea, mi lector, culpa nulla eſt, ſed penuria fecit hiſtoriæ, quam nanciſci nullam uſpiam potui. Malui itaq; prorſus tacere de multis præſtantibus viris, quàm, ut ille de Carthagine, pauca dicere, &*

trita illa : Natus est : obiit ; *scribere. Suppleri tamen poterit hic defectus, volente DEO, & mutuas operas tradentibus bonis patriæq; amantibus, si hujus Voluminis Tomus secundus fuerit adornatus. Quod idem dictum volo, de reliquis vitis* JCtorum *&* Politicorum, Medicorum *ac* Philosophorum. *Alterum est, quod publicè testor :* nihil heic meum esse ne quidem esse velle ; nisi collectione, ordine, ac styli elimatione nonnullâ, in multis molestâ : *quippe cum omnia ex variis collecta & digesta fide sint Germanâ, uti testimonia ubique copiosè adducta docent, nec nobis in animo unquam fuerit, cuiquam quicquam admetiri, nedum admentiri. Hoc etiam fortassis deprecandum, ne vitio vertatur ; sicubi eadem sæpius iisdem recensentur. Ita & narrationis series postulavit, & veritatis id erit argumentum. Præterea si quid erratum, quod vehementer veremur, omissumve alicubi fuerit, ne rigidior sis censor, sed potiùs amicus submonitor, oramus. Primum enim aliorum è fide ferè omnia narramus, deinde arduum inprimis, aut dicam ἀδύνατον est, in ejusmodi singularibus nihil hallucinari, ut exempla & veterum & magnorum virorum probant. Denique & hoc fortassis in voculas nonnullorum incurret, vitia, ne dicam convicia in alios, nævosq; non adponi. Ita est, mi lector, & ita ferunt mores nostri seculi. Omnes τὰ εὔφημα de se suisq; scribi facilè patiuntur, errata ac peccata attingere ; esset Camarinam vel festucam movere, esset ozyma cantare, esset cœlo terram miscere. Nec tamen his in vitis deerit, ubi id lege historicâ factum & nostra etiam vineta casa invenies. Convicia autem nec dicere facereve, nec audire volumus. Id quod deprehendes, quisquis ad hæc sine præjudicio, ut oramus, accesseris. Hoc enim qui affert, omne judicium sibi ipse aufert. Benè itaque vale, & hanc nostram* συλλογὴν *boni consule, quin & in supplendis juva, quisquis es nostrorum consecraneus studiorum.*

Hebr. XIII. ℣. 7.

Μνημονεύετε τῶν ἡγουμένων ὑμῶν, οἵτινες ἐλάλησαν ὑμῖν τὸν λόγον τοῦ Θεοῦ· ὧν ἀναθεωροῦντες τὴν ἔκβασιν τῆς ἀναστροφῆς, μιμεῖσθε τὴν πίστιν.

IN VITAS THEOLOGORUM GERMANORUM A MELCHIORE ADAMO concinnatas

JANI GRUTERI.

ERgo sacræ Veritatis vindices tristi à jugo
Liberas, ADAME, mortis? ergo præcones DEI
Erutos oblivionis è specu præconiis
Cernimus tuis ovantes, cuncta per pomœria
Hujus illiusq; mundi? mentis ô venam bonæ
Pectorisq; liberalis! perge, perge istam viam!
Perge, perge! ac deinde porrò de tenebris ac situ
Ad jubar solare transfer gratiosis plausibus
Asseclas Dicæ ac Themistos, Æsculapiique asseclas,
Nobilesque Consi alumnos, ac DEI cui frons duplex,
Alitesque Apollinares, oscinesque Pallados,
Queis adhuc superbus est fons Pegasi, ac biverticis
Quos adhuc crebris susurris arbores montis sonant.
Fallor? an hoc est sibi omnem demereri hominum ordinem,
Tam locupletem, quàm egenum, tam profanum, quàm sacrum?
Fallor? an sic utriusque publicum Orbis fis bonum,
Esque dignus Lauro & Auro? dignus hercle, dignus es
Dono utroque, sæculum istud si foret mentis suæ,
Præmiisque non gravaret immerentes, sed probos.
Nunc Gnathones, aut Leonis pelle Asellos obsitos
Liberalitate mactat, mactat & faventia:
Hicque rem ac famam meretur; famam at alter & rem habet.
Sic tamen, mi ADAME, dura! dura, ADAME, sic tamen!
Nec relinque candidatus conscientiæ bonum.
Promove virtutem, ob ipsam, Gratiasque ob Gratias,
Publicæ inque faustitatis fructum & usum, eja, occupa
Temperatam sanitatem mentis atq; corporis.
Ulla si futura post nos docta gens est aut pia;
Semper ore, corde semper, hæc & illa te feret:
Inque Honoris, inque famæ non pudendis arcibus
Stabis, in gemma atque in auro, Literatorum Hercules.

JULII GUILIELMI ZINCGREFII.

ADAME, nate Teutidos nostræ bono,
Adsertor ingens doctiorum nominum:
Quando è tenebris vindicatos Patriæ
Tradis legendos literaturæ sacræ
Mystas, & orbis literati cæteros
Ex ordine omnes antesignanos viros:
Quos docta passim protulit Germania:
Cum Patriâ quid majus ominer tibi?
Tibi quod ætas ista præsens debeat;
Quod & futura, præter unum hoc, utraque:
Ut prosequatur nominis laudes tui
Pietate eâdem; eâdem alacritudine:
Quâ prosecutus ipse es horum nomina.

INDEX THEOLOGORUM QUORUM VITÆ HOC IN VOLUMINE DESCRIBUNTUR, JUXTA ANNORUM EMORTUALIUM SERIEM.

GObelinus Persona 1420. Pag. 1.
Joannes Hilten vixit 1485. 2.
Andreas Proles sub annum 1508. 3.
Joannes Geilerus 1510. d. 10. Martii 3. b.
Conradus Summerhard 1511. 6.
Nicolaus Rus sub anno 1513. 6. b.
Simon Heinsius aliis Benckius 1522. 7.
Andreas Cnophius flor. 1523. 7. b.
Joannes Staupicius 1527. d. 28. Dec. 8. b.
Jacobus Wimphelingus 1528. d. 17. Novemb 10.
Huldericus Zwinglius 1531. d. 11. Octobris 11. b.
Joannes Oecolampadius 1531. d. 1. Decembris. 21.
Bertholdus Haller 1536. d. 25. Martii 28.
Joannes Schwebel 1540. d. 19. Maji 29.
Nicolaus Amsdorfius clar. 1541. 32.

* * *

Urbanus

INDEX I.

pag.

Urbanus Regius 1541. d. 23. Maji. 33.
Andreas Caroloſtadius 1541. d. 25. Decembris. 37. b.
Wolffg. Fabricius Capito 1541. ſub finem anni 41. b.
Gerhardus Geldenhaurius Noviomagus 1542. d. 10. Januar. 43. b.
Leo Judæ 1542. d. 19. Junii. 44. b.
Paulus Conſtantinus Phrygio 1543. d. 1. Auguſt. 46.
Georgius Spalatinus 1545. d. 16. Jan. 46. b.
Martinus Lutherus 1546. d. 18. Febr. 47. b.
Fridericus Myconius 1546. d. 7. Apr. 83.
Joannes Heſſus 1547. d. 6. Januar. 89.
Caſpar Bornerus 1547. d. 3. Maji. 91.
Matthias Zellius 1548. d. 9. Januar. 92.
Caſpar Cruciger 1548. d. 16. Nov. 93.
Vitus Theodorus 1549. d. 29. Martii 96. b.
Paulus Speratus vixit circa 1550. 97. b.
Paulus Fagius 1550. d. 13. Novemb. 99.
Martinus Bucerus 1551. d. 27. Febr. 102.
Oswaldus Myconius 1552. d. 15. Oct. 108.
Andreas Oſiander 1552. d. 17. Oct. 109. b.
Caſpar Hedio 1552. d. 17. Octobr. 116. b.
Joannes Æpinus 1553. d. 13. Maji. 118.
Georgius princeps Anhalt. 1553. d. 17. Octobr. 119.
Ambroſius Moibanus 1554. d. 16. Jan. 124.
Juſtus Jonas 1554. d. 9. Octobr. 125.
Conradus Pellicanus 1556. d. 5. April. 126. b.
Martinus Frechtus 1556. d. 14. Sept. 145.
Joannes Forſterus 1556. d. 8. Dec. 146.
Henricus Stolo 1557. d. 28. Septemb. 147. b.
Joannes Bugenhagen 1558. d. 20. Ap. 150.
Juſtus Menius 1558. d. 11. Aug. 154.
Erhardus Snepfius 1558. d. 1. Novemb. 154. b.
Nicolaus Gallus flor. 1558. 156.
Eraſmus Sarcerius 1559. d. 28. Nov. 156. b.
Philippus Melanchthon, 1560. d. 19. April. 157. b.
Conradus Lycoſthenes 1561. d. 25. Martii 173. b.
Jacobus Beurlinus 1561. d. 28. Octob. 175.
Wolffgangus Muſculus 1563. d. 30. Auguſti. 176.
Andreas Gerhard. Hyperius 1564. d. 1. Februarii. 187.
Thomas Grynæus 1564. d. 2. Aug. 191.
Martinus Borrhaus 1564. d. 11. Oct. 191. b.
Theodorus Bibliander 1564. d. 26. Novembris. 192. b.
Joannes Matheſius 1565. d. 7. Oct. 193.
Joannes Draconites 1556. d. 18. Apr. 194.
Wigandus Orthius 1556. d. 28. Apr. 195. b.
Joann. Isleb. Agricola 1566. d. 22. Septembris. 195. b.
Joannes Funccius 1566. d. 28. Octob. 197.
Ambroſius Blaurer 1567. .... 197. b.
Joann. Sebaſtian. Pfauſer 1569. d. 26 Junii. 198. b.
Victorinus Strigelius 1569. d. 25. Junii 199.
Paulus Eberus 1569. d. 10. Decemb. 204.
Joannes Brentius 1570. d. 11. Sept. 208.
Joachimus Morlinus 1571. menſe Januarii. 217. b.

pag.

Cunmannus Flinsbach 1571. d. 11. Septembris. 218. b.
Ludovicus Rabus flor. 1572. 220. b.
Joannes Pfeffinger 1573. d. Jan. 221.
Abdias Prætorius 1573. d. 9. Jan. 221. b.
Benedictus Aretius 1574. d. 22. Ap. 222. b.
Georgius Major 1574. d. 28. Nov. 223.
Matthias Flacius Illyricus 1575. d. Martii. 227.
Henricus Bullingerus 1575. d. 17. Septembris. 217.
Joſias Simlerus 1576. d. 2. Julii. 242.
Hartmannus Beyer 1577. d. 11. Aug. 246. b.
Conrad. Wolffgang Placius flor. 1577. 247.
Paulus Crellius 1579. d. 24. Maji. 247. b.
Nicolaus Rhodingus 1580. d. 23. Septembris. 249.
Joannes Marbachius 1581. d. 17. Martii. 251. b.
Joannes Gigas 1581. d. 12. Julii. 252.
Zacharias Urſinus 1583. d. 6. Martii 252. b.
Lucas Pollio 1583. d. 31. Julii. 158. b.
Abrahamus Bucholtzerus 1584. d. 14. Junii. 261. b.
Fridericus Widebramus 1585. d. 2. Maji. 268.
Simon Solcer. 1585. d. 22. Junii. 271.
Ludovicus Lavaterus 1585. d. 15. Julii 272.
Martinus Chemnicius 1586. d. 8. April. 272. b.
Primus Truberus 1586. d. 29. Junii 273. b.
Theodoric. Snepfius 1586. d. 9. Nov. 275.
Rodolphus Gualtherus 1586. d. 25. Novembris. 282.
Joannes Holman 1586. d. 26. Dec. 282. b.
Caſpar Olevianus 1587. d. 15. Martii. 283. b.
Joannes Wigandus 1587. d. 21. Oct. 287.
Tilemannus Heshuſius 1588. d. 25. Septembris. 295. b.
Joannes Parſimonius 1588. d. 24. Dec. 296.
Georgius Sohnius 1589. d. 23. April. 296. b.
David Voitus 1589. d. 26. Novemb. 301.
Jacobus Andreæ 1590. d. 7. Januar. 302.
Matthæus Vogelius 1591. d. 3. Dec. 313. b.
Nicol. Selneccerus 1592. d. 24. Maji. 315.
Chriſtoph. Cornerus 1594. d. 17. Apr. 315. b.
Conrad. Lautenbach. 1595. d. 18. Apr. 316.
Jacob. Heerbrand 1600. d. 22. Maji. 317.
David Chytræus 1600. d. 25. Junii. 323.
Joh. Conrad. Ulmerus 1600. d. 7. Aug. 330. b.
Daniel Toſſanus 1602. d. 10. Jan. 332. b.
Ægidius Hunnius 1603. d. 4. April. 344.
Cyriacus Spangenberg. 1604. d. 10. Februarii. 347. b.
Zacharias Schilter 1604. d. 4. Julii. 348. b.
David Rungius 1604. d. 7. Julii. 349. b.
Salomon Geſner. 1605. d. 7. Febr. 352.
Wolffg. Amlingus 1606. d. 18. Maji. 355. b.
Joannes Küchlinus 1606. d. 2. Julii. 359.
Georgius Mylius 1607. d. 28. Maji. 360. b.
Joan. Guilielmus Stuckius 1607. d. 3. Septembris. 363. b.
Henricus Majus 1607. d. 28. Sept. 368.

PERSONARUM.

pag.

Pantaleon Candidus 1608. d. 3. Febr. 369. b.
Lucas Backmeister 1608. d. 9. Julii. 372.
Polycarpus Lyser. 1610. d. 22. Febr. 379.
Joannes Pappus 1610. d. 13. Julii. 382.
Amandus Polanus 1610. d. 18. Julii. 383.
Adrianus Pauli 1611. d. 30. Martii. 384. b.
Stephanus Gerlach. 1612. d. 30. Jan. 386.
Quirinus Reuter 1613. d. 22. Martii. 390.
Otho à Grünrad 1613. d. 14. April. 393. b.
Bartholom. Pitiscus 1613. d. 27. Julii. 396. b.
Conradus Graserus 1613. d. 30. Dec. 400.
Andreas Baudisius 1615. d. 3. Jan. 403.
Philip. Heilbrunner 1616. d. 17. Apr. 405.
Urbanus Pierius 1616. d. 12. Maji. 407.
Andreas Osiander 1617. d. 21. Apr. 409.
Barthol. Coppenius 1617. d. 23. Maji. 410.
Joann. Jacobus Grynæus 1617. d. 30. Augusti. 412.

ELENCHUS,

Nomina Theologorum, quorum heic vitæ narrantur, secundum Alphabetum recensens.

A.

ABdias Prætorius pag. 221. b.
Abrah. Bucholcerus 261. b.
Adrianus Pauli 384. b.
Ægidius Hunnius 344.
Amandus Polanus 383.
Ambrosius Blaurerus 197. b.
Ambrosius Moibanus 124.
Andreas Baudisius 403.
Andreas Carolostadius 37. b.
Andreas Cnophius 7. b.
Andreas Gerhard. Hyperius 187.
Andreas Osiander major 109. b.
Andreas Osiander junior 409.
Andreas Proles 3.

B.

Bartholomæus Coppenius 410.
Bartholomæus Pitiscus 396. b.
Benedictus Aretius 222. b.
Bertholdus Hallerus 28.

C.

Caspar Bornerus 91.
Caspar Cruciger 93.
Caspar Hedio 116. b.
Caspar Olevianus 283. b.
Christophorus Cornerus 315 b.
Conradus Graserus 400.
Conradus Lautenbachius 316.
Conradus Lycosthenes 173. b.
Conradus Pellicanus 126. b.
Conradus VVolf. Placius 247. b.
Conradus Summerhardt 6.
Cunmannus Flinsbachus 218. b.
Cyriacus Spangenberg 347. b.

D.

Daniel Tossanus 332. b.
David Chytræus 323.
David Rungius 349. b.
David Voitus 301.

E.

Erasmus Sarcerius 156. b.
Erhardus Snepfius 154. b.

F.

Fridericus Myconius pag. 83.
Fridericus VVidebramus 268.

G.

Georgius Princeps Anhaltinus 119.
Georgius Major 223.
Georgius Mylius 360. b.
Georgius Sohnius 296. b.
Georgius Spalatinus 46. b.
Gerhardus Geldenhaurius Noviomagus 43. b.
Gobelinus Persona 1.

H.

Hartmannus Beyer 246. b.
Henricus Bullinger 217.
Henricus Majus 568.
Henricus Stolo 146. b.
Huldericus Zvvinglius 11. b.

I.

Jacobus Andreæ 302.
Jacobus Beurlinus 175.
Jacobus Heerbrandus 317.
Jacobus VVimphelingus 10.
Joachimus Morlinus 217. b.
Joannes Æpinus 118.
Joannes Brentius 208.
Joannes Bugenhagen Pomeranus 150.
Ioannes Draconites 194.
Ioannes Forsterus 146.
Ioannes Funccius 197.
Ioannes Geilerus 3. b.
Ioannes Gigas 252.
Joannes Jacobus Grynæus 412.
Joannes Hesus 89.
Joannes Hilten 2.
Joannes Holmannus 282. b.
Joannes Islebius Agricola 195. b.
Joannes Kuchlinus 359.
Joannes Marbachius 251.
Joannes Matthesius 193.
Joannes Oecolampadius 21.

Joannes

Ioannes Pappus pag. 382.
Ioannes Parsimonius 296.
Ioannes Sebastianus Pfauserus 198. b.
Ioannes Pfeffingerus 221.
Ioannes Schvvebelius 29.
Ioannes Spangenbergus 97 b.
Ioannes Staupicius 8. b.
Ioannes Guilielmus Stuckius 363. b.
Ioannes Conradus Ulmerus 330. b.
Ioannes VVigandus 287.
Iosias Simlerus 242.
Iustus Jonas 125.
Justus Menius 154.

L.

Leo Judæ 44. b.
Lucas Backmeister 372.
Lucas Pollio 258. b.
Ludovicus Lavaterus 272.
Ludovicus Rabus 220. b.

M.

Martinus Borrhaus 191. b.
Martinus Bucerus 102.
Martinus Chemnitius 272. b.
Martinus Frechtus 145.
Martinus Lutherus 47. b.
Matthæus Vogelius 313.
Matthias Flacius Illyricus 227.
Matthias Zellius. 92.

N.

Nicolaus Amsdorffius 32.
Nicolaus Gallus 156.
Nicolaus Rhodingus 249.
Nicolaus Ruffius 6. b.
Nicolaus Selneccerus 315.

O.

Osvvaldus Myconius 108.
Otho à Grünrad 393. b.

P.

Pantaleon Candidus pag. 369. b.
Paulus Crellius 247. b.
Paulus Eberus 204.
Paulus Fagius 99.
Paulus Constantinus Phrygio 46.
Paulus Speratus 97.
Philippus Heilbrunnerus 405.
Philippus Melanchthon 157. b.
Polycarpus Lyserus 379.
Primus Truberus 273. b.

Q.

Quirinus Reuterus 390.

R.

Rodolphus Gualterus 282.

S.

Salomon Gesnerus 352.
Simon Heinsius, aliis Benckius 7.
Simon Sulcerus 271.
Stephanus Gerlachius 386. b.

T.

Theodorus Bibliander 192. b.
Theodoricus Snepfius 275.
Thomas Grynæus 191.
Tilemannus Heshusius 295. b.

V.

Victorinus Strigelius 199.
Vitus Theodorus 96. b.
Urbanus Pierius 407.
Urbanus Regius 32.

W.

VVigandus Orthius 195. b.
VVolfgangus Amlingus 355.
VVolfgangus Fabricius Capito 41. b.
VVolfgangus Musculus 176.

Z.

Zacharias Schilter 348. b.
Zacharias Ursinus 252.

IN

VITAS DOCTORVM GERMANORVM

à

MELCHIORE ADAMO conscriptas.

TEUTONIÆ quando decus adserit inclytum ADAMUS:
Et facit illi ipsa ut liveat Italia:
Sive is Plutarchus, sive is Laërtius alter
In nostro mavult diciere orbe, meret.
Æternâ dignus vitâ famâque: tot unus
Qui famam & vitam reddidit antè-viris.
Jul. Guilielm. Zincgref.

Idem.

TAntos labores his ADAMUS in vitis
Fert colligendis: nemini ut sit mirum,
Impendat illis quin suam ipsius vitam.

GRatorque & doleo de tali hoc, crede, labore;
Dicende ô nunquam Vir sine honore mihi.
Grator; quod nobis per te tot docta virorum
Ingenia in vitâ cernere posse datur.
Sed doleo, quod te non secla priora tulerunt:
Ah tot Lethæis non tegerentur aquis!
Nec doleo; felix quin nostrum prædico seclum:
Servarunt vitam cui pia fata tuam.
Tu Clejus columen, Germanæ lumen & oræ,
Prisci hominem præstas moris & ingenii.
Adseris & vitæ cinefactos antè sepulcro:
Et prohibes dignos laude perire viros.
Non equidem Ausoniæ similes contemno labores,
Laudem rellinquens unicuique suam:
Hoc saltem; Italâ nil indignante, fatebor:
SI QUÆ ITALO DESUNT; HIC ALEMANNUS HABET.

In easdem
JOAN. LEONHARDI VVEIDNERI.
Αυτοχεδίασμα.

VITÆ

VITÆ GERMANORUM THEOLOGORUM.

GOBELINUS PERSONA.

© 1420. circ. ætat. 62.

CUM Pontificii hodie in eas, quæ à Papatu gravissimis de causis secesserunt, ecclesias hoc ariete identidem insultent: *ubinam ecclesia vera fuerit ante secula duo aut plura?* visum est quorundam saltem Germanorum, præteritis Italis, Hispanis, Gallis, Anglis, Boëmis, & aliis, ad nostrum institutum nunc quidem non facientibus, vitas circumscriptè præmittere: qui ante seculum decimum quintum, quo, Antichristo plenè retecto, Evangelii lux clarè effulsit, veritatem quasi in crepusculo viderunt: & quorum alii alia Papatus dogmata ac superstitionum commenta improbarunt; aut παλιγγενεσίαν futuram disertè prædixerunt. Nam vel hinc apparebit; *veram Christi ecclesiam semper fuisse etiam in Papatu, inter diras meretricis Babylonicæ tempestates: perinde ut in Veteri Testamento fuit verus Israel in mediis Baaliticis cultibus inter tyrannicas idololatricorum regum persecutiones.* Omissis igitur & extraneis Christi testibus, & iis etiam Germanis, qui supra seculum decimum quartum, testimonium veritati perhibuerunt, atque * alibi laudantur: à *Gobelino* hoc *Persona* lubet exordiri: qui quid in Papatu reprehenderit, ipsa narrationis series indicabit.

Pontificiorum adversus Evangelices objectio trita.

Ecclesia semper fuit. 1. Reg. 19.

** In Martyrologiis.*

Natus hic est in antiquâ Saxoniâ, quæ nunc Westphalia, anno Christi *millesimo, trecentesimo, quinquagesimo octavo.* Seculum, quod eum excepit, planè fuit barbarum: comprimis in Germaniâ & Galliâ de literis politioribus tunc altum silentium: Italia sola ad puritatem Latini sermonis, quasi postliminio adspirare visa Floruerunt enim tum temporis *Franciscus Petrarcha*, & *Joannes Boccatius* poëtæ, quiunà cum aliis literarum & linguarum studia, *septingentis* ferè *annis* tetrâ barbarie oppressa, ab interitu vindicarunt: quibus deinde alii aliique successerunt. Atque ita artium & linguarum paulatim in lucem usumq; revocata etiam apud nos exercitia, præludia atque instrumenta fuerunt Evangelicæ reformationis.

Patria Gobelini.

Barbaries illi⁹ seculi.

Litera in Italia quibus autoribus renata. Franc. Petrar. Joan. Boccatius.

Studia artium & linguarum instrumenta reformationis.

Italiam *Gobelinus* penè lustravit universam: & in curiâ Romanâ diu hæsit, tam ipsis Pontificibus, quam aulæ proceribus familiaris: quæ res ipsi ad beneficia ecclesiastica aditum patefecit. Sacerdos initiatus anno *millesimo, trecentesimo, octogesimo sexto*, triennio pòst Rector capellæ S. Trinitatis in ecclesiâ *Paderbornensi* constituitur; cùm annum ætatis ageret *trigesimum primum.* Præfuit deinde Paderbornæ templo forensi ecclesiastes: cùmq; sub annum *millesimum, quadringentesimum quintum*, consules ejus loci statutum quoddam condidissent: quod & Pontificum decretis, & Imperatorum sanctionibus adversari videbatur: pro concione id reprehendere, & ut antiquaretur, monere non destitit. Invidiâ ergo laborans & odio, loco cessit; Episcopi factus vicarius seu *officialis.* Quo in munere itidem odia maleferiatorum, & inprimis monachorum familiæ *Benedictinæ*, qui reformari nolebant, incurrit, nec citra vitæ periculum. Cùm enim apertè nocere homini non possent cucullati: ad artes flagitiosis usitatas decurrerunt: & veneno cibis insperso è medio eum tollere conati sunt.

Sacris initiatur Gobelinus. Paderbornæ templo præficitur.

Discedit inde & fit officialis. Exosus monachis. Inde ei periculum.

Re autem detectâ abiit *Bilveldiam*, comitatus Ravensburgici metropolim: ubi decanatu potitus est. Sed negociorum illorum pertæsum arctior religio incessit. Itaque studiis literarum & precibus vacaturus, cucullum induit: & sexagenario major è vitâ excessit.

Bilveldiam abit.

Cucullum induit. Obitus.

Otium ignavum toto vitæ tempore detestatus est: ac Philosophiæ in juventute; Theologiæ & juri Pontificio in virili ætate operam dedit. *Augustinum* præ reliquis legit attentè, cujus & verba & sententias subinde usurpat in scriptis. *Isidorus* non minus ei familiaris fuit: ex quo integras etiam pagellas exscripsit. In carmine infelix fuit, prout omnes fèrè illius ævi. Res quas descripsit, summâ fide & diligentiâ descripsit: sed Pontifici addictior, sive favore, sive furore ipsius Legendam de *undecim millibus virginum*, & de sanctâ *Catharina*, in dubium vocare ausus fuit: & rationes * adfert non elumbes. Totum autem hujusmodi narratiuncularum genus quale sit, aut quid in Papatu olim fuerit: notius est, quàm ut verbosè hîc debeat exponi. Vidit ergo & hic in tenebris aliquid: quemadmodum semper fuerunt etiam in Germaniâ; qui βδελύγματα Papatus & agnoverunt & taxarunt. Multi *primatum Pontificis, cleri fastum, avaritiam ac libidines* detestati sunt: multi *idolum Missæ* oppugnarunt:

Studia ejus & mores.

Legendas quasdam indubium vocat.

** Ætate 6. Cosmodromii cap. 15.*

Multi in Papatu Papatum improbarunt.

runt: multi & rectè & piè, *de gratuita hominis peccatoris coram Deo justificatione*, de *invocatione*, de *sacramentis*, & aliis religionis Christianæ capitibus docuerunt: multi reformationem unicè in votis habuerunt: ut ex historiis sequentibus patebit. Et hic non possumus non addere, quod paulò ante *Gobelini* tempora accidit. Exhibebatur Isenaci coram *Friderico* Marchione ludus de quinque Virginibus prudentibus & totidem fatuis. Prudentes erant *S. Maria*, *S. Catharina*, *S. Barbara*, *S. Dorothea*, *S. Margaretha*. Ad has veniunt fatuæ, ut aliquid olei impertiant petentes, hoc est, quemadmodum actor interpretabatur, ut pro se ad Deum intercedant; quò & ipsæ ad nuptias, h. e. regnum cœlorum admittantur. Quid fit? prudentes præcisè negant, quicquam se communicaturas. Hic verò triste oriebatur spectaculum: pulsabant, flebant, precibus instabant fatuæ: sed nihilum quidem proficiebant: abire jubebantur, & oleum emere. Quo viso auditoque Princeps ille ita fertur consternatus: ut in morbum inciderit gravem & periculosum. *Quid est*, inquit, *fides nostra Christiana, si neq; Maria, neq; alia sancta exorari potest: ut deprecetur pro nobis? quorsum tot merita & bona opera: ut sanctorum apud Deum intercessionem nobis conciliemus, & gratiam impetremus?* Ex hac tristitia nata est apoplexia: qua post quatriduum exstinctus est, & sepultus Isenaci. Hinc facilè apparet, quid sibi voluerit, qui hoc Drama exhibuit: quamque fuerint inanes cisternæ illæ, quas sibi foderunt, relictâ venâ aquæ vivæ. *Henricus Meibomius in cosmodromio Gobelini Anno* 1599. *edito: Matth. Dresserus Isagog. histor. parte quinta.*

Drama de decem Virginibus ex historia Evangelica.

Ierem. 2. v. 13.

JOANNES HILTENIUS.

Vixit circa annum 1485. & seq.

THURINGUM hunc fuisse, opinio nostra fert: in Thuringiâ certè seculo *decimo quarto* vixit: & primò quidem *Erphurdiæ*, ubi Academia & vetus, & olim florens. Pòst invidiâ nescio quorum pressus, inde secessit: ut de se ipse fatetur in opusculo quodam: *Ego*, inquit, *olim juvenis almæ matris Universitatis Erphurdensis alumnus, ardens Philosophus: nunc senex exuli solitudini deditus, ab anno Christi millesimo, quadringentesimo, septuagesimo septimo, in hunc annum millesimum quadringentesimum, octogesimum quintum, ejusdem Domini Jesu Christi voluntate: qui & me instigavit ex suo libro cognoscere veritatem, contra vacuos errores de futuro tempore nunc volantes. Quam me solum scire amor Dei, & proximi non sinit: sed & aliis piis & benivolis impertiri admonet. Quod cùm facio, reviviscit contra me pravorum iniquitas: de qua olim gloriosus Hieronymus sententialiter ait in prologo 2. in Iob sic:* Si insudarem his, quæ corpori meo sunt necessaria, non reprehenderer. Nunc autem quod saluti omnium prævideo divina decreta; error mihi infigitur. *Sic ecce his annis error de futuris sic amatur in Europa signanter: quod veritas divinæ scripturæ prorsus suppeditetur; sicut & veritas de præsentibus & præteritis. Sed contra hanc iniquitatem animat me idem cœlicus Doctor in prologo in Esdram, sic scribens suis dilectis benivolis:* Nunquam meum, juvante Christo, silebit eloquium; legant, qui volunt; qui nolunt, abjiciant. Magis vestra charitate provocabor ad studium; quàm malorum detractione & odio deterrebor. *Sic & ego, quæ ex divinâ literâ vera intelligo: quæ oculis jam adstare video: benivolis ostendo: & utinam pauci, vel duo tantùm ex meo studio sibi providerent salutem: omnem adversitatem felicter tolerassem.* Hæc ibi. Egit itaque *Isenaci* cum Franciscanis, quorum familiæ nomen dederat: ibique à sodalitio suo in carcerem conjectus propterea fuit; quod enormes quosdam abusus reprehendisset. In illo carcere cùm vel ob ætatem, vel loci squalorem ac fætorem, in morbum incidisset; accersitum ad se Guardianum multis rogavit, ut vel è carcere dimitteretur, vel molestiis aliquantum levaretur. Sed cùm Guardianus duriter objurgare hominem, propter doctrinæ genus, quod videbatur officere culinæ, cepisset; tum ipse, omissâ jam mentione valetudinis, ingemiscens; *Ego*, inquit, *istas injurias æquo animo propter Christum tolero: cùm quidem nihil scripserim aut docuerim: quod labefactare statum Monachatus possit: sed tantùm notos quosdam abusus reprehenderim. Verùm alius quidam veniet, anno Domini * M. D. XVI. qui destruet vos, nec poteritis ei resistere, aut carcere vinculisve coërcere.* Et hanc ipsam sententiam de inclinatione regni monachorum, & hunc annorum numerum, postea repererunt amici ejus perscriptum ab ipso in commentariis inter annotationes, quas reliquit in certos locos Danielis. Scripsit enim inter alia *Commentarios in Apocalypsin & textum Danielis*; quantum concordat cum Apocalypsi, vel eam supplet.

Primò Erphurdiæ.

Inde secessit.

Defendit se sententia Hieronymi, prolog. in Iobum.

Alia ejusdem prol. in Esdram.

Agit Isenaci cum Franciscanis.

In carcerem conjicitur.

Oratio ejus ad Guardianum.

Prædicit reformationem.

* *Melanchton refert vidisse se ipsius Hilteni manu scriptum hoc l. 2. epist. pag. 8.*

In iis de vicariatu Papæ ita scribit: *Plures gloriantur Romanum Papam esse Monarcham: quia Jesus omnia dedit Petro & ejus successoribus. Fateor, verùm quamdiu sunt ejus vicarii. Sed legantur revelationes S. Brigittæ: & videbitur querela Christi de perversione illius vicariatus. Quapropter Deus dedit gladium Mahometo: quo monarchiam illam a vicario ad ejus Dominum Jesum Christum compellit, vicarium & omnes Christianos reformando. Qui plenè reformati exurgent; & delebunt sectam Mahometi. Quo facto, ultimus Imperator Romanus resignabit cum effectu Jesu Christo coronam regalem; & omne jus Imperiale; non recepturus, ut Constantinus.* Et alibi de Româ: *Roma & ejus potestas cassabitur; inde ostendetur Anti-Christus.*

Scripta Sententia ejus de Papa vicariatu.

De Roma.

De Imperio Romano: *Hodie anno Christi* 1485. *illi digiti* (monarchiæ ultimæ) *valde minorati sunt. Et est proprium Romanæ potestatis, ut sit ferreum* (quid) *& licet digiti minorentur ad parvitatem acus; tamen manent ferrei.*

De Romano Imperio.

De scripturæ intellectu hanc præscribit regulam: *Ad rectè intelligendum ea, quæ expressa sunt in Bibliâ, duo principaliter necessario requiruntur, quæ sunt hæc:* * *Non fiat vis scripturæ: & Fiat collatio scripturæ. Ex duobus contrariis omnis hæresis exorta est.*

Regula de Scriptura Sacra.

* *Primum dicit esse Hieronymi, alterum Augustini.*

Multus

Multus fuit in exquirendo fine mundi, inde alicubi; *Ego hujus mundi hostis, quæro à te hujus mundi amico, & Dei inimico, etsi cappatus sis; An hic mundus sit finibilis? si aliqua ratio in te viget; & dicis, quod sic.* Adsignat ultimum mundo annum *millesimum, sexcentesimum quinquagesimum primum* à Christo nato. De mutatione denique monasteriorum fertur hæc prædixisse;

De fine mundi opinio.

De monasteriis mutandis.

Cœnobium { Vinariense, Magdeburgense, Wittembergense } fiet { armamentarium schola, granarium.

Atque de Hiltenio tantum, *ex apologia confessionis Augustanæ, titulo de votis monasticis, & commentariis M. S. ipsius Hiltenii, è bibliotheca D. Abrahami Sculteti.*

ANDREAS PROLES.

Circa an. 1508.

Patria Prolis, & vitæ genus.

LIpsiæ in Misniâ *Andreas Proles* natus, cùm ætas pateretur, in *Augustinianorum* ordinem fuit adscriptus. Ibi, quâ erat diligentia & pietatis zelo, noctes diesque sacris literis, & evolvendis Patrum monumentis, incubuit. Itaq; cùm præclaram, pro illius seculi ratione, doctrinæ eruditæ copiam sibi comparasset: Lipsiæ *Augustinianorum Prior* est electus.

Prior fit Augustinianorum.

Prædicit reformationem ecclesiæ.

Ibi cùm sacros publicè libros explicaret, inter prælegendum sæpè dixit, *gratiâ sumus, quicquid sumus, & gratiâ habemus, quicquid habemus, & res Christiana opus habet magnâ & forti reformatione; quam quidem jam propè instare video.*

Cur ipse non aggressus reformationem.

Quærentibus fratribus, quare ipse non inciperet reformationem; atque erroribus se opponeret? suam corporis infirmitatem excusavit. Verùm brevi venturum, qui negocium reformationis inchoaturus & fortiter peracturus sit. *Videtis*, inquit, *fratres, me esse ætate grandævum, corpore & viribus debilem, & agnosco; me non esse præditum tantâ doctrinâ, industriâ, & eloquentia, quantam hæc res postulat. Sed excitabit Dominus heroem, ætate, viribus, industria, doctrina, ingenio & eloquentia præstantem: qui reformationem incipiet, erroribusq; se opponet. Ei Deus animum addet, ut Magnatibus contradicere ausit, & ipsius ministerium salutare Dei beneficio comperietis. Regnum Papæ magnam minitatur ruinã: quia animis alitè & nimis citò crevit.*

Eligitur provincialis Augustinianorum.

Vocatur ad synodum.

Etsi autem ejusmodi identidem admonitiones inculcaret, tamen totius ordinis etiam *provincialis*, ob pietatem & doctrinam electus est. Paulò ante mortem ad Synodum vocatus fuit; quæ primò Pisis indicta, pòst Mediolani acta, & demum, anno *millesimo quingentesimo, decimo*, in Laterano absoluta fuit. Ibi cum ageretur de indicendo novo festo, solus iste Proles contradixit, & usque in finem contradicturum se affirmavit: quòd *populus Christianus sanguine Christi liberatus, alioqui nimiùm traditionibus esset oneratus.* Tentavit quidem Papa unà cum patribus concilii, Prolem à suâ sententiâ deducere, sed frustrà. A Papa ideò excommunicatus contemta excommunicatione ad suos confugit. Ea in fugâ, ut ipse postea narrare solitus, arcum & sagittas emerat, ut se ab injuriâ defenderet; sed post aliquot dies cogitans causam non suam, sed Dei esse, quæ nec opprimi totius mundi armis, nec defendi possit, multò minus à decrepito & debili sene; arcum cum pharetra ex curru in itinere abjecit & se Domino commendavit. Affirmavit quoque se eo in itinere sæpè in maximis fuisse periculis; quòd ei Papa insidiatores suborn arat, à quibus, nisi fuisset divinitus protectus, nequaquam evadere potuisset.

Contradicit aliis de festo indicendo.

Excommunicatur.

Insidiis petitur.

Domum reversus, narravit fratribus omnia ordine, quæ acta erant, qui pietate & gravitate viri moti, cœperunt primum contemnere excommunicationem. Ac fuit ipse anno toto in excommunicatione, quo tempore etiam gravius errores Papæ reprehendit. Tandem * *Ernestus* Magdeburgensis Archiepiscopus, Saxoniæ Dux (qui tum, quòd in suo episcopatu ageret Proles, tum quod Lipsiæ erat natus; de eo homine & causa erat solicitus) intercessit; & ut absolveretur effecit; sed eâ conditione, ut ipsemet, salvo, ut vocant, conductu accepto, Papam accederet. Profectus eò cùm non procul Româ abesset, præmonitus à Cardinale quodam, sui ordinis Monacho, qui ei obviam missus fuit, imminere sibi Romæ à Papa certum exitium; denuò in Germaniam redire cœpit. Verùm in reditu ob extremum senium, parum jactationis patiens, in morbum incidit, ac vix usque *Ciclembachium* perlatus obiit; & in Augustinianorum monasterio sepultus fuit. Hunc ipsum Prolem, jam decrepitum vidit & audivit *Martinus Lutherus*, admodum tamen juvenis, Magdeburgi. * De scriptis hujus nihil bibliothecæ laudant, præter *sermones* quosdam. *Catalogus testium veritatis lib. 19. Matth. Dresserus in millenario sexto, alii.*

Redit ad suos.

Manet in excommunicatione.

* Qui obiit 1513. d. 3. Aug. 49. ætat.

Absolvitur.

Iterum Romam abit.

Monitus redit.

In reditu moritur.

* Venit M. Magdeburgum anno 1497. æt. 14.

Scripta Prolis.

IOANNES GEILERUS.

© 1510. d. 10. Martii ætat. 65.

Patria.

ORtus est Joannes Geilerus in urbe *Schaffusiâ*, antequam ab Austriæ Ducatu descivit, anno gratiæ *millesimo, quadringentesimo quadragesimo quinto, decimâ sextâ* Martii die, patre *Ioanne Geilero*, matre autem *Annâ Zuberâ*.

Parentes.

Pater, cùm scribæ ejus oppidi fuisset à manu; ductâ uxore, anno post apud *Amersvillanos* Notarii officium est consecutus. Eò itaque cum fortunis suis, quæ jam, recens nato filiolo, auctiores factæ erant, commigravit, ubi triennio pòst in præsentissimum vitæ incidit periculum. Cùm enim ursum, vineta passim depopulantem, persecuturis se adjunxisset, ab immani illâ bestiâ, cui venabulum incerto ictu intentarat, ità in crure altero mordicus apprehensus est ac miserè lanciatus; ut jam de vita ejus actum crederent, conclamatoque simili jaceret. A quibus enim opem expectabat, ab iis penitus est neglectus, fuga saluti suæ consulentibus. Sic *nocuit interdum forti pectore imminenti se objecisse discrimini.* Vulnus eo congressu acceptum non longè post sacro igne correptum virum confecit.

Pater ab ursa saucia-tus.

Moritur.

Amissò igitur patre cum jam trimatum implesset; à proavo suo cive Cæsaremontano receptus est educandus. Cujus beneficio ac cura, post prima literarum tyrocinia ad *Friburgense* gymnasium missus liberalibus disciplinis vacavit, magisteriiq; laureâ, promerentibus hoc studiorum progressibus, est ornatus.

A proavo educatur Geilerus.

Magister Friburgi renunciatur.

Exindè mox sacris initiari voluit, & cùm *Sacerdotem nil magis deceat, quam sacrarum peritia literarum:* ne mysteriorum insçius à plebejo nihil differret; Basileam venit Theologiæ operam daturus. Ubi cum ferè *quinquenninm* studiis sacris impendisset; doctorale est ἀξίωμα adeptus.

Basilia doctor Theologia.

Cùm ergò Theologiæ consultissimus haberetur, & esset; *Friburgum* est accitus, ubi viri probitas antea omnibus erat cognita; atque Christianarum literarum publicus interpres constitutus. Nec illic anno longiùs mansit. Nam *Herbipolim* quorundam civium persuasione ductus, quibus in thermis Marchionianis è sacro pulpito declamans impendio placuerat, futurus concionator abivit. Ea in urbe quàm gratus cunctis exstiterit; id indicat: quòd *ducentos aureos*, donec Sacerdotio opulentiori dotaretur, ex conditione singulis quibusque annis erat recepturus.

Docet Friburgi sacra.

Inde Herbipolin abit.

Salarium ibi ejus.

Sed dum *Basileam* advehendorum, quos illic reliquerat, librorum causâ petit; à * *Petro Schotto* Argentoratensi Senatore, viro tam gravi quàm prudenti, rogatus est enixè admodum; ut si uspiam Dominici verbi enarrandi provinciam subire vellet: *Argentorati* id ageret: se daturum operam, ne dignâ laborum mercede careret. Ad hæc hortari hominem, ut suggestum conscenderet, populoque sui periculum faceret: prætereà asseverare: cum patriæ secundùm parentes omnia debeamus: eo illud maximè faciundum esse loco, qui Alsatiæ sit caput.

De quo in volumine Philosoph. Germanorum.

Argentorati detinetur Geilerus.

Officium prædicaturæ Argentorati in summo templo institutum an. 1478. Ruperto Duce Bavariæ episcop.

Id autem temporis ex Argentoratensibus primatibus nonnulli, fœlicibus Petri Schotti auspiciis, concionatorem decreverant constituere: qui solus huic officio præesset: ne religiosorum fratrum, qui alternis in æde majori declamitabant; varietate populus confunderetur potiùs, quàm profectum capesseret. At sacerdotium, quo provideri posset, aliud non occurrebat, quàm quod sacerdotis est Episcopalis ministri, quem vulgus *capellanum Episcopi* vocitat. Schottus itaque *Roberto* antistiti durissimo exactori triginta aureos pro eo sacerdotio, sub conditione perpetuæ deinceps ad id officium proprietatis, de suo quotannis exsoluit: undè fertur quingentos in eam rem aureos impendisse. Verum Herbipolenses longam doctoris absentiam ægrè ferentes: maliquealiquid amantissimo viro accidisse suspicantes: nuncium miserunt Argentoratum, qui haud vano consilio tamdiu retentus est; donec alter post hunc moræ causam remque omnem investigaturus advenisset. Sed interim parato Sacerdotio, lecta domo, necessariisque id genus aliis dispositis: concionator assensu Canonicorum accedente constituitur: remissique sunt Herbipolim tabellarii cum literis, non sine justo neglecti temporis salario.

Frustrà ab Herbipolensib. revocatur.

Ibi omni vitâ talem se gessit: ut *non minus exemplo, quàm doctrinâ esset venerabilis:* populum sibi creditum annis *triginta tribus* fideliter continenterque docuit, nemini unquam adulatus. Quin *primores ecclesiasticos*, qui dignitatibus magnisque plurium Sacerdotiorum censibus pollebant, sed his abutebantur, aut me retriculas foventes, aut ventrem pro Deo statuentes, graviter insectabatur. Tempus autem omne, cujus sumtus, Theophrasto autore, pretiosissimus est, aptè & avarè distribuit. Aut enim contemplabatur, aut legebat, aut quiescebat. Ocium, ut nocentissimam animi pestem, usque adeò vitabat: ut somno excitatus è lecto quoque statim exiliret. Peragebat sacra in æde virginum vestalium, quas pœnitentes vocant. *Has ne luxu & delitiis diffluerent: quibus nec pudicitia tuta satis videretur: in arctiori vivendi regula continuit.* Non tamen deerant, qui aut amissione lucri: aut dæmoniaco forsan œstro perciti sanctam observationis institutionem præpedire moliti sunt: sed horum conatus, favente Deo, suâ prudentiâ facilè superavit. His etiam virginibus *Humbertum* de virtutibus explicavit, quos sermones multo labore ejusdem monasterii sacerdos maxima collegit: viventiq; adhuc autori recognoscendos tradidit. Prodierunt illi Schureriano prælo excusi.

Docet Argentorati 33. ann.

Ecclesiasticos reprehendit.

Temporis avarus.

Ob hæc verba magnum periculum creatum Rhenano, qui hæc scripsit. Vide ejus vitam.

In officio continet vestales.

Humbertus de virtutibus à Geilero explicatus

Antequam morbo eo corriperetur, qui ipsi fatalis fuit, ab *Augustanâ* quadam *puellâ*, quæ nullo tum alimento vescebatur; per literas de imminente sibi morte est certior factus: quâ monitione nihil consternatus, dissolvi cupiit, & esse cum Christo. Augescente tandem ob tumorem ægritudine, membraque vitalia sensim enecante, naturæ concessit *decimo* Martii die, paulò pòst meridiem, anno salutis: *millesimo, quingentesimo, decimo.* Corpus ejus sequenti luce celebri pompâ elatum est, atque juxta suggestum terræ mandatum. Exequias ejus sacerdotes quàm plurimi, ut tunc superstitio erat, celebrarunt, multorum civium atque etiam senatus totius præsentiâ honoratas. Epitaphium in memoriam viri benè meriti composuit *Beatus Rhenanus*, ut ipse refert, ejusmodi: quod quamvis saxo incisum non fuerit, chartæ mandare visum est.

De morte instante præmonetur.

Moritur.

Epitaphium Geileri.

DEO TRINO ET UNI.
BENE VALEAS, QUISQUIS ES.
JOANNI GEILERO CÆSAREMONTANO, THEOLOGIÆ CONSULTISSIMO: QUI PERICLE ELOQUENTIOR: SOCRATE CONTINENTIOR: NUMA QUE RELIGIOSIOR: VITÆ SANCTIMONIA ET SACRIS CONCIONIBUS ARGENTORAT. POPULUM A. XXXIII. NON SINE MAGNO PROFECTU ERUDIVIT: NEMINI UNQUAM ASSENTATUS: PAUPERES PATRIO AFFECTU FOVIT: BONOS AC DOCTOS MERO STUDIO DILEXIT: ARGENTORAT. INCLYTA RESPUB. ÆTERNO DECORI ET MONIMENTO POSUIT. VIXIT ANN. LXIV. MEN. XI. D. XXIV. OBIIT TOTIUS ALSATIÆ LACRYMIS DEFLETUS: SUB MAXIMILIANO AUG. A QUO OB VITÆ INTEGRITATEM PLURIMUM AMATUS EST: ANNO GRATIÆ M. D. X. SEXT. ID. MARTIAS. PROH QUAM RECTI EXEMPLI HOMO ERAT! SED ORTA CADUNT.

Epigramma Wimphelingi in Geilerum.

Jacobus autem *Wimphelingus* amicum veterem hujusmodi epigrammate est prosecutus:

Argentina Deo grates age, plaude, triumpha,
Quod talem morum visa es habere patrem.
Ter denos supra antistes qui maximus annos
Te docuit, simul & scripta probata dedit,
Ad declamandum non impulit hunc sitis auri,
Non favor, aut luxus, aucupiumve novum:
Sed divinus honos, animarum zelus & ingens,
Quas docuit rectam carpere ad astra viam.

Prosopographia Geileri.

Statutâ fuit procera, capillo crispo, facie macilentâ, ac corpore gracili: sed salubri, &, renum dolore excepto, nullis ægritudinibus obnoxio. Bis in die comedebat: vini paulò appetentior: magnâ tamen est semper abstinentiâ usus: ut vel quadragesimæ tempus quotidiano jejunio transigeret.

Dictia ejus

Quoties declamaturus erat; dicenda prius ad verbum domi scribebat: scilicet stylo extemporario, & ob id incultiori: qualem Theologos ætate superiori ferè omnes servasse videmus.

Bibliotheca.

Bibliothecam habuit omnis generis librorum refertissimam; quam ad successores transire pientissimè voluit. Ibi neque poëtis, neque historicis sua loculamenta deerant: major tamen eorum numerus erat, qui rem Theologicam suis scriptis illustrarunt.

Liberalitas in pauperes.

Pauperes atque egenos maximâ semper liberalitate fovit. Hinc projectitiis infantulis quotidiè ferè aliquid dabat. Vidisses innumeram illi: quacunque transiret, circumfusam multitudinem: quæ supplici voce patroni opem imploraret. Neminem unquam sine munere passus est abire. Quicquid enim ex Sacerdotii censu ultra vitæ necessaria supererat, id omne in usus pauperum erogabat.

Amicitiæ literatæ.

Hospitalitatem quoque in peregrè advectos simili studio exercuit. Eruditos ac probitate conspicuos vehementer dilexit: & inter hos unicè quidem

Iacobus Wimphelingus.

Jacobum Wimphelingum, Beati Rhenani municipem; quo urbem Selestatinam doctiorem tulisse vix credimus: etsi *Hugone*, qui *in sententias* luculenta *commentaria* edidit: ac *Johanne* altero, qui *in Ethicen Aristotelicam* non spernenda *annotamenta* conscripsit, insignis existat. Hunc in oculis tulit: cum hoc de sublimibus rebus dissertare consuevit.

Thomas Wolphius.

Thomam Wolphium juniorem, cujus morte literæ quoque Argentorati sunt intermortuæ, muneribus est sæpiusculè prosequutus;

Sebast. Brandius IC.

Sebastianum Brandium jureconsultum, Basileæ degentem, Argentoratum promovit. Cartusios, atque eos cœnobitas, qui de familiâ sunt divi *Johannis Hierosolymitani* religionis observantissimi, frequenter visitavit.

Charus Max. I. Imper. Geilerus.

Ob summam verò eruditionem cum vitæ sanctimoniâ copulatam ab Imperatore Cæsare Maximiliano I. benevolentia haud vulgari dilectus est. Hunc interdum ad se accersere; accersitum non tam comiter, quàm familiariter compellare solitus erat. Hujus etiam in magnis rebus consilium non parvi æstimabat; ei præcepta quædam collegit; ad quæ se rex componere debeat, ut suis utilitatem, sibi verò gloriam pariat. Subindè dictitabat, bonæ conscientiæ esse Maximilianum Aug. justitiæ ac pacis literarumque amantissimum. Et revera principes omnes longo post se intervallo Maximilianus reliquit.

Refertur de Geilero & hoc: quòd, pro temporum illorum superstitione, adolescentulos quatuor, qui vexilla gestantes sacramentum Eucharistiæ comitarentur, ex collectitia pecunia, cui bonam partem adjecerat, primus restituit; cùm tamen ab authore Christo in hunc finem institutum non sit. Vanitatem vitæ humanæ agnovisse eum seriò hinc patet: quod in calendario antiquo, in quo varia diligenter annotarat, ad diem nativitatis suæ adscripsit: *dies calamitatis.* Verè enim natalis cujusvis est initium omnis miseriæ. Et *militia est vita hominis super terram, & sicut dies mercenarii dies ejus.*

Natalis cujusque initium calamitatum.

Scripta in usum posteritatis elucubravit ista: *orationes varias ad clerum: sermones & tractatus* varios: *Naviculam fatuorum & pœnitentium: fragmenta passionis: sermones in orationem Dominicam:* scripsit & de *communicandis his, qui ultimo supplicio afficiuntur: de amovendis concubinis*, etiamsi uterque continere decreverit: de hoc, *quòd pueri non sunt instigandi ad religiones*, in quibus regula non servatur: *contra statutum, quo testamentum cives facere* prohibentur: de *decem præceptis: de septem peccatis mortalibus, epistolas* etiam complures. Magnis item sumtibus & labore diuturno collegit *opera Joannis Gersonis*: quorum multa ex Galliâ tandem ad Germanos perduxit, ea in tres partes divisa, & tabulâ illustrata, typographiæ destinavit.

Scripta Geileri.

Opera Ioann. Gersonis.

Istis in scriptis suis passim invehitur in corruptissimum prælatorum statum; accusat eos inscitiæ & ruditatis, & quod sint *causa omnis mali in populo.* Dicit pravos successisse prioribus, qui fuerint boni ac veluti sepes Ecclesiæ. Ipsorum culpa dissipari & prodi Ecclesiam. Monachos *nigros* solitus est appellare *diabolos: albos matrem diaboli: mixtos, pullos ejus.* Itaque parùm illos æquos habuit, ut qui Romanam Ecclesiam non segniter arguit. Pro concione fertur quæstionem proponere solitus: *qui sunt illi homines, qui rasi incedunt, sicut moriones; tectâ facie, sicut infames; fune vincti, sicut fures?* cui subjecit ipse: *esse Monachos Franciscanos.* Nec solùm questus est de religione corruptâ, sed etiam prædixit venturum quendam, divinitùs excitatum; qui eam instauret. Optavit etiam videre diem illam, & esse discipulus ejus viri. Vehementer eidem displicuit condemnatio *Johannis de Vasaliâ*, facta Moguntiæ anno *millesimo, quadringentesimo septuagesimo nono*, & una cum *Engelmo Brunsvicensi judicavit; eum invidia monachorum oppressum.* Solitus etiam * fertur dicere: *se libenter revocare nomen episcopi ad etymologiam Germanicam: ut sit* Bischoff/ *quasi* bey den Schaafen. *Sed non moveri Episcopos, qui tum, sive Græca, sive Germanica etymologia, ut facere velint officium suum. Ideo se cogi, ut contrariam etymologiam asserat: ut dicatur* Bischoff/ *quasi* beiß das Schaaf. *Sic enim*

Quæ reprehenderit Geilerus in Prælatis.

In monachis.

Ænigma de monachis Franciscanis. Prædicit reformationem.

Ioann de Vesalia condemnatus. Etymon Episcopi Germanicum.

* *Tom. I. Postil. Melanchth. p. 166.*

enim magis congruere ad præsentes Episcopos nomen Germanicum Bischoff! *cùm qui jam habeant nomen episcoporum non sint vel Inspectores veri Ecclesiarum, vel pastores & curatores ovium.* Sed hæc de hoc satis, *ex narratione Beati Rhenani de Geilero: catalogo test. veritat. lib. 19. & aliis.*

CONRADUS SUMMERHARDT.

☉ 1511. d. 3. Nov. ætat. 44.

Patria.

COnradus Summerhardius Calvæ in Scuviâ natus, anno Christiano *millesimo quadringentesimo, sexagesimo septimo*, maturè perceptis literarum rudimentis, ad patriæ suæ

Discit Tubingæ.

Academiam, quæ *Tubingæ* etiamnum floret, tanquam ad emporium mercium Musicarum publicum, accessit.

Eruditio ejus.

Ibi, quæ fuit ingenii ejus felicitas, & doctrinæ augendæ cupiditas, tantos in *Philosophicis* brevi progressus fecit: ut, quâ legendo, quâ disputando, alios ejus loci Professores longè post se reliquerit. Postea animum ad rerum divinarum scientiam applicuit: inque eâ *insignia*, ut vocant, *Doctoralia*, virtute & doctrinâ suâ obtinuit. Nam quod tum in omnibus Christianis, tum vel maximè in Ecclesiæ Doctore requiritur, vitæ fuit integerrimæ, & non tam verbis, quàm factis ipsis alios ad pietatem, & virtutes omnis generis, invitavit. *Qui* enim *benè docet, & malè vivit: is sinistra plus destruit, quàm exstruit dextra.*

Theologiæ doctor renunciatur.

Virtutes & vita ejus.

Cum ita suo loco ad reipub. literariæ utilitatem, & ecclesiæ ædificationem plurimum studii operæque conferret; atque Tubingensem scholam suæ eruditionis famâ longè lateque illustraret: peste populariter grassante correptus, immaturâ morte tollitur in monasterio *Schüterensi*, die tertiâ Novembris, ætatis suæ anno *quadragesimo quarto*, salutis verò per Christum reparatæ *millesimo, quingentesimo, undecimo*, ibidemque in templo honestâ sepulturâ tumulatur. Ad monumentum ejus carmen *Henrici Bebelii* exstat hujusmodi:

Peste corripitur. Qua extinguitur. Monumentum ei à Bebelio positum.

Si fleteris paulum, hocque leges epigramma, viator:
Nosces, quis gelida hac contumuletur humo.
Suevorum Summrhardt jacet hic laus, gloria, fama:
Grande Tubingensis gymnasiique decus.
Cujus non similem novit Germania tota:
Ille Theologiæ namque Monarcha fuit.
Phœnix Doctorum, sceleris quoque purus iniqui:
Et vitâ & morum cum probitate sacer.
Quem quoniam tantum potuit mors improba luce
Exarmare virum, vel rapere ante diem:
Vivere virtutes cujus merucre perenne;
Illius est sedes certa profectò poli:
Solamenque illis, qui nunc moriuntur ubique:
Mortem esse optandam, præcipuumque bonum.

Optat reformationem.

Fuit & hic Summerhardus unus de eorum numero, qui in ipsis Papatûs tenebris Evangelii lucem, è longinquo promicantem, viderunt: & emendationem Ecclesiæ unicè exoptarunt. *Joannes Staupicius*, qui Tubingæ docentem audivit, sæpe in memoriam sibi revocare, & ad alios in congressibus familiaribus sermone usurpare solitus est verba, quæ ille non sine affectu protulit talia: *Quis me miserum tandem liberabit ab istâ rixosâ Theologia!* *Scholasticorum* intellige, *& Sophistarum.* Quæ quam vim habeant, nemo non videt.

Scripta posteritati hæc reliquit: *commentaria in universam Physicam*, in quinque tractatus divisa: *De contractibus* grande opus: In *Petri Lombardi sententias* Conclusiones: *Orationem ad Patres in capitulo Hirsaugiensi*, ordinis S. Benedicti, *de duodecim abusibus monasticis*: Tractatum bipartitum; quòd *Deus homo fieri voluerit*; *quodque Messias in Lege & Prophetis promissus, non solùm homo sed etiam Deus esse debuerit & debeat.* Prodierunt & posthuma ejus quædam, de quibus Bibliothecæ. *Henric. Puntal. l. 3. Prosopogr. Gesner. in Biblioth.*

NICOLAUS RUS.

Floruit circa annum 1513.

INter alios evangelii παλιγγενεσίας prodromos unciosve, unus hic fuit *Nicolaus Rus* Germanus. Sacris à puero initiatus operam divinis literis navavit ejusmodi: ut eruditione suâ sic promerente, *Rostochiana* in Academia primùm *Magister*, deinde *Baccalaureus* formatus Theologiæ fuerit renunciatus. Cæterùm cùm *Boëmorum* quorundam consuetudine esset usus: varias eorum ductu animadvertit in ecclesiam irrepsisse superstitiones: quas ipse magno zelo reprehendit: & sacerdotes officii sui graviter commonuit. Factum id sub annum Christi *millesimum quingentesimum decimum tertium.*

Renunciatur baccal. Theol. Superstitiones reprehendit.

Multi autem eo tempore fuerunt, qui ejus admonitiones diligenter expenderunt: plures, qui eum gravissimo odio persequuti. Itaque coactus est *Rostochio Wismariam* secedere; ubi annum cum dimidio vixit, hominum vitia taxando. Inde reversus denuo *Rostochium*, rursus ob novam persecutionem in *Livoniam* abiit, ibique diem suum obiit.

Wismariæ secedit.

Ac inde in Livoniam.

Reliquit prolixum scriptum, impressum Saxonica lingua, titulo *de Triplici funiculo.* Est autem expositio *Symboli*, *Decalogi* & *Dominicæ orationis*, in qua multa contra Papam disputat, præcipuè autem hæc; *Indulgentias esse meram deceptionem piorum*: *veras autem contingere à solo Deo gratis propter Christum, omnibus verè pœnitentibus*; *Papam non eam potestatem habere, quam ei multi tribuant, nec audiendum nisi recta præcipiat: sanctorum ossa non esse adoranda, nec sanctos invocandos; spirituales debere dare censum, & subesse Magistratibus*; reprehendit quoque *traditiones humanas, varios abusus, & superstitiones.* Imprimis verò gravissimè insectatus est spiritualium vitam turpem & officii neglectionem. Itaque cùm hæc doceret, indulgentiarum inquisitores summo studio illius exemplaria excussérunt. Et ipse quidem arcam plenam illis exemplaribus in terram defoderat, quæ ibi ad Lutheri tempora usque manserunt, sed pleraque situ & putredine corrupta. Inde liquet Lutherum magnam suæ doctrinæ occasionem ab antecessoribus accepisse. Vixerunt diu *Rostochii* duo pii & docti viri, qui hujus Nicolai in humaniorib⁹ literis discipuli fuerant, nimi-

Liber de triplici funiculo. Errores Papatus, quos taxavit Russ.

Libri ejus exusti.

Defodit exempl. in terram.

rum

Conrad. Pegollius discipul. Russi.

rum *Conradus Pegollius*, & *Vitus* Ecclesiastes ad S. Joannem. *Ex Chytræi Saxonia: & catalogo testium veritatis.*

SIMON HEINSIUS.

An. 1522.

REformati apud Wittembergenses Evangelii primus præco perhibetur *Simon Heinsius*, qui D. Chytræo, nisi fallimur, est *Benckius*; honestis parentibus prognatus in oppido Wittembergæ adsito, à * ponte nomen adepto. Pater ei fuit *Georgius*; qui præcipuum illius oppidi magistratum diu gessit. Hic cùm adolescens doctrinarum initia sic satis percepisset: ætate ad senium inclinante, Wittembergam, *Lutheri* potissimum adsiduè audiendi causâ commigravit.

Primus Concionator Evangelicus Wittembergæ.

* Brück.

Georgius Heinsius Pontanus dictus, Pater.

Migrat Wittembergam.

Idem cùm non tam hæreditate & diligentiâ ac parsimoniâ œconomicâ; quàm benedictione divinâ, quæ sola ditat, in re esset satis auctâ & lautâ: filios omnes, quorum tres habebat, literis erudiendos curavit, tribusque diversis, uti nominant, Facultatibus consecratos voluit. Sed qui *Medicinæ* sese dedidit, Paduæ in Italiâ immatura morte decessit. Alter patri cognominis *Jus civile* didicit, eique *Pontani* nomen adhæsit, de quo * alibi. Tertius hic *Simon* de parentis consilio *Theologiæ* studio destinatus primùm ad *Philosophiam* sedulò incubuit; brevique tantum profecit: ut supremo Facultatis ejus gradu ornatus, & in professorum numerum fuerit cooptatus.

Tres filios tribus Facultatibus addicit.

* In vitis ICtorum & Politicorum Germanorum.

Postea ad Theologiam studium contulit; in qua conatui successus ita respondit: ut *Ecclesiastes Wittembergensis* primarius fuerit electus. Sed cum ingenium ejus malè habitaret, & cum adversâ valetudine quotidiè ferè ipsi conflictandum esset: functioni suæ difficulter profuit. Itaque cum viribus exhaustis concionandi laborem subire ampliùs non posset: *Lutherus*, tunc vir *triginta trium annorum*, diebus Dominicis Evangelia ejus loco pro concione explicavit.

Simon Heinsius Theologiæ deditus.

Fit ecclesiastes Wittembergæ.

Valetudine impeditur.

Lutherus ejus vices supplet.

Porrò videns in doctrinâ, illo seculo usitatâ, multum inesse inextricabilium disputationum, aliquantisper hæsitavit: sed postea agnitam veritatem est amplexus, constanterque professus. Cum ipso Luthero aliisque eruditis ac piis viris sæpè de omnibus controversiarum Theologicarum capitibus seriò contulit: rectèque statuit: *solam hanc Dei esse Ecclesiam, quæ scripta Prophetica & Apostolica sine corruptelis amplecteretur.* Ac valdè fuit lætatus, cùm *videret congruere doctrinam Evangelii, cum Ecclesia veteri puriore, & cum Augustini, ut & aliorum scriptis:* in quibus signa pietatis & eruditionis apparent.

Veritatem Evangelii amplectitur Heinsius.

Ecclesia qua.

Et cum diuturno, quemadmodum diximus, morbo teneretur; ex domesticis conversationibus & amicis colloquiis recreationem aliquam petebat; mensæq; suæ adhibebat honestos aliquot, & eruditos juvenes studiosos. Hi ejus σύνεσιτοι cum aliquando diebus illis, quos *Bacchanaliorum* nomine insignimus, comœdiam agerent: id simul ac comperit, facti sui rationem ut redderent, postulavit, verbisque eos graviter castigavit: *Vultis*, inquit, *in ludis imitari Pontificios, qui ritu personas induendi, non sacrorum causâ, sed turpi infamiendi studio, duos continuos menses ante quadragesimæ initium, ludunt, inveterataq; interim delirandi consuetudine & licentia plusquam sexcenta flagitia committunt? Si quispiam Græcorum, aut Romanorum illorum antiquissimorum rediret, Jovem lapidem juraret; sua Bacchanalia & Lupercalia hic agi. Cur non etiam jejunium servatis?* Ad hæc cum illi mussitarent, acriter eos objurgavit, & inter alia: *Equidem exercitia*, inquit, *dramata & comœdias exhibendi, non improbo: modò vitetur obscœnitas, lascivia & scurrilitas. Ita enim rerum verborumq; suppellex comparatur tam ab actoribus, quam à spectatoribus, memoria egregiè excolitur, linguæ vitia, & mores emendantur, dicendiq; libertas quædam acquiritur. Verum hoc fiat justo tempore. Præsens certè Bacchanaliorum tempus, tali negocio destinatum, me & multos Christianos offendit. Considerate, quæso, quàm turpia & nefanda de abominandis Bacchanaliorum sceleribus recitet Livius, ut alios omittam. Peragebantur nempè Bacchanalia vestium mutatione, larvis crinibusq; dissolutis, pellibus cervinis, facibus, campanulis, imagine Priapi. Immolabantur aries & canis. Religionem sequebantur commessationes, & luxus. Cumq; vinum animos, ac tenebræ nocturnæ securitatem addidissent: misti fœminis mares discurrebant, fiebantque stupra, & omnis generis turpitudines. Nolite igitur aliis bacchandi occasionem præbere. De continentia & castitate præter Decalogi præceptum habetis & illud Catonis:*

Bacchanaliorum celebrationem reprehendit.

Dramatum & comœdiarum exhibitio quatenus probanda.

Casta Deus mens est, castâ vult mente vocari.

De non mutandis vestibus manifesta extat prohibitio in lege Dei: non induetur mulier veste virili: nec vir utetur veste fœminea. Abominabilis enim apud Dominum est, qui facit hæc.

Cæterum cum anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo, secundo*, occultè gliscceret secta quorundam; *qui cum Deo sibi colloquium esse jactitabant: & in mandatis se habere: ut, impiis internecione occisis, novum instaurent mundum, in quo pii solum viverent ac rerum potirentur:* Heinsius lectulo fatali affixus, fanaticos istos, cum publicè non posset in concionibus, animo tamen detestatus est: & alios, ut furorem in herbâ adhuc exstinguerent, animavit armavitque: inter quos principes *Melanchthon & Hieronymus Schurffius*, qui sese acriter huic malo opposuerunt.

Fanaticorum secta & dogma.

Ipse autem *Heinsius Pontanus* dictus eodem anno, postremum vitæ suæ diem, sanctè, & cum desiderio migrandi ad Christum, clausit: cui in pastoratu successit *D. Joannes Bugenhagius Pomeranus*: qui *triginta sex* ipsos annos ei Ecclesiæ deinceps præfuit ac profuit; ut in ejus vitâ dicetur. *Ex vitis Theologorum Wittenbergensium.*

Moritur Heinsius.

Succedente Bugenhagio Pomerano.

ANDREAS CNOPHIUS.

Flor. ann. 1523.

PRima notitiæ Christi semina & Ecclesiarum Livoniæ Christianarum fundamenta à *Meinardo* quodam Segebergensi monacho & sacerdote, per Biemenses mercatores in Livoniam ducto, jacta sunt, sub annum Christi mille-

Meinardus primus Livoniæ Episcopus Rigæ fundator.

milleſimum, centeſimum, nonageſimum. Is Epiſcopus Livoniæ primus, ad *Dunam* fluvium ſedem collocavit: ubi ſucceſſor ejus *Bertholdus* urbis *Rigæ* initium fecit. Præcipuè autem tertius epiſcopus *Albertus*, religionem & regionem Chriſtianam inibi propagavit: cui deinde continenter ſuccedentes Epiſcopi & Archiepiſcopi præfuerunt.

Cnophius primus emendat doctrinam & ritus.

Poſt aliquot ſecula, circa annum Domini *milleſimum, quingenteſimum, viceſimum ſecundum*, emendationem doctrinæ & rituum Rigæ inchoavit *Andreas Cnophius*, *Cuſtrini* ad *Viadri* & *Vvartæ* confluentes natus. Primum *Treptoæ*, ad Regum fluvium, in Pomeraniâ orientali, cui διὰ τ τρέφειν, propter omnium ad vitam ſuſtentandam neceſſàriarum rerum abundantiam *Joachimus Niſſenus* Secretarius illius Reip. nomen inditum autumat: *Treptoæ* igitur primum cum *Ioanne Bugenhagio* ſcholam literariam rexit: quorum tantopere in docendo induſtria, dexteritas, & fides celebrata fuerunt: ut non ſolum ex vicinis oppidis; ſed *Livonia* quoque & *VVeſtphalia* exciti ſcholaſtici eò confluerent. Eo in oppido cùm Pontificii errores in doctrinâ & abuſus rituum publicè detegerentur: turbulentius quippiam, non doctorum, dextra veram doctrinam tradentium, ſed vulgi ſiniſtrâ accipientium culpâ, in S. *Antonii ſacrificulos* & idola geſtum eſt. Quæ res ad Epiſcopum delata vehementer eum irritavit, fecitque ut in ſacerdotes, in cives & ſcholaſticos acriter animadverterit. Itaque aliis aliò diffugientibus, *Andreas Cnophius* cum *Ioachimo Mollero*, abductis ſcholaſticis Livonis, *Rigam*, ad fratrem *Iacobum*, canonicum, profectus eſt. Eo ſimul ac venit, ad miniſterium illius Eccleſiæ in æde D. Petri vocatur: ubi exemplo Paſtoris Treptovienſis, in cujus convictu fuerat, acriter in idolomaniam & mores Pontificiorum invectus, doctrinam de juſtitia fidei, & gratuita peccatorum remiſſione, propter Chriſtum pro nobis paſſum & reſuſcitatum, cuivis credenti donanda, præcipuè urſit: ritus tamen quosdam aliquantiſper toleravit.

Collega Bugenhagii in ſchola Treptoæ

Ibi aliquid turbarum datum.

Fugit Treptoa Cnophius.

Riga Paſtor deſignatur.

Docet ibi.

Sylveſter Tegetmeierus turbat.

Sequenti anno acceſſit collega turbulentus *Sylveſter Tegetmejerus:* qui Roſtochio, ubi eccleſiæ Jacobææ miniſter fuerat, nuper profugerat: & adeundæ hæreditatis fraternæ cauſa Rigam profectus, exeunte anno *milleſimo, quingenteſimo, viceſimo ſecundo*, in æde D. *Iacobi* docere cepit: & majori impetu Pontificiorum ſuperſtitiones & idola palam coarguit ac detexit: adeò ut vulgo abominationi eſſe ceperint: & paulo poſt ſtatuas omnes ex templis ejicerent, & lapides ſepulcris impoſitos removerent: ut *ſolent in primis mutationum articulis multa inconſideratius & turbulentius geri.* Quare *Lutherus ad Rigenſes* ſcribens monet eos, *pietatem Chriſtianam ſitam eſſe in fide vera, in caritate erga proximum ſincera, in ſpe ſalutis certa, quæcunq; afflictiones fidei confeſſionem comitentur: non in humanorum & externorum rituum abolitione; quæ citra impietatem & ſcandalum relinqui poſſint.* Biennio pòſt idem *Lutherus* alteram Rigenſibus miniſtris, *de ritibus Liturgiæ* inter ſe diſceptantibus, epiſtolam miſit: in qua *de externorum rituum libertate, & verò uſu ceremoniarum* docet.

Lutherus ad Rigenſes.

Sed quæ poſt varios motus de religione, apud Rigenſes conſecuta ſint: verbosè *David Chytræus* in Saxonia ſua narrat: nos ad Cnophium redimus. Hic igitur, uti dictum, fuit ἔξαρχος emendationis doctrinæ & rituum Rigæ Livoniæ metropolis: nec ſolùm verbi præco, ſed etiam vates ſuavis; qui *carmina ſacra & odas*, ſpiritu & vita plenas, ſententiis & rhythmis venuſtas gravesque, adjunctis numeris Muſicis in animos audientium penetrantibus compoſuit; de quorum numero ſunt pſalmi Davidis aliquot, Germanico carmine redditi: & odia illa: HErr Chriſt der einig Gottes Sohn: Item: Hilff uns in deinem Namen. *D. Chytræus lib. 10. Saxoniæ.*

Cnophii oda ſacra.

IOANNES STAUPICIUS.

⊙ 1527. vel 25. d. 28. Decembr.

PROTULIT *Joannem Staupicium* Miſnia, familiâ verè nobili. Sed ne genere & proavis, alienis nempe bonis, gloriaretur: à teneris unguiculis, generoſo animi impetu, ad virtutem & eruditam doctrinam contendit. Utque commodiùs bonis literis atque pietati vacare poſſet: gratos Muſis ſeceſſus quæſivit.

Staupicio-rum familia nobilis.

Fit Auguſtinianus monachus Staupicii.

In *Auguſtinianorum* itaq; *monachorum* familiam cùm ſe contuliſſet: abſoluto feliciter, pro illis temporibus, Philoſophico curſu, & deguſtatis utriusque literaturæ primordiis, ad ſacras literas acceſſit: quas aſſiduo legendi commentandiq; ſtudio ita ſibi familiares reddidit: ut aliis celeriter ingenii acumine & pietatis laude antecelleret. Videbat enim pius juvenis, naturalem & Philoſophicam rerum conſiderationem, in tanta noſtræ naturæ caligine & depravatione, parum ad ſalutem æternam conferre.

Philoſophica primum, deinde Theologica tractat.

Doctor Theologiæ renunciatur.

Porrò in Theologiâ, ut tunc tradebatur, tantum profecit: ut ob raram eruditionem Doctor Theologiæ, cùm applauſu aliorum, fuerit renunciatus. Neque tamen ſatis duxit, ſacras literas ſcire & memoriâ tenere: ſed praxin quoque accedere oportere rectè ſtatuit. Ut enim *olim exoſi* fuerunt *viri Philoſopha ſententia, ſed ignava opera:* ita & *Theologi nomen frivolè jactant, qui factis non exprimunt:* cum Chriſtianiſmus non ſolum recta dogmata; ſed & honeſtam vitam exigat. Itaque cum vitæ innocentiâ eruditam doctrinam ornaret Staupicius: mortuo ſui ordinis per Germaniam ſummo & generali Vicario, in ejus locum unanimi ſuorũ conſenſu fuit ſurrogatus.

Et vicarius generalis. Wittenberg. conſtit. auctor.

Sub id tempus *Fridericus*, Elector Saxoniæ, Princeps ſapientiſſimus, *Wittembergæ* publicam aperire ſcholam in animum duxit: qua in re *Staupicii* potiſſimum, & * *Mellerſtadii* operâ atque conſilio uſus eſt: quorum hic primus Academiæ Rector, ille verò primus in Facultate Theologicâ Decanus fuit: eximius, ut tum loquebatur, *Magiſter noſter*, & Auguſtiniani ordinis Eremitarum generalis per Germaniam Vicarius.

* *De quo in vitis Medicorũ. Primus Decanus Theolog. Staupicii.*

Cùm autem Theologiam in Scholâ illâ diligentius

Vocat Lutherum Wittenbergam.

Cùm autem Theologiam in Scholâ illâ diligentius doceri cuperet: atque *Martini Lutheri*, ejusdem ordinis monachi, ingenium perspectum haberet: vocavit eum Wittembergam Erphordiâ, anno Christi *millesimo, quingentesimo, octavo*, ut sacras literas publicè enarraret. Ibi cum, de voluntate Electoris, vellet Lutherum in Theologiæ Doctorem promotum: & Lutherus jam valetudinem, jam alia excusaret: Staupicius festivo vultu: *Mira*, inquit, *videtur instare conversio rerum: ubi DEO multi exhibebuntur labores in cœlo & terra; ad quos expediendos opus erit strenuis viris doctoribus. Sive ergo vivas, sive moriaris: Deus in consilio suo etiam operam requirit.*

Vult eum Doctorem promotum

Postea cum Lutherus, anno *millesimo, quingentesimo, decimo septimo*, indulgentias Pontificias reprehendisset: atque editis thesibus omnes ad disputationem provocasset: thematum illorum resolutiones, Pontifici Leoni X. tramittendas Staupicio obtulit. Hic emicantem è tenebris Evangelii lucem statim vidit: ac veritatem suo etiam calculo comprobavit. *Memini*, inquit Lutherus, *initio meæ causæ D. Staupicium, tunc summum virum, & ordinis Augustinianorum Vicarium, ad me dicere: Hoc mihi placet; quod de doctrina, quam prædicas, gloriam & omnia soli Deo attribuis: hominibus nihil. Deo autem, quod luce clarius est, nimium gloriæ & bonitatis tribui non potest. Ea vox me vehementer confirmavit & consolata est.* Augustæ etiam cum esset, ut mox dicemus, cum Luthero, inter alia, quæ super negocio religionis contulerunt, ad Lutherum *dixit: *Memor esto, frater, te ista in nomine Domini nostri Iesu Christi incepisse*: quod verbum non quasi à Staupicio, sed per eum dictum accepit: memorique animo repositum semper tenuit.

Doctrinam Lutheri probat.

Lutheri de Staupicio oratio.

*Tom. 1. epist. Luther. p. 298

Eo quo Lutherus Doctor est Theologiæ renunciatus anno, qui fuit à Christi nativitate, *millesimus, quingentesimus, duodecimus, Augustinî libros*, qui in iis, quæ suæ erant curæ, monasteriis, ad mensam de more prælegebantur, removit: inque eorum locum *Biblia* sacra substituit: ut eâ suis fratribus innotescerent. Ut autem sacras literas seriò amavit: ita & liberalium artium atque Philosophiæ studia Principi suo, unà cum *Georgio Spalatino*, frequenter commendavit. Inde cum Lutherus *Augustam Vindelicorum* ad Cardinalem *Cajetanum*, Pontificis Legatum, accersitus esset: ibidem & Staupicius, cum D. *Wenceslao Linckio*, D. *Peutingero*, & aliis Electoris Saxonici Consiliariis, comparuit: & ne ante causæ cognitionem Lutherus damnaretur, rogavit. Ac tantum quidem obtinuit: ut Luthero scriptis causam suam agere liceret. Verum cum Legatus frustra etiam per Staupicium cum Luthero agi voluisset, ac Staupicio ob id irasceretur: discessit ipse, inscio Cardinale, & in Saxoniam rediit: quem subsecutus paulò pòst est & Lutherus, literis post se relictis: quibus à Cardinale ad Papam provocavit.

Pro Augustini libris Biblia vult prælegi.

Luthero Augustæ adest. 1518.

Tandem ad Episcopum Salisburgensem venit Staupicius, ejusq; vicarius, quem suffraganeum vocant, factus est. Nam, si Pirnensi fides habenda, nunquam existimarat Staupicius: disputationes à Luthero motas, ejusmodi exitum sortituras. Itaq; cùm in dies magis ac magis augeri eas videret; aliò abiit. Hinc timiditatem ei Lutherus exprobrat epistola *quadam: ubi inter alia: *quantum tu me ad humilitatem exhortaris: tantum ego te ad superbiam exhortor. Tibi adest nimia humilitas; sicut mihi nimia superbia*: & reprehendit; quod judicio Papæ se submisisset.

Fit suffraganeus Salisburgensis.

*Alii abbatiam natum dicunt: tom. 2. epist. Lutheri p. 75.
*Tom. 1. epist. pag. 303. 304.

Finem vivendi fecit Salisburgi, anno, ut quidam, *millesimo, quingentesimo, vicesimo septimo*, Lutherus tamen sub annum *vicesimum quintum* ad Amsdorfium ita *scribit: *Staupicius excessit è vivis, brevi functus potentatu.*

Moritur.

*Tom. 2. epist. pag. 270.

Potuisset * hic vir ad summas pervenire dignitates, etiam Episcopatum quantumcunque adipisci; nisi ipse studio omni id fugisset: quod & gentiles in eo ipsi desiderarunt. De pœnitentiâ, contra carnificinam illam conscientiarum, rectè docuit: *veram esse pœnitentiam eam, quæ ab amore justitiæ & Dei inciperet.* Quæ vox ita altè in animo Lutheri insedit: ut nihil dulcius fuerit deinceps pœnitentiâ; cùm antea eidem in totâ scripturâ nihil esset amarius. De *prædestinatione disputaturus*, dixit item Staupicius: *incipe à Christi vulneribus; & statim diabolus cum suis tentationibus recedet.*

* V. tom. 1. epist. Lutheri p. 16.

Fugit dignitates & honores.

De pœnitentia quid docuerit.

De prædestinatione quomodo disputandum.

Nævos suos ipse agnovit: & imbecillitatem naturæ nostræ deploravit: *Ego*, inquit, *plus millies Deo recepi; fore me probiorem; sed nunquam præstiti, quod vovi. Posthac non vovebo; quia experientia didici, me præstare non posse. Quod nisi Deus mihi propitius propter Christum sit: ac felicem horulam concesserit, cùm ex hac vita migrandum erit: non potero consistere cum votis & benefactis meis.*

Agnoscit nævos suos.

De suâ gubernatione ad Lutherum dixit: *ego primo triennio secundum Nemesin volui regere: sed ea via non successit. Altero juxta leges & consilia majorum: & ne sic quidem cessit feliciter. Tertio secundum voluntatem Dei, adjuncta invocatione: verum id quoque fuit infelix. Tandem igitur faciebam quod poteram: cum desperassem de his consiliis & rationibus omnibus.*

De sua gubernatione quid dixerit.

Magni fecit eum Lutherus, semper *suum Staupicium* nominare solitus. Sæpè dixit: *magnus hic vir erat; & non solùm in scholis & templis doctus facundusque; sed etiam in aulis atque apud magnates gratus ac venerandus.* Aliquando pro concione voluit genealogiam Christi secundum Matthæum, ut tùm moris erat, memoriter recitare: sed cum genealogiam illam ad Principes usque, qui à captivitate Babylonicâ de tribu Judæ numerantur, perduxisset, hæsitare cepit. Ibi ipse, Deus, inquit, superbis resistit; & ad textus explicationem accessit. Intererant concioni duo Saxoniæ Duces; qui à concione ad prandium eum vocant. Inter prandendum Joannes Dux eum sic affatur; *Domine Doctor, quomodo res hodie in Evangelio succedebat?* Ibi Staupicius, *clementissime Princeps*, inquit, *in*

Iudicium Lutheri de Staupicio.

Lapsum memoriæ festive excusat Staupicius.

textu hodierni Evangelii tria habebam hominum genera: primum Patriarchas, qui erant faciles: deinde Reges; & hi de se sermonem haberi patiebantur: cum ad Principes pervenissem: erant illi varii, difficiles, & mein recitatione confundebant. Ibi Fridericus Elector, ad tam extemporalem argutiam arridens: *nunquid* (ad fratrem conversus) inquit, *amplius sciscitari quid lubet? Staupicius nunquam invenietur mutus.* In tomis denique Lutheri sparsim de hoc eodem Staupicio quædam ἀξιόλογα narrantur: quæ partim piè prudenterque fecit, partim sapienter graviterque dixit.

Scripta Staupicii. **Tomo 1. epistolarii pag. 164. b.*

Scripsit libellum vernaculum: *de imitanda morte Christi*: quem* commendat ita Lutherus: *Scarto nostro de morte obeunda non inutilis foret vernaculus ille Staupicii libellus: de imitanda morte Christi: in quo & melius, pro dote sua, rem tractavit; quàm sperem, à me tractari posse, donec ocioſior fiam.*

Tandem hoc seculo, anno nempe 1605. prodierunt duo ejus libelli posthumi Theologici:

1. Von der holdseligen Liebe GOttes. *De amore Dei suavissimo.*

2. Von unserm heiligen Christlichen Glauben / *de sancta Christiana fide nostra.* in titulo indigitatur: *Abbas Salisburgi ad S. Petri.*

Hæc de Staupicio suggesserunt nobis, Sleidanus: Matheſii conciones de Luthero, Petri Albini chronicon Misniæ tit. 25. epistolæ Lutheri, alii.

JACOBUS WIMPHELINGUS.

Ludovic. Dringebergius præceptor Wimphelingi. Varias Acad. accedit Wimphelingus. Haidelberga Licentiatus Theologus creatur. Spiram vocatur.

⊙ 1528. *d.* 17. *Nov. ætat.* 79. *curr.*

Selestadii in Alsatiâ, *Jacobus Wimphelingus* nascitur, anno Christi *milleſimo, quadringenteſimo, undequinquageſimo.* A puero optimis literis primùm in patriâ, à *Ludovico Dringebergio* Westphalo, studiorum scholæ Selestadiensis Rectore, informatus; postea *Friburgum* abiit; atque inde *Basileam, Erfordiam*, ac *Haidelbergam*: ubi Pontificii juris cognitionem cum Theologiæ scientiâ feliciter conjunxit. Itaque & bonarum *artium Doctor*, & S. Theologiæ *Licentiatus*, solenni Academiarum more, est renunciatus.

De secessu cogitat. Christoph. ab Utenheim.

Quod ad eloquentiam attinet; tantum præstitit tum in carmine, tum in oratione solutâ; quantum vel à Theologo, vel ab illorum temporum homine, possit requiri. Spiram itaque sub annum *milleſimum, quadringenteſimum, nonageſimum quartum* accitus, Ecclesiastæ munus non sine laude aliquot annis gessit. Præter literarum enim eruditionem insigni fuit præditus pietate.

Ardens ergo amore rerum cœlestium, eoque pertæsus seculi, quod, teste Apostolo, *totum in malitia positum est*, de secessu cogitavit. Ejus propositi consortem habuit *Christophorum ab Utenheim*, doctum pariter: & castissimæ integritatis virum. Atque ut nudus ad nudum Christum confugeret; quod erat Ecclesiastici census, erat autem quod ad vitæ muniditiem sufficeret, resignavit. Verum consilium hoc Utenheimius abrupit, ad Episcopi munus Basileam retractus, amicis ita suadentibus; futurum, ut, si ad mentem tam piam accessisset auctoritas, plures Christo lucrifaceret, quàm si se abdidisset.

Docet Haidelbergæ Wimpheling.

Wimphelingus tamen suâ paupertate lætus, perrexit, quod instituerat, agere: rursusque *Haidelbergæ* sacros auctores enarravit, & in his *Hieronymum*. Ad hæc libellis editis & adolescentiam instituit: atque sacerdotes ad pietatis castimoniæque studium excitavit.

Agit pædagogum.

Nec gravatus ibi est, amore pietatis, agere pædagogum, aliquot magnæ spei adolescentum: inter quos *Wolfgangus Comes à Levenstein*, Ludovici filius, cui *Adolescentiam* dedicavit, *Jacobus Sturmius* Argentinensis, postea inter nobiles doctrinâ, consilio, prudentiâ in toto Imperio clarissimus, cui *de Integritate animi & corporis tuenda*, libellum inscripsit; & ex sorore Wimphelingi Magdalena nepotes *Jacobus Spigelius*, qui Lexicon Juris postea edidit, & *Joannes Majus* DD. qui ambo *Caroli* & *Ferdinandi* Impp. Consiliarii præcipui fuerunt.

A monachis Romæ accusatur. Causa accusationis.

Cum talis Wimphelingus tantusque esset; non tamen sancta hominis libertas invidiâ caruit. Nam *Augustinensium monachorum* operâ homo, senio & hernià aggravatus, Romam citatus est eò, quòd, aliquorum monachorum malitiâ & ignaviâ commotus, alicubi scripsisset: *sanctum Augustinum non fuisse monachum, aut certè non talem, quales jam habentur Augustinenses: cùm illimet exhibeant eum, in tabulis & libellis, promiſſ. barba, nigra cuculla, & zona coriacea.* Quod factum reprehendit in ipso *Trithemius* quadam epistola: eumque monet: *promtulus ne sit* (verba sunt Trithemii) *in antea negotiis & rebus se occupare clauſtralium: quia* (inquit) *quod extra te & conditionem status tui, nihil ad te. Quid enim ad te. Augustinus cucullatus fuerit, an togatus?* Defenderunt autem Wimphelingum ad Papam Julium, & arbitri constituti fuerunt, *Conrad. Peudinger* Augustanus, & *Jacobus Spigelius*: tandemque incendium Julii secundi pressit auctoritas, idque bonorum omnium applausu.

Monetur à J. Trithemio.

Arbitri super eo negocio.

Cura ejus in causa religionis.

Præter alias adversitates, quibus hominis virtus exercitata fuit, fatale illud totius Ecclesiæ dissidium ipsum vehementer afflixit, ac tantum non ad vitæ tædium adegit. Nam ex unâ parte, sacrarum literarum veritatem; ex altera, Ecclesiæ auctoritatem; & inveteratam consuetudinem consideravit. Itaque solitudinem ac secessum frustra tentatum, ingravescentibus annis, egit *Selestadii* in ædibus Magdalenæ sororis, ex qua duos reliquit nepotes: quos paterno semper affectu complexus est, moribus ac literis eleganter institutos. Horum, uti diximus, *Jacobus Spigelius* juris prudentiâ clarus, primo *Maximiliano* Cæsari, deinde Regi *Ferdinando* fuit à consiliis; alter verò *Joannes Majus*, minor natu, postea in fratris defuncti locum successit.

Agit vitâ privatam.

Jacob. Spigel.

Joann. Majus.

Annum

Ætas Wimphelingi.

Annum attigit penè octogesimum, diutius etiam victurus, si corpusculi deficientis rationem ullam habere voluisset: & subductus est seculo, quo nihil fingi potest inquinatius; anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo octavo,* die *decimo septimo* Novembris, ætatis suæ *septuagesimo nono* inchoato, Selestadii, ubi & honorificè sepultus cum monumento ejusmodi, à *Beato Rhenano* conscripto:

Mors. Epitaphium ei à B. Rhenano positum.

Jacobo Wimphelingo Sletstadiensi, viro clarissimo, & unico puerilis institutionis ac profectus circa literas amatori, exhortatori, patrono. Cujus rei argumentum nobis exhibent, non solum æditus liber Adolescentiæ nomine, & quam εὐοδον inscripsit, ac elegantiarum linguæ Latinæ compendium, præter libellos hoc genus alios, verumetiam ipsæ scholæ eruditis hominibus hujus consilio passim commissæ. Qui quam capitaliter luxum, avaritiam, & ambitionem oderit, frugalissime acta vita docet, & splendida sæpè fortuna contempta, parvo semper contentus animus, sed & adversus illa vitia graves libelli & ad oppositas virtutes inflammantia scripta, apud posteros quoque testabuntur. Religionis Christianæ pius cultor, quemadmodum Theologum & Presbyterum inprimis decebat, bonos viros etiam in cœnobiis degentes familiariter dilexit. Apud Spiram Nemetum in Regio illo templo aliquot annis munere Concionatoris functus est, Primus sanè inter cives suos, qui carmine & oratione prosa atque æditorum voluminum numero in omni penè scripti genere apud eruditos laudem meruerit. Nam Hugonis veteris Theologi, præter commentarios rerum sacrarum & alterius Ioannis, præter Ethicorum Aristotelicorum expositionem, nihil hodie extat. Iacobus Spigelius Iureconsultus, & Ioannes Majus fratres, Regii Secretarii utrique Avunculo. B. M. statuerunt. Vixit annos LXXVIII. Menses III. Dies XXI. obiit anno M D XXVIII. decimo quinto Calendarum Decemb. Magdalenam matrem, fœminam planè Christianæ patientiæ, quam difficili morbo oppressa non modico tempore præstitit, eodem sepulchro (id quod viva optaverat ob amorem fratris) iidem filii paulo post collocaverunt.

Janus autem *Cornarius* his epigrammatis eum ornavit:

I. Cornarii epigramma in eundem Wimphelingum.

Hic Wimphlinge jaces, longæ post tempora vitæ,
Felix in patria contumulatus humo.
Inter avos teneræ qui dulcia munera linguæ
Ornabas Latio sedulus eloquio.
Addebas morum reverenda exempla piorum:
Quàm nihil absque illis lingua diserta valet!
Nomine sic morum, linguæ & pro ætate politæ
Nullus Teutonico notior orbe fuit.
Ipse senex tandem senibus sua munera mystis
Tradis, quæ pietas relligioque docent.
Hunc patrem ereptum genitrix fœcunda virorũ
Doctorum urbs merito Sletstadiana gemis.

Et hoc

Μειρακίων γλώσσας λειώνων οὐδὲν ἀπ' ἄλλο κέντρῳ
Βίμφλιγγος, ζαθέης ἅρμα μέγ' ἱστορίης.
Τόνγε γυνόντα σινεῖ κλειὼ τὸ φοῖβος Ἀπόλλων.
Γνημονικῶν ἀνδρῶν Σλεσταδιόντε πατρίς.

Fuit vir *integer vitæ, sceleris purus*, nullius-que honestæ disciplinæ rudis. Frequenter repetiit precationem, quam *Caspar Hedio* in bibliothecâ Keisersbergiana, manu Wimphelingi descriptam, reperisse se testatur, quæ ita habet: **Du milter JEsus / biß gnädig mir armen Sünder / der ich des gemeinen Nutzens / der Einigkeit der Christen / der heiligen Geschrifft / und das die Jugend recht auffer-zogen / ein Liebhaber bin /** hoc est: *Esto, Jesu, propitius mihi licet impio reipub. tamen, Christianorum concordiæ, sacrarum literarum & probæ puerorum institutionis amatori!*

Precatio Wimphelingi.

Scripsit *Philippicam*, hoc est, dialogos pro institutione filiorum *Philippi Electoris Palatini*: ubi agit *de studiis principum, de bello Turcico, de laudibus Philippi Electoris.* Eos curavit recitandos in palatio arcis Heidelbergensis septimo Idus Octobris Anno 1498. Philippo Comite Palatino attentissimè auscultante, coram nobilissimis filiis, ac *Alberto* Argentinensi Episcopo, aliisque multis præstantibus viris.

Scripta ejusdem.

Huic submisit *Agatarchiam*, hoc est, epitomen conditionum boni Principis, ad *Ludovicum* Philippi primogenitum, qui cum illi dialogi recitarentur, abfuerat, comitatus sororem *Elisabetham* nuptui elocatam *Guilielmo* Hassiæ Landgravio. Sunt in eo libello sententiæ graves, elegantes, ac piæ: unde & animus ejus æstimandus. Anno quingentesimo edidit *Adolescentiam*, quo libello ad literas & omnes virtutes studiosè colendas & fugienda vitia ex omni genere scriptorum & Poëtarum collectis insignibus sententiis, & exemplis, adolescentes cohortatus est. Eodem anno millesimo quingentesimo *orationem de mirando fœdere duarum in Christo naturarum*, die annunciationis Angelicæ habitam, & *de Germania libellum* ad Senatum Argentinensem emisit. Elucubravit & alia multa prosa & versu, quæ in Bibliothecis recensentur; inter quæ liber est *de vita & moribus Episcoporum aliorumque Prælatorum & Principum: Epistolas* idem multas scripsit nomine Palatini Comitis, Episcopi Spirensis & aliorum, quæ alibi videantur. *Atq; hæc de Wimphelingo ex Chytræi Saxon. l. 3. Trithemii epistolis: Erasmi Roterod epist. lib. 23. ad Joann. Ulatenum: Casp. Hedionis hist. ecclesiast. l. 13. c. 19.*

HULDERICUS ZWINGLIUS.

ANno à Messiâ exhibito *millesimo, quadringentesimo* octuagesimo septimo, cal. Januarii, Hulaericus Zvvinglius* natus est, parentibus probis, in pago Doggiorum, quem vocant ad* *Domum sylvestrem.* Pater clarus fuit ob spectatam vitæ sanctimoniam, & supre-

© 1531. d. 11. Oct. ætat. 48. vel 44. * *Alii* 1484 *ut Bucholcer. Pantal. ad an.* 1483. * *Vernac.* zum Wildenhause. *Pater Zvvingl.*

ſupremam, ut inter illam gentem, dignitatem: *Amannum* enim egit. Hic de filio benè ominatus, tenerrimum adhuc ad fratrem ſacrificum adduxit: ut ingenii ejus periculum faceret. Placuit mox adeò, ut Ludimagiſtro formandum commendarit: apud quem brevi tantum profecit: ut quæ puer doceretur ad ingenii ejus dexteritatem vilia judicaret omnia.

Prima ejus inſtitutio.

Baſileam mittitur. Gregor. Binxlius ejus Præceptor.

Quare *Baſileam* tum ferè decennis miſſus, præceptorem nactus eſt *Gregorium Bintzlium*, hominem bonum, doctum, & mirè manſuetum. Hîc protinus & moribus & literis ita eſt auctus; ut in diſputatiunculis, quæ tum erant inter omnium ludorum pueros, & adoleſcentes uſitatæ, victoriam ſemper reportarit. * In *Muſicis* equidem ſupra ætatem excellebat; ut ſolent, qui natura ſunt ad aliquam artem promtiores. Videbantur Bintzlio ſtudia, quibus ipſe præerat, non congruere tam feſtivæ indoli. Itaque domum remittens conſulebat, ut alibi pro ingenii facultate curaretur inſtitui.

** Prodit ingenium maturè.*

Mittitur inde Bernam. Henricus Lupulus. Studia Zvvinglii ibi.

Miſſus itaque *Bernam* ad *Henricum Lupulum*, virum doctiſſimum & poëtica venâ clarum; ab eo in adyta claſſicorum ſcriptorum introductus: & verborum comparavit elegantiam & rerum cognitionem atque judicium. Cognovit tunc carminis quoque componendi rationem: ut & ipſe carmina condere, & ab aliis condita judicare feliciter poſſet.

Viennam Auſtriæ abit.

Non totum abierat biennium: cum ſuper hoc fundamentum Philoſophiæ exſtruenda ſtudia viderentur. *Viennam* igitur *Auſtriæ* profectus, nihil non quod Philoſophia complectitur, & ipſe complexus eſt, & quæ prius norat auxit atque ornavit. Aliquot annos ubi duravit; revocatus in patriam, ne diutius ab exercitio literarum feriaretur, *Baſileam* repetiit: & quæ didicerat hactenus, alios cœpit docere. Nam ludo præfectus *Martiniano*, non ſine magnâ pueritiæ utilitate, literas humaniores profeſſus eſt: Philoſophica rimans interim exactius, & nugas Sophiſtarum perſequens haud indiligenter. Seriis & jocos miſcuit & ludos. Nam ingenio amœnus, & ore jucundus ſupra quam dici poſſit, erat. Deinde Muſices omnis generis inſtrumenta perdidicit atque exercuit: & non ſolum ipſe ita coluit: ſed omnibus literarum ſtudioſis, ut eandem artem pari ſtudio colerent, ſuaſit: non ut voluptatis eſſet adminiſtra: ſed ut ingenium ſeriis defatigatum recrearetur, & paratius ad ſolita ſtudia rediretur. Nihil enim eſt, quod hominis animum honeſtius & jucundius exhilaret, quam moderata Muſica.

Revocatur in Patriam.

Baſileæ docet.

Muſices inſtrumentalis peritus.

Muſicæ uſus.

Ubi ergò ſat diu, & artium liberalium & philoſophiæ ſtudiis inſudavit: præmium, ut hactenus in more poſitum fuit ſcholis, prenſavit, hominum potius obtemperans judicio, quàm ſuo. Ita enim ſunt homines, ut ſplendidis inſignitos titulis doctos judicent: alios, ut ſic dicam, ἀνεπιχάρτους, contemtim habeant, bardosve ducant.

Petit gradum Magiſterii Zvvinglius. Titulorum uſus.

Poſt magiſterii titulum, cùm res ita & ordo poſtularet, *Theologiam* illam *Scholaſticam* non per tranſennam inſpexit; ſtatimq; vidit, quam omnia in eâ confuſa, quàm pauca ſana eſſent. Manſit tamen in caſtris, veluti ſpeculator, alienis, tantiſper; donec à *Glareanis* ad paſtoris munus fuit vocatus. Ibi tum quod ceptum erat per alios, perficere ipſe cogebatur.

Ad Theologiam animum appellit.

Vocatur ad munus paſtoris.

Itaque ſacerdos factus divinis ſe ſtudiis totum devovit. Ethnica non magni fecit: præter unum *Valerium Maximum*, quem exemplorum cauſa memoriæ mandavit. De reliquo inſtitutum ſuum perſecutus eſt; Veterique & Novo Teſtamento evolvendo tempus omne transmiſit. Orationis item nervos ſcrutatus, ita in uſum artem produxit: ut noſtris hominibus prodeſſet, tum ad dicendum, tum ad judicandum.

Valer. Maximum legit, & cur.

Et Biblia ſacra.

Jam eò progreſſus, ut doctis & bonis viris judicaretur ſcripturam divinam in numerato habere: his quidem ſatisfaciebat, ſibi autem nequaquam, niſi linguarum adjeciſſet cognitionem: ex qua rectè putabat perfici poſſe, quod deerat. Ad Græcas igitur literas animum adjecit; primò doctoribus uſus Lexicis & translationibus. Deſcripſit *Paulinas Epiſtolas*, & memoriæ mandavit; illud tandem conſecutus, ut Græcè facilius, quàm Latinè, intelligeret.

Græcas literas diſcit.

Poſt ad eundem modum egit in his, quæ ſunt novi Inſtrumenti omnibus. Cæterum cum ex D. Petro didiciſſet: *ſcripturam non eſſe privatæ interpretationis*, in cœlum ſuſpexit, doctorem quærens Spiritum: à quo precibus contendit, largiretur, quo ſenſa divinæ mentis perſcrutari quàm rectiſſimè poſſet. Et ne vel ſeipſum imagine Spiritus falsâ, vel alios deciperet, ſcripta contulit, & obſcura claris explicavit. De orthodoxis ſcriptoribus ſenſit, quod ipſi de ſe volunt: legendos eſſe cum judicio & ad ſcripturam Canonicam, ceu Lydium lapidem, probandos.

Deo docente diſcimus. Quid de Deo ſentiendum.

De Interpretibus ſcripturæ.

Congredi autem ſtatim cœpit, juxta Chriſti normam, cum flagitiis: ante omnia cum *penſionibus*: quas exſtirpare, & patriam reformare ad ſanctitatem priſtinam, prorſus habebat in votis. *Penſiones* autem tum appellabant *principum munera, certis hominibus dari ſolita, militis comparandi & belli cauſa.* Neque id tum primum fecit: ſed ante annos viginti ſeptem propter hoc ipſum: & quod *reſolutiones Pici Mirandulani* ſuper eas quæſtiones, quas Romæ diſputandas, is olim fruſtra propoſuerat, non improbaret, à pinguibus illis aqualiculis clam exprobratam audivit hæreſin. Hinc odium & linguarum petulantia contra Zvvinglium cœperunt initium. Interea gratiam Evangelicam ita promulgabat: ut de Eccleſiæ Romanæ vitiis, nihil vel admodum parcè, commemoraret. Volebat enim veritatem agnitam in cordibus auditorum ſuum facere officium: cum *veris intellectis falſa etiam haud difficulter agnoſcantur.* Talis ergò *Glaronæ* Zvvinglius fuit. Poſt datâ occaſione Eremum conceſſit ad tempus, vocante eum eò D. *Theobaldo Gerolzeggio*, Barone, adminiſtratore tunc Divæ Virginis Eremitanæ.

Penſiones apud Helvetios.

Eas reprehendit Zvvinglius.

Inde odii origo.

Docet primò vera.

Vocatur Eremum. Theobaldus Gerolzeggius Baro.

Trahebat virum eo confluxus hominum ab omnibus ferè mundi partibus; ſicut nomen ejus loci tum erat celeberrimum: deinde

Cauſa cur eò abierit.

quòd

quòd in spem veniebat ipse, Christum & Christianam veritatem in regiones & varias & remotas divulgari tam felici opportunitate: & studiis Græcis, quæ cœperat non infeliciter, per ocium manus imponi posse. Nec prorsus eum hæc spes fefellit. Nam & Christus cognosci salubriùs incepit, & Græcas literas ad perfectam utriusque testamenti provexit intelligentiam.

Interea temporis in ecclesiâ Tigurinâ, primario tunc parocho carente, fuerunt; qui dies noctesque huc allaborarent: ut *Zvvinglius* subrogaretur. Itaque ipse rei ignarus, Tigurum venit: ibi, à Canonico quodam interrogatus, *possetné Tigurinis in verbo Domini adesse?* respondit: *posse*. Etsi autem probè norat, nequaquam se tantundem stipendii inventurum, quantum relinqueret: tamen ita erat animatus, responsurum officium ex voto, se verò nihil unquam petiturum. Vocatur igitur cum gratulatione bonorum: ac paulò pòst in Canonicorum consilio coram exponit; quid, quaque ratione, populum sit docturus; *historiam* nempe *Jesu Christi Servatoris, secundum Matthæum*, & quidem non sensu humano, ut qui in nullius interpretis verba jurarit; sed mente Spiritus, diligenti collatione & seriis precibus impetratâ.

Tigurum vocatur.

Incipit ibi docere.

Quod pollicitus cepit ipsis Christi natalicis, anno *millesimo, quingentesimo, undevicesimo*; estque cum successu felici prosecutus. Dum sic pergit, *Martini Lutheri* nomen in Helvetiâ magis magisque innotescit, ejusque scripta passim in manus hominum perveniunt: à quibus ipse sic initio abstinuit: ut suos tamen, etiam pro suggestu, ad emendos, & legendos illius libellos adhortaretur. Volebat scilicet ut populus scripta illa audiens, aut legens, videret spiritus in utroque unitatem ex literis divinis haustam; atque sperabat fore: ut veritati libentius locum daret, quamvis à consueto videretur abhorrere.

Lutheri libr. jubet legi.

Græcos auctores legit

Istis in laboribus docendi, Græcanicam lectionem haud unquam intermisit; sed *Homerum, Aristotelem, Platonem, Demosthenem, Thucydidem*, & facilioris notæ *Lucianum, Theocritum, Hesiodum, Aristophanem*, reliquosque sedulò evolvit. Et quia res postulabat, & commodum quidam Hebraicæ linguæ gnarus *Tigurum* advenerat ludum aperturus: discipulum ejus agebat valdè strenuum. Arridebant statim hæ literæ: quamobrem posteaquam obtinuerat à Senatu, verorum studiorum & linguarum Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ Gymnasium; diligentius instabat, ut *Jacobus Ceporinus*, juvenis trilinguis, advocaretur; sub hoc, quod attinebat Grammaticen, perfecit. Deinde septuaginta adsidua collatione & translationis Hieronymi, sociis adhibitis, *Leone Juda*, qui jam antea nonnihil in eas literas laboris & studii contulerat, & *Felice Mantio*, huc penetravit; ut *Jesaiam* & *Jeremiam* Prophetas explanare sit ausus dexterrimè.

Hebraas literas adjungit.

Gymnasiũ impetrat. Jacob. Ceporinum vocat.

Leo Juda. Felix Mantius.

Venit eo tempore Tigurum *Franciscus Lambertus Avenionensis Minorita*, relicto monasterio, veste Franciscanâ nondum exutus.

Franciscus Lambertus.

Hic mox cum Zwinglio congressus de *intercessione Divorum*, & *Missæ sacrificio*, disputatione publicâ cum eo disseruit: sed facili operâ victus cessit, & gratias egit Deo: quod per organum tam egregium ad veritatis cognitionem tam claram esset perductus. Secuti sunt non ita longo tempore pòst, *Johannes Faber*, vicarius Constantiensis, & *D. Martinus Blansch*, Concionator Tubingensis, ab *Hugone* Episcopo Constantiensi petentibus Tigurinis missi. Nec satis fuit Episcopo prædictos misisse: sed & suffraganeum suum haud longè pòst Tigurum submisit; persuasurum de sanctorum intercessione, & sacrificio Missæ. Verum ita lusit operam, ut dum vir quidam nobilis & sanguine & spiritu, rogaretur quid egissent? responderit: *Vicarius scropham abegit, nos porcellos minamus.* Rebus ita Dei gratiâ peractis, Zvvinglius ad scribendum est compulsus: quo tempore quos libros ediderit constat. Dum hæc autem in Germaniâ geruntur: fama de Zvvinglio penetravit ad Romanum usque Pontificem, qui *breve*, ut vocant, ad illum misit ejusmodi:

Disputat cum Zvvinglio

Joan. Fab. Martinus Blanschi⁹.

Scribit Zvvinglius publice.

Litera Papæ ad Zvvingliũ

ADRIANUS PAPA SEXTUS.

Dilecte fili salutem, & Apostolicam benedictionem. Remittimus venerabilem fratrem Ennium, Episcopum Verulanum, prælatum domesticum nostrum, & Apostolicæ sedis nuncium, hominem prudentia & fide præstantem, ad istam invictam, nobisque & huic sanctæ sedi conjunctissimam nationem, ut de maximis rebus nos, & eandem sedem, totamque Christianam Rempublicam concernentibus cum illa agat. Licet autem ei dederimus in mandatis, ut ea communiter cum omnibus & publicè tractet: tamen cum de tua egregia virtute specialiter nobis sit cognitum, nosque devotionem tuam arctius amemus ac diligamus, ac peculiarem quandam in te fidem habeamus, mandavimus eidem Episcopo, nuncio nostro, ut tibi separatim nostras literas redderet, nostramque erga te optimam voluntatem declararet. Hortamur itaque devotionem tuam in Domino, ut & illi omnem fidem habeas; & quo vos animo ad honores tuos & commoda tendimus, eodem tu in nostris, & dictæ sedis Apostolicæ rebus procedas. De quo gratiam apud nos invenies non mediocrem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo piscatoris, die 23. Januarii 1523. Pontif. nostri anno primo.

Ex his apparet, si gratiam hominum, quam Dei, maluisset Zvvinglius: quantus esse potuisset. Non autem ad ipsum solum tunc scripserat Pontifex; sed etiam ad *Franciscum Zinggium*: ut sibi & sedi Apostolicæ virum lucrifaceret. Ex quo cùm *Myconius* quæsiisset, ecquid pollicitus pro illo Papa esset? seriò respondit; *omnia certè, præter sedem Papalem.*

Emergere potuit Zvvingli⁹.

Cùm ergo Evangelium à senatu Tigurino receptum esset, & in dies vires sumeret; cœpit *Zvvinglius* de rerum præsentium statu in meliorem commutando cogitare. Et ut ordine omnia fierent: quæ ad incrementum

Religio Tiguri mutata.

Evangelii facere putabantur, ea primo quoque tempore mutabantur. *Numerus ſacerdotum & monachorum* jam olim viſus major; quam pro religionis uſu. Decretum itaque à Senatu, ſuaſore Zvvinglio, ut numerus ille Sacerdotum & monachorum diminueretur ad tot uſque perſonas; quot futuræ ſatis eſſent officiis Eccleſiaſticis. Non quod quiſpiam ejiceretur, aut ſacerdotio privaretur: ſed hactenus quod datum in ſingulos annos, poſſidebat & deinceps, usque dum mors ſuſtuliſſet. *Monachorum tres ordines* in locum unum cogebantur, cucullis abjectis. Exire poterant ad laborem, ad conjugium, ad literas, quibuscunque erat animus. Et cui non arridebat doctrina fidei, ei integrum erat migrare quocunque eſſet libitum. Reditus Eccleſiaſtici quoque vel miniſtris ordinabantur Eccleſiarum, vel bonarum literarum doctoribus, vel reliquiis ſacerdotum & monachorum, vel pauperibus. Erant inter illos juvenes ingenioſi non pauci; quibus pietatis magis placebant ſtudia; hi tales retenti, ad uſus Eccleſiarum Tigurinæ ditionis fovebantur, & occaſione oblatâ emittebantur. Ardebat etiam tum cupiditate incredibili ſcholam aperiundi; nec, ut erat literarum amantiſſimus, à propoſito deſtitiſſet, niſi id mors immatura intervertiſſet. Præter hæc Senatum curavit ordinandum; qui de cauſis decerneret matrimonialibus; docuit abdenda ſimulacra; tollendam funditus miſſam; reſtituendam cœnam Domini.

Monachi.

Reditus Eccleſiaſtici in quem uſum verſi.

Schola.

Senatus ſuper cauſis matrimonialibus.

Irrepſit interea temporis, ut diabolus ſua zizania ſemper interſerere conſuevit, Catabaptiſtarum hæreſis; qui primò infantes baptizare vetabant, & ſeipſos rebaptizabant; poſtea colluviem omnium, quæ unquam fuerunt, hæreſeon inundabant. Cum his initio, ubi rem ſenſit, quòd autores & amici erant, & docti, & cives, & oves, familiariter egit; verum ubi coràm adnuentes, digreſſi cœperunt nil niſi mentiri, accumulare diſcipulos, ab Eccleſiâ diſcedere, novam inſtituere: coactus eſt moliminibus iſtiuſmodi ire obviam totis viribus, & expugnare publicè. Habitæ ſunt *diſputationes* cum ipſis ſeriæ: in quibus errorum convicti, blaſphemiis & conviciis deſpumarunt in Antagoniſtas. Tandem carcere, proſcriptionibus, morte, contra perjuros, inobedientes, ſeditioſos, non jam Catabaptiſtas, Senatus agere coactus; ut malum inteſtinum averruncaret. Alpha eorum fuit *Balthaſar Hubmerus*, apoſtata iterum iterumque factus: qui Zvvinglii beneficio liberatus, gratiam eam retulit; quam mundus ſolet. Tantis enim conviciis virum benè de ſe meritum onerare nebulo non dubitavit; ut apologiâ ſatisfacere fratribus habuerit neceſſe. Sed hæc de Catabaptiſtis ſatis.

Catabaptiſtarum ortus.

Cum iis Zvvinglius primo amice agit.

Diſputat cum iisdem.

Pelluntur Catabaptiſtæ.

Eorum princeps Balthaſar Hubmer.

Secuta eſt *diſputatio Badenſis*, anno *milleſimo quingenteſimo, viceſimo ſexto*, menſe Majo; ad quam & Zvvinglius evocatus non venit; quòd Senatus Tigurinus dimittere eum nollet; & neſcio quid monſtri ab alterâ parte ali crederetur. Interfuerunt diſputationi *Conſtantienſis, Baſilienſis, Curienſis, & Lauſanenſis* Epiſcoporum Legati, cum J. *Eccio*, Joan. *Fabro* & *Thomâ Murnero*, Theologis Pontificiis. Etſi autem Zvvinglius coram ipſe non comparuit; tamen domi non minus laborum, conſulendo, monendo & ſcribendo exantlavit; quam ſi diſputationi inter medios hoſtes adfuiſſet; id quod ſcripta edita teſtantur.

Diſputatio Badenſis.

Poſtea ut diſſidium Euchariſticum ſopiretur, Landgravius Haſſiæ *Philippus*, inito cum Electoris Saxoniæ conſilio, Theologos præcipuos inter ſe diſſidentes ad colloquium placidum invitat. Venerunt igitur *Marpurgum* anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, viceſimo nono*, menſe Septembri, *Martinus Lutherus*, *Philippus Melanchthon*, *Juſtus Jonas* è Saxonia; *Andreas Oſiander*, Norimberga; *Joannes Brentius*, Hala Suevorum, *Stephanus Agricola*, Auguſtâ Vindelicorum; ab Helvetiis *Huldericus Zvvinglius* Tiguro, *Joannes Oecolampadius* Baſilea, *Martinus Bucerus* & *Caſpar Hedio* Argentorato. Spectatores & Auditores fuerunt & alii viri pii ac docti, *Juſtus Menius*, *Fridericus Myconius*, & ex Academia Marpurgenſi *Erhardus Snepfius*, aliique Landgravii Theologi; quos celebravit, nominatim compellando, *Euricius Cordus* epigrammate hujuſmodi:

Colloquium Marpurgenſe.

Nomina Theologorum qui ei inter fuerunt.

Inſignes verbi proceres, argute Luthere,
Suavis Oecolampadi,
Magnanime Zvvingli, pie Snepfe, diſerte Melanchthon.
Fortis Bucere, candide
Hedio, præcellens Oſiander, ſtrenue Brenti,
Amice Jona, acer Crato,
Et ſolidâ plus mente valens, quàm corpore Meni,
Magne Dionyſi, & Myconi;
Ac reliqui, bona turba, viri, quos inclytus Heros
Princeps Philippus accit;
Chriſticolæque ſuos urbes miſere Miniſtros.
Et præſules Epiſcopos:
Ut nova tollatis deviſæ ſchiſmata ſectæ,
Veramque monſtretis viam:
En cupidò ſupplex vobis Eccleſia voto,
Veſtros cadit flens ad pedes;
Atque per intima vos communis viſcera Chriſti,
Adjurat, obſecrat, monet:
Ut ſanctis ſtudiis ſuperi pro laude Tonantis,
Et omnium fidelium
Quærenda (hæc vobis incumbit cura) ſalute,
Tractetis hoc negocium:
Unde ratum judex decretum prædicet orbis,
Sancto profectum Spiritu.

Initio princeps voluit: ut *Lutherus* cum *Oecolampadio*, *Melanchthon* cum *Zvvinglio* ſeorſim conferret, quod & factum: ſed poſtea ſolus Lutherus cauſam diſceptavit cum Zvvinglio & Oecolampadio. Sed cum novi morbi genus, quem *Anglicum ſudorem* appellabant, Marpurgum etiam invaſiſſet: abrupta actione e juſſu Landgravii, ſic convenit: *quandoquidem in præcipuis religionis capitibus idem ſentirent: abſtinendum eſſe deinceps ab omni contentione, & Deum orandum; ut in hac etiam controverſiâ lumen accendat, & concordiæ viam oſtendat.*

Colloquium abrumpit lues epidemica.

Ita

Ita amicè discessum fuit initio Octobris. Sed non dubitamus, quin operæ pretium facturi simus, si ipsa verba adscripserimus. Sic igitur habent.

Capita Recessus Marpurgensis d. 3. Octob. anno 1529.

I.

In quibus convenerint Theologi.

Primò, *Unanimiter credimus certoque statuimus, quod unus, verus, natura Deus sit, conditor omnium creaturarum, isque Deus unus sit in essentia & natura, & trinus in personis, videlicet Pater, Filius & Spiritus sanctus, planè sicut in Nicæno concilio decretum est, & in Symbolo Nicæno canitur & legitur in tota Ecclesia totius orbis terrarum.*

II.

Secundò, *Credimus quod neque Pater, neque Spiritus sanctus, sed Filius Dei Patris, natura Deus, homo factus sit, efficacia Spiritus sancti, sine virili semine, natus ex Maria virgine corporaliter, & quod perfectus homo sit ex corpore & anima similis nobis, sed sine peccato,*

III.

Tertiò, *Quod hic Dei & Mariæ filius, persona una inseparabilis, Jesus Christus, pro nobis crucifixus, mortuus, & sepultus surrexerit à mortuis, ascenderit ac cœlos, sedeat ad dextram Dei, & dominetur omnibus creaturis, & venturus sit aliquando ad judicandum vivos & mortuos.*

IV.

Peccatum originale.

Quartò, *Credimus, quod peccatum originis ab Adamo in nos propagatum sit, quodque sit peccatum damnans omnes homines, & quod, si Christus nobis opem non tulisset, morte & vita sua, in æternum propter illud mori nos oportuisset, neque participes regni Dei, & salutis fieri potuissemus.*

V.

Quintò, *Credimus, quòd ita liberemur ab hoc & ab omnibus aliis peccatis, & morte æterna, si nostram fiduciam collocemus in filium Dei Jesum Christum, pro nobis mortuum: Et quòd extra hanc fidem per nullum opus, aut certæ vitæ genus liberari possimus ab ullo peccato.*

VI.

Fides.

Sextò, *Quòd fides sit donum Dei ejusmodi, quod nullo præcedente opere ac merito nostro obtinere, neque ex propriis viribus consequi possumus: Sed Spiritus Sanctus dat & efficit fidem, prout vult in cordibus nostris, quando Evangelium sive verbum Christi audimus.*

VII.

Justitia nostra.

Septimò, *Quòd hæc fides sit Justitia nostra coram Deo, utpote, per quam Deus nos justificat imputata nobis justitia sine ullo opere, aut merito nostro. Atque ita à peccato morte & inferno nos liberat, sibique reconciliat, adeoque salvat nos propter filium suum, in quem credimus, cujus justitia, vita, & omnibus beneficiis donamur ac fruimur. Hac de causa igitur sentimus omnia vota, totum ordinem monasticum, quatenus ad salutem promerendam necessarius putatur, jure ac meritò damnari.*

DE VERBO EXTERNO.

VIII.

Octavò, *Credimus, quòd Spiritus Sanctus (cum de ordinaria actione ejus loquimur) nimini hanc fidem vel cætera sua dona largiatur, nisi præcedente verbo vocali aut Evangelio Christi; sed quod per verbum vocale efficiat fidem, qua mensura, & in quibus vult. Rom. 10.*

DE BAPTISMO.

IX.

Nonò, *Quòd Baptismus sacrosanctus sit Sacramentum à Deo ad hanc fidem excitandam institutum. Et quot propter mandatum Dei: Ite,* baptizate; *& propter promissionem Dei,* Qui crediderit, *Baptismus non sit nudum signum, aut tessera tantum inter Christianos, sed signum & opus Dei, in cujus usu fides nostra excitatur, per quam regneramur.*

X.

Decimò, *Quod hæc fides efficacia Spiritus sancti, posteaquam justificati & sanctificati sumus, bona opera per nos exerceat, nempe dilectionem erga proximum, precationem ad Deum, & patientiam in persecutionibus.*

DE CONFESSIONE.

XI.

Undecimò, *Quod confessio, sive petitio institutionis aut consilii apud pastores seu ministros Verbi, aut apud quemlibet proximum, non coactè, sed liberè fieri debeat, & quod tamen contristatis, afflictis, & sentientibus se peccatores esse, aut qui in errorem inciderunt, valdè utilis sit, maximè propter absolutionem sive consolationem Evangelii, quæ vera est absolutio.*

DE MAGISTRATU.

XII.

Duodecimò, *Quòd omnis Magistratus, & politicæ leges & judicia ubicunque locorum sint res bona, & nequaquam porhibita, ut aliqui ex Anabaptistis, & Pontificiis docent, sed quod Christianus, ad hoc munus vocatus vel natus, possit per fidem Christi salvari, non minus, quàm parentes, & patres familias in vita Oeconomica.*

XIII.

Decimo tertiò, *Quod traditiones humanæ in Ecclesiasticis negociis, modò non pugnent contra expressum Dei mandatum, liberè possint retineri, vel omitti, prout cum aliis atque aliis hominibus conversamur. Interim verò sentimus, prohibitionem conjugii sacerdotum Dæmonum doctrinam esse.*

DE

DE SACRAMENTO CORPORIS ET SANGUINIS CHRISTI.

XIV.

Decimo quartò, *Credimus, & certò statuimus omnes de cœna Domini nostri Jesu Christi, quòd utraque parte Cœnæ secundum institutionem utendum sit. Et quod Missa non sit opus, per quod vivis aut mortuis impetretur gratia: Quòd etiam Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis & sanguinis Jesu Christi: Et quod spirituali manducatione illius corporis & sanguinis, singulis Christianis præcipuè opus sit. Similiter, quòd usus sacramenti, perinde ut verbum, à Deo omnipotente sit ordinatus, ut ad veram fidem & dilectionem conscientiæ imbecilles moveantur per Spiritum sanctum.*

Et quanquam in eo (An verum corpus & sanguis Christi corporaliter sit in pane & vino) hoc tempore nondum consensimus: tamen utraque pars, quantum omninò ferre potest cujusque conscientia, caritatem mutuam præstare debet. Utraque etiam pars Deum omnipotentem sedulò invocare debet, ut per Spiritum suum nos in vera sententia confirmare velit. Amen.

Martinus Lutherus.
Philipp. Melanchthon.
Iustus Ionas.
Andreas Osiander.
Ioannes Brentius.
Stephanus Agricola.
Iohannes Oecolampadius.
Huldericus Zvvinglius.
Martinus Buccerus.
Caspar Hedio.

Pericula Zvvinglii

Hactenus ergò de Zvvinglii laboribus: jam de periculis, quibus idem fuit objectus. Sacerdotibus & Monachis de gradu dejectis, & contra pensionarios confecto mandato, decursum est ad insidias, si quo modo tolli posset homo. Venit aliquando post medium noctis quidam rogans; ut hominem morti proximum invisat, Diacono pro hero respondente, se quicquid sit laboris obiturum, tam obstinatè renuit: ut oriretur de insidiatore suspicio. Diaconus igitur abiens, ceu Domino relaturus omnia, ostio occluso latronem foris manentem delusit. Manè factò cognitum est,

Insidiæ Zvvinglio structæ.

navigio captum, ore mox obturato, clam fuisse deportandum. Non multò pòst & equus ad eundem usum paratus exspectabat. Deinde visus est insidiator in urbe sine pallio, gladio cinctus longissimo palam vagari, sicubi posset virum, obviam opportunè factum, trucidare. Indicatus capitur, & evanescit. Tigurini duo vino madidi, noctu Zvvinglii domum lapidibus pulsantes, & specularia perforantes, clamore, maledictis, ictibus, tam crudeliter, turpiter, inhumaniter egerant: ut vicinorum nullus hiscere vel per fenestellam auderet. Nec cessarunt prius, quam & lapides deficerent & verba & vires. Tumultus relatus est ad Consulem, mane clausis portis quæsiti sunt viris armatis per omnes urbis angulos frustrà: dum mulierculæ malè consciæ dissimulantes alterum proderent, haud voluntariè. Extractus igitur è vase vinario sacerdotis cujusdam, ab indignabundis pertrahitur in carcerem. Post multa judicia condemnatur ad custodiam perpetuam, ubi postea quàm septimanis aliquot detentus jacuit, demum est precibus donatus Bernensium.

Cœnabat Zvvinglius nonnunquam foris apud amicos, vel apud hospites. Rediens igitur nunquam ferè non excipiebatur imprudens à civibus bonis, ne quid accideret in via mali. Sed & Senatus temporibus periculosis per noctem vigiles circa domum ejus constituit.

Pensionarius audit Zvvinglii.

Ad hunc modum protecto crimen inuritur pensionarii: quod aliquando peccatum esse nesciens, à Pontifice Romano pecuniam accepisset annuam. Verum hoc flagitium ipse sic ad Germanos suos excusat: *Quod mihi fuit aliquando negocium cum Papa, ante multos annos desiit. Putabam tunc, licere pecuniam accipere à Pontifice, tuerique viam ejus. At cognito peccato, omnibus renunciavi. Quamobrem factores, quos appellant, ejus de hoc crimine me fugillantes, ob renunciationem minus propitii, vitio, quod ego, mihi vertunt: quia persuadent hominibus pecuniam Pontificis accipiendo, serviri Deo.*

Excusat se.

Ad *Bertholdum Hallerum* & *Casparum Megandrum* de Principum muneribus ita scribit: *Ego Christi, & si mavultis, meam quoque gloriam, majoris reputo, quam omnes omnium Principum thesauros, nedum modicam unius Regis munificentiam. Olim didici, quid sint munera: ut jam in senem me non possit horum libido quicquam.* Cæterum & furem & hæreticum, & adulterum, non modò vocabant eum doctrinæ deformandæ causa; sed palam asininis clamoribus traducebant. At ubi viderunt miseri & insani nihil se efficere, vel contra Evangelium vel contra Evangelii præconem: totis viribus se converterunt in eos, qui verbo erant obedientes: ut iis nauseam crearent & invidiam conflarent.

Convicia in Zvvinglium jacta.

Tandem ventum ad fœdera est nova, pro defensione doctrinæ Christi; veteribus nusquam tamen læsis, haud sine magno Zvvinglii labore & studio. Non equidem quòd contra patriam aliquid conaretur; sed quod, pro consilio quondam inito, vitia extirpare, & Evangelicam doctrinam in laudem Dei & utilitatem Helvetiæ totius ita plantare constitutum haberet: aut quod sic conaretur divina tueri: nihilque magis desideraret, quam ut omnes gentes confiterentur Domino, & per amplitudinem fœderis, impiorum animis territis, & hi facilius Christo lucrificerent. Ventum est tandem etiam ad bellum: quod Zvvinglius ipse ad amicos suos hisce describit: *Quod hactenus ad vos scripsi, iterum atque iterum facio, ut constantes sitis, neque bellum metuatis. Nam ista pax, quam quidam tantopere urgent, bellum est, non pax. Et bellum, cui nos instamus, pax est, non bellum. Non enim sitimus cujusquam sanguinem, neq; etiam per tumultum hauriemus: sed in hoc sumus: ut Oligarchiæ nervi succidantur.*

Fœdera inter Helvetios.

Bellum Helveticum.

De eo Zvvinglii epistola.

Id

Id nisi fiat, neq; Evangelii veritas, neq; illius ministri apud nos in tuto erunt. Nihil crudele cogitamus: sed quicquid agimus, amicum & paternum est. Salvare cupimus quosdam, qui per ignorantiam pereunt, servare libertatem satagimus. Vos igitur nolite tantopere abhorrere a consiliis nostris. Mitiora sunt & æquiora; quàm quidam apud vos dictitant. Omnibus, qui nos falsò deferunt, promtè creditis: cum hactenus semper experti sitis veritatem nostram; illorum autem inconstantiam: ne dicam mendacia. In hoc igitur estote: ut pro fide in Deum, & in homines, constanter nostris respondeatis. Quid multa? nihil metuite. Nam DEI bonitate & συμμαχίᾳ universa sic geremus: ut vos nostri nec pudeat, nec pœniteat. Hactenus Zvvinglius.

Interest bello Zvvinglius.

Itaque ut erat vir fortis ac prudens, libertatis patriæ, avitæ virtutis, ac inprimis gloriæ DEI amans, *duobus bellis* intestinis interfuit: quorum utrumque à *Capella*, monasterio in Tigurino agro, *Capellanum* dicitur. Ad prius sponte profectus est: ut consultationibus interesset, ne quid aberraretur à vero & bono. Felicissimè cecidit; & sine sanguine confectum est. De hoc sæpe narravit: *plus malitiæ & pravorum consiliorum in eo comperisse: quam per omnem vitam norit, vel experientia, vel ex libris.* Ad secundum electus est, ut Parochus: & quamvis renueret: exiit tamen, cum non ignoraret: quid non mortalia cogat pectora fames & auri & cibi.

Causa belli.

Causa belli nunquam placuit, *commeatus* videlicet *denegatio.* Die *decimo quarto* ante profectionem, bis pro suggestu, dum ferverent omnia, dixit: *Scio*; *scio*, inquam, *quid rei sit*, Es ist umb mich zu thun: *ut ego tollar, fiunt omnia.* Quin cometen tunc visum in aurem amico confirmavit, fatalem esse & sibi & adhuc alteri cuipiam: Oecolampadium designatum eo verbo putarunt.

Præsagit mortem Zvvinglius.

Exit in bellum.

Tumultuariè igitur egressos Tigurinos contra paratam multitudinem, secutus est inter postremos & Zvvinglius eques, & armatus, pro more illius gentis: minimè egressus est, ut capitaneus, aut belli Dux; sed ut bonus Civis, & fidelis Pastor: qui suis in extremo periculo deesse nollet. Et *Tigurinorum* ita fert consuetudo, cum in hostem exitur: ut ecclesiæ minister primarius unâ procedat. Ad hæc videbat ipse, si domi resideret, ac prælium commissum esset adversum, magnam sibi invidiam subeundam: ut qui lingua, non animo fortis esset. Tigurini quidem ad suos fines præsidium circiter mille milites & amplius dispositerant: sed tanta fuit hostium * celeritas; ut illi vix subsidio venire potuerint. Isti ergo monte superato, ubi singulis eundum, in valle suos laborantes conspiciunt. Ibi sese ad virtutem cohortati, promiscuè decurrunt & concurrunt. Non igitur tam virtute, quam numero victi Tigurini desideratunt suorum circa *trecentos octuaginta tres*, inter quos & Zvvinglius. Fuit id die *undecimo* Octobris, anni *millesimi, quingentesimi, trigesimi primi*, cùm annum ageret ætatis *quadragesimum quartum*: quadriennio scilicet Luthero junior, Tiguri docuisset annis *duodecim*, antea *Glaronæ* & in *Eremo*, fano divæ Virginis celebri, annis *undecim.* Qui prælio interfuerunt hoc de eo retuletunt: prostratum prementium multitudine, tertium se in pedes erexisse: tandem cuspide sub mento transfixum, & in genua prolapsum dixisse: *ecquid hoc infortunii? age, corpus quidem occidere possunt, animam non possunt.* Jacuisse viventem adhuc inter strata undique Tigurinorum cadavera, & manibus precantium more compositis ac in cœlum fixis oculis, non clara quidem voce, sed leniter motis labiis orasse. Maximâ autem hostilis exercitus parte Tigurinos persequente, quosdam interea per prostratos grassantes, quoscunque semivivos inveniissent, *de confessione Papistica & divorum invocatione* compellasse. Zvvinglium itaque ab iisdem interrogatum, *moto capite abnuisse*; *& in cœlum sublatis oculis, Dominum in cœlis se invocare* significasse. Tum quendam immani gladio irruisse jugulumque penitùs hausisse. Post cladem in corpus exanime valde fuit * sævitum; & vix etiam illius morte potuit odii acerbitas exsaturari. Cadaver enim inventum, judicio condemnatum, in quatuor partes dissectum, & igni in cinerem fuit redactum. Post triduum nonnulli ejus amantes ad rogum accessetunt, & mediis è cineribus *cor illæsum* eruerunt. Id à quibusdam religioni tributum; ab aliis aliter acceptum: ut fit animis odio aut amore turbatis. Annum, mensem, & diem stragis hoc districho *Joannes Lupulus*, præceptor Zvvinglii, expressit:

Sleidan. l. 8. Commentar.

Verba ultima Zvvinglii

** Vt & in Abbatis Capellensis & aliorum: vide epist. Oecolampadii libr. 4. p. 800. & p. 979.*

Cadaver Zvvinglii exustum. Cor ejus illæsum repertum.

HeLVetIæ ZvvIngLI DoCtor pastorqVe
CeLebrIs
VnDena oCtobrIs fatIs In astra
VoLas.

Deploraverunt & ejus casum alii doctissimi viri, de quibus *Conradus Pellicanus* Rubeaquensis, qui Hebraicum & *Theodorus Beza*, qui tale Latinum epitaphium scripsit:

Zvvinglius arderet gemino cùm sancta amore;
Nempe Dei inprimis, deinde etiam patriæ:
Dicitur in solidum se devovisse duobus:
Nempe Deo inprimis, deinde etiam patriæ.
Quam benè persolvit simul istis vota duobus,
pro patria animis, pro pietate cinis!

Epitaphium Zvvinglii

Ingenium.

Fuit Zvvinglio ingenium ad res egregias perquam accommodum, probum, candidum, integrum, ardens quidem ac vehemens non autem crudele, non sanguinarium, non sævum; sed heroicum & alacre: quod res magnas adiret intrepidè. Falsum autem, ne dicam calumniæ plenum pronunciatum querundam, qui affirmare non dubitarunt: belli civilis ipsum fuisse tubam: longè autem tetrius, pro facinore tanto pœnas tam graves eum DEO dedisse. Nec enim bellum illud per Zvvinglium religionis & doctrinæ suæ propagandæ causa fuit suscita-

Non fuit auctor belli.

tum aut ſuſceptum : ſed civiles fuere cauſæ, è quibus malum illud Mavortium exarſit. Interim tamen negandum non eſt, religionis mutationem multorum animos alienaſſe & exacerbaſſe. Quippe ſemper.

Multum religio potuit ſuadere malorum.

Commeatus cur quinquepagicis denegatus.

Quod autem *commeatus* fuit *denegatus*; aliorum conſiliis effectum eſt: non quod Tigurini inſontes cum ſontibus enecare fame crudeliter cuperent: ſed quod exiſtimarent adverſæ partis animos emollitum citius iri; ubi conſideraſſet, quantum ex agro Tigurino emolumenti, aut detrimenti ſperandum ſit. Etſi & hoc conſilium Zvvinglio, cui mores gentis perſpecti, vehementer diſplicuit: nec deſtitit ipſe ab eo cives ſuos avocare; verumtamen ſurdo, quod dicitur, cecinit fabulam.

Cur in bellum iverit Zvvinglius.

In bellum ivit, non ut anteſignanus & bellator, ſed ut Paſtor, ut pacis ſuaſor. Nec enim Tigurina urbs florentiſſima & prudentiſſima ſuo Eccleſiaſte ad bella abuti voluit; nec pugnam ullam fore quisquam putarat: ſed potius rem omnem, ut biennio ante, placidè compoſitum iri. Zvvinglii etiam conſiliis, quæ ſemper pacis, non armorum ſocia fuerunt, omnes ſperarunt. Sed adverſæ partis feſtinatio improviſa & loci iniquitas, infelicis pugnæ neceſſitatem attulit. Verum cenſores & Zvvingliomaſtiges illi valdè ſunt inepti & rigidi; qui ex eventu de doctrina judicium ferunt; Cecidit in prælio Zvvinglius & armatus cecidit: quid tum? num propterea Pſeudopropheta, & falſæ doctrinæ auctor? aut Tigurinorum cauſa Deo exoſa? Cecidit ab impio Caino pius Abel: preſſi ab idololatris Ægyptiis, victi à flagitioſis Aſſyriis, electus DEI populus, Iſraëlitæ. Sed ne multus ſim: certè & ipſi Ethnici mitiores fuerunt in ejusmodi caſibus judicandis, quin Princeps vatum Græcorum.

Ex eventu de cauſa aut doctrina judicare ſtultum.

Horat. l. 3. Cp. 2. O.

Εἰς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης.

Dulce & decorum eſt, pro patriâ mori.

& hoſtium non pauci mortem Zvvinglii querelis proſecuti ſunt; & innocentiæ, pacis, ac concordiæ ſtudii teſtimonium ei perhibuerunt veriſſimum.

Doctrina & judicium Zvinglii. Studium pietatis. Docet ante Lutherum.

Doctrinam & judicium ejus teſtantur ſcripta, vel ringente invidia. Studium veræ pietatis & Evangelicæ religionis ab Anti-Chriſti quisquiliis repurgandæ, omnis loquetur poſteritas: cujus ſincerius judicium erit. Ante Lutherum docuit Glaronæ in Helvetiâ Evangelium Chriſti; ut ipſe * de ſe: *Cepi ego Evangelium prædicare anno ſalutis decimo ſexto ſupra milleſimum & quingenteſimum, eo ſcilicet tempore: cum Luthери nomen in noſtris regionibus ne auditum adhuc erat.* Docuit & ſcripſit * *contra Papiſtarum humana merita*, contra *purgatorium*, contra *miſſæ ſacrificium*, contra *canonem Miſſæ*, contra *mutilationem Sacramenti*, contra *transſubſtantiationem*, aliosq; abuſus: Sacramentariam autem controverſiam ante annum *milleſimum quingenteſimum vigeſimum quartum* non attigit. Vidit * initio quid fugeret: quid ſequeretur non vidit. Vidit *commentum Transſubſtantiationis* ſive converſionis ſubſtantialis panis & vini in corpus & ſanguinem Chriſti, manentibus tantùm accidentibus, quod Papatus tenebat: vidit dogma *conſubſtantiationis* ſive, ut Guitmundus vocavit, *Impanationis*, de corporali præſentia Chriſti in pane & vino, manente horum ſubſtantia, quod Lutherus ex Cameracenſi amplectebatur, neque cum verbis Domini, neque cum analogia fidei Chriſtianæ, neque cum conſenſu orthodoxæ vetuſtatis convenire. Vidit enim à Chriſto non fuiſſe dictum: *Hoc ſit aut fiat corpus meum*; neque etiam: *Sub hoc vel in hoc eſt aut continetur corpus meum.* Quid tamen tuto amplecteretur non priùs vidit: quam ſcripturæ ſacræ locis ſimilibus plurimis diligenter ponderatis; & conſultâ orthodoxâ vetuſtate, præſertim *Tertulliano*, *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Theodoreto*, *Bertramo*, aliis: tandem ſtatuit, in verbis Domini: *Hoc eſt corpus meum*, ſeu *hic panis eſt corpus meum*, eſſe *Metonymiam*, Hebræo ſermoni familiarem, & Metonymicè, ſeu per denominationem quandam tranſferri ſignati nomen ad ſignum: *Panem dici corpus Domini, vinum ſanguinem Novi Teſtamenti; quia ſunt ſymbola corporis & ſanguinis Domini*, ſeu *quia corpus & ſanguinem Domini ſacramentaliter ſignificant.* Hanc ſententiam primò epiſtolâ ad familiarem præſcripſit, * *Matthæum Alberum*, Rutlingenſium Eccleſiaſten: ubi inter alia: *Nos*, inquit, *cardinem hujus rei in breviſſima ſyllabâ verſari arbitramur, videlicet in hoc verbo*, Eſt: *cujus ſignificantia non perpetuò pro eſſe accipitur, ſed etiam pro ſignificare. Quamvis interim, chariſſime frater, te admonitum volo, ne nobis quicquam fidei habeas, niſi clariſſimis verbis ſcripturæ ſacræ, quod aſſumo, probavero. Reſpondebat Joſeph ad ſomnium Pharaonis: Septem boves craſſæ, ſunt ſeptem anni fertiles. Et tamen fieri nequit, ut ſeptem boves ſint ſeptem anni. Eſt ergo clarum iſtud verbum*, ſunt, *poſitum eſſe pro* ſignificant, vel portendunt: *ut ſit ſenſus: ſeptem boves craſſæ, quas in ſomno vidiſſe videris, ſignificant vel portendunt, ſeptem annos fertiles. Chriſtus dicit Joannis decimo quinto: Ego ſum vitis. nec tamen erat vitis, ſed vitis in morem ſe habebat. Patet ergo iſtud verbum*, Sum, *nulla ratione pro* Eſſe *accipi poſſe: ſed pro ſignifico vel exprimo, vel ejus in morem me habeo. Iterum dicit: Semen eſt verbum DEI: & tamen ſemen non erat verbum Dei. Unde neq; hic*, Eſt, *pro* Eſſe *capi poterit: liquet autem pro* ſignificat *eſſe poſitum. Nam Chriſtus his verbis, Apoſtolis parabolam, quam de ſparſo ſemine propoſuerat, aperit: Semen*, inquiens, *de quo loquor eſt: id eſt, ſignificat verbum Dei. Tales conſimilesq; locutiones paſſim videre licet in literis ſacris: unde non eſt ut hic pluribus obtundam.* Hæc ibi.

Euchariſt. cap. 11. Et unde nata.

Metonymia Hebræis familiaris.

** Anno 1524. Epiſtola Zvvingii ad Matthæum Alberum.*

Probat τὸ Eſt pro Significat uſurpari.

Deinde hanc ſententiam priùs, quàm publicè proponeret, non ſolùm cum amicis fidis contulit; ſed curavit etiam, ut omnibus ferè, tum in Germaniâ tum in Galliâ, eruditione & auctoritate præſtantibus viris innoteſceret. Providebat enim difficilimè

Confert ſuam ſententiam cum aliis.

opinio-

** In opere Articul. A. 1527. explanat. art. 18.*

** Ab anno 1522. Controverſia ſacramentaria quando mota.*

** D. Pareus lib. 4. de controverſ.*

opinionem, quæ à tot seculis tam altas in animis hominum radices egisset, evulsum iri. Publicè autem propositam & voce & scriptis propugnavit rectène an perperam, disceptare nostri instituti non est. Buceri epistola pro eo loquatur, quæ ita eum excusat: *Invenias alicubi in epistolis Zvvinglii de sacramentis: unde videri possit vir ille, sacramentis minus tribuisse, quàm Scriptura eis tribuit, cumq; nos eas epistolas ediderimus in vulgus; verendum, ne qui idem & de nobis nostrisq; per Helvetios Ecclesiis suspicentur. Ne ergo à nobis cuiquam detur offensio, quæ in vituperium valeat Christi, voluimus te, optime lector, hic præmonere, nec Zvvinglium inficiatum esse, nec nos inficiari, sacramenta esse symbola gratiæ, fideiq; suo modo opem ferre: nec esse tesseras solùm societatis Christianæ; tantum ut Christo Domino omnis virtus salvifica transcribatur, & agnoscatur, tum sacramentis nos salutem percipere, cùm nobis in illis percipitur opus Christi: quod tum percipimus, cùm fide amplectimur, quæ Christus in sacramentis pollicetur & offert. Legem spiritui Christi collatam D. Paulus facit literam occidentem, cùm eandem subservientem spiritui Christi testetur erudire ad salutem, & absolvere hominem DEI instructum ad omne opus bonum. Circumcisionem, ut illam Dominus populo suo symbolum benevolentiæ suæ instituit, fœdus à Domino vocatur, usurpatam externè modo sine fide promissionis gratuitæ, Paulus scripsit nihil valere. Et de Baptismate D. Petrus scribit, illo nos salvari, complectens scilicet totum donum Christi, quod baptismate offertur, mox tamen subjicit, non ablutio sordium carnis, sed fœdus conscientiæ benè respondentis DEO: distinguens explicando, quæ separari tamen non debent, sacramentum sive commendando, sive sumendo. Quod enim præcipuum in hoc sacramento est, Apostolus præcipuum etiam haberi cupiebat, & cavere ne ab externo symbolo ablutionis salus peteretur, mysterio ipso Christi neglecto, quod utiq; fide cordis recipiendum est. Ad eundem modum & Zvvinglius in iis locis, in quibus videri possit Sacramenta non plenè satis prædicasse, fiduciam voluit amoliri operis externi, non evacuare Sacramentum Christi. Erat enim illi res cum iis, qui vulgarem illam impietatem tuebantur, qua homines ab opere operato, ut illi vocant, hoc est, ab ipsa ceremonia externè modo adhibita, salutem petunt, nihil prorsus soliciti de fide in promissionem, quæ sacramentis commendatur. Contra hos itaq; dimicans, meritò contendit, Christum Dominum nos in gratiam Patris restituere, non Sacramenta: id est, externam actionem sacrificulorum in administratione Sacramentorum. Nam illi eam actionem ad obscurandum meritum Christi vendunt. Hinc in epistola ad Fridolinum Lindoverum, Bremgartensium concionatorem. Vides, disputationem hac de re sic concludi: Quid multi opus? Caput hoc esto. Sola gratia DEI nos salvos fieri, id autem, cum ea fidimus. Ocyus ergo cum tua ista in gratiam Dei contumeliosa opinione facesse, qua Sacramentis adseverasti admissa deleri, non alia ratione oportere. Sic & alii, qui in nullam unquam suspicionem venerunt, quòd Sacramentis minus quàm par sit, tribuerent, ubi ipsis certamen fuit cum ejusdem gratiæ Christi hostibus, scripserunt. Nec Novi, nec Veteris Testamenti Sacramenta, sed sola fides justificat.* Item: *Non Sacramentum, sed fides Sacramenti justificat. Damnaruntq; illud impietatis, quod scholastici pro dogmate habent: Sacramenta novæ Legis esse efficacia signa gratiæ. Et de baptismate: Baptismus neminem justificat, nec ulli prodest, sed fides in verbum promissionis, cui additur baptismus, hæc enim justificat, & implet id, quod baptismus significat. Hæc illi. Quicquid ergo in his Epistolis leges, quod videbitur Sacramentis non nihil detrahere, id omne de actione in Sacramentis externa, secluso Christi spiritu, dictum accipias, uti nimirum ea prosituuntur à servis superstitionis Papistica. De nostris verò Ecclesiis ne patiare tibi persuadere, in eis de sacramentis aliter doceri, quam ipsa tradunt Scripturæ, docent S. Patres, & ab initio Christi Ecclesia credidit: Esse nimirum illa symbola gratiæ & redemptionis Christi, quæ illis ceu visibilibus verbis, ut ea D. Augustinus vocat, offertur & exhibetur, Domini quidem virtute, Ecclesiæ verò ministerio, in baptismate regeneratio & in Christum insitio, in sacra Eucharistia vera corporis & sanguinis Christi communicatio: horumq; verum usum esse, non ad profitendum modo, sed magis adeò, & præcipuè quidem, ad alendam & provehendam fidem, ut quibus communio Christi plenius nobis & commendatur, & (ut dictum) exhibeatur. Sic ubi in tractatione Eucharistiæ leges, contendi, Christum reliquisse hunc mundum, & in cœlos corpus suum recepisse, nec posse impanari, aut in pane includi, tu ne putes Christum in nostris Ecclesiis sacra cœna excludi, solumq; panem & vinum, inania symbola administrari. Utinam nosses, optime lector, quam istud abominatus semper sit Pater & Præceptor noster Joannes Oecolampadius, sed sicut transitus Domini nostri Jesu Christi in cœlos, hoc tantum infert, jam Dominum hic non agere ratione hujus seculi, ita scito nobis nihil negari, quam Christum non naturaliter & ratione hujus seculi uniri, cùm pane, vel in pane includi localiter. Cæterum verum corpus, verum sanguinem Domini, ipsum verum Christum, DEUM & hominem, nobis in cœna adesse, ipsius verbis & symbolis exhiberi in cibum non periturum carnis, sed sempiternum animæ, eoq; non sensu aut ratione, sed vera fide percipiendum. Vale.* Hactenus Bucerus.

Buceri Epistolæ de Zvvinglii sententia.

Sacramenta sunt symbola gratiæ.

Verùm πολυφίλωτον illud *de atro vel albo Spiritu* monitore, unde natum sit, non videtur hîc prætereundum. Res autem ipsa sic habet: Cum anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo quinto* ministri Ecclesiæ Tigurinæ *Zvvinglius, Leo, Engelhardus, Megander & Myconius*, ad diem undecimum Aprilis in *Senatu ducentorum*, de abolendâ Missâ, ac

Calumnia atri spiritus unde.

panis & vini adoratione tractarent: ex aliis scriba quidam in Senatu Zvvinglio restitit, hoc potissimum argumento *quod à perspicua verborum proprietate discederet, nec satis evidenter probaret*, τὸ Est, *in verbis Cœnæ, accipiendum esse pro* significat. *Etenim hæc exempla:* Semen est verbum DEI: Christus est ostium, petra & similia: *nihil ad rem facere. Parabolas enim esse, quarum explicatio per verbum* Est *tradatur, in Cœna verò Dominica nihil tale esse.* Zvvinglius respondit ad scribæ sermonem, quæ locus & tempus requirebant. Senatus ergo decrevit, ut Senatores quatuor post prandium, cum ministris Ecclesiæ convenirent, quo res tanta graviter ventilaretur.

Deliberatum est aliquandiu variè: tandem placuit sequenti die, quæ erat duodecima Aprilis, causam hanc iterum ad totum Senatum referri. Cùm ergò in Senatum ministri Ecclesiæ rediissent, atque huc tenderent, ut Missa in universum aboleretur: obstitit denuò scriba ille, qui ater an albus fuerit, non dicitur, cui cum Zvvinglius copiosè respondisset, unà cum aliis è Senatu domum se recepit. Decretum est à Senatu; ut Evcharistia juxta Christi institutionem ritumque Apostolicum deinceps celebraretur; infirmis verò liceret hac vice veteri more, si vellent, aliis in locis ea uti, ut Missa in universum sit abolita & antiquata, & ne crastino quidem die repeteretur. Mox secuta est publica totius Ecclesiæ gratulatio atque lætitia.

* *Zvingl. l. de subsid. Eucharist.*

Appetente die decimo tertio Aprilis, visus * est sibi Zvvinglius in somnis denuò cum scriba contendere, sicque obmutuisse, ut quod verum sciret proloqui non posset. Ibi τοῦ μαχαιρᾶ visum adesse monitorem (*ater an albus fuerit, nihil memini*, inquit, *somnium enim narro*) qui diceret, *quin ignave respondes ei, quod in Exodo legitur: Est enim phase, hoc est, transitus Domini*: simul expergefactum exiliisse è lecto, locum diligenter inspexisse, ac de eo mox coram totâ Ecclesiâ pro virili disseruisse, illumque sermonem omnibus piis, qui propter parabolæ obstaculum adhuc nonnihil hærebant, omnem nebulam discussisse. Celebrata est deinde tribus diebus, nempe die Jovis, die Veneris, & ipso Pascha, cœna Domini tantâ frequentiâ, quanta antea ibi loci vix visa.

Exod. 12.

Hoc igitur est illud, quod varii variè interpretati sunt: quorum non nemo scribere non dubitavit: *Zvvinglius habuisse cor in errore, Satanæ deceptione obfirmatum, suam glossam somniasse suggestione atri Spiritus, quia ipse scripserit, se per somnium didicisse à quodam monitore, qui albus fuerit, an ater, nesciat.*

Proverb. ater an albus sit nescio.

Sed principio Zvvinglius non de glossâ vel expositione ipsa, sed de exemplo scripturæ non parabolico fuit monitus. Deinde proverbium illud omnibus Latinæ elegantiæ studiosis notum, & Zvvinglio etiam aliâs est usitatum, ac citra calumniæ metum usurpatum, uti ex scriptis ejus cuivis apparet. Solet enim hoc adagium dici, *de re ac homine valde ignoto*, uti Erasmus monet, & vel *Catulli* hoc in Cæsarem distichon docet:

Nil nimium studeo, Cæsar, tibi velle placere:
Nec scire, utrum sis albus an ater homo.

Denique quis eat inficias, etiam num hodie piis & sui officii satagentibus, vel scripturarum cœlestium, vel aliorum auctorum loca in somniis sæpè occurrere, quæ vigilantes effugerant? Candoris certè Christiani fuerat, hæc & similia *cum grano salis* interpretari. Sed de hoc satis multa, vel plura potiùs, quàm necessarium hic fuit.

Ritus Cœnæ à Zvinglio institutus.

Porrò *ritus cœnæ, à Zvvinglio* in Missæ locum *apud Tigurinos institutus*, fuit ejusmodi. Finita concione, mensa templo infertur, & munda mappa insternitur. Huic imponitur canistrum pane infermentato plenum, catini & pocula lignea, quæ vino implentur. Accedit ad mensam pastor ecclesiæ cum diaconis, & totum cœtum ad attentionem excitat, mox alter ex diaconis subjicit *institutionem Cœnæ Dominicæ ex Epistola ad Corinthios*, alter verò recitat *partem capitis sexti Joannis*, ut ex verbis Domini omnes discant, quomodo Christi carnem edamus verè & sanguinem ejus verè bibamus. Mox recitato symbolo fidei, pastor admonet, ut quisque se ipsum examinet & exploret, ne indignè accedendo, corporis & sanguinis Domini reus fiat. Postea se in genua omnes demittunt, & Pastore præeunte, orationem dominicam dicunt. Qua absoluta, Pastor panem infermentatum accipit in manus, & spectante fidelium cœtu, altâ voce, magnaque religione, recitat institutionem Cœnæ Dominicæ: deinde panem ministris distribuit, & poculum porrigit. Qui panem in catinis, & vinum in cyathis circumferunt, & ecclesiæ exhibent. Quisque in manus suptit, quod traditur à ministris, edit, & proximè assidenti offert partem ejus, quod accepit, similiter etiam poculum porrigit. Interim verò dum de pane Domini edunt, & de poculo ejus bibunt, unus ex Ecclesiæ ministris prælegit ex Evangelio Joannis, dulcissima illa colloquia Domini, quæ abiturus cùm discipulis habuit, à pedum ablutione initium faciens. Si catini & pocula ad mensam redeunt, ecclesia iterum in genua procumbit, & Deo gratias agit, pro beneficio redemptionis Christi. In ecclesiis autem agri Tigurini, minister omnia solus recitat, & ad mensam singuli accedunt. Hunc ritum multæ ecclesiæ, in Helvetiâ & Rhetiâ, postea imitatæ sunt.

Conciones Zvvinglii methodicæ, & affectuosæ. Thuanus lib. 4. hist. Aug.

In concionibus Zvvinglius fuit ordinis studiosus, & veritatem perspicuè summoquè studio docuit: contra vitia nihil eo auditum acrius, præsertim contra *Pensionarios* illos, contra oppressores pauperum, & luxu diffluentes. Dixit turpem esse atque impiam militiam eam, nihilque fœdius & magis invisum DEO quam suanguinem suum mercede externis principibus addicere. In corripiendo fuit ei auctoritas, & cum verbis ardentioribus

tioribus detonaret, ne insontes moverentur; adjecit semper: Frommer Mann / nimm dichs nicht an: *Bone vir, hæc te non moveant; nihil ad te, quod dico; ne cures igitur.* Thematis rem egerat nonnunquam, maximè dum inciderant, quorum gratiâ digrediendum erat necessariò. Nam ubi res huc venerat, ut veritati cederet longè pars melior & major populi, digressionibus utebatur nonnunquam in ea, quæ minus erant in Ecclesiâ Dei tolerabilia.

Ratio ejus studiorum & vita interior.

Stando confecit omnia sua studia, certas eis vendicans horas, quas etiam non omisit, nisi seriis coactus. A somno manè ad *horam decimam* lectioni, interpretationi, doctrinæ, scriptioni dabat operam, prout temporis & rerum postulabat ratio. Post prandium audiebat vel narrantes, vel consilia rogitantes, aut confabulabatur, aut deambulabat cum amicis, usque ad horam secundam. Hinc enim reditus ad labores. Post cœnam, ubi paulisper deambulasset, ferè literis scribendis vacabat, interdum ad mediam usque noctem nihil agens aliud. Præterea quotiescunque negocia cogebant, & senatui serviebat.

Scripta Zvinglii.

Monumenta ingenii & eruditionis suæ reliquit Zvvinglius multa; quæ in *quatuor Tomos* digesta typisque excusa exstant: in quorum *primo* Tomo continentur τὰ διδασκαλικὰ & φιλολογικὰ: *secundus* habet τὰ πολεμικὰ, hoc est, pugnas, quæ ipsi cum adversariis intercesserunt: *tertius* ἐξηγητικὰ Veteris Testamenti: *quartus* denique complectitur ἐξηγητικὰ seu explicationes scriptorum Novi Testamenti. Scripsit præterea *epistolas* multas, doctrinâ & pietate refertas, quæ cum Oecolampadii epistolis impressæ.

Ex narratione Osvvaldi Myconii de vita & obitu Zvvinglii: Rodolphi Gualteri apologia: Chronico Basilienſi: Sleidani & Thuani historia, epistolis Oecolampadii, aliis.

JOANNES OECOLAMPADIUS.

Ao 1531. d. 1. Dec. ætat. 49.

Patria.

WInspergæ, oppidulo Cheruscorum, *Joannes Oecolampadius*, vernaculâ Hauß-Schein / nascitur; anno epochæ Christianæ, *millesimo, quadringentesimo, octogesimo secundo*, quo & *Georgius Spalatinus* Theologus alibi in lucem est editus.

Parentes.

Parentes habuit honestos, & ut illic vivitur, abundè divites. *Avus* ei fuit *Basilienſis*, ut in Præfatione super Jesaiam Prophetam ipse annotavit. Mater autem à vitæ sanctimoniâ, & in egenos beneficentiâ, præter ingenii laudem, apud cives suos fuit commendata.

Hi tales parentes, cùm de pluribus liberis unum superstitem ipsis DEUS voluisset; ut primum per ætatem institutionis capax fuit, literis & religione in scholâ patriâ erudiendum curarunt. Adultiorem destinabat pater mercaturæ, at mater, ut plusculum temporis & sumtus concederetur literis addiscendis, precibus impetravit. Ibi ejusmodi ingenii specimen in rudimentis literarum percipiendis tunc admodum puer dedit: ut ingeniorum observatoribus & æstimatoribus magnam de se spem præberet. Maturè enim ad id eum formare cœpit Dominus, in quo opera ejus fructuosè erat usurus.

Mercaturæ destinatur.

A matre in literis detinetur.

Paulò post parens, sive precibus matris victus, quæ sicut *Monica Augustini*, ita hæc Oecolampadii curam semper gessit, ut rectè institueretur, sive filioli præclara indole & natura adductus, in eum satis liberaliter sumtum facere cœpit. Nam positis Latinæ linguæ fundamentis, amplius erudiendum *Heilbronnam* misit, tum temporis benè constitutâ Scholâ celebrem. Deindè *Heidelbergæ* eum, ubi tum quoque Academia florebat, aluit. Hic eos fecit progressus, ut *annos* natus non amplius *duodecim*, tolerabilem versum scriberet. Biennio pòst, *Baccalaureus*, ut vocant, gradum obtinuit. Nec minùs illâ ætate in religione vitæque integritate fecit, operæ precium, quàm literis, illud cogitans vulgatum: *eum, qui proficiat in literis, & deficiat in moribus, non proficere, sed deficere.*

Heilbronnam mittitur.

Inde Heidelbergam

Felices facit progressus.

Postea Magisterii adeptus titulum, *Bononiam*, studiorum matrem, de parentis voluntate, se contulit; eximium, nescio quem, illo ævo Juris Professorem, tum arcem existimationis obtinentem, auditurus. Sed intra semestre partim valetudine cœlum Italicum aversante, partim quòd mercator, cui parens pecuniam per collybum reddendam crediderat, non satis fideliter egisset, relictâ Italiâ ad suos redire est coactus. Quibus salutatis Heidelbergam repetiit; ibique posthabito juris studio, cui ex consilio patris operam dare cœperat, totum Theologiæ se mancipavit, divinitus ipsum ad hoc studium flectente & vocante Deo, qui eo in domo suâ, quæ est Ecclesia, pro lampade usurus erat. Qua in re prorsus cum eo actum est, ut cum clarissimis quibusdam Ecclesiæ luminibus, qui commutato studiorum civilium cursu ad cœlestia sese jura contulerunt. De horum numero olim fuit *Joannes Chrysostomus*; & patrum nostraque memoriâ *Martinus Luthe.rus*, *Joannes Calvinus*, *Petrus Martyr*, *Theodorus Beza*, *Lambertus Danæus*, *Antonius Sadeel*, *Georgius Sohnius*, ut alios permultos latere patiamur.

Bononiam proficiscitur.

Redit ad suos.

Theologiæ se addicit relicto juris studio.

Theologi ex JCto facti.

Ita igitur vocatus à civilibus controversiis ad cœlestium mysteriorum tractationem Oecolampadius, tanto flagrabat cognoscendæ Theologiæ desiderio, ut quæstionum & sophismatum inanium odiosis tædiis non averteretur, quæ ferè ingenia liberalia à sacris literis vel obiter gustandis deterrent. Exercebant tum Theologorum auditoria Scholastici, quos vocant, Doctores, ex iis noster *Thomam Aquinatem*, & post eum *Richardum* præcipuè amplexus est. *Gersonem*, qui Parisiensis Academiæ Cancellarius, & in Basilienſi concilio legatus fuit, trivit non indiligenter, quod iis ad alendam pietatem comparatior videretur *Scoti* σκοτώδεις subtilitates neglexit, neq; æqualium more ad singulas quæ se offerebant, argutias attonitus hæsit, sed ad utilium doctrinarum summam avidus properabat. Theatralibus disputationibus, qualibus Sorbona, & communiter Antichristiana synaga-

Scholasticos doctores amplectitur Oecolampadius.

Scotum negligit.

ga de-

ga delectatur, abstinendum sibi censuit; quod ad superbiam, ad rixas, ad supercilium, adolescentum ingenia iis corrumpi adnimadverteret. Semper fuit rei literariæ, quàm parandæ opinionis eruditionis appetentior: doctus esse, quàm videri malebat, cumq; gloriam fugeret ipse, illa eum prosequebatur, ut in versiculis notis dicitur:

Gloria si fugias, crocodili more sequetur:
Sin petis, hæc eadem longius acta fugit.

Gloria fugientem sequitur; sequentem fugit.

Veram igitur eruditionis & virtutis laudem, apud optimum quenque consecutus, illustrissimo etiam Principi *Philippo*, Electori Palatino, cognomento ingenuo, qui Anno Christi *millesimo, quingentesimo octavo*, calendis Martii obiit, fuit commendatus. Hic cùm de eo præclarè sentiret, filiis eum suis, natu minoribus, præceptorem præfecit. Horum institutioni cùm aliquamdiu præfuisset, aulicæ vitæ valedicens, ad sacra studia quasi postliminio rediit. Heidelbergam verò ipsum hac occasione reliquit. Parentes, ut erant vehementer devoti, consilium inierant, facultates suas omnes DEO consecrandi, & in hunc filium unicum, jam divinis dicatum rebus, conferendi. Itaq; ipsomet auctore, cùm sobolis ex ipso spes nulla esset, tum ob valetudinem sequiorem, tum ob ordinem sacrum, sacerdotium è facultatibus suis in patrio oppido instituerunt, cui concionandi munus conjunctum esset, ad id præcipuam proventuum partem conferentes, quod quidem ob id filio primum optimo jure commissum.

Oecolampadius charus Philippo Electori Palat.

Sacerdotio præest in patria.

Ei cum sesquimensem præfuisset, & se nondum parem ferendo huic oneri judicaret, veniam redeundi *Heidelbergam* impetravit, ut majore ingenii cultu adauctus, & doctrina ampliore excultus, maturior ad sacram hanc provinciam reverteretur. Cæterum mutato consilio prius *Tubingam* adiit: ac inde *Stutgardiam*, ubi tunc erat *Joannes Capnio*, *Reuchlinus* dictus, linguæ Latinæ, Græcæ & Hebraicæ, peritiâ celebris. Ab eo gustum qualemcunque Græcarum literarum intra paucos dies percepit, quem assiduâ & constanti exercitatione, brevi temporis spatio, adeò provexit, ut Heidelbergam reversus, *Grammaticam*, cui titulum fecit *Dragmata*, conscripserit, quæ posteà in lucem est edita. Heidelbergæ etiam *Hebræa*, à quodam Hispano didicit, etsi infelici doctore, & cognitionem sanctæ linguæ discipulis invidente.

Ab eo discedit.

Venit ad Capnionem.

Discit literas Græcas.

Scribit Grammaticam Græcam.

Adjungit Hebræa.

His præsidiis literarum & linguarum instructus, in patriam rediit ad partes muneris sui obeundas. Annunciavit igitur Christum primo patriæ suæ, cum omnium, verè piorum & eruditorum admiratione, quanquam adhuc multa veteris superstitionis admixta essent. At *Severus* nimium *concionator* audiebat, quia aures vulgi insanis clamoribus non verberabat, neque inficetis facetiis actionem sacram exhilarabat, quemadmodum tum solebant, atque etiamnum solent mendicabula monachorum & lethalis vulneris bestiæ sanatores. Modestiam enim & gravitatem dicendi, sacro ministerio convenientem & necessariam semper amavit. Tali vulgi judicio de se cognito, *de risu Paschali* libellum scripsit, animum auctoris, ut tum erat, feliciter exprimentem.

Redit in patriam ad officium concionandi.

Audit Severus concionator.

Edit libr. de risu Paschali.

Cum idem homo paucorum hominum esset, & à multis familiaritatibus, quæ optimos etiam quosque ad deteriorem partem applicare solent, abhorreret, cum paucis, iisque bonis amicitiam contraxit, & contractam constanter coluit. De ejusmodi numero *Wolffgangus Capito* fuit, qui cum tali occasione amicitiam iniit. Cum Oecolampadius Heidelbergæ ageret: Capito sacris Bruchselensi, cujus nomine aliquoties adeunda ipsi Heidelberga. Eo tempore in mutuam cognitionem venerunt, & quòd inter eos mutua officia non parva intercederent, animi ipsorum tam arctè coaluerunt, ut omnia consilia inter se communicarent. Hæc amicitia, absque suspicione alienati animi, in diem usque obitus utriusque continuata fuit.

Fugit multorum consortia.

Wolfgang Capito.

Tali igitur necessitudine devinctum Oecolampadium cum Capito haberet, & Basileam, ut sacris præesset, vocatus esset, non destitit omnem movere lapidem, donec hunc studiorum & religionis socium Basileam pertraheret, indignum ratus, ut in angulo patriæ tam angusto & obscuro, tam lucida pietatis lampas concluderetur. Effecit igitur tandem, ut per *Christophorum ab Utenheim* Episcopum Basilienſem, cui eruditionem & pietatem ejus vehementer commendaverat, vocaretur. Vocatus Basileam venit, anno partæ salutis *millesimo quingentesimo decimo quinto*, & Paræciæ summi templi est præfectus. Scribendis in utraque linguâ carminibus felix & plurimus fuit. Attulit igitur secum *sex tragœdias Christianas*, quas legerunt eruditi, & probarunt. Multa tamen in illis nondum ad regulam fidei emendata continebantur; quòd summâ cum circumspectione nec præcipitanter à receptis, & per aliquot secula durante tenebrarum potestate, approbatis dogmatibus discederet, accurato & necessario pietatis judicio potiùs, quàm temerariis aliorum affectibus morem gerens. Quæ etiam causa fuit; cur argumenta illa tragica non fuerint typis divulgata.

Vocatur Basileam Oecolampadius.

Venit eò.

Tragœdiæ Christianæ ab Oecolampad. scriptæ.

Anno decimo sexto ætatis Christianæ, *millesimo, quingentesimo, decimo sexto*, ætatis verò suæ *trigesimo quarto*, amicorum adsiduis hortationibus victus, Doctoris Theologi titulum sibi in Basilienſi Academiâ conferri passus est. Sub idem tempus, ut primum magnus ille *Erasmus Roterodamus*, linguæ Latinæ instaurator, & veterum Patrum repurgator, in *Novum Testamentum annotationes* editurus Basileam venisset, ab eo Oecolampadius in partem sanctissimi laboris accitus fuit. Operâ enim subsidiariâ illius, non solum pietate, verum etiam trium peritia linguarum eminentis, adeoque veri Theologi, se adjutum esse, ingenuè ipsemet Erasmus fatetur. Paulò pòst Oecolampadius *Augustam Vindelicorum* à Canonicis primi templi ut concionibus illic sacris populum erudiret, vocatus, Basileâ discessit.

Renunciatur Theologiæ Doctor.

Iuvat Erasmum.

Augustam discedit.

cessit. Adeoque nulla tum ne suspicio quidem esse poterat, eum reformandæ illa in urbe religionis aliquando administrum futurum. Augustæ igitur concionibus præfuit, sed non diu. Nam cum ob lenitatem differendi, & animi timiditatem quandam minus ad tam sublimem provinciam aptus sibi videretur: consilium cæpit de secessu. Cum enim corruptissimi mores passim invalescentes animosè taxandi, & veritas cujus splendor ipsi quoque jam cœperat illucescere, apertè docenda esset: fatetur in quadam ad *Bilibaldum Pirckheimerum* Patritium Norinbergensem responsione; *se tum infirmiorem & timidiorem extitisse: sui officii fuisse, Deo, qui ad hoc se vocasset, firmius confidere, & nequaquam desperare, quin ipse & os & sapientiam esset largiturus.* Integri ita & candidi animi est sua etiam ἀβαπτώματα ingenuè confiteri; sicut ipse fecit.

Infirmitas Oecolampadii.

Ratus igitur magis sibi expedire in loco solitario, & ab hominum oculis remoto, studiis & precibus operam dare, quàm tanti ponderis & oneris officio non satisfacere, *Monasterium Altonis* dictum adiit. Est autem id in vicinià urbis Augustanæ, ad secundum lapidem situm, in quo monachi, opinione pietatis & religionis rectioris tum commendati, institutum Divæ *Brigittæ* profitebantur. Quorum mores & vitæ consuetudinem cum propius explorasset; studiis suis & fidei libertatem ab illis stipulatus est, id quod his verbis antè contestatus erat; *Etiamsi sexcentis*, inquit, *juramentis me obstrinxero, nequaquam ea servare potero, si quando utilis ministerio verbi sum futurus.* Monachi qui ipsum utpote clarissimum doctrinâ virum, in contubernium suum libentissimè pellexissent, liberaliter omnia quæ expeteret, concedebant, privilegium suum monstrantes, quo ipsis potestas dabatur ad concionandum è claustro exeundi, sicubi hæreses subpullularent. Id verò omne transactum est, Præsule Frisingensi approbante, qui virum præclara doctrina & pietate conspicuum à multis annis colebat.

Ingreditur monasterium.

Cum conditione.

Vita ergò monastica ipsi principio aliquot menses arridebat & probabatur ita; ut reliquam ætatis suæ hoc pacto quietè & placidè, transigere in animum induceret. Sed consilio huic fautores & amici ipsius vehementer, maximè verò inter omnes *Capito*, reluctabantur, & seriò hortabantur; ut monasticæ vitæ valediceret. Et quod amici suadebant, idem divinæ providentiæ visum fuisse, eventus postea declaravit. Nam cum postulantibus quibusdam, quid *vero consentaneum esset in controversiis religionis*, quæ tunc agitabantur, apertè & dilucidè declarasset; factum est, ut declaratio illa, quàm cum amicis tantum communicaverat, ad plures alios dimanaret, & præter conciones certas, quas in vulgus exire erat passus, de *confessione librum* ederet, quo magis orthodoxum, hoc minus cæremoniarum nundinatoribus ferendum. Proindè quòd cum Pontificiorum doctrina non congrueret, conflabant ipsi apud plurimos & primores quosdam ingens odium. Indè ei nonnulli carcerem, quidam mortem minabantur; quas ipse minas, utpote cui animus magis magisq; augeretur, intrepidus contemnebat. Inprimis *Johannes Glapio* Franciscanus, qui tum Imperatori Carolo V. à confessionibus erat, ingens vitæ periculum creavit in comitiis Wormatiæ Vangionum anno *millesimo, quingentesimo vicesimo primo* celebratis. Rumor aliquot mensibus antè percrebuerat, fore, ut manus ipsi injicerentur. Nonnulli itaq; monachorum contubernalium admonuerunt ipsum, ut periculi vitandi causa aliò commigraret: ipse contra hortatus est eos, bono essent animo monachorum, imò omnium Christianorum esse, vel cum vitæ periculo, veritatem rotundè profiteri. Quapropter monachi sibi ejus causâ malè metuere, & optare; ut quàm longissimè abesset. Dum hæc ita agerentur, accidit: ut illos fraternè argueret, qui plus suis humanis inventis, quam divinis præceptis tribuerent. Quocirca ei *librum, quo ordinis sui instituta continebantur*, commiserunt, & conscientiam ejus secundum quam coram tribunali tremendi Judicis Christi rationem factorum suorum esset redditurus, contestati, rogaverunt, ut illum summâ diligentiâ cognosceret; & si quid verbo Dei adversum offenderet, annotaret, se enim, quicquid id esset, corrigere paratos esse. Ratus eos seriò & sincerè id postulare, negotium aggressus est, sed cum in libro copiosam sordium sentinam commovisset, illicò ab ipsis, *ut bipedum nequissimus*, *ut apostata*, *ut hæreticus* traduci & proclamari cœpit, vim tamen apertam inferre non audebant. Tandem triduo antè, quàm capi deberet, literis plurium amicorum seriò admonitus, propius adesse periculum, quàm putaret, cum fratribus super eâ re deliberare cepit, ostendens quid & ipsis periculi inde immineret, si inter eos comprehenderetur. Si insons ipsis videretur, decens nequaquam esse, proditores ipsos & fratricidas fieri. Sin autem falsa docere judicarent, postulare se ex fraternitate dimitti. Monachi quid agerent dubitabant ut exiret, jubere nolebant, extrudere multò minus volebant. Interim equi ab amicis missi per homines fidos, qui sedulò instare & urgere non desinebant; ut vitæ suæ celeri fuga consuleret. Nactus dimissionem à fratribus & viaticum, liber evasit, cum *non integrum biennium* in Cœnobio transegisset. Concessit indè ad heroem illum *Franciscum à Sickingen*, apud quem Missam repurgare cepit, & *Chrysostomi Psegmata* convertit. Ubi autem nobilissimus ille vir, infelici fuit bello implicatus, Oecolampadius Basileam concessit anno millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo, in lucè editurus ea, quæ illo in ocio elucubrarat.

Incurrit in odium sophistarum.

Periculum ei à Franciscano.

Hypocrisis monachorum.

Avocant eum amici.

De confessione liber.

Relinquit monasterium.

Venit ad Franciscum à Sickingen.

Basileam reversus ab *Andrea Cratandro* Typographo fuit sustentatus, cum careret initio vocatione ordinaria, expectaretque quorsum Deus esset ducturus. Expetebat ipse alicubi vivere ubi prædicationi Evangelii, posthabito mundi odio, incumberet: quod ex epistolis ipsius ad Capitonem aliosque amicos liquet.

Inde Basileam. Andreæ Cratandri.

liquet. Ne verò interea ignavo otio tempus transigeret: *Chrysostomi Commentarium super Genesin* in Latinum sermonem traduxit: & gratis interea sine stipendio Christum quibusdam annunciavit. Mox Senatu volente & jubente, professionem Theologicam sortitus, utcunque reclamarent Sophistæ, publicè *Jesaiam* Prophetam enarrare cepit, magno auditorum concursu, hinc stipendium annuum ipsi constitutum. Enarrationem illam posteà publicam fecit: & Senatui Basilienſi dedicavit. Paulò pòst, petente id parocho Martiniano *Antonio Zannkero*, qui podagrâ lecto affixus, concionibus amplius præesse non poterat, conjungentibus etiam petitionem suam templi curatoribus: in templo Martiniano functus est vicario concionandi munere, magna quidem Papistici gregis invidia. Factum id anno millesimo quingentesimo vicesimo tertio.

Professor Theologiæ designatur OEcolampad.

Et concionator vicarius.

Sic igitur legitimè ad concionandi munus vocatus, ei summa fide summoque zelo gloriæ Dei præfuit. Errores qui in Ecclesiam irrepserant, cepit detegere, & multitudini, quæ magno numero accurrebat, perfectionem & sufficientiam meriti Christi, veram fidei naturam, & vera charitatis opera ita inculcare: ut in plurimorum animis auctoritas Papisticæ religionis labascere inciperet. Nonnulli, quibus ipsius eruditio & ingenii promtitudo cognita erat, oblatione dignitatum, ex quibus rem facere posset, ad Pseudocatholicam religionem revocare conabantur, sed frustrà. *Joannes Cochlæus* scribebat ad ipsum literas Stutgardia, anno vicesimo quarto: quibus significabat, *magno se affici dolore, virum tam excellenter eruditum, inter antesignanos Lutheranæ sectæ numerari, &, depositâ cuculla, in mundo degere. Nam licet id bona cum conscientia facere posset: tamen se digniorem ipsum judicare, quam qui inter ordinum suorum desertores, & profugos ex monasteriis monachos viveret, & cujusq; digito monstraretur, & diceretur, hic est. Verisimile non esse ipsum pacata conscientia frui, qui nulla habita voti, quo adstrictus esset, ratione, contra paternas constitutiones & morem majorum, Ecclesiasticis & secularibus offendiculum præberet. Proinde* hortabatur: *ut in monasterium, ex quo exisset, rediret, quod si Prior illius Cœnobii displiceret, pollicebatur se curaturum; ut commodiore esset loco. Sin verò in mundo remanere esset animus, suadebat: ut à Papa dispensationem impetraret: tum se daturum operam, ut aut Paræciam, in qua Catholicam religionem auditores edoceret; aut canonicatum nanciscerétur, in quo studiis citra impedimentum vacare posset.* Verum hæc & similia Oecolampadius nihili faciebat; utpote cui ex scripturarum sacrarum canone magis atque magis innotesceret, quid de votis Monasticis sentiendum esset.

Ioh. Cochlæus ad Oecolampad.

Ne verò solus novator religionis audiret, adjunxit ei Deus Doctorem *Wolffgangum Weissenburgium* Basilienſem, tunc Magistrum, & in Xenodochio Concionatorem: *Marcum* item *Bersium* Roschacensem, concionatorem ad Leonhardi: Fr. *Joannem Lutharum* prædicatorem apud Franciscanos, & Fr. *Thomam Geuerfalkium* Augustinianum. Oecolampadius equidem præcipuè in odio Papistis erat omnibus: nihil tamen adversus ipsum, metu plebis, quæ concionibus ipsius delectabatur, moliri publicè audebant. Hactenus igitur Proparochus tantum ad Martini fuerat, & proinde exiguum inde fructum perceperat. Cum verò aliò oblatione honorifici stipendii invitaretur: rogarunt auditores ipsius, ut ne discederet: sed curam Ecclesiæ susciperet, rati, Sacerdotum & Diaconorum Decanum futurum. Recusavit id, pollicitus se operam Ecclesiæ docendo navaturum, dum modò de alimentis sibi mediocriter prospiciatur, hac duplici tamen conditione adjectâ: tum ut liberum sibi esset docere, quicquid canonicæ scripturæ traderent, & repudiare, quicquid illæ damnarent: tum ut non cogeretur, Papisticas ceremonias, quas inutiles esse deprehenderet, retinere: sed unicum saltem Diaconum collegam haberet, qui sibi in Sacramentorum administratione adjutor esset. Consenserunt templi Curatores, ordinato mediocri stipendio, & quod illi statuissent, Senatus suo calculo omne probavit, hac tamen lege, ne se inscio quicquam quod majoris momenti esset, novaretur.

Addicit operam suam Ecclesiæ Basilienſi.

Sic igitur vocatione Oecolampadii publicâ autoritate approbatâ, ordinatum est: ut Diaconus *vernacula lingua infantes baptizaret: sacra cœna sub utraq;*, ut loquuntur, *specie*, conscio Senatu, *administraretur*, precibus, lectionibus, & exhortationibus, vernaculis adjunctis. Docebat, *Missam non esse sacrificium pro vivis & mortuis, aut pro iis, qui in fictitio purgatorio torquerentur: sed passione & morte Servatoris nostri Christi, semel omnibus credentibus perfectam omnibus peccatis satisfactionem partam esse.* Abducebat populum *ab aquâ ut vocant, benedictâ, à consecratione palmarum, cereorum, placentarum, & similium rerum:* ostendebat, gloriæ Dei detrahere eos, qui hujusmodi ceremoniis quicquam tribuerent. Hoc doctrinæ genus brevi adeò altas in cordibus auditorum radices egit: ut consecrationes illas, missas, ambarualia, circumgestationem panis in pompa Persica, & alias superstitiones intermitterent.

Infantes Vernaculâ baptizantur

Cœna sub utraq. specie administratur.

Missa.

Et cùm sic satis feliciter jacta futuræ reformationis fundamenta viderentur: Draco antiquus, quemadmodum alia opera Dei salutaria Ecclesiæ, ita hoc quoque interturbare, aut saltem maculâ aliquâ adspergere est conatus. Excitavit enim hostis ille pietatis ac concordiæ funestum illud & adhuc durans *dissidium Eucharisticum*, quo opus Domini in Ecclesia cœptum impediret. *Martinus* enim *Lutherus*, magnanimus ille Antichristi Romani oppugnator, & religionis in Saxoniâ instaurator, *Hulderico Zwinglio* Tigurinæ Ecclesiæ primo repurgatori, & fideli testi Jesu Christi, de sacrâ Eucharistiâ piè & sanctè docenti,

Dissidium Eucharisticum.

Collega Oecolampadii Basileæ.

docenti, publicis scriptis contradicere cepit; cui bello Eucharistico etiam Oecolampadius fuit involutus. Non diffitentur pii & prudentes ad unum omnes, fuisse Lutherum à Deo multis excellentibus donis & virtutibus, ingenio, luce doctrinæ cœlestis, eruditione, eloquentia, prudentiâ & sapientiâ, zelo gloriæ DEI, magnitudine animi adversus omnes impetus invictâ, ornatum divinitusque formatum, ad Ecclesiam Christi ab Antichristi tyrannide vindicandam. Hæc Dei beneficia si non agnoscamus & celebremus, ingrati simus & impii. Dolent autem, & ex animo dolent, ob accensam illam, inter Helveticas & Saxonicas Ecclesias dissensionem; quæ tanto jam tempore cum summo omnium piorum luctu durat. Ad eam igitur etiam pertractus fuit Oecolampadius, postquam petentibus piis quibusdam & veritatis cognoscendæ avidis *libellum Latinum* edidisset anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo quinto, de vero intellectu verborum Domini: Hoc est corpus meum:* in quo pluribus evincit, tropum illis inesse. Libelli editio, autoribus Papistis, Basileæ est impedita, at Argentinæ procurata. Post à *Ludovico Hetzero* in Germanicum conversus, etiam Basileæ excusus fuit, & ab eo tempore Oecolampadius à libris edendis non fuit prohibitus. Interea cùm invalesceret veritas Evangelii in Helvetiis, per primores Helvetiorum, auctoribus *Joanne Eccio, Joanne Fabro, & Thoma Murnero*, disputatio publica, de controversis religionis capitibus *Badenam* indicta fuit. Ad hanc fide quidem publica, sed tamen non sine periculo Oecolampadius venit. Cumque Zvvinglius tunc adesse nec vellet, nec per suos posset: quod longè alia ab hostibus capta consilia crederentur, unus Oecolampadius causam veritatis suscepit, & cum Eccio disputavit, præmissa tamen solenni protestatione, *se solum verbum Dei, Propheticis & Apostolicis libris comprehensum, pro regula & norma judicii agnoscere: nec se ullos judices admittere, nisi qui secundum Canonem Scripturæ judicarent.*

Statuit autem Eccius tunc has propositiones:

I. Substantiale corpus & sanguis Christi est in sacramento Altaris.

II. Eaque verè in Missâ offeruntur pro vivis & mortuis.

III. Maria & sancti sunt adorandi, ut intercessores.

IV. Imagines JESU & sanctorum non sunt abolendæ.

V. Post hanc vitam est purgatorium.

VI. Etiam Christianorum liberi in peccato originali nascuntur.

VII. Baptismus Christi, & non Joannis, tollit originale peccatum.

Et ex his duæ postremæ non sunt oppugnatæ.

Disputatione autem peracta, alii Helvetiorum Eccio, alii Oecolampadio subscripserunt, eratque etiam inter Basilienses Legatos dissensio, quæ post inter populum quoque disseminata, aliis Parochis alia docentibus. Utraque igitur dissentientium pars, Senatus mandato rationem doctrinæ suæ reddere jussa. Hinc anno 1527. die 27. Octob. religionis libertas civibus concessa.

Sequenti anno Oecolampadius & Bernensi disputationi, quæ viginti duravit dies continuas, ac reformationi operam egregiè navavit; cujus & ipsa acta à juratis scribis consignata, toti orbi testimonium præbent. Non diu post *Basilienses* secuta est *reformatio*, tam in urbe, quam in agro, in qua fidelem Oecolampadius Christi ministrum egit; & restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, censuræque excommunicationis autor fuit. Mox accersitus Ulmam cum *Ambrosio Blaurero* & *Martino Bucero*, ibi quoque salubri consilio cum collegis Ecclesiæ illi adfuit: utque omnia ad Evangelii regulam exigerentur suasit perfecitque.

Anno *millesimo quingentesimo, vicesimo nono*, cum dissidium Sacramentarium in dies crescceret: illustrissimus Hassiæ Landgravius de remedio cogitans, re cum aliis principibus communicata, *Marpurgi* conventum indixit, in quo utriusque partis præcipui doctores de causâ Eucharistiæ placidè conferrent. Mox igitur *Zvvinglius* & *Oecolampadius* ex Helvetia Argentoratum descenderunt; ubi Zvvinglius concionatus est. Postea cum *Bucero* & *Hedione* profecti primi Marpurgum venerunt. Deinde *Lutherus*, *Justus Jonas* & *Melanchthonè* è Saxonia. Tandem *Andreas Osiander*, Norimberga, *Joann. Brentius*, Hala Suevorum, & *Stephanus Agricola*, Augustâ Vindelicorum: singuli humanissimè à principe excepti. Priusquam verò publicum colloquium haberetur, jussu principis *Lutherus* & *Oecolampadius*, item *Philippus* & *Zvvinglius* soli collocuti sunt. Postridie calend. Octobris colloquium fuit publicum, quod triduo duravit. Diutius durasset, nec sine spe uberioris concordiæ, nisi morbus horrendus, quem *sudorem Anglicum* vocant, *Marpurgum* subito invasisset, & omnium animos terrore perculisset. Convenerunt in capitibus religionis Christianæ omnibus, præterquam in uno, *de corporali præsentia carnis & sanguinis Christi:* * Discessum fuit ita: ut fraternum nomen inter utramque partem retinendum & colendum esse videretur, tametsi id aliqui recusarint. De hoc sic * Oecolampadius: *In Marpurgico colloquio potuissetipsi (Melanchthoni) cum suis satisfieri, si tam purgatis affuissent auribus, quam obstinatis animis sua qualitacunq; qualitercunq; defendere statuissent. Porrò quandoquidem tum illi nondum pro fratribus nos habendos censebant, tametsi nos illorum infirmitatem aliquantisper tolerare parati essemus, discessum est amicis conditionibus: ut saltem in hoc mutuum gratificemur, quo ad cavenda Ecclesiæ offendicula abstineamus ab amaris illis scriptis, quibus hactenus velitatum, & nos potius amicè privatis literis eruditamus.*

Ei implicatur Oecolampad.

Libell. de vero intellectu verborum Cœna.

Disputatio Badensis in Helvet.

Ei interest Oecolamp. Et disputat cum Eccio.

Themata ibi proposita.

Eventus.

Disputatio Bernensis.

Basiliensis reformatio

Ulmam vocatur Oecolamp.

Colloquiũ Marpurg. de quo ipse Oecolamp. Epistol. ad Bertholdũ Hallerum l. 1. epist. pag. 108. & l. 3. epist. pag. 396.

Sudor Anglicus.

*Vide vitã Zvvinglii & Lutheri

* Præfatione in dialogum de Eucharistia.

Post labores tantos domi forisque pro Christi regno amplificando fortiter obitos, reversus Basileam, residuum vitæ concionando, prælegendo, scribendo, libros edendo, ægros invisendo, Ecclesias in agro frequenter visitando, & variis per Germaniam Ecclesiis consulendo religiosè insumsit. Anno tandem Christi *millesimo, quingentesimo, trigesimo primo*, ætatis suæ, *quadragesimo nono*, flagrante infelici bello Helvetiâ, & Zvvinglio immaturè exstincto, cum valetudine firma nunquam totius illius anni decursu fuisset, de solita in faciendo officio diligentia ipse nihil remitteret, ulcere super os sacrum erumpente, (anthracem fuisse non est dubium) vi morbi victus decumbere coactus est.

Morbo corripitur Oecol.

Continuò aderant amici, medicus idem & chirurgus, tentata omnia, quæ ad valetudinem restituendam requiri videbantur. Ille verò nunquam non facessere amicorum sedulitatem jussit; & fatalem esse morbum, monuit, & toto animo diem transeundi in lucem cœlestem expetivit, nec expectabat consolationem, sed prior ultroque circumstantes consolabatur. Sed operæ pretium est, orationem ipsam commemorare, qua ad Ministros Evangelii verbique & Ecclesiæ antistites usus est, uti eam *Simon Grynæus*, qui toto morbi tempore adfuit, diligenter, ut alia omnia annotavit. Oratione ergo hujusmodi usus est.

Oratio Oecolampadii ad ministros in morbo.

Quid sit, videtis fratres: Adest Dominus, venit, hinc jam nos abducit. Quæ quum ita sint, vocare vos prius volui, & hanc animam cum charissimis vera in Domino lætitia, vera consolatione exsatare. Quid igitur Servi Christi, quos idem erga Dominum suum amor, studium idem, doctrina eadem conjunctissimè copulavit, in extremo complexu dicemus? Parta salus, parta per Christum omnis nobis regni Dei fiducia est, doctrina certa, pedibus nostris lux parta, abesse procul omnem tristitiam, omnem vitæ mortisque metum, omnem dubitationem & errorem decet. Solum hoc, fratres, est reliquum, hoc solum superest fratres, ut Christi vestigiis, quæ dudum ingressi sumus, constanter fideliterque insistamus, doctrinæ puritate primum intacta, vita deindè per omnia vero Dei verbo conformata, cætera qui potens est, quique sponte vigilat sua, Christus Dominus curabit, Ecclesiam suam tuebitur. Agite igitur, ô fratres, sic luceat lux nostra, ut in nobis glorificetur Pater DEUS, illustre Christi nomen conspicuumque luce vitæ & sinceritatis vestræ fiat. Agite, diligite inter vos verè, vitam hanc in oculis, in conspectu Dei totam traducite. Frustra verbis pietas inculcatur; veritate & luce vitæ opus est, veroque & cœlesti mentis spiritu, si fundere Satanam, si convertere in Dominum Christum, mundum hunc præsertim velimus. Nam quæ surgunt, ô fratres, nebulæ, quæ se tempestas ingerit, quæ hominum alienatio, quæ impietas incumbit? Sed stare, fratres, durareque oportet, præsens ipse suis rebus aderit Dominus. O si pericula una subire, hanc animam pro veritate sæpè effundere liceat. Sed licet, indivisus amor est, & indissolubile in Christo vinculum, communia pits omnia inter sese. Hæc ita de pietatis communi causa. De sua sic paucis *corruptæ veritatis scelus, quod nobis imputatur, nil moror. Subeo jam bona per gratiam Dei conscientia tribunal Christi, hic liquidum erit, Ecclesiam per nos non esse seductam. Cujus sententiæ contestationisque nostræ testes vos relinquo, & ipse hoc extremo spiritu confirmo.* Sic dixit: Fratres verò operam dare, Ecclesiæ curam suscipere dextris datis promittebant.

Testamentum non condidit, quia unde conderet, pauper Christi servus non habebat. Sed postridiè, quæ jam quindecima dies fuit, ex quo decubuit, liberos in conspectum adduci, coramque fisti jussit, ac dextras primum prehendit, deindè capita singulorum demulsit: ac quanquam nihil horum per ætatem intelligere poterant, quippe trimulus maximus natu erat: *Agite*, inquit, *tu Eusebi, tu Irene, tu Alethea, mea pignora, patrem Deum diligatis.* Annuente pro pueris matre, ad ipsam socrumque & cognatos conversus: *Vos*, inquit, *hac contestatione obstrinxi, vos quod audiunt, quodque esse volui, pii, pacifici, veraces mei liberi ut sint, operam dabitis.* Quum rursus annuerent, promitterentque omnes, velut fide acceptâ, abduci rursus è conspectu jussit.

Liberos alloquitur monetque.

Erat postrema ea nox. Aderant fratres & Collegæ Verbi omnes, decem numero: ad quos paucula quædam rursus dixit, cætera quietus.

Redeuntem quendam amicissimum sibi, cùm rogaret, *quid attuliſſe novi?* & ille respondisset, *nihil: At ego tibi dicam*, inquit, *nova.* Exspectabant quid esset: *Brevi*, inquit, *ero apud Christum Dominum.* Paulò pòst, cùm *ecquid lumen molestiæ afferret?* rogarent, pectus tangens, *abundè lucis est*, inquit. Jam aurora appetebat, & oriri sol incipiebat; cùm viro optimo fatalis hora instaret. Postrema fuit oratio, quam quidem clarè lingua anhela expressit, pro peccatorum remissione, precatio illa Davidis, *quinquagesimo primo Psalmo* comprehensa; quam integram à principio ad finem, ductis ab imo pectore piis gemitibus palàm omnibus recitavit. Paululum deindè intercessit moræ, & velut respiratio, cùm rursus tanquam expergefactus orationemque redintegrans: *Salva me Christe Jesu*, inquit. Et hæc vox fuit ultima, quam in his terris edidit, Christo se commendans, quem fideliter docuerat. Ibi fratres, qui aderant, in genua circum lectulum devoluti, sublatis in cœlum manibus, Deum sunt comprecati. Jam clara dies illuxerat; cum spiritum reddidit Creatori DEO, tanta animi lenitate, tam certâ in Christum Dominum fiduciâ; ut pii omnes ex obitu & illustri placidæ & beatæ migrationis exemplo consolationem ceperint, non minùs, quàm è vita.

Ultima ejus vox.

Sic

Rumor falsus de ejus obitu.

Sic igitur piè mortuus est, qui piè vixerat. Non enimverò intulit sibi ipse violentas ex desperatione manus, nec aliorum manibus clam peremtus, aut veneno sublatus est; sicut apud exteros à quibusdam sermone & scriptis fama fuit sparsa; ut veritati cœlesti, quam vivus docuerat, invidia conflaretur, vel macula aliqua adspergeretur. Sanctè exspiravit & placidè, cum *quindecendium* decubuisset, præsentibus *decem fratribus*, qui id attestati, die *primo* Decembris, anno Christi *millesimo, quingentesimo, trigesimo primo*, ætatis suæ *undequinquagesimo*. Successit ei in officio pastorali, *Osvvaldus Miconius* Lucernâs, qui Tiguri ludimagistrum aliquot annis egerat: & Zvvinglio propter doctrinam vitæquæ integritatem perquam fuerat familiaris: de quo posthac.

Osvvald. Myconius successor Oecolamp.

Elatus est Oecolampadius funere frequenti, omnium Basilienſis Reipub. ordinum, atque in templi cathedralis circuitu tumulatus cum ejusmodi epigraphe:

Deo Opt. Max. & Christo sacrum.

Epitaphium Oecolamp.

D. JOANNES OECOLAMPADIUS, PROFESSIONE THEOLOGUS, TRIUMLINGUARUM PERITISSIMUS, AUTHOR EVANGELICÆ DOCTRINÆ IN HAC URBE PRIMUS, ET TEMPLI HUJUS VERUS EPISCOPUS, UT DOCTRINÆ, SIC VITÆ SANCTIMONIA COLENDISSIMUS, SUB BREVE SAXUM HOC RECONDITUS JACET. MORITUR CAL. DECEMB. Anno M D XXXI. ætatis LXIX.

Epicediæ eidem scripta.

Deplorarunt hujus viri obitum præstantissimi quique: inter quos *Sebastianus Munsterus* carmine Hebræo, & *Theodorus Beza* ejusmodi Latino Hendecasyllabo:

Oecolampadius serena nuper,
Lampas, æde sacra DEI coruscans:
Qualis limpidiorve, puriorve
Vix ullis micuit lucerna seclis,
En mortis jacet obrutus tenebris.
At vobis malè sit malæ tenebræ,
Lucis munere quæ brevi fruentes,
Eheu, nos miseros homunciones
Nocte sic premitis tenebricosâ.
Sed benè hoc cecidit, nigræ ô tenebræ,
Quod dum ipsam petitis, malæ lucernam;
Laternam tamen obruistis unam,
Laterna ut lateat quidem hic sepultâ,
Ipsa sed magis emicat lucernâ.

Virtutes & mores Oecolampadii.

Fuit hic sub initium reformationis alter in Helvetiâ doctor, ingenio miti & tranquillo: in negotiis obeundis tardior quidem, sed circumspectior: cui suavius nihil accidit, quam lectionibus & commentationibus tempus transmittere. Nec tamen fuit asper, aut, ut Timon μισάνθρωπος, à commercio hominum prorsus abhorruit. In doctrina de Eucharistiâ scribit ad Melanchthonem, primum sibi vellicasse aurem *D. Augustinum*; & revocasse à sententiâ, in qua antea fuerat.

Doctrinâ de sacramentis ab Augustino didicit.

Antequam verò Dominus eum respexit, ut ipse ad *Billicanum*, supra modum fuit religiosus, ac planè superstitiosus; adeò ut etiam spiritui in se loquenti contradiceret. Quoties enim seriem verborum institutionis cœnæ Dominicæ apud Evangelistas legebat, aliam in cortice medullam subesse in animum incidebat, quod tamen levi certamine refutans cogitabat, ut plerique alii: *num tu aliis vis sapientior esse? Credendum est, quod alii credunt.* Sæpenumero seipsum accusabat, quid in aliorum pectoribus lateret non cogitans: *Tunc solus tam abjectus es à facie Domini, ut illic repugnes, ubi ferè nemo?* Sæpè antiquorum Doctorum lectione infirmitatem suam vincere conabatur; sed principio non occurrebat, quo juvaretur.

Tentationes ejus.

Crebrò erat obvium, *corpus Domini & sanguis Domini: sed qualiter corpus; qualiter sanguis*, rarius explicabatur, & valè obscurè. Pendens itaque ab aliorum judicio parum rectè sentiebat. Tandem semotâ autoritate hominum, veritas ei illustrior effulsit: ut Papisticam sententiam inferre opus non esset. Suam verò hinc indè cum amicis contulit. Et annum totum sese continuit prius, quàm de re illa quicquam evulgaret. Cum in publicum prodiisset libellus *de Eucharistia*; Senatus Basilienſis rei insolentiâ motus, eum tantisper apud se vendi prohibuit: donec à Censoribus examinaretur, & certius quippiam decerneretur. Consuluit itaque *Erasmum Roterodamum*, *Berum* præpositum, & *Cantiunculam* Jurisconsultum, quidnam de scripto illo sentirent.

Edit. lib. de Eucharistia.

Super eo alii consulti à Senatu Basil.

Erasmus Senatui respondit hisce: S. P. *Magnifici Domini, celsitudinis vestræ hortatu, perlegi librum Joannis Oecolampadii de verbis Cœnæ Domini, mea sententia doctum, disertum, & elaboratum; adderem etiam pium, si quid pium esse posset, quod pugnat cum sententia consensuque Ecclesiæ, à qua dissentire, periculosum esse judico.* Ad amicos autem scripsit: *Oecolampadium emisisse libellum, tam accuratè scriptum, tot machinis argumentorum, totque testimoniis instructum: ut posset vel electos in errorem pertrahere.* Et quamvis multi eum hortarentur, ut contrà scriberet; negavit se facturum, quod id operæ precium sibi non videretur.

Eraſmi de illo judicium.

Et verè Erasmum agit.

Basileæ itaque post συνάξιν acerbam, ablitis idolis, superstitiosis ritibus, & Missa; Cœna Domini his ceremoniis, Oecolampadio auctore, fuit celebrata. Pro suggestu ipse legebat, omnia usque ad verba Cœnæ, quæ ante mensam recitabat, mox finitâ oratione & convocatione sequebatur communio. Interim dum communio fiebat, plebs psalmos vernacula lingua canebat. Finita communione cœtum cum exhortatiuncula dimittebat. Ægrotis quoque, qui petebant, Cœnam Dominicam non negabat.

Ritus celebrandi cœnam ab Oecolampadio institutus.

Pacis & concordiæ in Ecclesiâ fuit studiosissimus; id quod tum aliàs, tum in colloquio Marpurgensi probavit. Ibi tum ut Joann.

Pacis studiosus Oecolamp.

Sturmius*, qui à Bucero se audivisse id scribit; *duo in Zvvinglio* & comitibus ejus, quorum facilè princeps Oecolampadius, *Landgravium laudasse* accipimus: *Unum, quòd Marpurgum venissent commeatu, tutelæ causâ, non postulato, cùm Saxonici ultra Crucibergum oppidum progredi nollent, antequam à principe diploma mitteretur. Deinde quòd cum Lutherus non pateretur iklis sese argumentis abduci, à præscriptis in mensa verbis**: HOC EST CORPUS MEUM: *& aliquando illuderet etiam verba Zvvinglii: & cùm Zvvinglius dixisset*, suo argumento Lutheri argumentum jugulatum esse: *irriserit verbum illud quasi castrense & cruentum, tamen id paterentur, qui cum Zvvinglio erant, humaniter.* Sed hæc de Oecolampadio satis: viro ob trilinguem eruditionem, ob doctrinæ scientiam & usum, antiquitatis denique Ecclesiasticæ exactam cognitionem, suâ ætate nulli secundo.

* Part. 3. Antipapp. 4.

Duo in Zvvinglio & comitibus laudata.

* Quæ Lutherus grandiusculis literis in mensa pinxerat.

Scripta Oecolamp.

Scripta ejus multa sunt, & in certas classes digesta: quarum prima continet *Exegetica* in Genesin, Psalmos, Jobum, Jesaiam, Jeremiam, Ezechielem, Danielem, & plerosque omnes prophetas: deinde in libros Novi Testamenti: altera *Didascalica* habet: tertia *Apologetica*: ultima *Conversa* è Græco, de quibus Bibliothecæ. *Wolfgangus Capito in vita Oecolampadii*; *Simon Grynæus de ejusdem obitu*; *Lavaterus in historiâ Sacramentaria*; *I. Sturmius in Antipappis*; *Sleidanus*: *alii.*

BERTHOLDUS HALLERUS.

Ob. 1536. d. 25. Martii æt. 44.

APud *Helvetios Bertholdum Hallerum* natum accepimus, sub annum Christi, *millesimum, quadringentesimum, nonagesimum secundum.* Studiis à puero abditus, tum in aliis Germaniæ Academiis, tum *Coloniæ* inprimis *Agrippinæ* ad sacras juxta & humaniores litteras incubuit. Itaque prima Theologiæ laurea ibidem fuit ornatus.

Colonia dat operæ literis.

Fit Theologiæ Baccalaureus.

In patriam reversus, *Bernæ* primum *Canonicus*, deinde *Concionator* suo est merito electus. Pietate enim & doctrina alios, suæ tempestatis sacerdotes facilè anteivit eloquentia omnes vicit. Jam si in doctore ecclesiæ ad ἀνυπόκειτον πίστιν accesserit σύνεσις θεόντων & polita eruditio, ad eruditionem δύναμις ἑρμηνευτικὴ ac facundia: næ hic talis omnibus numeris absolutus videbitur!

Et Bernæ Canonicus atque concionator.

Perfectus concionator.

Cum autem sub id idem tempus, in Helvetia *Hulderico Zvvinglio Claronæ* primum, deinde in *cœnobio Eremitano*, paulò pòst, *Tiguri* evangelium Christi docente, Deus & in ipso Hallero Filium suum retexisset: non contulit cum carne & spiritu; sed palàm Zvvinglio accessit, ac veritatem quà publicè, quà privatim adseruit.

Idem cum Zvvinglio sentit ac docet.

Postea cum anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo sexto*, duodecim Helvetiorum pagi disputationem *Badenæ* indixissent, & Zvvinglio eò venire integrum non esset; venit, præter Oecolampadium, & Hallerus; atque cum *Joanne Eccio*, Pontificiorum Theologorum tunc coryphæo, acriter disputavit. Eo in congressu ridiculum ostentationis exemplum edidit Eccius. Cum enim in Hebraicarum literarum mentionem incidisset; *quid*, inquit*, *Hebraicas voces jactamus? adeò dudum didicimus Hebraica loqui: ut fermè dedidicerimus*: atque cum dicto ex ingenti codice aliquid stridet Hebraicè; post addit; *si vultis dicam & Græcè & Latinè.* Finitâ oratione, non sine admiratione, librum deponit, quo ab alio aperto, deprensa fraus fuit. Habuit enim exemplum, in quo Hebræis Græca & Latina fuere imposita. Abijt igitur in fumum inanis jactantia.

Interest disputationi Badensi. Vide vitâ Oecolamp.

Eccii ostentatio.

* *Epist. Oecolamp. lib. 4. pag. 839.*

Anno sequenti Bernates, quorum est in Helvetia nomen præcipuum atque potentia, cum & disputationis illius Acta ipsis etiam petentibus, non essent communicata, & dissidia religionis crescerent, nec eadem esset ministrorum Ecclesiæ doctrina, disputationem aliam suâ in urbe decernunt, edito scripto die Decembris decimo septimo, ad eamque finitimos convocant episcopos, & ut ipsi veniant, suosque adducant Theologos hortantur: alioquì mulctam denunciant earum possessionum, quas in suis finibus haberent. Præterea non solùm suæ ditionis homines ecclesiasticos conscribunt; sed aliis etiam, undecunque eò venturis, publicâ fide cavent. Leges* denique certas disputandi statuunt, & Themata promulgant, à suis ministris, *Bertholdo hoc Hallero*, & *Francisco Colbio Rötelensi*, defendenda. Themata autem tum proposita decem fuerunt ejusmodi:

Bernensis disputatio.

* *Vide Sleidanum lib. 6. comment.*

Themata Bernæ disputata.

Ecclesiæ unicum caput est Christus, quem unum agnoscit; neque vocem alterius audit.

Ecclesia non condit ullas leges extra verbum DEI; traditionibus igitur hominum nemo obligatur.

Solus Christus pro totius mundi peccatis satisfecit: qui ergo aliam salutis viam, aut expiandi peccata rationem quærit, is abnegat Christum.

Corpus & sanguis Christi corporaliter in Eucharistiâ non sumuntur.

Missa, in qua Christus Patri cœlesti pro vivis atq; mortuis offertur, est blasphemia & abominatio coram Deo.

Solus Christus est intercessor, & humani generis advocatus ad Patrem. Nulli ergo alii excogitandi aut invocandi.

Post hanc vitam non est purgatorium; precationes igitur & ceremoniæ illæ omnes, & exequiæ anniversariæ, atque id genus alia, vanæ sunt omnia.

Nullæ statuæ aut imagines sunt adorandæ; proinde si quæ eo animo in templis erectæ, sunt tollendæ.

Matrimonium non est prohibitum ullis hominum ordini: sed fornicatio & impuritas; quæ nulli ordini, quàm sacerdotum probrosior. Hactenus themata.

Habita

Habita est disputatio anno *vigesimo octavo*, supra *millesimum*, *quingentesimum*; à die septimo Januarii ad vicesimum sextum ejusdem mensis.

Exitus illius disputationis.

Exitus hic fuit; ut themata à plurimis fuerint approbata; & tum in Bernensium urbe, tum in amplissima eorum ditione, Papatus communi consensu abrogatus; multum reclamantibus Pontificiis Helvetiorum, & seriò ab instituto dehortantibus, Bernates imitati sunt & alii finitimi, inter quos Genevenses.

Reformatio Bernensium.

Obitus Halleri.

Cùm ita Hallerus ea in Ecclesia omnia ritè ordinasset; atque auctoritate famaque floreret; immatura morte, anno Christi *millesimo*, *quingentesimo*, *trigesimo sexto*, die *vicesimo quinto* Martii, ætatis suæ anno *quadragesimo quarto*, sublatus est; magno sui desiderio omnibus relicto.

Primi reformatores Bernensis Ecclesiæ.

Quantum ergo illustri Bernensium reipublicæ Ecclesiæ Christianæ debent; tantum ipsa Berna isti *Hallero*, ejusque collegæ, *Francisco Colbio*, debet; qui mutuas tradentes operas, Papatum verbi divini gladio jugularunt, & evangelii doctrinam incorrupte, ad obitum usque propagarunt, & propugnarunt. Cæterum *Colbius* ille, Rôtelâ oriundus, primùm *Basileæ* in Martinianâ scholâ, juventutem aliquandiu docuit. Post ea in Sueviam digressus, tranquillioris vitæ studiorum excolendorum causa cupidus, monasticen professus est. Sed cognitâ veritate, Bernam, ob eruditionis ac pietatis famam accitus est; atque Hallero in concionandi munere adjunctus. Cum quo constanter Pontificios revicit & profligavit; donec septuagenarius, anno uno ante Hallerum nempe *trigesimo quinto*, vatâ excessit. *Beza in Iconibus*, *Sleidanus*, *Urstisius in Chron. Basil. l. 7. c. 20. Epistolæ Zvvinglii & Oecolampadii.*

Franciscus Colbius. Pericope vitæ ejus.

JOHANNES SCHVVEBELIUS.

Natus an. 1540. d. 19. Maji ætat. 50.

JOannes *Schvvebelius* parentibus haud obscuris, familiæque suæ originem *Wasserburgo*, Bojariæ oppido, derivantibus, editus est anno Christi *millesimo*, *quadringentesimo*, *nonagesimo*, in oppido amæno ad Hercyniæ sylvæ radices, quod vulgò *Pforzhemium* appellamus. Hæc patria conciliavit ipsi amicitiam cum viris celeberrimis, *Joanne Reuchlino*, πολυγλώττῳ, & *Nicolao Gerbelio* seniore JCto, popularibus sempiternâ memoriâ dignis.

Pforzhemium patria doctorum virorum.

Jactis utriusque linguæ fundamentis, quæ tunc à paucis excolebantur, à plerisque negligebantur, maximè verò à sacrificis pertinaci odio depravabantur; animum in ipsâ pueritiâ ad Theologiæ studium adjecit, & *ordini*, qui *Spiritui Sancto* dicatus, adolescens voluit initiari. Postea, ut alios quoque pietatem doceret, ad sacerdotii adspiravit dignitatem; cujus testimonium ei communicatum legimus ejusmodi.

Ordini Spiritus Sancti initiatur Schvveb.

Fit sacerdos.

Nos Conradus, Dei & Apostolicæ sedis gratia, Episcopus Aurensis, reverendissimique in Christo Patris & Domini, Domini Wilhelmi, eadem gratiâ Episcopi Argentinensis, Alsatiæque Landgravii, vicarius in Pontificalibus generalis, notum facimus, quod sub anno Domini millesimo quingentesimo XIV. die sabbatho sancto vigilia Paschæ, sacros clericorum ordines Argentinæ apud Wilhelmitas celebrantes, dilectum nobis in Christo fratrem Joann. Schvvebelin de Pforzheim, ordinis sancti Spiritus in Steffansveldt, in sacerdotem promovimus, juxta formam sanctæ matris Ecclesiæ, cooperante nobis gratia Spiritus Sancti. In cujus testimonium sigillum officii Vicariatus in Pontificalibus Ecclesiæ Argentinensis, præsentibus est appensum. Anno die, & loco, quibus supra.

Testimonium ejus sacerdotii.

Jo. Grumer Nöis.

Cum autem statim post Evangelicæ doctrinæ radii per Germaniam diffunderentur universam, *Schvvebelius* iisdem illustratus, vestitum monasticum mutavit, & cum aliis Ecclesiæ doctoribus superstitiones abjecit. Pro hoc beneficio, quod Deus errabundam in tenebris Pontificiis oviculam quæsisset, humeris suis gestasset, & ad pascua æternæ salutis rectâ duxisset, per omnem vitam, & in concionibus, & scriptis precibusque, gratias agit, identidem illud usurpare sancti senis solitus: *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia oculi mei viderunt Salutare tuum.* Anno *decimo nono*, *supra millesimum quingentesimum* scripsit * ad eum *Melanchthon*, tanquam ad veterem * amicum, *de solida studii Theologici institutione*, cum eo ipso tempore purius docere verbum Dei Pforzenii cepisset. Sed dominante in Marchionatu Badensi tunc Papatu, relictâ patriâ, Rhenum trajecit ad *Franciscum à Sickingen*, heroem nobilissimum, qui inter primos veritatem Evangelicam & magno animo est amplexus, & contra hostes cum aliis intrepidè propugnavit.

Deserit monachismum.

Commentar. in Matth. & epist. ad Rom.

* *Vide epist. 11. ad Schvvebeliam.*

* *Venit ad Franciscum Sickingen.*

Fovebat ille sub id tempus multos viros, pietate, virtute, & doctrinâ præstantes, inprimis verò Theologos insignes: qui ad ipsum, tanquam ad asylum, confugiebant. Inter eos tunc in arcibus Sickingii *Landstenio* & *Ebernburgo* agebant *Ulricus Huttenus*, nobilitatis literatæ ornamentum: *Caspar Aquila*, *Martinus Bucerus*, *Joannes Oecolampadius*, & hic *Schvvebelius*. Hic ergò cum fidem ejus & pietatem nobilissimus eques perspexisset: testandi amoris, & confirmandæ doctrinæ ergò, quæ tum in Ecclesiis Sickinganis tradebatur, Schvvebelio sponso, solemnem nuptiarum festivitatem in arce Landstenio anno Christi, *millesimo quingentesimo*, *vigesimo primo*, suo sumtu celebravit.

Fovet ille viros pios & eruditos.

Schvvebel. ducit uxorem.

Sequenti anno prodierunt *epistolæ Francisci à Sickingen* ad *Theodorum ab Hendschuchsheim* socerum, & *Hartmutii à Cronenburg* ad *Franciscum à Sickingen*: quibus Schvvebelius præfationem præfixit: in quâ inter alia ait: *miram esse rerum conversionem eo tempore, olim à sacerdotibus laicos*

Epistolæ Sickingii.

Mira rerum immutatio

Commendatur principi Ludovico Bipontino Schvvebel.

didicisse legem Domini: nunc sacerdotibus à laicis discendum esse. Olim episcopos gladio verbi usos fuisse ad salutem animarum: nunc eosdem uti gladio corporali ad opprimendum Dei verbum.

Bellum inter Franc. à Sickingen & principes.

V. Sleidan l. 3. Dimittit hospites suos Sickingius.

Ab eodem *Francisco à Sickingen*, cui propagatio doctrinæ evangelicæ unicè curæ erat, Principi *Ludovico* Comiti Palatino Rheni, commendatus est hac occasione. Petebatur bello ille à *Sickingen* à *Trevirensi & Palatino* Electoribus; quibus se *Philippus* Hassiæ Landgravius adjunxit. Itaque, ne domestici sui periculo implicarentur: honestè in receptus tutos eos dimisit. Venit ergo *Oecolampadius* Basileam: *Bucerus* Argentoratum: *Aquila* Isenacum Thuringiæ: *Schvvebelius* Bipontum, à piissimo principe *Ludovico* accersitus. Hic primus ecclesias à Pontificiorum fermento repurgavit & fundamenta doctrinæ evangelii cum fructu jecit. Interea autem *Franciscus à Sickingen* obsidetur: qui dum in arce sua *Landstenio* * pro libertate suâ fortiter pugnat, globo tormentario in arcem explosо trabs disrupta est: è cujus ictu lethale ipsi vulnus inflictum: quo horis viginti quatuor pòst, anno *vicesimo tertio*, die secundo * Maji, ætatis *quadragesimo secundo* exspiravit. Ante obitum Principes eum invisерunt, ac humaniter allocuti sunt. Humatus est solenni pompâ, in templo parochiali, oppidi Landstul: vir bonorum omnium memoriâ dignus, togæ & sagi artibus excellens, literarum ac literatorum magnificus & munificus fautor, gratus Capnionis discipulus: qui inter primos evangelii & evangelicorum doctorum patrocinium suscepit, & filios nepotesque verè generosos reliquit. Symboli loco fertur habuisse in ore axioma Philosophicum: *Nihil sine causa*: Nichts ohne Vrsach; quo etiamnum quidam gentilium ejus utuntur. Sed ad institutum redeamus.

* *Alii* Landstal *vel* Nunstal.

* *Alii septimo. Occumbit Sickingius Ejus elogium.*

Symbolum ejusdem.

Bipontinæ itaque Ecclesiæ initium idem ferè est cum Argentoratensi: ac in Bipontinatu quidem *Ludovicus* Palatinus, Dei solius fretus ope, ac *Svvebelii* usus operâ, Papatum abrogavit, missificosque omnes eliminavit: quamvis Episcopi vicini acerrimè sese opponerent, & à pio instituto avertere manibus pedibusque anniterentur. Hoc ejus zelo cognito, matrimonio ipsi juncta est ex illustriss. Landgraviorum Hassiæ stirpe *Elisabetha*, *anno *millesimo, quingentesimo vicesimo quinto*, mense Septembri. Hæc singulari itidem pietate accensa Princeps, Schvvebelium favore & gratiâ suâ semper est prosecuta.

Reformationis Bipontini ducatus autores.

Ludovici Palatini. matrimonium.

* *Wilhelmi senioris filia: quæ obiit 1563.*

Linguarum studiosus Svvebel.

In officio ergo tali cum & laborum patiens, & linguarum perquam studiosus esset, quippe qui præter linguæ Græcæ peritiam, quæ tunc, ut in Papatu, prorsus ferè erat ignota, nulloque in præcio, ipsi autem non minus ac Latina familiaris, in Hebraicis * ita excelluit: ut ex fontibus ipsis veritatem haurire, aliisque impertiri posset: tanta de eo fama per Germaniam increbuit, ut apud primarios Ecclesiæ Doctores, ob acre in rebus ecclesiasticis judicium, singularem erga veram religionem zelum, eximiam doctrinam, linguarum scientiam, rerumque experientiam, in admirationem venerit. Itaque in amicitiam *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Gerbelii* Senioris, *Buceri*, *Capitonis*, *Hedionis*, *Zellii*, *Pellicani*, & aliorum celeberrimorum virorum, cooptatus est, id quod epistolæ ad ipsum scriptæ satis superque demonstrant. Et cum eo tempore *Iacobus Sturmius* vir nobilissim. ita prudentissimus, gratia atque auctoritate apud Germaniæ Principes, ipsumque adeò Imperatorem floreret: Schvvebelius auctor suo Principi fuit; ut eundem in negociis Ecclesiasticis consuleret. Quem Principis affectum Sturmius laudi sibi ducens, gratias egit maximas, & vicissim Argentoratensem Ecclesiam principi humiliter commendavit: & consilia sua ad ecclesiarum Bipontinatus rationem direxit: ut ex *Actis publicis Germanicorum operum Schvvebelianorum*, si lucem aliquando viderint, patebit.

Amici ejusdem.

Iacob Sturmius à Bipont. consultus.

Post intempestivum Principis *sui è vitâ discessum: totus in eo fuit *Schvvebelius*, ut vir quippiam egregiè doctus, veræ religionis studiosus, vitæque inculpatæ deligeretur: qui relicti à Ludovico filii *Wolffgangi* *, tunc sexennis pueri, moderator studiorum & informator idoneus esset. Judicavit autem ipse idoneum *Casparum Glaserum*, ex Marchionatu Badensi oriundum; Gemmingæ tunc in Graichgoiâ agentem, & ludum literarium aperientem. Communicato itaque cum aliis consilio, Glaserum illum, quamvis primò munus ejusmodi abnuentem, & à suo patrono nobili Gemmingio invitè discedentem, Principi ephorum præfecit.

* *Ludovicus Palat. 1532. d. 3. Dec. æt. 30. guber. 18.*

* *Qui natus 1526. obiit 1569.*

Casparus Glaser ephorus Principis Bipontini.

Fecit interea & ipse suum officium, sinceram doctrinam fideliter tradendo & vitæ sanctimoniâ ministerium suum ornando. Quamobrem ut omnium ora in ipsum fuerunt conversa: ita styli etiam adversariorum contra ipsum sunt stricti. Nam, præter Pontificios, cum *Anabaptistis & Schvvenckfeldianis*, multum ipsi negocii fuit: quorum tamen omnium impetus mansuetudine fregit, patientia vicit, & lenitate in ordinem coegit ut omnia ejus scripta aut responsa, pro libris potiùs doctrinâ & consolatione plenis, quàm contentiones ac dissidia referentibus habenda sint. In colloquiis & disputationibus solis sacrarum literarum testimonis nisus est; nec ullius unquam hominis scripta iis anteposuit. In lectione *Patrum*, quorum copiâ ejus bibliotheca instructa erat, multum fuit versatus, *jus etiam Canonicum* cum in finem diligenter evolvit, ut ipsis Pontificum decretis Pontificios revincere posset. Hac ratione non solùm laudem apud orthodoxos est consecutus: sed terrorem etiam adversariis suis incussit. Quanta autem fide evangelii veritatem propugnarit, & quæ ipsius sententia *de articulis* fuerit, *qui in controversiam* à contentiosis & ambitiosis quibusdam vocati sunt, ac quàm candidè dextreque eosdem explicuerit, *libri* manu ejus *scripti* *hodieque testantur, quorum tamen pars non minima post ipsius obitum in alienas manus

Adversarii Schvvebelii.

Scriptura sacra autoritas. Legit Patres & jus Canonicũ Schvveb.

* *Perspicuè se explicat epist. 53. quam vid. Doctrina Schvvebel.*

Fama Schvvebelii, & dotes.

manus pervenit. Constanter retinuit fundamentum scripturæ, catholicorum doctorum, & veteris Ecclesiæ Argentoratensis consensum, cujus testimonium est conventus *Suinfurti* *habitus, & *confessio* illa *Civitatum quatuor* illustrata; à Luthero admissa: Norinbergæ ab Imperii ordinibus approbata, Argentorati anno *trigesimo tertio* repetita, autoritate magistratus civibus commendata.

*An. 1532. Confessio civitatum Sleidan l. 7 Schvveb. epist. 46. Controversia inter Blaurerum & Snepfium.

Anno *trigesimo quarto Bucerus* controversiam inter *Ambrosium Blaurerum* & *Erhardum Snepfium* de Cœna Domini ortam, rogatu *Ulrici* Wittembergici, compositurus consilio Schvvebelii usus est, feliciterque negocium expedivit. Inprimis vero Schvvebelius *concordiam* *illam, Wirtembergæ anno *trigesimo sexto* inter superioris Germaniæ quatuor civitates, & Theologos Saxoniæ, suo petito & communicato consilio, initam, est amplexus, & ad extremum usque vitæ spiritum approbavit, utque alii ducatus Bipontini ministri approbarent, suasor atque auctor iis fuit. Concordia enim illa, per quam Augustanæ Confessionis *articulus decimus* de Cœna Domini, paulò obscuriùs positus, explicabatur, non solum in priore Confessione civitatum & Apologia, quam Bipontini quoque amplectebantur, erat fundata, sed ipsa declaratio ejus ex verbo Dei desumta, qua utriusque partis consensus mutuus stabilitus est. Hinc ergo patet, genuinum Confessionis Augustæ exhibitæ sensum, etiam de ipsius Lutheri voluntate, juxta declarationem Concordiæ Wittembergensis accipiendum esse. Sed hoc disceptare, nostrum non est.

*Capita illius vide in vita Buceri infra.

Concordia inter Luther. & civitates initæ. Eam amplectitur Schvveb.

Obitus Schvvebelii.

Schvvebelius cùm ita annos *septendecim* sementem in agro Domini ducatus Bipontini, cum fructu fecisset, atque cursum suum feliciter absolvisset, ad vitam abiit meliorem, anno Christi *millesimo, quingentesimo, quadragesimo*, die *decimâ nonâ* Maji, ætatis suæ anno *quinquagesimo* circiter, relicto filio *Henrico*, postea J. U. Licentiato, & cancellario Bipontino. Sepultus est in templo Bipontino, cum epitaphio tali, à *Jacobo Schorrio ab Hasel*, consiliario primùm, pòst cancellario Bipontino, scripto:

Epitaphium ejusdem.

Vixit, & hoc templo docuit, vir, Lector, honestus:
Janus Schvvebelius, doctus amansq; Dei.
Fidus erat monitor, facundus, & usque modestus,
Mansuetus, clemens, mitis, & æquanimus.
Sedatus, comis, facilis, totusque benignus,
Sermo illi lenis, mens pia, mosque probus.
Vitam doctrinæ, doctrinam, sedulo vitæ
Æquabat: nulli non venerandus erat.
Æquales utinam liceat nos semper habere
Pastores! quid enim sanctius, oro, foret?
Dici felices numquid tum, perque beati
Possemus meritò, semideique viri?
Hic magno tandem oppetiit mœrore suorum:
Mens zelo, corpus clauditur hac sub humo.

Successor.

Successorem habuit ipsum illum *Casparum Glaserum*, Wolfgangi Principis Palatini ephorum, qui doctrinam verbi divini, quam Schvvebelius ibi plantaverat, fideliter servatâ conformitate adseruit, & ad posteros magno pietatis zelo propagavit.

Primus Doctor Evang. in Bipontinatu Schvveb.

Hic Schvvebelius primus fuit Principis Bipontini orthodoxus ecclesiastes, & testimonio gravissimorum Theologorum, acerrimus antagonista omnium ἑτεροδιδασκαλούντων, de omni Christianâ causa probè institutus, judicio & dicendi facultate non vulgari. Sed quid de se ipse scribat; *si lubet, audiamus: *Falsò me calumniantur, sed rationem reddere paratus sum. Quod missas Germanicâ linguâ lego, non tantum facinus arbitror, ut hujus me pudeat, aut lucem fugiam, sed palàm id facio, optans, ut omnes id faciant. Quodsi erro: per scripturas sanctas ad viam veritatis me reducite precor. Canonem, quem vocant, Missæ, hactenus nefas fuit aliis audientibus legere: proinde sic eum occulto, ne facilè quisquam possit conqueri, me illum prodidisse. At ubi vel minuam, vel augeam à Christo traditum canonem, benignè moneri cupio. Nam illic deviare non est animus. Lutheranus verò non sum, sed Christianus. Non enim pro me passus Lutherus, nec in nomine Lutheri baptizatus sum. Sin ob hoc Lutheranum vocant, quòd aliquot hujus libros legi, cur non potiùs Davidicum à Davide, aut Joannianum à Joanne, aut Paulinum à Paulo appellant, quorum libros indies lego, & publicè prædico. Non juravi in verba Lutheri, sed in verba Dei. Ab his ne mors quidem, Deo propitio, me avellet. Falsò mihi imponunt, sanctorum me prohibere venerationem. Toties enim publicè docui: sanctos venerandos, & qui verus sit sanctorum honor, è scripturis declaravi. Nolui autem, ut ulla creatura Deo vel præponatur, dicente Deo, gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam sculptilibus.* Hæc ipse. Culpata in eo fuit modestia, quæ in multis ejus ordinis desideratur, verùm modestia ejus adjunctam habuit severitatem, & ut à convitiis abstinuit, ita judicium & iram Dei incredulis & impœnitentibus seriò ac graviter annunciavit. Hæc verò qui facit, peccatoribus minimè adulatur. Nec enim concionatoris pro suggestu ira aut maledicentia cogit resipiscere eum, quem ira & judicium Dei non terret. Convitiis & austeritate intempestivâ sæpe ab Evangelio avertuntur homines, & calamus quassatus confringitur. Summa. *Spiritus Christi satyricam conviciandi consuetudinem non habet, nec histrionica levitate homines insectatur.* De *Sacramentis quid sentiret*, epistolâ *quadam satis declaratur, *signa* nimirum *esse gratiæ, sed quæ nos non ex opere operato, verùm fide participamus, secundum illud, quo & Lutherus & Melanchthon usi sunt*, non sacramentum, sed fides sacramenti justificat. *Peccatum originale*, unde totum humanum genus perit, non elevavit, ut tunc & etiamnum multi. *Justificationem* omnem tribuit Christo, & tam *audibilia*, quàm *visibilia verba* (ita vocantur Augustino symbola sacramentorum) agnovit, quatenus à ministro exhibentur, esse plantationem & rigationem, fructiferam tamen, quando suppeditat incrementum Deus, fidem-

*Est 95. p. 337. Defendit se & suum officium.

Canon Missæ.

Schvveb. an Lutheranus.

Modestia culpata in Schvveb. V. epistolam 6. Schvveb.

*Est 43. in epist. Schvvebelianis. Sententia Schvveb. de sacramentis. De peccato originali. De justificatione.

fidemque in Christum, quæ per dilectionem operatur, Spiritus sanctus docet. Vitam autem omnem ita instituit, ut doctrinæ responderet, qua sanè ratione plurimum utilitatis & emolumenti Ecclesiis Ducatus Bipontini, benedicente Domino, attulit. A puero tanto pietatis amore flagravit, ut non tantum, quemadmodum initio dictum, ordini, qui Spiritui sancto consecratus, nomen dederit, verum etiam universam patrimonii sui, (quod adeò exile non fuit) substantiam eidem ordini destinarit. Particulam tamen ejus, postquam Bipontum concessit, curante Ludovico Palatino Principe, & permittente Marchione Badensi, recepit. In cursu autem veræ pietatis strenuè perrexit, nec se iniquitate hominum aut aliis quibuscunque impedimentis, ab optimis consiliis depelli est passus.

Pietas Schvvebelii.

Scripta.

De scriptis post obitum ejus publici juris facta sunt hæc:

Pars prima operum Theologicorum, de præcipuis sacræ Scripturæ locis.

Centuria epistolarum Theologicarum ad Schvvebelium, à Melanchthone, Bucero, Captione, Hedione, conventu Theologico Argentinensi, Pellicano, Zasio IC. Erasmo, Gerbelio, & aliis, gravissimis de argumentis scriptarum, ab anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, ad annum usque *quadragesimum*, quo ex hac vita Schvvebelius discessit. Plura ejus M. S. ut supra attigimus, apud heredes aliosve adservantur.

Ex epistolis Schvvebelii, & vita ipsius iisdem præfixa.

NICOLAUS AMSDORFIUS.

Clar. an. 1541.

IN *Misniâ* primam hujus cœli lucem adspexit nobili familia *Nicolaus ab Amsdorf* natus anno Christi *millesimo, quadringentesimo, octogesimo tertio*, die *tertio* Decembris, propè *Wurcenam*. Ad gentilitiam autem nobilitatem, proposito honestissimo adjunxit à puero, literarum decus, sine quibus naturæ bona inchoata aut manca sunt, aut nulli fructuosa.

Natalis Amsdorfii.

Anno *secundo, seculi decimi quinti* à nativitate Christi, in Saxonia ad Albim Wittenbergæ auspiciis *Friderici* 3. Electoris aperta est schola publica. Hanc recens plantatam & feliciter tunc efflorescentem accessit *Amsdorfius*, & quod pauci ex nobilitate hodiè quidem facere solent, animum ad sanctæ Theologiæ cognitionem, & divinarum rerum contemplationem adjecit. Incidit ætas ejus in ipsam Evangelii παλιγγενεσίαν, Lutheri potissimum ac Melanchthonis operâ sub extremam mundi senectam, quæ Dei est benignitas, Germaniæ, imò universo orbi Christiano indultam. Ibi anno *millesimo quingentesimo quarto*, quartum promotionis actum, titulo *magistri* accepto, illustravit, ac paucis annis post *Licentiatus Theologiæ* est renunciatus.

Wittembergam venit. Theologiæ se dedit.

Renunciatur magister. Et Licent. Theol.

Maturè autem veritatis lucem ipse vidit, præsertim cum Lutherus prima adversus nundinationes illas indulgentiarum themata evulgasset. Nec cum carne & sanguine diu contulit: sed statim palàm ad alios fidei confessionem constanter edidit. Itaque cum anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo primo*, Lutherus ad causam dicendam coram Cæsare & Imperio evocatus *Wormatiam* esset; *Amsdorfius* eò cum *Hieronymo Schurfio* Jcto & *Justo Jona* Theologo ipsum comitatus est. Postea eodem anno Luthero in Pathmum, uti vocabat, suam abdito cum Wittembergæ *Augustiniani* omnium primi missas intermisissent ac *Fridericus* Elector, rei novitate motus, metueret, ne quid turbarum majorum res daret: Academiæ super eo facto sententiam exquirit. Delecti igitur eam ad rem quatuor ab Academia viri *Justus Jonas, Melanchthon, Amsdorfius & Joannes Dulcius* vel *Dolz*. Hi unanimi consensu quanta in missatico sacrificio sit cœnæ profanatio demonstrant, & ut non solum in uno templo, sed in omnibus aliis eam aboleat, rogant. Anno deinde *vicesimo tertio* supra *millesimum quingentesimum*, cum vir quidam pius ad electorem Saxoniæ libellum misisset, in quo docebat *tres* esse *Capitales errores, quibus in papatu Christiani fuerint seducti, de libero arbitrio, quod revera sit servum, de meritis operum, quæ sint potius fidei, de traditionibus hominum, cum in verbo Dei sit acquiescendum: Amsdorfius* præfationem libello illi præfixit, qua demonstrat è scripturis, *Papam esse Antichristum*.

Veritatem Evangelii agnoscit & fatetur.

Comitatur Lutherum Wormatiam, ann. 1521.

Defendit abrogationem missæ. Sleid. l. 3. com. consil. Theol. Melanch. t. 1. pag. 1. Tres capitales errores in Papatu.

Demonstrat Papam esse Antichristi Amsdorff.

Anno *vicesimo quarto Magdeburgenses* sincerioris doctrinæ cupidi, Lutherum *Wittemberga* evocant. Qui habitis quibusdam ibi concionibus, & paucos dies moratus, cum consilium suum de emendatione religionis consuli *Nicolao Sturmio*, & delectis civium exposuisset, *Amsdorfium* se ipsis missurum ostendit, cui non secus ac sibi ipsi omnibus in rebus confidere possent. *Amsdorfius* ergo, de sententiâ Lutheri *Magdeburgum* profectus, ecclesias ibi, collega fido D. *Eberardo Widensejo*, doctrinæ suæ voce & consiliis salutaribus, totos *octodecim* annos rexit. Ibi etiam dum agit, *Goslariam* per Senatum illius reipubl. evocatus ordinem ibi rituum & doctrinæ in omnibus templis ad formam ecclesiæ Wittembergensis, & Magdepurgensis instituit, inspectione ecclesiarum *Ioanni Amando* commendatâ, literario autem ludo *Michaele Volmetio* præfecto. Anno *trigesimo primo*, dissidia docentium coram senatu ibidem cognovit, ac duobus dimissis alios suffecit. Anno deinde *quadragesimo primo*, mortuo *Philippo*, comite Palatino, Episcopo Naumburgensi, à collegio quidem in ejus locum surrogatus est *Julius Pflugius*, ab electore autem Saxoniæ, qui non licere hoc collegio, nisi suo accedente consensu, contendit, successor datus est hic *Amsdorfius*. Itaque die *vicesimo* Januarii anni *quadragesimi secundi*, præsente *J. Friderico* electore, & J. *Ernesto* fratribus duci-

Magdeburgum evocatur, loco Luth.

Eberhardus Widenjejus collega Amsd. Constituit ecclesiam Goslariensem Amsdorff. Ioan. Amand. Michael Volmetius. Componit turbas eccles. Episcopus Naumburgensis designatur.

Ducibus Saxoniæ, in ipso oppido *Naoburgi* ad *Salam*, vir hic nobilis & cælebs Episcopus ordinatus est à *Luthero*, simul manum imponentibus *Nicolao Medlero*, Pastore Naoburgensi, *Georgio Spalatino* Aldenburgensi, & *Wolffgango Steinio* Leucopetræo. Electionis hujus & ordinationis defensionem, & causas cur *Julius Pflugius* à collegio electus, contra ab ecclesia & ordinib. ac patronis ecclesiæ rejectus sit, libro publicè edito postea Lutherus reddidit*. Actio autem ista electoris, inprimis Caroli V. animum, jam ante alienatum, exacerbavit. Itaq; cum in comitiis Spiræ postea *Julius* de injuriâ illâ Saxoniæ Ducis quereretur: Cæsar eum ad exigui temporis patientiam hortatus: *Tua causa*, inquit, *erit mea causa.*

Ordinatur à Luthero.

** Vide vitam Lutheri.*

Deponitur episcopatu

Sexto itaque anno pòst, à Carolo victore *Pflugius* restitutus est, *Amsdorfius* autem *Magdeburgum* profugit, quod proximè secutis annis commune fuit asylum multorum, qui Cæsaris indignationem, quacunque de causa, incurrissent. Anno *quadragesimo octavo*, evulgato libro Augustano, cum res per fines Mauritii electoris Saxonici ad mutationem spectare viderentur, *Amsdorfius* inter alios *Wittembergensibus* ac *Lipsensibus* sese opposuit; in tristi illa de *Adiaphoris* controversia, quæ totum *decennium* duravit. Cumque anno *quinquagesimo* mense Octobri *Magdeburgum* obsidione cincta esset, *Amsdorfius* nihilominus ibi substitit, motoque insuper bello Theologico anno *quinquagesimo primo*, *de bonorum operum necessitate ad salutem*: quam propositionem *Gregorius Major* * defendendam susceperat, *Amsdorfius* ad contrariam delapsus partem, scripsit: *Bona opera sunt ad salutem noxia & perniciosa.* Ita in contentionibus sæpe calor ingeniorum ab uno extremo in alterum incurrit.

Oppugnat Wittenb. & Lipsens.

Inde movet aliud bellum.

** In vita ejus.*

Bona opera sunt pernitiosa

Inter varias istiusmodi Theologorum digladiationes ad senectam pervenit summam, ut qui, si modò rectè calculum subduximus, annum *octogesimum* attigerit. Edidit quædam *de sacra Cœna* ad quæ *Bucerus* respondit: *Judicium epistolâ quadam tulit de Erasmo*, quæ inserta operibus Lutheri: *Epitomen Chronicorum Naucleri de Paparum perfidia in Romanos Imperatores*, *strenam sive novi anni votum*, principibus viris oblatum, *subscriptionem censuræ & sententiæ* Saxonicarum Ecclesiarum adversus Georgii Majoris doctrinam, de bonis operibus veluti ad salutem necessariis. *Polemicum* deniq; aliud scriptum contra *Tilemannum Heshusium*, anno *sexagesimo quinto Magdeburgi* excusum. Tantum de *Amsdorfio*, è *Sleidani Commentariis*, *Chytræi Saxonia*, *Buccholceri Chron. & aliis.*

Ætas Amsdorfii.

Scripta ejusdem.

URBANUS REGIUS.

Anno 1541. die 23. Maji

AD lacum Brigantinum, in illa agrorum parte quæ *Comitum à monte* forti imperium agnoscit, *Arga longa* nomen est oppido, *Urbanus Regius*, loco honesto natus est. Majores ejus Regum cognomine insignes fuerunt: sed cum id sublime & jocis aptum,

Arga longa.

Majores Urbani.

ex rege regius factus est, ut ipse dictitare solitus. Urbani nomen infauti hoc casu inditum. Cùm puerpera, mater ejus, mulierculis baptismatis fonti infantulum oblaturis suggessisset, nomen in fastis natali ejus inscriptum imponerent illæ dum abeunt obliviscuntur. Sacerdote postea nomen puerulo imponendum, exquirente, cùm illæ hæsitarent, & ipse Urbani diem haud procul abesse subjiceret, arreptum hoc fuit infantique inditum.

Pueritiæ annos apud parentes exegit, in pietatis & honestatis studio educatus. Ut primum autem literarum capax animus se ostendit: *Lindavium* in ludum literarium ablegatus est, celebrem tunc & magistrorum doctrinâ, & discipulorum frequentia. Hic tenellus animus præceptorum excultus industria est ita, ut instar arbusculæ fructuum cum temporis incremento percipiendorum spem jucundam de se præberet. Ubi ex ephebis excessit, *Friburgum* Brisgoiæ venit & viros in omni doctrinæ genere præstantes publicè diligenterque audivit.

Mittitur Lindavium.

Inde Friburgum.

In Zasii Jurisconsulti etiam familiam receptus, disciplina ejus domestica summum ei ad virtutem calcar addidit, adeoque currentem, quod ajunt, incitavit. In hujus præterea bibliothecam ita se abdidit, ut & libros suis studiis commodos accuratè evolveret, & margines præsertim scriptorum studiosè observaret, in quibus à Zasio multis ante annis annotata erant multa, quæ ipse ad lychnuchum noctu in suos usus descripsit. Itaque cum insomniâ crebrâ Zasius ex curis diurnis laboraret, & interdum surgeret, ut obambulatiuncula & noctis horas falleret, & somnum conciliaret, lucubrantem invenit in describendis illis scholiis, Urbanum, cujus auriculam Zasius blandiusculè vellicans, *arte & scientia sua se ab ipso defraudari jocatus est*: aut si quando somno ad candelam oppressum & inclinato in mensam capite dormitantem offendisset, juris volumen grande unum atque alterum humeris impositum reliquit, donec excitaretur. Amavit eum Zasius ut filium, cum propter naturæ morumque bonitatem, tum quod in flores propediem se induturum felicis ingenii illud germen prævideret, quam spem de se non fefellit Urbanus.

Vivit cum Zasio.

Friburgo, cum & judicium informasset, & eruditionis egregiam supellectilem comparasset, *Basileam* discessit, ut ex artium & linguarum audiendis Professoribus accessionem ad politam doctrinam faceret. Erat autem tunc inter alias Germaniæ Academias celebris ea, quæ *Ingolstadii* à *Joanne Eccio* gubernabatur, viro, quod ad Philosophiam attinet, aliorum etiam judicio, eruditissimo. Ad hunc audiendum cum in urbem illam undiquaque confluerent juventus: Urbanus quoque fama viri excitus *Ingolstadium* relictâ B. sicâ abiit. Ibi cum in maxima adolescentium frequentiâ præter publicas lectiones etiam privatæ haberentur scholæ, Urbanus quoque domi aliorum exemplo docuit, & quidem frequens auditorium: cujus rei monumenta in schedis

Friburgo Basileam abit.

Joannes Eccius Theologus Pontificius

Ingolstadium venit Urbanus.

Docet privatim ibi.

ejus reperta sunt permulta. Inter alios autem nobiles quidam adolescentes à parentib. ipsius fidei & disciplinæ commendati fuerunt, ea lege, ut præter morum studiorumq; gubernationem, quæcunq; ad librariam, ad vestimenta & alia requirerentur, suâ fide pro ipsis interposita, à bibliopolis, cauponibus, atq; opificibus emeret, se perscripta sumtuum ratione creditoribus satisfacturos. Hic Urbanus mediocriter omnia, illi contra modum in vestitu & victu ubiq; excedere. Urbanus videns nec admonitionibus locum dari, nec spem frugis supereſſe, ad parentes omnia παῤῥησίαν perscribit, pecuniam mittant, filiosq; domum revocent, rogat. Parentes bono animo esse jubent, sed vana spe credulum nimis lactant. Crescente interea debito, cùm solutionem creditores importunè urgerent, discessus ipse consilium parat. Advenerant iisdem diebus Ingolstadium quidam militum duces, copias adversus Turcam Ungariæ tum imminentem, conscripturi. Quo cognito, Urbanus supellectilem suam librariam & vestiariam quanto libet precio divendendam civibus credit, ipse in forum armatus prodit, & sacramento cum aliis obligatur. Fortè autem fortuna Eccius cum collegis in publicum prodit, copias spectatum, ubi cum Urbanus quoque militari habitu appareret, ille primùm defixis in eum oculis hæret, pòst cominus accedens, nomine compellat causaq; tantæ mutationis cognitâ, benè sperare jubet, sacramento liberat, nobiles ad dissolvenda nomina cum principis sui inclementiæ interminatione, hortatur compellitque, atq; ita Urbanum in gratiam cum Musis reducit. Postea cùm seipsum exercendo indies in literarum studio longius progrederetur, famaq; ingenii & doctrinæ floreret: *Maximilianus* Imperator Ingolstadio transiens, poetam ipsum & oratorem lauru, sua manu impositâ, designavit. Post Cæsaris discessum, cum & Principi *Ernesto* Bavaro & * *Leonhardo Eccio*, viro nobili, aliisque eximiis doctoribus gratus esset, adscitus est in numerum Academiæ Ingolstadinæ professorum, docuitq; publico stipendio poëticen & oratoriam annis aliquot. Inde sub annum *millesimum, quingentesimum, decimum sextum*, principis sui nomine *Erasmum Roterodamum* Ingolstadum prolixè invitavit, sed in hoc quidem repulsam, de se autem ab *Erasmo* hoc elogium * tulit, quo *virum eum prædicat candidum, prudentem, facundum, eruditum, in summa, omnibus omnium Gratiarum ac Musarum dotibus præditum.*

Ad Theologiam ubi deinde animum adjecit Urbanus, omnia sacris literis posthabuit, totumque mysteriis divinis scrutandis sese dedidit, præsagiens quasi operam suam ecclesiæ necessariam utilemq; futuram. Quanquam autem inter ipsum & Eccium Theologum Pontificium, magni tunc nominis, amicitia & familiaritas intercedebat summa, adeoque Urbanum obstrictum sibi beneficiis Eccius haberet, tamen orta inter Eccium & Lutherum de religione controversia, cum offendere Urbanus Eccium, tanquam præceptorem nollet, eo relicto, Augustam abiit. Quò simul ac venit, Magistratus civiumque precibus adductus, ecclesiæ gubernandæ curam suscepit: cumque videret impios & idololatricos cultus à Pontificiis stabiliri: ad Lutheri accessit partes, ac saniorem doctrinam per universam Sueviam propagavit. Docuit autem sacra non solùm publicè pro suggestu, sed & domi literis mandavit. Veritatem enim ubi vidit, palàm eandem adseruit: atque confessus est. Zvvinglius equidem sub annum Christi *vicesimum sextum* ita * epistola quadam ad ipsum: *in eucharistiæ re gratulor vobis, te nostrum esse factum. Verum gratiam meretur novitas, brevi enim spero omnes, qui adhuc obstrepunt, tropum, qui nullo negocio videri vobis debebat, visuros esse, ac sententiæ nostræ simplicitatem ac claritatem. Una est spiritualis manducatio, quo Filio Dei pro nobis delitato fidimus, non duæ, quarum altera nescio quod verborum figmentum prodimus, carnaliter, corporaliter, spiritualiter.* Contulit eodem anno cum Zvvinglio Urbanus super quæstione de peccato originali, ad quam epistolâ benè longâ respondit Zvvinglius, quæ * exstat: In calce illius epistolæ ita Urbanum hortatur: *Nos in hoc oro simus, ut pietatem Christianam & anxiè & purè deprædicemus, non simus ante tempus anxii, quomodo Missa aboleatur, aut imagines exautorentur, sed in hoc sudemus, ut pectora mundo dedita, creatori suo restituantur, jam cecidit Missa, statuæ sua, puto, sponte aufugient, frustra enim exterminabimus tam hæc, quam alia, nisi publica pietas reget.* Itaque visus est cum Zvvinglio & aliis facere adeò ut Lutherus alicubi * scripserit: *dolet mihi valde nobilissimum virum Oecolampadium tam ludicris & nihili cogitationibus in hoc barathrum prolapsum, pulsat eum Satanas: Dominus eripiat eum. Urbanus Regius in idem malum vel inclinat, vel jam cecidit: Dominus servet suos.* Imò calamum in Lutherum stricturum Luthero relatum fuit, ut in * epistola ad Spalatinum: *Præterea*, inquit, *Urbanus Regius minari dicitur in me scripta, scilicet Oecolampadium & Zvvinglium tantos viros (ut sentit) non vult offendere, sic mutatus est ab illo.*

Augustæ autem dum egit, etiam Anabaptistarum secta suppullulavit. Magistratu itaque animadvertente in eos, qui contra leges civiles, clandestina celebrarent conventicula, & sacra peragerent, compacta fuit in carcerem fœmina quædam, non infimæ sortis, hæreseos illius adsecla. Hæc cum Urbano causam suam probaturam se, facultate colloquendi concessa, jactaret, à carcere in Senatum frequentem, cui & Urbanus aderat, sicut erat vincta, producitur. Ibi illa variis sacrarum literarum allatis locis, sed perperam applicatis & explicatis, errores suos stabilire conata est, contra Urbanus ita perspicuè, ita dextrè genuinum eorum sensum demonstravit, ut vel cæco in proclivi fuerit, videre veritatem. Verum ipsa tantùm abest, ut monitis

locum

Fit ephorus nobilium.

Haud feliciter.

Dat nomen militiæ.

Ab ea avocatur.

Creatur Poëta & Orator à Maximiliano I.

* *De quo in vitis ICtorum Professor Ingolstad. designatur.*

Eò invitat Erasmum.

* *Erasm. l. 2. epistol.*

Elogium Urbani.

Dat operam Theologiæ.

Amicus Eccio.

Abit Augustam.

Ibidem docet.

* *Est ed. lib. 1. epist. pag. 82.*

Conf. cum Zvvinglio de peccato originali

* *Lib. 1. epistolar. pag. 251.*

Cum quo videtur facere.

* *Tom. 2. epist. p. 326 ann. 1527. Oecolamp.*

* *Tom. 2. epist. p. 330*

Anabaptista Augustæ.

Colloquium Urbani cum fœmina Anabaptistica.

locum dederit, ut pervicaciter etiam Urbanum hisce fuerit adorta: *Egregia enimverò, Urbane frater, hæc disputandi ratio est inter me & te. Tu in molli culcitra ad latera Consulum adsidens, quasi ex Apollinis tripode proloqueris: ego misera humi prostrata, ex duris vinculis causam dicere cogor.* Ad hæc Urbanus: *Nec verò*, inquit, *injuria, soror, ut quæ semel è servitute diaboli per Christum in libertatem adserta, tua sponte iterum cervicem turpi jugo submisisti, & istis te ornamentis vesanus ostentat genius, aliis in exemplum.* Senatus itaque, cùm laterem se lavare videret, contagium illud exilio mulctavit, urbeque expulit.

Augusta pellitur.

Ipsum autem etiam Urbanum Pontificiorum crudelitas aliquoties urbe exegit, cùm & purgatorium penu ipsorum locupletiss. destrueret, & indulgentiarum merces elevaret.

Eò redit.

Vallam itaque Athesinam exul perreptavit, in salinis & Oeniponte oberravit, donec frequentibus civium precibus Augustam ad docendi munus fuit revocatus, ubi ei elocata est in matrimonium *Anna*, civis Augustana, è *Weisbruckerorum* familia, tredecim postea liberorum mater.

Ducit uxorem.

Augustæ ergo dum vixit Urbanus, certamen ei tum cum aliis, tum cum Eccio fuit, qui ipse Augustam excurrit, & coràm Urbanum variis adductis rationibus attentavit: sed re infecta domum reversus per literas cum eo egit, quibus intrepidè Urbanus respondit. Sed tanti sunt, ut exemplum earum subjiciamus memoriæ causa. Sic igitur Eccius:

Disputat cum Eccio.

Mentem saniorem.

Epistola Eccii ad Vrbanum.

Significarunt mihi amici, te librum contra me sarcinasse, & verius non contra me, sed contra sacerrimum Missæ sacrificium multa blasphema evomuisse. Quod etsi condoluerim aliquando errori tuo, pro antiqua nostra amicitia, qua olim fuimus conjunctissimi, & omnia bona tibi precabar & optabam, & cum multorum etiam indignatione persæpè profectus tuos, & incrementa apud omnes promovebam: attamen quia malitia immutavit intellectum tuum, ut nulla mihi sit spes reliqua salutis tuæ, nulla resipiscentiæ tuæ, sed hæreticus homo, juxta Pauli jussum, mihi vitandus es, quia ad mortem peccasti, non est pro te orandum. Perge igitur, quia ita malignitati tuæ visum est, & Missæ sacra & præceptorem impugnare, experieris olim Præceptoris tui acrimoniam in veritate asserenda, urbi & orbi notum fiat, qua iniquitate & virulentia Reseph vos ter perjuros hæreticos exagitet, atq; victrix veritas speciosos tandem agat triumphos.

Unum præmoneo, exemplar corruptius exiit prælum, unde multa in eo desidero, quæ suspicor vel à sciolo, vel à malevolo immutata, nec exemplar scriptum ad manum habeo, ideo noli te misere contentioni verborum, quod facere assolctis. Paterer te tradi in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret, quod Baldasari olim meo precatus sum, sed timeo & corpus & animam ejus unà interiisse æternis cruciatibus. Ingolstadii XXI. Martii. An. M. D. XXVII.

Joannes Eccius tam benè ad fidem tuendam animatus, quàm tu impugnandum

Urbano Regio.

Epistola Urbani Regii ad Eccium.

Fidem per charitatem operantem.

Non erat opus, ut me amici tui anteverterent hac parte nimium officiosi, ut qui te ante tempus exasperent, in negotio tibi narrando forsitan minus fidi. Nonne cum tibi colloquerer Augustæ, hæc abs te impetravi, ut citra virulentiam te responsurum objectis meis promitteres, si qua haberem contra tuum de Missa libellum? Jam quasi ex insidiis te adoriar, antequam, quid à me scriptum sit, videris, bellum indicis, cum nulla maledicendi libidine, sed te hortante scripserim, idq; modestissimè, cum libellum tribus aut ad summum quatuor amiculis legendum exhibuerim, eo interim consilio, ut quicquid id est, quod confeceram, in spongiam incumberet. Præsagiebat enim jam ante mens, qua fronte esses libellum innocentem excepturus, nempe fastu Moabitico plena & convitiis acerbissimis. Quod si me ad scribendum animus malè adfectus, & omnia sinistrè interpretandi impulisset, ante annum prodiissem, quando contumeliarum in me tuarum vulnus à recenti plaga etiamnum hiaret: jam multa dies dolorem penitus ademit. Cæterùm & gratias tibi ago nunc, & Domino pro hoc fido amore ago semper, quo tanti hæretici vicem aliquando doluisti. Nam & hodie quoties Eccii mentio incidit, ingenuè fateor, neminem in orbe universo esse, qui mihi ob eruditionem & ingenium fuerit unquam charior & venerabilior. Quantum enim faveris studiis meis, quàm deniq; tu mihi fueris in delitiis, testatur Gymnasium Friburgense, ubi quondam impatientissimo amore erga Eccium Præceptorem, patres ac moderatores tam præclaræ Academiæ aculeato carmine in me sic concitavi, ut excommunicatus multis diebus propter Eccium, etiam meo judicio, Diaboli mancipium fuerim. Mox Ingolstadium veni solo tui amore illectus, ibi cum satis amara mihi cum tristi pauperie aliquandiu pugna esset, tu apud virum literis & genere eximiè nobilem, & erga me beneficentissimum Leonhard. Eccium, ab Wolffs Ecc, tantum effeciſti, ut oratoriæ publicitus docendæ præfectus, aliquo etiam numero haberer, ut beneficiorum haudquaquam immemor, pro te sim Dominum semper oraturus; quamvis tu de mea resipiscentia haud secus, atq; Arii cujusdam planè desperaveris. Nam malitia, te judice, immutavit intellectum meum. Audacter nimium Ecci, sed hominis judicium audio, & Christi tribunal expecto. Vtavis me ut hæreticum, at vide, ne & scripturas vites, quibus nitor, quod inopis consilium si spreveris, non ages tam tutò, quàm tibi polliceris, multis ad hoc perniciosissimè blandientibus. Ad mortem peccasse Urbanum, certò definis, neque pro me

porrò orandum existimas. O infelicem Urbanum, si Eccii calculo cœlum datur & negatur! Qui hæreticum vitandum esse docuit, idem erudire obsistentes jubet, si quando det illis DEUS pœntentiam ad agnoscendam veritatem, ut resipiscant è Diaboli laqueo. Ad mortem verò peccat qui Christum negat, in eaq; impietate perdurat: rejicit autem Christum, qui neq; suorum peccatorum pœnitentia tangitur, neq; misericordia Dei per Christum promissa & exhibita gaudet. Talem me esse, etsi peccator sim, non convicisti. Christo enim nitor, utcunq; misera ovicula, hoc autem quisquis fidit, confundi non potest, nè à portis quidem inferorum. Homo videt faciem, at Deus juxta hominis intuitum non judicat. Si convitium dixissem in Spiritum sanctum, rectè judicares, me æterno judicio obnoxium: cum autem veritatem agnitam non impugnarim unquam pertinaciter, non erat tam temerè spes omnis de convertendo Urbano abjicienda. Porrò simul ac me velut totius Ecclesiæ suffragiis honestatum hæreticum proclamasti, impietati scilicet meæ calcar addis. Perge (inquis) quia ita malignitati tuæ visum est. Obsecro, Præceptor, quæ tanta est vel in stoico ἀπάθεια, quam hac tua acerbitate non commoveas? Sacra Missæ non impugno, sed missæ abusus, & ostendo quæ mihi contra hæc sacra pugnare videantur. Quæ, si minus pugnant, tuum erat monere, præsertim cum id coram promiseris, & antequam libellum vidisti, Urbanum pronuncias hæreticum. Ubi hic animus Præceptore dignus? Ego nulla livoris fella in te evomo, sed candidè commonstro, quid me impediat, ne statim Eccii de Missa sententiam amplectar, meliora amplexurus, si docebor: Et tu protinus judicè agis incognita causa. Minaris autem me experturum Præceptoris acrimoniam in adserenda veritate. Nondum, in veritate docenda de Missæ officio, Præceptorem præstitisti, quem admodum policebare, & jam minaris acrimoniam, quasi Christianus metuat acrimoniam maledictorum, dum veritatem quærit: nullis acrimoniæ tuæ, quanta fuerit, tonitruis à vero deterrebor. At vera si docueris absq; acrimonia, cupidissimè tua omnia suscipiam. Tandem urbi & orbi notum fore scribis, qua iniquitate & virulentia Reseph noster perjuros hæreticos exagitet. Talibus enim titulis nos exornas.

Reseph.

Quam urbem, Ecci, intelligis? Si Romam, quæ gloria fuerit me proscindi in ea urbe, cujus quondam fides in toto mundo prædicabatur, jam nihil minus. Si Augustam, hæc jam pridem & Eccium novit & Urbanum. Quam festivum autem, quod nobis Reseph tam facis familiarem? Tu si à Reseph nihil unquam passus es, age primos in nos lapides projicito. Nam subolet nonnihil, quid velis. Urit enim te matrimonium nostrum, quod & tibi multò foret honestius, quam hoc, quod excusabile tibi suadet idem ille Reseph, qui Evam putatur versutiâ suâ decepisse. Quæ si viribus integris non restitit male suadenti, sed à simplicitate primævæ rectitudinis corrumpi sensus passa est, quantò id facilius tibi contigerit, tanto jam concupiscentiæ malo, non minus quam alii sunt, obnoxio? Perjuros nos scribis quidem, at probare nunquam potes. Et nos jam pridem propter nomen Christi malè audire didicimus, gaudentes interim, quod hæc non patimur propter scelera, sed honorabiles nuptias, nobis liberas decreto Spiritus sancti, prohibitas tantum à spiritibus impostoribus. In calce prænones, ne malè correcti exemplaris mendas insecter, & verborũ contentioni studeam, addisq; nos hoc solere facere: adeò non potes non honorificè de te sentire ubiq;, de nobis pessime. At ego non institui contendere cum Eccio, uter elegantius scribat, sed uter magis piè: de rebus, non verbis mihi certamen est, in hoc uno labor omnis mihi impenditur. Bad tassarem coram vehementissimè cohortabar, ne sic, ut cœpit, pergeret, verum ille monitorem contemsit, at suum judicium portabit. Ego nihil tale vel molitus sum hactenus, vel moliar unquam, nisi Christus, quod absit, me deseruerit, sed meliora spero. Tu verò penitus me despicis, non sic à me despectus, mihiq; tantopere despecto & deplorato minaris pugnam. Sed Dominus inter me & te judicet. Dum recta "
doceo, nullius, quamlibet invicti & glorioſi "
disputatoris, minas & acrimoniam timeo, ne- "
minem item provocabo, ac provocatus, quæ "
vera sunt inexpugnabili constantia tuebor "
usq; ad mortem. Dominum precor, ne nos sinat "
rapi affectibus carnis. Nam si iis laxare habenas
vetus homo permitteretur, nescio quo tandem prorumperet. At satis convitiorum tumore, tum libellis tuis omnibus in Urbanum ejaculatus es, parcius post hac obsecro. Theologo enim indecorum est, acrimonias minitari, hoc est planstra conviciorum. Equidem blasphemias omninò "
nullas contra veram Missam, ut tu præjudi- "
cas, evomui, at si erro, emenda. Nam nullis "
mundi præsidiis cinctus, scribo de religione Christiana, quod tu de te prædicare non audes. Si vera loquor, cohibe impetum judicii tui præcipitis. Scio enim me non carnali sapientia, dolo aut impostura, annos jam aliquot Augustanæ Ecclesiæ prædicasse Evangelium. Tu secus omnia interpretaris. Precor autem te per Christum, ne judices ante tempus, donec venerit Dominus, qui & illustraturus est occulta tenebrarum, & patefaciet consilia cordium, & tunc laus erit unicuiq; à Deo. Augusta 24. Mart. Anno 1528.

Urbanus Rhegius tam benè animatus ad tuendam veritatem, sine hujus sæculi præsidiis, ac tu in magnificentia & potentia mundi.

Joanni Eccio Theologo.

Conjugiũ Vrbano objectum.

Neque sic tamen Eccianum odium sopiri potuit, quin clam multoties subornati *Faber* & *Cochlæus*, homines vafri & astuti, qui dolis & insidiis peterent Regium, suisque ipsum blanditiis in perniciem pellicerent. Verum ipse ita Eccianos conatus elusit, ut illi à proposito desistere, cum animum ejus frustra se labefactare intelligerent, necesse habuerint.

Faber & Cochlæus ab Eccio submissi.

Cum ergo omnia arderent in Germaniâ contentionibus, dies dicta est comitiis Augustæ habendis anno *millesimo, quingentesimo, trigesimo:* quibus inter alios Imperii principes inter-

Comitia Augustana 1530.

Quibus interest Ernestus.

interfuit & *Ernestus* Dux Brunsuicensis, Princeps pius & prudens. Hic exoravit ibi Urbanum, ut operam suam ecclesiæ Lunæburgensi polliceretur. Itaque eo conventu soluto Urbanum præmisit, ipse paulò pòst cum reliquo comitatu subsecutus. Isto in itinere Lutherum Goburgi invisit Urbanus, cumq; eo familiariter de rebus gravissimis contulit, id quod ipse epistolâ ad amicum quendam Augustanum hisce testatur: *Cum Saxoniam peterem* (inquit) *Coburgi integrum diem solus cum Luthero, viro Dei, transegeram, quo die nullus mihi in vita fuit jucundior. Talis enim ac tantus est Theologus Lutherus, ut nulla secula habuerint similem. Hoc magis execror stultitiam & arrogantiam Carolostadianorum, qui sibi placent, quasi Luthero queant conferri, cujus umbram non assequuntur, cum omni eruditione quam jactant. Semper mihi magnus fuit Lutherus, at jam mihi maximus est. Vidi enim præsens & audivi, quæ nullo calamo tradi possunt absentibus.* Hæc Urbanus, unde apparet ita rem habere, sicut Lutherus ad *Wenceslaum Linckum* scribit: **Urbanum Regium quoq; respuisse, credo te nosse, & contra hostes Sacramentarios strenue nobiscum certare.*

Abducit Vrbanum in Saxoniam.

Invisit Lutherum Vrban.

Iudicium ejus de Luthero.

* Tomo 2. epistolar. pag. 381. Luther. de Vrbano.

Cæterum Princeps *Ernestus* fecit Urbanum plurimi, eumque ut patrem veneratus est. Itaque cum ex ipso Augusta reverso in nobilium consessu quæreretur: *Ecquid novæ ac pretiosæ mercis, aliorum principum exemplo, secum apportasset?* respondit, *allatum esse à se thesaurum toti ducatui incomparabilem, quem omnibus anteponat deliciis.* Cumque Augusta urbs anno *trigesimo quinto* Urbanum repeteret, dixit: *perinde ut oculos, ita & Urbanum se amittere nolle.* Surrogatus est ergo in ejus locum *Joannes Forsterus* civis Augustanus, qui Diaconum aliquandiu Wittenbergæ egerat. Constituit autem Urbanum princeps idque amplo salario inspectorem, vel si mavis Episcopum Ecclesiarum totius ducatus, & usæ sunt ipsius operâ ecclesiæ & respubl complures.

Qui suo Principi charus.

Episcopus declaratur.

Nam ut primum in Saxoniam venit, petente Senatu Lunæburgico, & permittente principe suo, Lunæburgum venit: ubi cum præposito ad S. Joannem viro docto, *Joanne Colero*, de missa per literas disputavit, ut & cum *Augustino Gotelen*, Pontificio Plebano. Elapso biennio *Cellam* rediit, expetitus etiam ad tempus ab *Hamburgensibus*, *Hannoveram* etiam evocatus vicinas *Hildesiæ* & aliarum urbium ecclesias ac scholas constituit, & *Mundam* usque pertractus est. Sub idem tempus cum *Monasterium* obsideretur, librum ad Osnabrugenses, Lutheri commendatione ornatum, emisit: in quo præcipuos Anabaptistarum articulos sacrarum literarum testimoniis accuratè refutavit. Deinde cum *Schmalcaldia* conventus Theologorum esset institutus, interfuit ei & Regius, uti postea quoque ad conventum *Haganoensem* cum suo principe venit: Lutherique articulis subscripsit. Acta alibi videantur.

Disputat cum Pontificiis.

Scribit contrà Anabaptistas.

Interest conventibus Theologicis.

In itinere morbo corripitur.

In itinere cum Haganoâ *Cellam* rediret, fluxus in tibiam dextram delapsus subsedit, unde enata pustula cum hiatu, quem medici consulti apertum reliquendum censuerunt. Sed is paucis ante obitum diebus se sponte occlusit, quod plerumq; præsagium mortis putant, ut & ipse Urbanus agnovit, & expertus est. Die enim Dominica, qua ecclesia in memoriam Salvatoris ad confirmationem fidei sacra Eucharistia utebatur, cum & ipse sacramenti istius particeps esset factus, sub vesperam obstructiones in cerebro ac dolores, frontem digito, ut solebat, fricans se sentire significavit, lætus tamen & nihil cæteroquin immutatus. Postridie cum nondum illuxisset, dormiente uxore, de lecto surrecturus repentino morbo in pavimentum prosternitur, adeò graviter, ut lapsu illa excitaretur. Exterrita misera subito adcurrit, conaturq; in lectũ sublevare, sed cum sola id non posset, amicis & vicinis subvenientibus id factum. Hic ipse tristes & casum miserantes, bono esse animo jubet, Deoq; totum se commendari. Atque ita inter ἐυφημίας & suspiria tertia hora post, quam morbus invaserat, animam Salvatori suo reddidit, *Cellæ* Saxonum anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo primo*, die *vicesimo tertio*, vel ut alii, *quinto* Maji. Triduo pòst sepultus est ibidem honorificè in æde Parochiali, & ab Hanoveranis suo in oppido, iter unius diei Cellâ distanti, epitaphio honoratus.

Moritur Vrbanus.

Nactus est genus mortis, quale sæpè in votis hubuit, citum & placidum, cum semper deprecaretur diuturnos languores & longas morborum periodos. Theologus fuit ob doctrinam ac pietatem bonis & piis charus, inprimis suo principi Ernesto, qui, uti diximus, in deliciis eum habuit, & ecclesiarum totius ducatus curam ei uni planè concredidit.

Ejus virtutes.

Monumenta ejus ingenii, quæ posteritati elaboravit, filius *Ernestus* collegit, inque certos tomos tributa Norinbergæ in lucem edidit. Exstat inter alia liber ejus, in quo annotatæ sunt *horridiores formæ loquendi*, & monstrantur *propriæ ac concinnæ*, utiles pietati ac concordiæ. Has admonitiones scribi princeps Ernestus Lunæburgicus voluit: qua in re sapientiam & pietatem ejus agnoscimus. Ut enim ex dentibus draconis, in Cadmæa historia nata est soboles armatorum inter se dimicantium, sic ex impropriis sermone dissidia opinionum in docentibus & in populo nascuntur. Post obitum ejus prodiit & aliud scriptum opera *Joannis Frederi* Pomerani, cui titulus; *loci Theologici ex Patribus & Scholasticis neotericisq; collecti* per D. Urbanum Regium. *Ernestus Regius in vitâ Patris: Chytræus in Saxoniâ, Cruſius in Annalibus, Sleidanus, consilia Theolog. Melanchth. alii.*

Scriptæ.

Novæ loquendi formæ novæ dogmata & dissidia.

ANDREAS BODENSTEIN CAROLOSTADIUS.

© 1541. die 25. Decembr.

ANdream Bodensteinium, à patria *Carolostadium* agnominatum, protulit Francia orientalis, honestis natum parentibus *Carolostadii*, oppido à *Carolo Calvo*, paulò pòst annum Christi *octingentesimum, septuagesimum quintum* condito. *Melanchthon* ab ele-

Carlstadt oppidum.

mentis

Alphabeti nomine notatus, orto dissidio inter Luth. & ipsum.

mentis initialibus nominis & cognominis, notare eum solitus fuit nomine *alphabeti*. Ut ad Camerarium * epistola. *Hic nihil est novi. Quæ de alphabeto scribis, nonnihil commoverunt. Vereor enim ne vir ille privatam contumeliam, quam putat ulturus, novo scandalo causam evangelicam oneret.* Et alibi: * *Tuas literas longiores ΦΙ Ρ α β, accepi*, & ita sæpius.

* Epist. pag. 2. An. 1522.

* Pag. 6. epist. ad Camer. It. p. 16. 17.

In patriæ quali quali ludo, ut tunc erant tempora, prima literarum fundamenta jecisse, postea augendæ eruditionis causa varias in regiones scholasque publicas abiisse, nominatim autem *Romæ* Theologiæ, qualis tum tradebatur, operam dedisse dicitur.

Roma dat operam Theologiæ.

Ex Italia in Germaniam redux, sedem atq; domicilium *Wittenbergæ* fixit, ubi sub initium Academiæ gradum in Theologia supremum adeptus, inque Professorum primorum ordinem cooptatus fuit, cum ibidem in templo arcis canonicus & archidiaconus antea esset. Sub hujus itaque decanatu *Martinus Lutherus*, Pontificiæ idolomaniæ oppugnandæ ΘΕΟΜΑΧΟΣ, Theologiæ Doctor, solenni Academiarum more renunciatus est, anno Christi *millesimo quingentesimo duodecimo*, ipso die S. Lucæ in fastis adscripto.

Professor Wittenbergæ constitutus.

Ibid. Canonicus & archidiaconus.

Renunciat Doctorem Theologiæ Lutherum.

Adstipulatur Luthero.

Postea cum Lutherus indulgentiarum nundinationes, & Tecelii Dominicani impudentissimas ampullas impugnare, ac sacris scripturarum testimoniis expugnare cepisset: Carolostadius inter primos fuit Wittenbergæ, qui Lutheri doctrinæ adstipularetur, eamq; scriptis nonnullis tueri non dubitaret. Sub id tempus Pontificias partes propugnare aggressus est & * *Joannes Eccius*, qui obeliscis sententias Lutheri notavit. Ex illis Carolostadius aliquot in conclusionibus suis, quæ extant, refutavit: refutationi contrà Eccius apologiâ miti respondit. Disputatio itaq; Lipsiam componendæ controversiæ, assentiente *Georgio Saxoniæ*, duce, indicitur, anno *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, mense Junio. Conscribit Eccius *tredecim* positiones: Lutherus contrà totidem, Carolostadius *septendecim*. Cepta est disputatio die *vicesimo octavo* Jun. & res quidem Eccio cum Carolostadio fuit de libero arbitrio: *an omne bonum opus proficiscatur à divinâ gratiâ, an verò nonnihil etiam de suo conferat humani arbitrii actio?* Priorem sententiam Carolostadius, posteriorem Eccius fuit amplexus. Tum illud jactatum, *sitne omnis Christianorum vita pœnitentia? unde fluit, hominem in omni opere suo peccare?* Adseruit Carolostadius, contra nisus est Eccius.

* *Hic quis qualisve fuerit, vide tomo 1. epistol. Lutheri pag. 51.*

Refutat Eccii obeliscos.

Disputatio Lipsica, quam cum audisset processuram Tecelius, dixit: das wald der Teuffel *tom. 1. ep. Luth. p. 162 d. an. 1519.*

Ad eam venit Carolstadius.

De lib. arbitr.

Exitus hujus disputationis & fructus fuit, *non veritatis inquisitio* (ut Lutherus * ad Georgium Spalatinum) *sed temporis perditio, ut plures inde*, quemadmodum fieri solet, *enatæ sint disceptationes*. Eadem in disputatione & hoc accidit. Solebat Carolostadius, in memoriæ subsidium, & ut ostenderet, se rectè adducere testimonia, libris & schedâ uti: id vitio ei ab Eccio versum, & exemplum Italorum, qui memoriter omnia in disputando proponerent, objectum. Voluit præterea Eccius, nihil ut à notariis exciperetur: neve excepta per eos, ederentur. Sed neutrum potuit obtinere. Edita sunt statim istius disputationis Acta, de quorum fide variè disceptatum, & contentiones ex contentionibus ortæ. Rediit Lipsiâ Carolostadius Wittembergam cum Luthero & Melanchthone, qui comitatus eos erat, & rediit propositionibus suis, testimonio * Lutheri, salvis atque inconcussis, ac cum Eccio ultro citroque scriptis conflictatus est. Eodem enim statim anno edidit *trecentas & septuaginta conclusiones Apologeticas, & defensionem adversus monomachiam D. Joannis Eccii, cum epitome de impii justificatione.*

Exitus & fructus illius disp.

* *Vide Tom. 1. operum Luth. Itali ut disputent.*

Acta ejus disputationis.

Redit Wittembergam Carolostadius.

* *Tom. 1. operum: & tom. 1. epistol. Lutheri pag. 181.*

Scribit contra Eccium. An. 1520.

Postea anno *vicesimo* theses alias Wittembergæ adversus Papatum proposuit, de quibus ita Lutherus †: *Carlstadius & ipse jacta alea, in Pontificem Romanum cornua sumit.* Theses hæ sunt, cum titulo:

Theses Carolstadii contra Papatum.

† *Tom. 1. epist. pag. 284. b.*

Conclusiones decem Christianissimæ per Andream Bodenstein de Carolstat, Theologiæ & U. J. Doct. Wittembergæ disputatæ.

CONCLUSIO I.

Meldense concilium perperam erravit.

II.

Idem concilium excommunicationem ipso facto incurrit, quod in causis spiritualibus canonum statuta velit observari.

III.

Alexander quartus, & omnes post eum Pontifices Romani, anathemate se per suas decretales percusserunt, ab anno 1296. usq; ad annum 1520. nunc præsentem.

IV.

Sequitur ergo, quod Leo decimus excommunicare non potest. Quia juxta suas constitutiones, excommunicatus non potest excommunicare.

V.

Verba latæ sunt sententiæ: Anathema sit, qui præter id, quod Dominus, prædicaverit aliud, *Gal. 1.*

VI.

De causis spiritualibus, velut arbiter & judex admitti non debes.

VII.

Ergo ipso jure excommunicatus est: qui spiritualia negotia humanis traditionibus metitur.

VIII.

Etiamsi legem Dei resipiant.

IX.

Tollendæ igitur sunt Pontificis decretales.

X.

Si Romanus Pontifex dejurat, se divinam legem, & Pontificum decreta custoditurum; difficile à perjurio defendi potest.

Anno *vicesimo primo*, Luthero in Pathmo delitescente, privata Wittenbergæ missa abrogata est, aliiq; ritus Carolostadii operâ aut consilio mutati. *Ejecit* enim *è templis imagines, sustulit auricularem confessionem, discriminaciborum, invocationem sanctorum, symbola sacra Cœnæ laicis in manus dedit: in foro non ex jure humano, sed ex Lege Mosis pronunciandum esse contendit, librum de conjugio sacerdotum & de votis monasticis rescindendis edidit: vastavit* † *etiam scholas, literarum cultum abjecit, & ad labores manuum cunctos hor-*

An. 1521. Mutat ritus quosdam ibid. Sleidan. l. 3. com. Chytr. l. 10 Saxon.

† *Buchol. in Chron. Dress in millenario sexto.*

Primus ministrorum quis uxorem duxerit.

hortatus est. Eodem anno primus ministrorum *Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius*, præpositus Kembergensis propè Wittembergam frater *Joannis Velcurionis*, cujus Physici commentarii exstant, duxit uxorem factique

* Vide Tom. 2. operum Luther. Carlstad. etiam duxit uxorem An. 1522. d. 19. Jan.

*rationem primò Archiepiscopo-Magdeburgico, deinde Electori Saxonico publicis literis reddidit. Hunc secuti sunt *Justus Jonas*, præpositus Wittembergæ, *Joannes Bugenhagius* & *Carolostadius*: cui quidam facetus epithalamii loco scripsit novæ Missæ nuptialis formulam. De nuptiis istis Lutherus * ita ad Amsdorfium: *Carlstadii nuptiæ mirè placent, novi puellam, confortet eum Dominus in bonum exemplum inhibendæ & minuendæ Papisticæ libidinis, Amen. Munusculum meum ipse feram suo tempore post Pascha.*

* Tom. 2. epistol. pag. 45. b. sub Ann. 1522. Oct. Epiphan. Lutheri judicium de iis nuptiis.

Mutationibus autem offensus Wittembergam, inconsulto Electore, anno *vicesimo secundo*, reversus est, & se absente gesta concionibus aliquot habitis pleraq; improbavit, quasi non ordine legitimo facta. Carolostadius itaque, cujus auctoritas absente Luthero fuerat præcipua, aculeatis illis concionibus offensus, actiones suas publico scripto defendere conatus est. Atque hoc fuit exordium dissensionis, quod in bellum sacramentarium postea erupit. Visus fuit uterque quod non novum rarumve, cupidior gloriolæ, id quod & scripta ostendunt. *In maximis* enim *animis splendidisq; ingeniis existunt honoris, potentiæ & gloriæ cupiditates*: & verè Græcorum philologus: μεγαλαυχίας ἐπακολούθημα τῆς μεγαλοφυΐας. Non dubitavit certè ipse Lutherus ita scribere *: *Ille*, (*Carolstadius*) *cupiebat fieri subitò novus magister, & suas ordinationes in populo, presså authoritate mea, erigere.* Contra & Carolostadium superbiæ accusat passim.

Offendit Luther. Et contrà Lutherus ipsum: V. epist. Tom. 2. Luther. pag. 56. Initium belli Sacramentarii. Plutarch. in Catone.

* Tom. 2. epist. p. 56. Tom. 2. epist. pag. 271. 234.

Cum ergo εἰκονομαχία Carolostadii Luthero non probaretur, & contrà nonnullis Lutheri ipse offenderetur: Wittembergam, anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo quarto* reliquit: haud obscurè præ se ferens, sibi cum Wittembergensibus intercedere simultatem, quam depositurus tamen sit, si scrupuli sibi eximerentur, in colloquio aliquo cum Luthero & aliis. Recepit autem se *Orlamundam* Thuringiæ oppidum, ad munus pastoris ejus Ecclesiæ legitimè vocatus. Eo in loco, iterum statuarum abolitione turbas dedisse judicatus est. Revocatus Wittembergam, ad pristinum in scholâ & ecclesiâ munus obeundum, stitit se, & redditurum promisit, modò Orlamundani assentirentur. Sed cùm interim res in pejus ad Salam ruerent; Lutherus, jussu electoris primum *Jenam*, deinde *Orlamundam* venit. Ac Jenæ quidem, die *vicesimo secundo* Augusti, concionem habuit, cui & Carolostadius interfuit. In eâ in fanaticum *Münceri* spiritum invectus, ejusdem spiritus dixit esse εἰκονομάχους & Sacramentarios. Hic cùm se pungi Carolostadius existimaret, convenit Lutherum in diversorio, ad Ursum atrum: Ubi, in non gravissimo colloquio, Lutherus Carolostadium, scriptis se

Wittemb. discedit. An. 1524.

Orlamundam venit.

Revocatur Wittembergam Lutheri concio Jenæ habita.

Colloquium Lutheri cum Carolostadio.

Pacisciturcum eo de pugna Sacramentaria.

cum illo congressurum dictitantem, aureo Rhenano nummo adversarium sibi, in controversiâ de sacra Cœnâ conduxit. Sic ex parvo principio dissidium in ecclesiâ ortum est maximum, sicut una scintilla, ut Lyricus ait, sæpe totam sylvam comburit. Cæterum suum illud τοῦτο ita collegit Carolostadius, quia panis discipulis priùs sit à Christo datus, ab ipsis acceptus & comestus, postea autem dixerit: *Hoc est corpus meum.* Itaque per *Hoc* non panem; sed δεικτικῶς corpus Christi ibi accumbentis, demonstrari. Sed Lutherus rectè * *panem per* τοῦτο denotari & intelligendum esse contendit, modò hîc substitisset. Sed nos in narratione progrediamur.

Vide tom. 2 epist. Luth. pag. 235. & pag. 203. & Tom. 2. oper. Luth. pag. 462. Unde Carolestad. τοῦτο, & quomodo probavit.

* Tom. 2. epist. Luth. pag. 199. Venit Orlamundum Luth.

Postea igitur *vicesimo quarto* Augusti, *Orlamundam* Lutherus venit ubi ne salutare quidem *Carolostadium* pastorem voluit, sed cum auditoribus ejus de idolorum abrogatione disceptavit. Paulò pòst Thuringiæ finibus, electoris Saxoniæ jussu, Luthero * instigante, excedere jubetur Carolostadius, loco movetur & *Martinus Reinhardus* minister ecclesiæ Jenensis, qui Acta Jenensia & Orlamundensia ediderat: in exilium pellitur quoque *Egranus*. Scripsit Orlamundanis Carolostadius literas, quæ publicè ad populum, signo campanæ convocatum, lectæ sunt non sine lacrymis, subscriptio * earum fuit: *Andreas Bodenstein* unverhöret und unüberwunden durch Martin Luthern vertrieben. h. e. *Andreas Bodensteinius, non auditus, non convictus, à Martino Luthero ejectus.*

* Libr. contra cœlestes Prophetas. Expellitur Thuringiâ Carolostadius. Liter. Carolostadii ad Orlamundanos

* Tom. 2. epist. Lutheri pag. 236. & 237

Thuringiâ relictâ Carolostadius petiit *Argentoratum*, ubi allocurus est *Othonem Braunfelsium*, medicum, inde *Basileam*, ubi *libellos* quosdam *de Cœnâ Domini*, à se conscriptos, solis Anabaptistis ejus loci conciis, typis exscribendos curavit, qua de causa * duo Typographi in carcerem, jussu Magistratus, fuerunt conjecti. Summa ejus doctrinæ de Cœna Domini fuit: *Corpus Christi non esse in Cœna aut comedi corporaliter, sed celebrari ibi corporis pro nobis traditi, & sanguinis pro nobis fusi, memoriam. Tropum igitur inesse verbis institutionis, & τοῦτο non panem, sed corpus Christi denotare, ut sensus sit: accipite, edite panem hunc in mei memoriam. Hic enim sedet corpus meum, quod pro vobis traditur. Ad tropum confugiendum esse, ne panem pro nobis crucifixum esse affirmare necesse habeamus.* Adfuit & alia, quæ in libellis ejus leguntur. Quos ne publicè apud suos venderentur, prohibuit Senatus Tigurinus, rei novitate commotus, sed *Zwinglius* etiam pro suggesto hortatus est, ut legerent, & judicium postea ferrent. Dixit præterea, *idem Carolostadio accidisse, quod Tyroni, cui arma quidem ad pugnandum non desint, sed armorum peritia. Carolostadium veritatem quidem agnoscere, sed quia troporum viam cognitam non habeat, verba non recto ordine collocare.*

Inter. Rotenburgi consident Carolost.

Interea, dum passim per superiorem Germaniam vagatur Carolostadius seditio rusticorum oritur: cujus tuba Muncerus. Ipse tandem *Rotenburgi*, ad *Tubarim*, consedit & cum

Inde Basileam. Vbi libellos excudendos curat.

* Erasmus lib. 29. epist. pag. 604. Lutherus tom. 2. epist. p. 26. Summa doctrinæ Carolostadii.

Zwinglii de Carolostadio judicium.

Seditio rusticorum anno vicesimo quinto.

& cum, oppressâ illâ seditione, passim ad supplicia multi etiam ministri raperentur: Carolostadius in sportâ de muro Rotenburgensi demissus, & elapsus est. In summis itaque constitutus angustiis, libellum conscribit, quo solicitè se purgat, ac seditionis crimen à se amovet. Lutherum etiam orat literis, ut libellum illum edendum curet, suamq; innocentiam defendat. Lutherus, etsi sciebat dissidere à se vehementer Carolostadium, memor tamen quid officii sit hominis Christiani, rogat magistratum, & in universum omnes, quandoquidem & crimen intentatum à se removeat & notionem non recuset, & legitimo judicio parere velit, ut hoc ipsi concedatur. Hoc enim plenum esse æquitatis & officii. Submittit deinde Carolostadius & alterum libellum, quo profitetur, quæ de cœnâ Domini scripserit, *non definiendi, sed disputandi, & veritatis eruendæ causa scripsisse.* Accipit excusationem Lutherus, monet tamen alios; cùm Carolostadius ipsemet testetur, se dubitare, nec certum quid definiat, ut ab ejus opinione sibi caveant, aut si fortè & ipsi dubitent, eousq; differant: donec, quid certò sequantur, appareat. Nam *de iis, quæ nobis credenda sunt, minimè* esse *dubitandum aut vacillandum, verùm adeò certam cognitionem esse comparandam, ut potiùs, quàm à sententia discedamus, millies mori non recusemus.*

Inde fugit.

Purgat se de seditione.

Excusat eundem Lutherus.

Quo fine scripserit Carolostadius.

Fides debet esse certa.

Illud autem Carolostadii factum ab aliis aliter tunc fuit acceptum. Aut enim serio scripsisse, aut simulatè judicarunt. Si seriò, improbandam ejus in defendendâ prius thesi vehementiam, sin simulatè, levitatem ingenii culpandam. Quicquid fuerit, impetravit Lutheri ope ab Electore Saxoniæ, ut fide publicâ in Saxoniam redire sibi liceret, imò antequam elector assensisset, apud Lutherum in monasterio, nemine nisi Wolffgango, Lutheri famulo, conscio, Carolostadium latuisse *, sunt qui affirmare non dubitent.

Factum Carolostadii reprehensum.

Reditum in Saxoniam impetrat.

* *Erasm. Alberus contra Carolostad.*

Vixit deinde ruri aliquantisper privatus Chembergi, & alibi. Ita enim Lutherus *: *Heri Carolostadio filium baptisavimus, vel Baptisma potiùs rebaptisavimus. Compatres sunt Jonas, Philippas, Ketha mea: Ego hospes cum aliis fui. Segrenæ hæc facta sunt trans Albim: ubi Carolostadius est habitans.* Et * alibi: *Carolstadius apud nos degit in vicinio Wittenbergæ, & rusticatur in Berquitz, milliario ab urbe nostra. Hoc impetravi ego vix magnis & assiduis precibus à principe contra totam aulam: DEUS convertat eum tandem perfectè.* Sed cùm hæreret ibi invitus, nec gratus hospes, *Tigurum* commigravit *, sub annum trigesimum. Docebat ibi tunc *Zvvinglius*: qui cùm Carolostadium violentam illam verborum Cœnæ interpretationem abjecisse sensit; susceptus ab eo atque ecclesiæ factus est diaconus, qua re multi existimarunt Lutherum non parum fuisse exacerbatum. Post Zvvinglii obitum *Basileam* profectus est, ubi annis decem & in templo Petrino & in scholâ sacras literas docuit. Vivendi finem ibidem fecit, anno *mill-simo, quingentesimo, quadragesimo primo*, die nativitati Christi sacro. Elatus est postridie funere honorifico, comitantibus multis, præsertim ex Academiâ.

Vixit ruri. An. 1526.

* *Tom. 2. epist. p. 312.*

* *Tom. 2. epist. p. 317. An. 1527. Tigurum venit.*

* *V. Tom. 2. Lutheri p. 353. b. Melancht. ad Camerar. epist. pag. 78.*

Fit ibi Diaconus Basileam commigrat. An. 1531. Ibi docet. Et moritur.

De hoc viro varia scimus esse variorum judicia. Fieri potuit, ut aliqua principio, quemadmodum aliàs ab aliis factum, non rectè caverit, nec providerit, aut aggressus sit. Fraudi certè esse ipsi non debet erronea illa verborum sacræ cœnæ glossa: quam auctor ipse melius edoctus, rejecit. Gaudeat eâdem veniâ, qua non nemo alius, qui primò transubstantiationem & unam speciem docuit, rectius edoctus errorem mutavit. Qualis vir visus sit *Oecolampadio*, ex dialogo ipsius patet, Lutherus etiam ipse, ante ipsam ξυμβασιν, quanti Carolostadium fecerit, vel ex hac videre est epistolæ cujusdam parte, anno *decimo nono* seculi decimi quinti ad illum scriptæ, quam adscribere visum.

Oecolampadii de Carolost. judicium. Lutheri item: Is tom. 1. pag. 48. Carlstad. homo studii incomparabilis. Epistola Luth. ad Carolostad. pars.

* *Exstat tom. 1. epistolar. pag. 158.*

Eruditissimo viro * & præstantissimo D. Andreæ Bodenstein Carolostadio, syncerioris Theologiæ assertori facilè primario, Archi-Diacono Wittebergensi, Præceptori ac majori suo in Christo

JESU.

Salutem. Edidit Eccius noster, inclyte vir, schedulam, in qua magnificis ampullis verborum crepat (id autem homini moris est) se adversus te disputaturum Lipsiæ, & ego id nomine tuo cum ipso tractaram Augustæ, si quæ ratione contentio vestra, coram & amica familiariq; congressione componeretur, quod nec tu pro tua dignitate detrectasti. Sed ecce homo, pulchrè memor, & sibi constans postquam te fœdè infamarat, tandem promittit in te, sed vertit in me impetum ranarumne an muscarum suarum nescio. Speraveram ego tractatum futurum de seriis tuis, & de gratia DEI, humana miseria, omninoq; de ea re, quæ inter vos vertitur. At meus Eccius in meas interim nugas debacchatur, aut more istorum dierum larvis jocatur potius, stultas quæstiones de indulgentiis, penè ex orco tandem revocat, tua velut parerga, & summo (quod ajunt) digito vix attingens. Forte Spiritus sanctus prævidens hoc hominis ludibrium & nugacitatem, dedit in cor egregiorum Dominorum Doctorum Lipsensis studii, ut recusarent verbis hoc negotium apud se gerendum. Sed & ego nolo te, optime Andrea, in frivolam & larvatam hanc disputationem descendere, tùm quod mea & me petit, lauta hæc, & καλλιπαγεω, & λευκωλενω personâ, tùm quod ingenium tuum & disputatio tua digniora sint, quam ut in has Sophistæ & meas nugas, indulgentias inquam, seu rectius & vere negligentias humilentur. Hactenus * Lutherus.

* *Lutherum etiam Carolstad. & Petro Lupino dedicavit Comm. in Gal. tom. 5. epist. p. 132.*

De obitu quoq; ejus cum varia in vulgus sparsa sint: *Petri Boquini* juvat narrationem adjicere, qui eo tempore, quo Carolostadius obiit Basileæ, studiorum gratia vixit. Sic ergò ille *: *Carolostadii in præsentia patrocinium suscipere nolo, sed bellam illam de viro grandi, qui ipsi concionanti apparuit, fabellam intactam præterire non possum. Eum primum me audire memini, cum controversia ista moveri cepit*

Fama de obitu Carolostadii. De eo Boquini narratio.

* *In lib. de causis diuturnit. controversiæ de Cœnâ.*

cepit in hac * *scholâ & Ecclesiâ. Cunaeus quidam, quem Heshusius, cum cogitaret de imperioso suo Archiepiscopatu hic constituendo, & organum ad id, quod instituebat, idoneum, ob ingenii similitudinem, delegerat, & ex Martis tyrocinio ad ministerium Christi traduxerat istam narratiunculam pro suggestu, quo utebatur, ut quadam impudentiæ arce, occinebat Ecclesiæ ad multitudinem perterrefaciendam & absterrendam à nostra sententia, quæ sensim radices agebat atque serpebat. Fabulam hanc eo* „ nomine indignius audiebam, atque ferebam, „ quod in memoriam veniebat, me Basileæ sub „ finem anni millesimi quingentesimi quadra- „ gesimi primi egisse, docentibus in schola „ Miconio, Carolostadio, & Seb. Münstero, „ quos audiebam. Sæviebat acriter pestis per „ Germaniam passim & Basileæ quoque. At- „ que inter alios multos diem suum extremum „ Carolostadius, in die nativitatis Christi sacro „ clausit, ac postridie elatum honorificè fuit „ cadaver, comitantibus multis, præsertim ex „ Academia, inter quos etiam ipse eram. De „ grandi homine aut atro cane (quem addeba- „ bat Cu[illegible]rus illi illustrandæ narrationis gra- „ tia) ne[illegible]erbulum quidem audiebatur. Quare „ apparet hæc postea concinnata fuisse, astu Sa- „ thanæ, per vanos homines, ad veritatem o- „ dio gravandam. Sunt enim similima illis, „ quæ de Luthero quoque à malè feriatis „ hominibus, in Evangelicæ doctrinæ odium, „ ficta sparsaque esse audivimus. Sed hæc talia nec nova nec de ipso primum excogitata à malevolis facilè statuet, qui recordabitur, quid de *Georgio Podibracio*, rege Boëmiæ, de *Luthero* ipso, de *Beza*, & aliis malevolorum commenta fuerit temeritas.

* Heidelberg.

Scripta Carolostadii.

Evulgavit opuscula complura, præsertim vernaculè, de quorum elencho hæc nominamus: *de utraque specie cœnæ & quid symbola sacra operentur & significent; & non esse Boëmes aut hæreticos, sed Evangelicos Christianos, qui sacramentum integrum accipiunt* libellum: *de iis qui Sacra cœna utuntur; de symbolis & promissione illis addita*, commentatiuncula, de *abusu panis & calicis Domini minimè Christiano* tractatus, quo etiam impugnat dogma illud, quo jubentur homines remissionem peccatorum in sacramento quærere, de *aqua benedicta & sale*, de *efficacia indulgentiarum*, de *discrimine librorum* seu *canonicorum & non Biblicorum* seu *Apocryphorum* ad Wolffgangum Sturcium civem & præfectum rei metallicæ in valle Joachimica anno vigesimo, de *Pontifice Romano*, in quo probat Pontificem Romanum errare posse & multipliciter errare ac peccare; quique id nec credat, eum pseudochristianum esse, ad Nidhartum à Thungen equitem auratum, anno vicesimo: *sermo de statu animæ Christiani, Abrahæ sinu, & purgatorio*: de *cœlibatu, monachatu & viduitate*, de *varietate simplicis unicæ voluntatis DEI: quid sit peccatum*: Item *utrum lentè procedendum & offendiculo infirmiorum parcendum in causis ad DEI gloriam pertinentibus.*

Extat etiam explicatio ex cap. X. prioris ad Corinth. verborum illorum: *Panis quem frangimus, an non est communio corporis Christi*: ubi responsio Carolostadii ad Lutheri scriptum, & quomodo revocet Carolostadius. Joann. Sturmius etiam* meminit: quòd Carolostadius adversus *Simonem Grynæum* controversiam moverit, circa annum trigesimum octavum, postulans ab ipso, ut, si Theologiam publicè docere vellet, Theologum se Doctorem creari pateretur. Ista controversia ut componeretur; missi sunt Basileam à Senatu Argentoratensi *Capito*, *Bucerus*, & *Sturmius* ipse. Lutherus insuper * mentionem facit & *currus* Carolostadii: *mitto*, inquit ad Joannem Langum, Theologiæ Magistrum, scribens, *currum Carlstadinum, qui Moriam fingit Theologorum, & in quem mirabile grassantur Lipsiæ, alius in suggestu publicitus dilacerat manibus, alius adolescentulos in confessione explorat, num riserint de curru, aut Martini opuscula tenuerint: confessos malè multant.* Sed quid scripti id fuerit, necdum videre nobis contigit. Et hæc satis de Carolostadio, cui quamvis non per omnia subscribamus, penitiùs tamen inspicientibus appareret, pleraque non frustra monuisse. Carnem enim & sanguinem Christi hoc modo signis assignare, quomodo & olim à quibusdam fuit doctum, & hodie docetur, non solùm communi sensui & scripturæ repugnat: sed & gloriæ Christi officit. *Ex tomo* 1. *&* 2. *operum Lutheri, epistolis ejusdem, Chytræi Saxonia, Sleidano, Ludovici Lavateri historia Sacramentaria, Sturmii Antipappo, Camerario in vita Melanchthonis, & aliis.*

* *In Antipappo* 4. *pag.* 20. *Controversia de gradibus scholasticis.*

* *Tom.* 1. *epist. pag.* 362 *Currus Carolstadianus.*

WOLFGANGUS FABRICIUS CAPITO.

Hagenoæ Alsatiæ oppido primum hujus cœli spiritum hausit *Wolfgangus Fabricius Capito*, sub annum Christi *millesimum quadringentesimum septuagesimum octavum*, patre natus senatorii ordinis viro, matre verò Agnetâ, fœminâ nobili. Primis literarum rudimentis perceptis, *Basileam* petit, ibique ad liberalium artium atque linguarum, ut tunc tradebantur, studium diligentiâ singulari incubuit.

Postea cùm Theologiæ se dedidisset: abjus studio per parentem, qui sanctimoniam profitentium sacrificiorum minimè sanctam vitam detestabatur, avocatus, ad medicinam animum appulit, tantosque in eâ progressus fecit, ut circa annum Christi *millesimum quadringentesimum nonagesimum octavum*, summis ejus scientiæ insignibus fuerit donatus, doctorque solenni Academiarum more declaratus.

Defuncto autem patre, ad Theologiam, pio religiosi animi proposito, sese retulit summum ejusdem ἀξίωμα consecutus anno Christi

Ob. 1543. *die* ... *æt.* 63.

Patria.

Parentes.

Educatio & Studia.

Medicinam ariem discit. Doctor ejus renunciatur.

Item Theologia.

Scholasticam Theol. docet.

millesimo quingentesimo quarto. Deinde *Eriburgæ* in Brisgoia scholasticam Theologiam atque Scoticas subtilitates est professus, sed paulò pòst earum pertæsus, utpote subtilitatis multum, utilitatis parum continentium, sacris initiatus est. Interea neque juris studium felix ingenium posthabuit, Zasii *per quadriennium* auditor. Evangelii verò doctrinam ita est admiratus, ut præcones ejus semper summo honore prosequeretur, suggestumque ipsum, ceu sanctum locum, illorum gratia, tantum non adoraret, adeò naturæ probitate ad religionem colendam ferebatur. Itaque à *Philippo Rosenbergio* Episcopo Spirensi *Bruchsellam*, agri Spirensis oppidulum, vocatus, triennium ibi concionatorem egit. Inde cùm sæpiùs Heidelbergam, ob Episcopi sui negocia, excurrere necesse haberet, *in Joannem Oecolampadium* incidit, quocum statim ejusmodi inivit amicitiam, ut per omnem vitam omnia inter se consilia communicarint, & conjunctissimè semper vixerint. Hebræam etiam linguam ut condisceret, anno *decimo tertio* seculi decimi quinti, *Matthæo*, cuidam *Adriano* è Judaismo converso operam dedit.

Audit & Zasium IC.

Pietas Capiton.

Concionatorem agit.

Init amicitiam cum Oecolampad.

Hebræa discit.

Basilea docet.

Inde *Basileam* à senatu tertio nuncio invitatus, summo ibi templo aliquot annis præfuit, ac docendo disputandoque prima Ecclesiæ Evangelicæ in inclytâ illâ urbe fundamenta posuit, id quod & epistolæ Capitonis & versus auditorio Theologico Basileensi inscripti, testantur. Eadem in Academiâ *Joannes Oecolampadius*, Basileam Evangelii docendi gratia evocatus, ab hoc Capitone Theologiæ Doctor renunciatus est, anno Christi *millesimo quingentesimo decimo sexto.*

Oecolamp. renuntiat doctorem.

Anno deinde *millesimo quingentesimo vicesimo*, Mense Aprili, favore *Ulrici Hutteni*, equitis Franci, ab Archiepiscopo Moguntino *Alberto* Cardinali in aulam vocatus, Principis & concionator & consiliarius, sive intra cancellos consiliariorum primas tenens, *cancellarius* est declaratus. Suscepit eam conditionem libentius ideò, ut *Moguntiæ* quoque Christianissimum plantaret. Sic enim ipse epistola ad Huttenum anni superioris mense Novembri: *Juris pontificii, ut vocant, Doctoratum suscipiam, propter auctoritatem videlicet comparandam, scopum suboleseis, præ ceteris multis sacrosanctum. Licet interim sint aliqui, qui vitio vertunt, Theologum esse, & unà simul civilem, quasi Theologus necesse habeat omnem exuere humanitatem.* Suasu ergo Hutteni amici tertium Doctoris gradum prioribus adjunxit, ob causam indicatam, ut & Christi regnum promovere, & halcyonia Ecclesiæ facere posset. Eodem anno Moguntinâ ad Lutherum, qui magno cum fervore Evangelii negotium urgebat, literas scripsit, quibus ad moderationem eum est cohortatus. Nam *quod altè hæret, non semel evellitur, sensim est & subinde labefactandum, ut tandem sequatur trahentis manum.*

Fit concionator & consiliarius Archiep. Moguntini.

Doctor etiam juris creatur.

Lutherum hortatur.

Anno *vicesimo primo*, cùm, post obitum Tecelii, indulgentiarum mangonis, Halæ Saxonum iterum jussu Moguntini venalia illa diplomata divenderentur, *Lutherus* Archiepiscopum, *Melanchthon* autem *Capitonem*, ejus consiliarium, de omittendâ ejusmodi cauponatione hortatur. Capito itaque, qui Evangelio clam impensè favebat, & Cardinalem suum ad fovendas Lutheri partes pertrahere satagebat, id effecit, ut Moguntinus Luthero amicè & demissè responderit. Ipse autem Lutherum* monuit, ne nominatim Prælatorum vitia notet. Facturum enim id sine exemplo, & necessariò præter verum multa ficturum. *Exasperantur nimirum potiùs animi insectatione, quàm curantur.*

* *Responsio ad Capitonem est tom. 2. Epist. Lutheri, p. 96. seq. Iterum monet eundem. Gratæ chirusque Moguntino Electori. Ordini equestri adscribitur.*

Cùm ergo Capito Electori Moguntino, ob raram prudentiam cum pietate conjunctam, felicem eloquentiam, & placidam naturam, gratus esset, variisque legationibus frequenter adhiberetur, Norinbergæ, anno *millesimo quingentesimo vicesimo tertio*, die septimo Februarii, nobilitatis insignibus, & ipse, & posteri ejus, à Carolo V. Imperatore Augusto, ornati sunt: diplomate authentico, sub Imperii sigillo majore, *Ferdinandi* Fratris, tum Cæsaris in Imperio locum tenentis, nec non sui Principis, Imperii Archicancellarii subscriptionibus munito.

Verùm hæc talia nihil moratus Capito cùm videret, se id quod volebat, adsequi apud Moguntinum non posse, relictâ Moguntiâ, *Martinum Bucerum*, præter Cardinalis opinionem, multumque stupentibus aulicis, *Argentoratum* secutus, templo D. Thomæ præpositus datus est, anno vicesimo tertio. Qua de re ita * Gerbelius ad Schvvebelium: *Hesterna die Capito, præpositus noster, innumerabili conveniente turba, Colossensium epistolam enarrare cepit apud S. Thomam. Interim Papistæ in calceos & caligas &c. Non credis quantum auctoritas Capitonis efficiat. Deus incrementum det: ego benè spero.* Tanta autem statim * *Capitonis* & *Buceri* fama fuit, ut *Jacobus Faber Stapulensis* & *Gerardus Rufus*, clàm è Gallià profecti, Capitonem & Bucerum audierint, atque de omnibus doctrinæ præcipuis locis cum ipsis disseruerint, missi à *Margaretha*, Francisci regis sorore, Navarræ reginâ. Itaque Evangelii initium Gallia tum aliis piis Ecclesiæ Christi ministris, tum Capitoni & Bucero debet. Erat Capito vir prudens & eloquens, omnium literarum cupidissimus, in Hebraicis diligenter & diu versatus: Theologiæ purioris atque pacis studiosissimus. In articulo de sacrâ Domini cœnâ docebat: *mittendas esse contentiones, & cogitandum de usu ipsius cœnæ*, vel, ut auctoris verbis utamur, *fidem nostram pane & vino Domini, per memoriam carnis & sanguinis illius, pascendam.*

Argentoratum concedit. Ibique docet Evangelium.

* *Epist. 22. ad Schvvebelium.*

* *Ioann. Sturmius Antipapp. 4. pag. 8. Capitonis & Buceri fama.*

Capitonis dotes.

De Cœnæ sententia.

Inten-

Crimina ei intentata.

Intentata autem ei sunt Argentorati tunc ab adversariis *tria crimina*, quòd *adscribi se in civitatem Argentinensium voluisset*, quòd *publicè concionatus*, quòd *in oculis totius urbis cum Pontificiis disserere cupiisset*. Ad hæc editâ apologiâ germanicâ sic respondit: civem se factum, & Prælatorum exemplo, & salvo jure Episcopi, quòd omnis anima potestati civili subjecta esse debeat, & æquum sit, ut qui iisdem cum civibus gaudent commodis, onera quoque cum iis portent, & cum sibi insidientur nonnulli è clero, jure se ad Magistratus urbani patrocinium confugisse. Ad concionandum se protractum, tum dissidio civium, quorum alii Matthiæ Cellio, concionatori evangelico, alii Pontificiis doctoribus adhæserant, tum rogatu multorum, siniſtro denique plurimorum de se judicio, quasi Evangelii ipsum suppudeat. Ad disputationem publicam prius non provocasse, quàm Cellius hæreseos, ipse Capito & hæreseos & nequitiæ à pastore quodam pagano fuisset damnatus.

Apologia Capitonis.

Hagenoa docet. Et primus Baptismū ac Cœnam rite administrat.

Argentorato in patriam, anno *vicesimo quinto*, evocatus, fratres in doctrinâ evangelicâ erudit: & Dominicâ Palmarum Cœnam sacram, secundum Christi institutionem, civibus suis distribuit. Idem ipso die, resurrectioni Domini sacro, in maxima hominum, rem insolentem videre cupientium, frequentiâ, infantem * masculum, sine sale, sine oleo, sine aliis ceremoniis Papisticis, tinxit.

** Wendelini Ribelii, cui nomen inditū Josiæ.*

Excurrit ad Helvetios.

Interest Bernensi disputationi.

Et cùm in vicinâ Helvetiâ multi ad Evangelii doctrinam inclinarent, sæpius eos accessit Capito, atque in fide confirmavit. In disputatione quoque *Bernæ* Helvetiorum, anno *vicesimo octavo*, publicè institutâ, idem cum aliis Theologis adfuit, themata orthodoxa contra adversarios defendit, & ut, missâ aliisque superstitionibus profligatis, Evangelium purè doceretur, perfecit.

Ratisbonæ missus.

Reliquum deinde tempus omne sacris habendis concionibus Argentorati, & salubribus Ecclesiæ dandis consiliis consumsit. Id quod vel epistolæ ejus ad *Ioannem Schvvebel.* Bipontinæ Ecclesiæ antistitem, ad *Oecolampadium*, & alios, ultro citroque datæ testantur. Anno autem *quadragesimo primo*, cùm Ratisbonæ comitia, religionis potissimum causâ, indicta essent: ipse inter alios Theologos à Protestantibus eò missus fuit, ac specimen judicii ingeniique egregium dedit. Verùm cùm nihil certi statueretur, domum reversus est: ubi peste correptus, sub finem anni *quadragesimi primi*, ætatis suæ *sexagesimi tertii*, vivendi in terris finem fecit.

Peste extinguitur.

Fuit vir ingenii & judicii præclari, sententiæ in religionis capitibus constantis, literarum & scholarum ita amans, ut qui maximè. Monuit * itaque de reparandis scholis, de titulis etiam scholasticis frequentandis, cùm *opus* sit *discrimine, ut studiosi ab ignavis discernantur*, & *exercitati tyronibus præferantur*, *ac stimulum* præterea *habeant gloriæ honestissimæ.*

** Lib. 4. epist. Oecolamp. Titulis & gradibus Scholarum cur retinendi.*

Erasmo mussitanti, ad exuendam Nicodemi vestem, perpetuo fuit impulsor. Amicis usus est eâ memoriâ doctis plerisque omnibus, maximè Theologis; inter quos facilè primas tulit *Joannes Oecolampadius*, cujus amicitiæ fundamenta quomodo ac quando jacta fuerint, antè indicavimus. Vita hoc integerrimo amico functo, ipse relictam ejus viduam duxit, ex qua liberos aliquot suscepit. Habuit & aliam uxorem *Agnetam*, fœminam literatam.

Monet Erasmum.

Conjugiū Capitonis.

Ad posteritatem transmisit multa ingenii argumenta, per ocium elucubrata, ut sunt:

Scripta ejusdem.

Institutionum Hebraicarum libri duo.

Enarrationes in Habacuc, & *Hoscam*, Prophetas.

Vita Joannis Oecolampadii.

De formando è puero Theologo.

Explicatio doctissima in Hexameron opus DEI.

Exstant ejus & Germanica scripta, de quibus Bibliothecæ & elenchi librorum. Scripsit etiam Commentarios in complures sacros libros, quos in scholâ interpretatus est, qui tamen, quantum scimus, nondum sunt editi.

Pantal. l. 3. Prosopograph. Vita M. S. Capitonis, Decas. 1. annal. D. Sculteti, Epistolæ Oecolampadii, Schvvebelii, Sturmius in Antipappis, alii.

GERHARDUS GELDENHAURIUS.

⊙ 1542. d. 10. Jan.

Sicambri hodie Geldrii.

NOviomagi in *Sicambris*, qui hodie *Geldrii*, ortus, ab adolescentiâ ultimâ literis optimis ita fuit deditus, ut linguarum principum, historiarum, poëtices, & Theologiæ elegantem sibi cognitionem comparârit.

Eruditio Geldenhaurii.

Est à sacris præsuli Vltrajectino.

Charus Erasmo.

A *Philippo* ataque *Vltrajectino* præsule invitatus, à sacris ei fuit, charusque non solùm suo principi; sed & eruditis illo seculo plerisque, de quorum numero *Erasmus*, uti ex * epistolis ultrò citroque datis apparet. In superiorem exinde Germaniam progressus, primus ipse *scholæ Annææ Augustæ*, anno *milles. quingentes. tricesimo primo*, apertæ, fuit præfectus. Origo autem illius scholæ hæc fuit. *Ulricus Langemantelus* Augustanus Patricius, canonicus Mauricianus, stipendium quinque pauperibus studiosis, civium legitimis filiis, jam artium Baccalaureis declaratis, ad scholasticæ Theologiæ doctrinam adipiscendam legarat. Id studium melioribus literis enatis, cum refrixisset, visum est urbis illius Senatui fundationem in melius mutare, & scholam illam ad D. Annam ex eo legato aperire, quæ ab eo in hodiernum usque diem floret.

** Lib. 3. & 12. epist.*

Augusta schola Annæa præsidet.

Origo ejus ludi Vlricus Langemantel.

Marpurgum postea accitus primum historias, deinde S. Theologiam ab anno *trigesimo*

Docet Marpurgi Geldenhaurius.

quarto ad *quadrageſimum ſecundum* uſque docuit. Eo enim ad vitam meliorem evocatus eſt die decimo Januarii, ac ibidem honorificè in templo ſummo tumulatus, cum Epitaphio ejuſmodi:

Vbi moritur.

Epitaphium Geldenhaurii.

Hic Noviomagi requieſcunt membra Gerhardi,
Juxta hunc Andreas conditur Hyperius.
Vt pia doctrinæ concordia junxerat ambos,
Sic idem amborum contegit oſſa locus.
Quos ſociat tumulus, ſociabunt cælica regna,
Vt capiant fidei præmia juſta ſuæ.

Succeſſor Hyperius.

Succeſſit ei, qui hic nominatur, *Andreas Hyperius* Flander, & ad annum uſque *ſexageſimum quartum* provinciam hanc ſubiit, mortuusque juxta ipſum humatus, ut ſuo loco dicemus. In Geldenhaurium hoc exſtat *Petri Nigidii* epigramma:

Epigramma in Geldenhaurium

Calluit hiſtorias noſter Neomagus, & idem
Inſtar Varronis vir polyhiſtor erat.
Sedulus has docuit facundo præditus ore,
Plebejis gratus principibuſque viris.
Poſt verò ſerâ jam ſuccedente ſenectâ,
Explicuit ſacros voce valente libros.
Frugalis vitæ fuit hic, ſenioque verendus,
Geldria quem nobis Martia terra dedit.
Hic Trajectini deſertâ præſulis aula,
Otia Muſarum maluit alma ſequi.
Tandem pertæſus longævæ tempora vitæ,
Optatæ cœpit mortis inire viam.

Joannes Weſſelus, de quo in vitis Philoſophorum.

Scribit hic de ſe iſta, legiſſe ſe *Joannis Weſſeli Friſii*, cujus Magnum tum erat nomen, quique triginta annis ante Euchariſticum inter Lutherum & Zvvinglium certamen diem ſuum obierat, legiſſe, inquam, ejus libros, è quorum lectione Chriſtus rimas ſibi quaſdam aperuiſſet, lucemque veritatis aliquam infudiſſet. Sed ſepoſuiſſe librum, magnificos illos titulos conſiderantem: *Magiſter noſter* Weſſelus, *tot linguarum peritus, omnium facultatum Doctor & Profeſſor, orator, poëta, & quid non? imò lux mundi* (ita enim vulgò ſalutabatur) *hoc dixit, hoc docuit, hoc ſcripſit*: ne præjudicio aliquo humanæ auctoritatis abriperetur, & ante omnia Novi Teſtamenti libros diligenter volviſſe, locaque omnia notaſſe, quibus vel verbulo corporis & ſanguinis Chriſti mentio fieret. Idem etiam teſtatur ſe anno *milleſimo quingenteſimo viceſimo*, die decimo calend. Martii Daventriæ in D. Levini templo audiiſſe ex *Joanne Oſtendorpio* jam canescente, verba hæc, quæ ad ipſum Oſtendorpium aliquando *Johannes Weſſelus* ſenex dixerit, *ſtudioſe adoleſcens, ad illum vives diem, quo doctrina recentiorum & contentioſorum iſtorum Theologorum, Thomæ & Bonaventuræ, & aliorum ejuſdem farinæ, ab omnibus verè Chriſtianis Theologis explodetur.*

Weſſelus prædicit mutationem religionis.

Scripta Geldenhaurii.

Scripſit *hiſtoriam Batavicam cum appendice* de vetuſtiſſima nobilitate, regibus, ac geſtis Germanorum. *Germaniæ inferioris hiſtorias*, & loca aliquot declarata, qui libellus cum Pirckheimeri Germaniâ eſt excuſus.

Encomium Noviomagi, patriæ ſuæ:

Hiſtorias & catalogum Epiſcoporum Ultrajectinorum cum variis aliis Germanicarum rerum hiſtoriis.

Epiſtolas de hæreticis, de re Evangelica, de hæreticorum pœnis. Chytræus in Saxonia, Cruſius in annalibus Sueviæ: Bibliothecæ.

LEO JUDÆ

Θ 1542. *d.* 19. Junii *æt. an.* 60.

HUjus viri natales paulò altius accerſemus, ob maculam ipſi à non nemine novitiorum Monachorum, per calumniam adſperſam, quibus pro cibo eſt, aliis maledicere. Avum itaque paternum *Leonis Judæ* civem fuiſſe *Rappolsvillanum* in Alſatiâ accepimus, virum, ob incomparabilem, eo loci & temporis, Chirurgiæ ſcientiam ac praxin, exiſtimationis præclaræ; ſub annum Chriſti, *milleſimum quadringenteſimum & ſeptuageſimum.* Huic filii fuerunt duo, *Joannes & Matthæus Judæ:* quorum utrumque à teneris & bonis literis & moribus imbuendum curavit. Poſtea Baſileam ambo miſſi, ingenii ſui ἀγχίνοιαν morumque probitatem doctoribus ejus ſcholæ ita probarunt, ut primâ & ſecundâ Philoſophiæ laureâ fuerint ornati:

Avus paternus.

Paulo pòſt grandior natu *Joannes* ſacerdos Gemerenſis in Alſatiâ deſignatus eſt, altero juniore (cum *Rodolpho* comiti à *Werdenberg*, Teutonici ordinis magiſtro, fuiſſet commendatus) in Inſulam Rhodum profecto, & ibidem pro nomine Chriſti pulcram per vulnera mortem merito, circa annum *milleſimum quadringenteſimum, octogeſimum octavum, menſe octobri.*

Joannes Judæ pater.

Ille igitur *Joannes Judæ*, plebanus Gemerenſis, concubinam ſibi de more illorum temporum, cum uxores legitimas habere ſacerdotibus non liceret, adſcivit, honeſto loco natam *Eliſabetham Hochſingerinam Salodorenſem, quam unicam conjugali fide domi ſuæ aluit. Ex hac ſuſcepit, ſub annum Chriſti milleſimum quadringenteſimum octogeſimum ſecundum*, filium hunc *Leonem Judæ*. Quem in ſchola *Sleſtadiana*, prima literarum rudimenta doctum, *Baſileam* deinde ſub annum *quingenteſimum ſecundum*, augendæ eruditionis cauſa, miſit. Ibi condiſcipulum ſtudiorumque ſocium *Ulricum Zvvinglium* Helvetium nactus, celebrem Theologiæ Doctorem *Thomam Wittenbachium Bielenſem*, aſſiduè audivit: & ab eodem doctrinæ Evangelicæ de perfectâ Chriſti ſatisfactione atque ἀντιλυτρώσει ſemina prima percepit. Ea etiam induſtria in diſciplinarum liberalium ſtudiis verſatus eſt, ut anno *quingenteſimo duodecimo*, artium & Philoſophiæ Magiſter ſolenniter renunciatus perhibeatur.

Matthæus Judæ paternus.

Natalis Judæ.

Baſileam miſſus.

Vbi commiluit ejus Zvvinglio.

Thomas Wittenbachius.

Ibidem Diaconus templi ad *S Theodorum* electus, poſtea in *Eremum* Helvetiorum vocatus ſacris eo in cœnobio præfuit, collegâ uſus illo veteri ſtudiorum ſocio Zvvinglio.

Diaconus deſignatur.

Vocatur in Eremum Helvetiorum.

Hic

Hic strenuam linguis sacris, lectioni item orthodoxorum patrum, *Hieronymi* præcipuæ atque *Augustini*, maximè verò librorum nuper ab *Erasmo*, *Capnione* & *Luthero* editorum, operam navavit. Es his tantam Evangelicæ veritatis lucem paulatim adeptus est, ut à superstitiosis atque idololatricis Papatus cultibus erroribusve magis magisque abhorrere ceperit, *Tigurum* Helvetiorum metropolin, evocatus, pastorque à magistratu & cætu ecclesiastico illius reip. D. Petri declaratus, Pontificias superstitiones, quâ voce, quâ calamo, publicè, oppugnavit: famamque nominis sui longè lateque disseminavit.

Inde Tigurum.

Papatum oppugnat.

Cum autem præter alias linguas Hebraicæ esset peritissimus, ac supra annos *octodecim*, quibus vetus Testamentum apud Tigurinos ex veritate Hebraica à viris doctissimis fuerat explicatum, multa observasset, ac veluti sylvulam futuro operi collegisset: instantibus tribus, libros veteris Testamenti sincerè ad veritatem Hebraicam transferre est aggressus. In transferendo autem usus est & adjutus plurimum opera & industria virorum tam linguarum, quam rerùm pertitissimorum; tum verò & Hebraico exemplari emendatissimo, quod religiosissimè, ceu cynosuram & æternæ veritatis regulam observavit, consultis quoque aliis exemplaribus Hebræis, in locorum difficilium interpretatione, Græcis item Latinisque editionibus aliis non neglectis, ut penitus ipsi constaret, quid de genuina lectione & sensu orthodoxi interpretes tradidissent.

Vetus Testamentũ vertere incipit.

Verum hic sacræ interpretationis labor optimo viro tanti constitit, ut mole operis, oppressus, corpusculi viribus senio debilitatis, antequam ad finem perduxisset, in lethalem inciderit morbum, quo & piè obiit anno *millesimo quingentesimo quadragesimo secundo*, die *decimo nono Junii*, ætatis *sexagesimo*. Quatriduo antequam ex hac vita decederet, cum sentiret ἀνάλυσιν suam instare, coram Tigurinæ urbis pastoribus & professioribus, brevi & evidenti oratione vitæ suæ cursum & fidei confessionem exposuit; de Deo, de sacra Scriptura, de Christi persona & officio, ejusque lytro sufficiente. Tandem hæc disertis verbis subjecit: *Huic IESV Christo Domino & liberatori meo, spei & saluti meæ, me totum animâ & corpore dedo & offero, hujus misericordiæ & gratiæ innitor, hujus promissionibus & æternæ veritati, meis omnibus diffidens, totus confido & securè immorior, sperans firmiter, ipsius me beatissimo illo & jam diu aliis prædicato, mihique desideratissimo fruiturum consortio, in quo est gaudium plenissimum & lætitia sempiterna.*

Moritur.

Voces eius πρόαγώνιοι.

His addidit gratiarum actionem ad Deum, pro omnibus in se collatis beneficiis: veniæ petitionem omnium delictorum atque exhortationem ad fratres, cumque affectu ardentissimo urbem, senatum, populumque Tigurinum, uxorem etiam, viduam mox futuram, cum orphanis DEO commendavit.

Cæterum quæ in translatione illa Bibliorum non absolverat, ut *octo postrema capita Ezechielis*, *Danielem* totum, *librum Iobi*, *Psalmos quadraginta ultimos*, *libellos Salomonis duos*, *Ecclesiasten & canticа canticorum*, quæ ob rerum & orationis difficultatem ultimo reservarat labori, ea *Theodoro Bibliandro*, Professori Theologiæ in schola Tigurina commendavit, qui & feliciter absolvit, cumque *Conradus Pellicanus* omnia, uti promiserat Leoni, recognovisset, foras dedit. Ecclesiasticorum autem librorum Veteris Testamenti è Græco in latinam conversionem pertexuit, *Petrus Cholinus* Tugiensis, genere Patritio ortus, vir pius, quinque linguarum peritus: Cujus mors vitæ integrè actæ respondens, in ipsum diem editionis absolutæ incidit. Hanc translationem postea *Robertus Stephanus* adjecit ad veterem, suppressa eorum, qui in illa laborarant, mentione: Hispani autem Theologi diu post recognitam per *Guilielmum Rovillium* denuo Lugduni excudendam curaverunt. Nimirum *utilitatis multum*, ut rectè *Thuanus*, * *vel ex adversariorum libris & industria, si semotis odiis, haritatem & æquitatem induamus, ad DEI gloriam capi potest.*

Theodorus Bibliander versionem illam absolvit.

Cum Conrado Pellicano.

Et Petro Cholino.

* *Lib. 35. hist. Aug.*

Scripsit autem præterea & edidit Leo hæc: *Annotationes in Genesin & Exodum*, ex ore Zvvinglii exceptas, item in *Evangelistas quatuor*, *passionis Dominicæ historiam*, *ac in Epistolas Pauli*, *ad Romanos*, *Corinthios*, *Philippenses*, *Colossenses*, *Thessalonicenses*, & *S. Iacobi*. Præterea *opus conclusionum Zvvinglii* è germanico latinum reddidit, atque *Catechismum majorem & minorem conscripsit.*

Scripta Leonis Judæ.

Hoc etiam fortè non prætermittendum, prodiisse aliquando, sub initium belli * sacramentarii, libellum Germanicum, sub nomine *Ludovici Leopoldi*, *de Erasmi Roterodami & M. Luth. sententia circa cœnam Domini*, cujus ipse *Leo Judæ* auctor fuit. Argumentum ejus scripti hoc fuit: *Erasmum & Lutherum, nondum incalescente contentione, ita orthodoxè sensisse & scripsisse, ut de spirituali præsentia & manducatione corporis Christi, ὁμοφώνως cum Tigurinis pastoribus docuerint.* Et hunc libellum ideò scripserat Leo, ut errore cognito, in viam veritatis redirent. Sed *Erasmus* graviter id molestèque tulit, & ad Helvetios, *Badenæ* tunc congregatos, epistolâ * acerbè conquestus est, injuriamque sibi fieri protestatus, cui & libellum Apologeticum submisit. Contra *Leo Judæ* edidit libellum, quo se illius scripti autorem profitetur, ac se purgat: *non esse novum, ut libri absque auctorum nominibus edantur: sed & apud orthodoxos antiquos usitatum fuisse, deinde se alia quoque antehac in lucem emisisse, quibus non metu, vel fraude ulla, sed modestiæ & humilitatis potius, ac cavendi præjudicii causa, nomen suum non præfixerit, nisi per Erasmum ejusdem fraudis, (si fraus dicenda sit,) convinci, qui seditiosum dialogum*

An. 1526. Libell. Leonis sub alio nomine.

Ejus argumentum.

Erasmus id ægrè ferit.

* *Vide histor. Sacram. Lavateri.*

Leo se purgat.

Iulius Dialogus. *Iulii nomine inscriptum non appositio veri auctoris nomine, publicarit, denique nihil se in scripto illo posuisse, quod non de verbo ad verbum in Erasmi libris reperiatur. Itaque non nebulonem, non mendacem se esse,* nos addimus, nec apostatam, quod ei Jesuita objecit. Apostatæ enim verè sunt, qui deficiunt à fide, qui attendûnt spiritibus deceptoribus, & doctrinis dæmoniorum per hypocrisin falsiloquorum, quorum conscientia cauterio resecta est, prohibentium contrahere matrimonium, & jubentium abstinere à cibis, quos Deus creavit ad participandum cum gratiarum actione. *Hæc de Leone Iuda ex Pantal. l. 3. prosopograph. ex præfatione Bibliis Tigurinis præfixa: Lavateri historiâ Sacramentaria, vindiciis illorum Bibliorum: Thuano, aliis.*

Apostata.

1. Tim. 4.

PAVLVS CONSTANTINVS PHRYGIO.

1543. d. 1. Aug.

PAtriam hic habuit communem cum *Beato Rhenano*, aliisque viris doctissimis, *Selestadium*, Alsatiæ nobile oppidum, ad Ellum fluvium. E patriâ, literis primis mediocriter imbutus adolescens Basiléam venit, totumque se, juxta elegantissimum atque jucundissimum historiarum studium, divinis literis & sanctæ Theologiæ dedidit, in qua ἄξιωμα quoque summum, virtutis nempe & eruditionis insignia, ab eadem illâ Academiâ facilè impetravit.

Selestadium.

Basilea doctor renunciatur Phrygio.

Deinde cùm serenissima Evangelii, in Germania iterum accensi, lux radiis suis animos civium & magistratus Basilienſis, quæ Dei est benignitas, illustrasset, ipse quam ab *Oecolampadio* & *Zvvinglio* hauserat doctrinam, tradere aliis pro suggestu sacro jussus est, ecclesiæ ad D. Petri primus Evangelicus pastor designatus. Factum id sub annum *millesimum quingentesimum, vicesimum nonum.* Hac in functione eâ fide, studio & industria versatus est, quæ ab *Oeconomo* * *mysteriorum divinorum* requiritur. Inprimis id curæ sibi datum putavit, ut homines à peccatis ex lege divina ostensis, cordibusque eorum contritis, ad Christum, unicum nostræ salutis fontem, adduceret, omnibus superstitionum impedimentis remotis. Pietate itaque & virtute suâ tum aliis Reipubl. illius civibus gratus, tum inprimis *Hulderico* Wirtembergico, tunc apud Basilienses aliquantisper exuli *, charus fuit.

Ibidem docet evangelium.

1. Cor. 4. v. 1.

Munus pastorum proprium.

Huldericus dux Würtembergicus.

* *Sleidan. lib. 9.*

Is ergo Princeps in avitum ducatum, anno *millesimo, quingentesimo, trigesimo quarto*, restitutus ope inprimis *Philippi* Hassiæ Landgravii, sequenti anno ecclesiarum susscepit in sua provincia emendationem, & ad Tubingensem ecclesiam constituendam Phrygionem evocavit. Qui vocantem Ducem secutus eò commigravit, & cœtum ibidem Evangelii doctrinâ salvificâ collegit, donec absoluto cursu suo, in vera DEI & seria invocatione, cœlestem patriam adiit, ipsis Calendis Augusti, anno *quadragesimo tertio.* Corpus ejus exequiis Christianis terræ mandatum in primario templo, atque hujusmodi elogio epitaphio sepulchrum ornatum est:

Evocat Phrygionem.

Moritur Phrygio.

Epitaphii ejus.

D. O. M. SACRVM.

PAULUS CONSTANTINUS PHRYGIO THEOLOGUS, CALENDIS AUGUSTI ANNO MILLESIMO QUINGENTESIMO QUADRAGESIMO TERTIO MORTALIS ESSE DESIIT, JAMQUE PER SERVATOREM JESUM, CUJUS EVANGELION ILLE IN SCHOLIS ET SACRIS CONCIONIBUS ARDENTISSIMO SEMPER STUDIO DOCUIT, INTER BEATOS VIVIT IMMORTALIS.

Ingenii monumenta hæc reliquit: *Chronicon regum regnorumque omnium*, Catalogum, & perpetuam ab exordio mundi temporum seculorumque seriem complectens, ex optimis quibusque Hebræis, Græcis & Latinis authoribus congestum; Pari studio quoque *in Micheam Prophetam:* in *Exodum* & *Leviticum commentaria* scripsit, in quibus haud pauca mysteria explanavit, ut cuivis Doctori ecclesiastico ad ædificationem maximo possint esse usui. Scripsit etiam aliquid *de causa Boëmica.*

Scripta.

Pantal. l. 3. Prosopograph Sleidan. in comment. Crusius in annal. Gesnerus.

GEORGIVS SPALATINVS.

1545. d. 16. Iulii atat. 63. Spalatinus Noricus. Natalis. Aliteris & libris elect. Sax.

NOricum hunc fuisse accepimus, natum circa annum Christi *millesimum, quadringentesimum, octogesimum secundum.* Jactis autem fundamentis ab initio diversa videtur studiorum genera amplexus. Nam primum *Friderico III.* Saxoniæ Electori, à secretis fuit, unde Lutherus * eum in epistolis primis modò *librarium vel bibliothecarium ducalem*, modò *commentariensem Saxoniæ Ducalem*, item qui sit *Ducis Saxoniæ à libris vel libellis*, appellat, ita tamen ut etiam *sacerdotem Christi* salutet. Eo ergo loco, jussu Principis sui, *Chronicon* orsus est, atque historiam rerum à mundi principio, ad sua usque tempora gestarum. Nec in parva apud Principem suum fuisse gratia, vel hoc argumento sit, quòd *Leo X.* Pontifex, cùm Lutheri doctrinam statim in ipsa herbâ opprimere conaretur, *Spalatinum* etiam hunc literis * compellavit, de negocio apud Principem Electorem urgendo & maturè conficiendo.

Tom. 1. epist. Lutheri p. 80. 100. & 155.

Chronicon orditur. Pontifex ad Spalatinum scribit.

Theologiæ autem studium seriò amplexus, sub annum *decimum octavum* Lutheri consilium, de methodo in discendis sacris literis, exquisivit. Cui Lutherus tunc *Erasmica* inprimis commendavit, * juxta *Hieronymi, Ambrosii,* & *Augustini* scripta. Deinde vult, ut ab *oratione* seriâ semper exordiatur. *Nullus* enim, ait, *est divinorum verborum magister, præter ipsummet verbi sui auctorem.* Ad hæc suadet, *Biblia* ordine ab initio ad finem usque

* *Extant tom. 1. & per Latin. Luther. Wittenb. p. 234. A. 1519. Consilium Luth. de discenda Theol.*

* *Epistola est tom. 1. epist. Luth. p. 47.*

usque evolvat, cui vult adjungi potissimum Augustinum. *Incipies* autem, inquit, *si mea tibi placent studia, Beatum Augustinum de spiritu & litera, quem jam noster Carlstadius, homo studii incomparabilis, explicavit miris explicationibus & edidit.* Postea alia ei *Augustini* nominat, ut & *Ambrosii.*

Ecclesiastes aulicus Spalatin.

Usus itaque est eo Saxoniæ Elector concionatore aulico: habuitque in comitatu suo tum alias *, tum anno *vicesimo primo*, in comitiis *Wormatiæ Vangionum* celebratis, è quibus ad Lutherum scripsit *: *tantum favoris evangelio, tunc primùm exorienti, esse ibi, ut Lutherum inauditum, & non convictum, damnatum iri non speret.* Deinde venit & *Augustam*, novem annis pòst; quando confessio illa Cæsari exhibenda, à *Melanchthone* conscripta, cui & Spalatinus adfuit Cæteroquin in religionis negocio constanter stetit à partibus Lutheri, & eodem ut alios etiam adduceret, seriò adlaboravit.

* Augusta an. 1518. Interest comitiis cum suo Principe.

* Tom. 1. epist. Luth. p. 303. Venit August. An. 1530.

Interea tamen & aliquoties de deserendo officio suo cogitavit, nisi Lutherus acriter restitisset. Ita enim alicubi Luther. ad eum: „ vide ut cogitationes fastidii vincas, aut con- „ temnas, quibus de ministerio verbi dese- „ rendo fatigaris, Christus vocavit te, huic ce- „ de, servi, & formare, pro sua bona voluntа- „ te, quod facis, nescis modò, scies autem po- „ stea. Mera tentatio est, quam quare pate- „ ris, non satis agnoscis. Nos qui tui spe- „ ctatores sumus, meliùs videmus. Itaque „ non tibi, sed nobis potiùs credere debes, „ qui in Domino, & coram Domino, imò „ Dominus per nos, te alloquitur solatur, & „ hortatur. Neque enim aliud spectamus, „ quàm gloriam & voluntatem Domini, non „ nostrum commodum, aut quicquam tale in „ tua vocatione. Certum denique signum, „ non ingrati Deo ministerii tui, neque infru- „ ctuosi apud homines, quòd de fastidio ejus „ ita tentaris. Si enim Deo ingratum esset, „ anhelares & ambires potiùs, sicuti faciunt, „ qui Deo ingrati, ipsoque invito currunt, „ cùm non mittantur, loquuntur, cùm nihil „ sit eis mandatum. Ita fit, ut Sathanas eos, „ quos videt gratos, tædio & fastidio retinen- „ di tentet, quos verò ingratos, studio & im- „ petu ambiendi inflammet. *Et paulò post ite- „ rùm:* Quod de relinquenda aula & officio „ consulis, mi Spalatine, sic sentio. Est sanè „ nonnulla causa tibi, non auditur verbum, si- „ cut Sapiens dicit: *ubi non est auditus, ne ef- „ fundas sermonem*, verùm si aliqui audiunt, „ non est cessàndum, alioquin & ego jamdu- „ dum in tanto contemtu verbi tacuissem. Ni- „ si ergo alia subsit causa tibi, quæ conscien- „ tiam gravet, aliena iniquitas & malitia non „ est satis, ut propter eam locum deseras, aut „ quippiam facias. Nam nisi conjugium te „ isto loco amoverit, ne fingere quidem pos- „ sem causam, quæ te movere deberet. Ac „ qui nunc expertus aulam planè noveris, & „ multis apud principem prodesse queas: ubi „ si novitius accesserit, quid faciet, antequam discat aulam istam? Et ut omnia simul præ- „ stentur, quando fiet, ut tantam fidem & o- „ pinionem coram Principe obtineat, atque „ tu habes, longo usu paratam? Aut ergo ma- „ ne, aut si discedis, uxore cogente discedas. „ Nisi fortassis hanc causam metuis allegare, & „ loco ejus aliam prætexere velis, quod quid „ prosit, non video, cùm tandem prodenda „ sit ipso facto, si feceris. „

Cogitat deserere officium. Tom. 2. ep. pag. 239. an. 1524.

Tom. 2. epist. Luth. p. 245.

Perstitit ergo in sua vocatione illa, ad vitæ usque exitum, qui ei contigit anno Christi, *millesimo, quingentesimo, quadragesimo quinto*, die *decimo sexto* Januarii, ipsius magno climacterico. Exstinctus est autem mœrore animi, quem unde conceperit, vix ariolamur. Erexit eum epistola consolatoria, gravissimè scripta: quæ exstat *. Sed ita est, quemadmodum *Henricus Stromerus Aurbachius*, qui diu tum alibi, tum Lipsiæ, praxin medicam exercuit, sæpe dixit: *Ego quadraginta amplius annis ad ægrotos accessi, & medicinam feci, ac reipsa comperi, plures homines mœstitia atque dolore animi mori, quàm violenta morte.* Floruit autem, ut diximus, Spalatinus, gratia & auctoritate, tum apud viros Principes, tum apud doctos ejus ætatis plerosque omnes. Exstant ad eum aliquot *Erasmi* epistolæ, quibus profitetur ille, *se Spalatinum non solùm inter præcipuos amicos, verùm etiam inter patronos observandos scripturum aut scribere, non perinde in chartis, atque in ipso pectore.* Sunt & *Lutheri* sexcentæ ad ipsum epistolæ, è quibus facilè apparet, quanta inter ipsos intercesserit amicitia, aut veriùs necessitudo.

Moritur Spalat.

Mœrore Animi.

* Est tom. 8 Ien. Germ. op. Luth. p. 191. Tristitia animi multos exstringuit. Fama Spalat. Erasmus lib. 5. ep.

Conscripsit illud *Chronicon*, in quo non solum populi Saxonici vetustates, & dicœcesium limites, verùm etiam Satrapas & Dynastas, imò urbes omnes, Electori Saxoniæ subjectas, ab origine repetivit: vertit è Latino in Germanicum *libellum Erasmi de institutione Principis*, quem *Carolo V.* recens electo Romanorum regi anno *vicesimo* dedicavit. Videtur & alia edidisse, sed de quibus nobis certi quippiam adhuc non constat.

Scripta Spalatini.

Sufficiant ergo hæc de *Spalatino*, collecta ex *Petri Albini Chronic. Misnic. Sleidani commentariis: Dresseri millenario sexto: Lutheri epistolis*, & aliis.

MARTINUS LUTHERUS.

VEtus est familia, & latè propagata, mediocrium hominum, cognomine *Luther*, in ditione comitum Mansfeldensium. Parentes *Martini Lutheri* primùm *Islebiæ* *, comitatus Mansfeldici oppido domicilium habuerunt, inde commigrarunt *Mansfeldiam*, ejusdem comitatus oppidum, ubi pater *Ioannes Lutherus* fodinas metallicas possedit, magistratus gessit, & propter integritatem omnibus bonis fuit charissimus. In matre *Margareta Lindemanna*, Joannis Lutheri conjuge, cùm cæteræ fuerunt virtutes honestæ matronæ convenientes, tum verò præcipuè in ea eluxerunt

© 1546. d. 18. Febr. ætat. 63. Familia Lutherorum.

* Quo migrarunt Isenaco Luther. t. 1. ep. pag. 227 Ioan. Luther pater Martin. Margareta mater.

runt pudicitia, timor Dei, & invocatio, inque eam inspexerunt cæteræ honestæ fœminæ, ut in exemplar virtutum.

Natalis Luther. An. 1483. Cur Martinus dictus.

Natus est autem *Martinus Lutherus* Isiebiæ anno à Christo nato, *millesimo, quadringentesimo, octogesimo tertio*, die *decimo* Nov. nocte post horam undecimam, ac *Martini* nomen impositum infanti, quia dies, quo infans in Baptismo Ecclesiæ Dei insertus est, *Martino* in fastis adscriptus. Postquam per ætatem doctrinæ capax fuit, parentes eum ad agnitionem & timorem Dei, aliarumque virtutum officia, domestica institutione diligenter adsuefecerunt, & ut fundamenta literarum disceret curarunt, gestavitque in ludum adhuc parvulum *Georgii Æmilii* pater, qui cum adhuc viveret, sœpè solitus id fuit narrare. Etsi autem in Papatus tenebris valdè obscurata fuit veritas, *catecheseos* tamen *capita* Deus conservavit in scholis una cum elementali *Grammatices Cisiojano*, & cautionibus atque precandi formulis.

Georg. Æmilius.

An. 1496. Ioan. Reineckius Lutheri

Cum ingressus esset annum *decimum quartum*, unà cum *Ioanne Reineckio*, cujus postea virtus fuit excellens, & virtute parta auctoritas in illis regionibus magna, *Magdeburgum* missus est, mansitque mutua benevolentia inter hos duos *Lutherum* & *Reineckium*, semper eximia, seu ab aliquo naturæ consensu, seu ab ista puerilium studiorum societate orta.

Magdeburgi, ubi mendicato vivere pane, ut & alii multi, honestorum parentum filii, coactus, annum unum saltem consumsit. Nimirum *magnarum rerum tenuia sunt initia & nihil sit altum, nisi prius fuerit humile.* Inde de voluntate parentum Isenacum, ubi ludus literarius erat celebris, abiit: ibique per *quadriennium* audivit præceptorem rectiùs & dexteriùs tradentem Grammaticen, quàm alibi tradebatur. Nam hujus ingenium *à Luthero* fuit probatum. In id autem oppidum missus est: quia mater eo loci honesta & veteri familia nata fuerat. Hic absolvit Grammaticum studium, cumque & vis ingenii acerrima esset, & inprimis ad eloquentiam idonea, celeriter æqualibus suis antecelluit, & verbis & copia sermonis in loquendo, in scribenda soluta oratione, & in versibus cæteros adolescentes, qui unà discebant, facilè vicit.

Abit Isenacum. 1498.

Grammaticen absolvit.

Lutheri φιλομάθεια

Degustata igitur literarum dulcedine, natura flagrans cupiditate discendi, Academiam, tanquam fontem omnium doctrinarum appetivit, quin ad unam omnes artes ordine percipere tanta vis ingenii potuisset, si doctores idoneos invenisset, & fortassis ad leniendam vehementiam naturæ, mitiora studia veræ Philosophiæ & cura formandæ orationis profuissent. Venit ergo *Erphordiam*, anno *millesimo, quingentesimo primo*: ubi incidit in ejus ætatis Dialecticen satis spinosam, quam, cum sagacitate ingenii præceptionum causas & fontes melius, quam cæteri perspiceret, citò arripuit.

Venit Erphordiam. An. 1501. ætat. 18. Dialecticen discit.

Cumque mens avida doctrinæ plura & meliora requireret, legit ipse pleraque veterum Latinorum scriptorum monumenta, *Ciceronis Virgilii, Livii*, & aliorum. Et legebat, non ut pueri verba tantum excerpentes, sed ut humanæ vitæ doctrinam, aut imagines. Quare & consilia horum scriptorum, & sententias propiùs adspiciebat, & ut erat memoriâ fideli & firmâ, pleraque ei lecta & audita in conspectu & ob oculus erant. Sic igitur in juventute eminebat, ut toti Academiæ Lutheri ingenium admirationi esset. Ornatus *Erphordiæ* gradu magisterii Philosophici, cum natus esset annos *viginti*, docuit ibi *Aristotelis Physicam, Ethicam* & alias philosophiæ partes. Post de consilio propinquorum, tantam ingenii vim & facundiam in lucem & ad rempubl. educandam esse judicantium, inchoat juris studium. Sed brevi pòst cum natus esset annos *unum & viginti*, subitò præter parentum & propinquorum opinionem, fulmine, ut volunt, & commilitonis violentâ morte, territus, venit ad collegium monachorum Augustinianorum Erphordiæ, seque recipi petivit. Priùs autem, quàm ingrederetur, excepit commilitones hilari convivio, & mane misit ad eos literas valedictorias, annulum Magisterii, vestem, unà cum literis ad parentes, quibus consilii sui rationem explicabat. Doluit id vehementer suis, qui tam præstans ingenium in vita semi mortua delitescere nolebant, sed intra mensem nemo ad ejus colloquium est admissus.

Legit auctiores veteres. Ratio ejus legendi.

Renunciatur Magister Phil. A. 1503. alii anno 1505. Docet Philosophica. Aggreditur juris studium. Ingreditur monasterium. A. 1504. Prius commilitio valedicit Vide tom. 1. epist. Luth.

Non autem paupertas, sed studium pietatis eum in illud vitæ monasticæ genus induxit, in quo etsi doctrinam in scholis usitatam quotidiè discebat, & sententiarios legebat, & in disputationibus publicis labyrinthos aliis inextricabiles, disertè, multis admirantibus, explicabat, tamen quia in eo vitæ genere non famam ingenii, sed alimenta pietatis quærebat, hæc studia tanquam parerga tractabat, & facilè arripiebat illas scholasticas methodos. Cum aliquando in illius collegii bibliotheca libros ordine evolveret, ut discernere auctores posset, incidit in exemplar *Latinorum Bibliorum*, quæ antea nunquam viderat. Ibi cum admiratione animadvertit, longè esse plures textus in Bibliis Evangelicos & Epistolicos, quàm quæ in templis populo prælegun-tur. In veteri Testamento historiam *Samuelis* & *Hannæ* matris ejus, avidè percurrit, cœpitque optare, ut olim talem librum & ipse nanciscì posset, cujus voti Deus ipsum abundè reddidit compotem. Itaque fontes doctrinæ cœlestis sedulò legit ipse, scripta Prophetica & Apostolica, ut mentem suam de Dei voluntate erudiret, & firmis testimoniis aleret timorem & fidem. Hoc studium ut magis expeteret, suis doloribus & pavoribus movebatur.

Incidit in exemplar Bibliorum An. 1501.

Fertur in eodem collegio *Lutherus* tunc adolescens in gravissimum incidisse morbum, adeò ut de se actum putarit. Venisse ad eum senem quendam sacerdotem, qui his eum verbis consolatus sit, *Mi baccalaurie, habe bonum animum. Neque enim hic morbus tibi letha-*

Morbus Lutheri adolescentis. A. 1504. Quem consolatur sacerdos.

lethalis fuerit, sed Deus eum te virum faciet, qui alios multos iterùm consolabitur. Initio etiam duriùs à fratribus, fuit habitus cum custodis, ut vocant, officio fungi, & loca immunda purgare coactus fuit, uti & cum sacco per civitatem ambulare, sed ad intercessionem Academiæ, cujus erat membrum, sublevatus istis fuit. Sæpè etiam senis cujusdam sermonibus se confirmatum esse narravit: cui cùm consternationes suas exposuisset, audivit eum de fide multa differentem, seque deductum ajebat ab symbolum, in quo legitur: *Credo remissionem peccatorum.* Hunc articulum sic ille interpretatus erat: *non solum in genere credendum esse, aliquid remitti; ut & Dæmones credunt, Davidi aut Petro remitti; sed mandatum Dei esse, ut singuli homines nobis remitti peccata credamus.* Et hanc interpretationem confirmatam dixit *Bernhardi* dicto; monstratumque locum in concione de annunciatione, ubi hæc sunt verba: *sed adde, ut credas & hoc, quod per ipsum peccata tibi donantur. Hoc est testimonium, quod perhibet Spiritus Sanctus, in corde tuo, dicens:* dimissa sunt tibi peccata tua. *Sic enim arbitratur Apostolus, gratis justificari hominem per fidem.* Hac se voce non solùm confirmatum esse Lutherus dixit: sed commonefactum de tota Pauli sententia; qui toties inculcat hoc dictum: *Fide justificamur.* De quo cùm multorum expositiones legisset, tunc ex hujus sermonibus & suæ mentis consolationem animadvertisse, & interpretationum, quæ tunc in manibus erant, vanitatem. Paulatim deinde legenti & conferenti dicta & exempla in Prophetis & Apostolis recitata, & in quotidiana invocatione excitanti fidem, plus lucis accessit.

Durius habetur à monachis.

Explicatio articuli. Credo remissionem peccatorum.

Bernhardi dictum.

Tunc & *Augustini* libros legere cœpit; ubi & in Psalmorum enarratione, & in libro, *de Spiritu & litera*, multas perspicuas sententias reperit; quæ confirmabant hanc de fide doctrinam & consolationem; quæ in ipsius pectore accensa erant. Nec tamen prorsus reliquit sententiarios. *Gabrielem* & *Cameracensem* penè ad verbum memoriter recitare poterat. Diu multumque legit scripta *Occami:* cujus acumen anteferebat *Thomæ* & *Scoto*, diligenter item *Gersonem.* Sed omnia Augustini monumenta & sæpè legerat, & optimè meminerat. Hoc acerrimum studium inchoavit Erphordiæ; in cujus urbis collegio commoratus est annos *quatuor.*

Legit Augustinum.

Et sententiarios.

Anno *millesimo quingentesimo septimo*, cucullam induit, atque primam Missam die Maji secundâ, quæ erat Dominica Cantate, celebravit; anno ætatis suæ *vigesimo quarto*, & postea in *decimum quintum* usque annum missificavit; ad annum nempe Christi *millesimum quingentesimum vicesimum secundum.* Sub idem tempus cùm *Joannes Staupicius*, qui exordia Academiæ Wittembergensis adjuvit, studium Theologicum in recenti Academiâ excitare cuperet; & ingenium atque eruditionem Lutheri nota haberet, traduxit eum *Wittembergam*, anno *millesimo quingentesimo octavo*, cùm jam ageret annum *vicesimum sextum.* Hic inter quotidiana exercitia scholæ & concionum, magis etiam elucere ejus ingenium cœpit. Cumque eum attentè audirent viri sapientes, *Martinus Mellerstadius*, *lux mundi* vulgò dictus, & alii; sæpè dixit *Mellerstadius*, *tantum esse vim ingenii in hoc viro, ut planè præsagiat mutaturum esse vulgare doctrinæ genus; quod tunc in scholis tradebatur, & regnabat.* Primum autem *Lutherus* Wittembergæ *Dialecticen* & *Physicen* * *Aristotelis* enarravit; interea tamen suum illud studium legendi scripta Theologica non omittens. *Tandem* pòst, anno Christi *millesimo quingentesimo decimo*, conventus sui nomine in Italiam & Romam missus est; ut controversias quasdam Monachorum curaret componendas. Vidit tunc & *Pontificem* & *Pontificis aulam*, & *cleri* Romani *mores*, de quibus ita * ipse: *Ego Romæ non diu fui, ibi celebravi ipse, & vidi celebrari aliquot missas, sed ita, ut quoties recordor, execrer illas. Nam super mensam, inter alia, audivi Curtisanos quosdam ridendo gloriari: nonnullos in ara super panem & vinum hæc verba pronunciare.* Panis es, panis manebis: vinum es, vinum manebis. Addit, missas ab illis sacrificulis ita festinanter ac perfunctoriè peractas: ut antè, quàm ipse ad evangelium perveniret, proximè sacrificans desierit. Itaque inclamasse Lutherum: *passa, passa, absolve, absolve.* De hac profectione in colloquiis familiaribus sæpè sibi est gratulatus: dixitque *millè florenis se eam non commutaturum.* Reversus Româ, de consilio Staupicii more scholarum, duce Saxoniæ Electore *Friderico* præbente sumtûs, ornatus est gradu Doctoris Theologi. Audierat enim princeps concionantem, & vim ingenii, nervos orationis, ac rerum bonitatem expositarum in concionibus, fuerat admiratus. Fuit hoc anno ætatis Lutheri *trigesimo*, cùm jam judicii quandam maturitatem esset consecutus. Ipsemet narravit: sibi admodum defugienti & recusanti illum honorem, mandatum fuisse à Staupicio, ut hoc gradu ornari se pateretur, eumque per jocum dixisse: *multum negotiorum Deo jam in Ecclesia fore, ad quæ & ipsius usurus esset opera.* Cui voci, etsi joco tunc emissa est, tamen eventus respondit: ut multa præcedunt mutationes præsagia.

Induit cucullam. A. 1517. Vide l. 1. ep. Luth. ep. 1. Missificat quindecim annis.

Wittenb. traducitur. A. 1508.

Judicium Mellerstadii de Luthero. Docet Witt. Philosoph.

* In quem invehitur tom. 1. ep. pag. 10. A. 1510. Mittitur Romam Luther. Ibi quæ viderit.

* Tom. 6. Ienens. Germ. p. 88. Missa Romanensium quibus verbis celebrata.

Renunciatur Doct. Theol. Luther. A. 1512.

Quam primo refugit. Staupicii ad Luth. verba. Ad vitã Staupicii.

Mox aggressus est, officii ratione, enarrare *epistolam ad Romanos*, deinde *Psalmos.* Hæc scripta sic illustravit; ut post longam & obscuram noctem, nova lux oriri videretur, omnium piorum & prudentum judicio. Hic monstravit *Legis & Evangelii discrimen*, refutavit errorem, tunc in scholis & concionibus frequentatum, quo docetur, *mereri homines remissionem peccatorum operibus*, & *homines coram Deo justos esse disciplina*, ut Pharisæi docuerunt. Revocavit igitur Lutherus

Enarrat epist. ad Rom. & Psalm.

Revocat homines ad Filium Dei.

hominum mentes ad Filium Dei, &, ut *Joannes Baptista, monstravit agnum Dei, qui tollit peccata nostra*, ostendit gratis, propter Filium Dei, remitti peccata, & quidem oportere id beneficium fide accipi. Illustravit & cæteras partes doctrinæ Ecclesiasticæ. Hæc ei exordia magnam authoritatem circumdederunt, præsertim cum mores congruerent cum oratione docentis; videreturque *oratio non in labris nasci*. Verum enim est vetus illud: κυριωτάτην ἔχει πίστιν τὸ ἦθος. Itaque facilè ipsi assenti sunt postea, cum ritus quosdam mutaret: quanquam id tunc non fecit; sed disciplinæ fuit severus custos, admixtis nonnullis horridioribus. Hujus dulcedine doctrinæ pii omnes valdè capiebantur, & eruditis gratum erat, quasi ex tenebris & carcere, educi *Christum, Prophetas, Apostolos*, conspici discrimen Legis & Evangelii: Philosophiæ & Evangelii; quod certè non extabat in *Thoma, Scoto*, & similibus. Accedebat huc, quod *Erasmi* scriptis invitata erant juventutis studia, ad latinæ & græcæ linguæ cognitionem. Quare monstrato dulciore genere doctrinæ, multi bonis & liberis ingeniis præditi, abhorrere à barbarica & sophistica doctrina Monachorum incipiebant. Ipse etiam *Lutherus Græcæ & Hebrææ* linguæ studiis se dedere cœpit; ut cognita sermonis proprietate ac phrasi, & hausta ex fontibus doctrina, dexterius judicare posset. In hoc cursu cum esset *Lutherus* circumferuntur venales indulgentiæ, in illis Misniæ & Saxoniæ regionibus, à *Joanne Tecelio*, Dominicano; quem Cæsar *Maximilianus* aliquando capitis damnaverat, & Oeniponte jusserat in flumen præcipitari: sed *Friderici* ducis Saxoniæ intercessione, qui tum in iis fortè locis erat, periculum evasit. Is, inquam, inter alia docebat; *se tantam habere potestatem à pontifice, ut, etiam si quis vel virginem matrem vitiasset, condonare crimen ipsi posset, interventu pecuniæ:* deinde non modo jam commissa, verùm etiam futura peccata condonabat, neque multò post exit libellus cum insignibus *Alberti* Archiepiscopi, quo mandabatur quæstoribus; ut vim indulgentiarum populo diligentissimè commendarent. Adhæc & facultatem diebus prohibitis, lacte, caseo, ovis, carne vescendi, pretio vendebat. His impiis concionibus irritatus *Lutherus*, studio pietatis ardens, edidit *propositiones de indulgentiis*, & has publicè templo, quod arci Wittembergensi contiguum est, affixit pridie * *omnium sanctorum*, anno *millesimo quingentesimo decimo septimo*. Hic *Tecelius*, nihil sui dissimilis, ac sperans se etiam gratiam apud Romanum Pontificem initurum, suum senatum convocat, Monachos aliquot & Theologos, sua sophistica utcunque tinctos, hoc componere aliquid jubet adversus Lutherum. Ipse interea ne esset κωφὸν πρόσωπον, non jam conciones, sed fulmina in Lutherum torquet; vociferatur ubique *hunc hæreticum igni perdendum esse*. *Propositiones* etiam Lutheri & *concionem de indulgentiis*, publicè conjicit in flammas. Hi furores Tecelii & ejus satellitum, imponunt necessitatem Luthero de rebus iisdem copiosius disserendi, & tuendæ veritatis. Hæc initia fuerunt hujus controversiæ; in qua Lutherus, nihil adhuc suspicans aut somnians de futura mutatione, ne quidem ipsas indulgentias prorsus abjiciebat; sed tantum moderationem flagitabat. Imò constat Lutherum silentium promissurum fuisse, modo idem adversariis fuisset indictum. Sed cum videret & defendi & vulgò credi; quod æruscatores illi jactabant ad *Albertum* Archiepiscopum Moguntiutm, à quo Tecelium ad ejusmodi conciones, pallii redimendi causâ, conductum constabat, etsi id Lutherus ignorasse fertur, pridie calendas Novembris, anni *decimi septimi* supra *millesimum quingentesimum*, datis literis de impiis illorum clamoribus queritur: oratque, ut ratione officii libellos editos aboleat, & *prædicatoribus veniarum*, (verba * Lutheri sunt) *aliam prædicandi formam imponat*. Misit una illi propositiones de pœnitentia & indulgentiis, quas primùm tunc ediderat: quæque tomo primo Lutheri exstant. Moguntinus ad epistolam Lutheri nihil respondit, & Tecelius *Francofurti* ad *Viadrum* sua themata contraria à *Conrado Wimpina* aliisque confecto opposuit, & Papam Petro: crucem à Papa erectam cruci Christi comparavit, Theses illas Tecelianas *Hala Saxonum* allatas, studiosi Wittembergenses in foro cremarunt, qua de re Lutherus ita ad *Joannem* * *Langum*: *Ut autem sis prænonitus, si qua fama fortè ad vos pervenerit de conflagratione propositionum Tecellinarum, ne plus ullus addat (ut solet fieri) quàm sit rerum gestarum, hæc est fabula. Studentes, ut sunt mire pertæsi sophistici hujus antiqui studii, cupidissimi verò sacræ Bibliæ, forte & mei favoris studio, cùm rescissent, advenisse virum ab Hallis, missum à Tezel autore positionum, statim adeunt, & hominem terrentes, quod talia huc auderet afferre, aliquot quidam emerunt, alii verò rapuerunt, & reliquas omnes ferme 800. (præmissa intimatione & convocatione, & si quis vellet adesse conflagrationi & funeri positionum Tetzellinarum, veniret ad forum hora secunda) combusserunt, atque hæc inscio Principe, Senatu, Rectore, denique omnibus nobis. Certe mihi & omnibus displicet illa gravis injuria homini à nostris illata. Sum extra noxam: sed timeo, quod totum mihi imputabitur. Fit ex ea re ingens undique fabula: sed major illorum, non injusta denique indignatio. Quid futurum sit nescio; nisi quod periculum meum eo ipso sit periculosius.*

Cum animadverteret itaque Lutherus sua themata cum multorum applausu excipi, & pro adsertis verisque haberi: quæ ipse * disputandi solummodò causâ protulisset, donec Ecclesia definiret, quid sentiendũ de indulgentiis esset: ad *Hieronymum Ecclesiæ Brandenburgensis Episcopum*, cujus erat ditioni subjectus, scribit, sua scripta ejus judicio subjicit, rogans;

Mores doctrinæ respondent.

Christus Propheta & Apostoli patefacti.

Erasmi scripta.

Luther. Græca & Hebræa discit. An. 1516.

Indulgentiæ venundantur, Joh. Tecel.

Ejus de indulgentiis hypervola.

Propositiones Luth. de indulgentiis. An. 1517.

* *Quem ipse appellat diem & annum indulgentiarum conculcatarum Tom. 2. ep. Luth. p. 345 Tecelii cum Luth. certamen.*

Comburit Luth. propositi. Luth. scopus at animus quis tum fuerit. Vide infrà.

Albertus Archiep. Moguntin. Ad quem scribit Luther. Slividan. l. 1. comment.

* *Exstat. tom. 1. op. Luth. & t. 1. epist. Luth. pag. 37. b Moguntinus non respondet. Tecelii themata contraria. Cremantur à studiosis Wittemberg.*

* *Tom. 1. ep. Luth. pag. 54. b.*

Luth. de ea se excusat.

* *Ita ipse Tom. 1. op. Lat. Witt. pag. 99. b. Scribit ad ep. Brand.*

rogans; ut *quæcunque displicerent vel calamo dispungat vel igni aboleat.* Luthero episcopus respondet, & *optare se indicat, ut paululum differat editionem probationum suarum, de indulgentiis etiam sermonem vulgarem editum nolle.* Ad hæc * Lutherus: *bene sum contentus, malo obedire, quam miracula facere, etiam si possem.* Scripsit & ad *Joannem Staupicium*, Augustinianæ familiæ vicarium, cui sui facti rationem exponit, eique resolutiones disputationum de virtute Indulgentiarum ad Leonem X. Pontificem curandas mittit, cui Pontifici & ipsi indicat, quàm temerè & avarè præcones Indulgentiarum auctoritate ejus abusi sint. Protestationem quoque sui muniendi repetit: quæ tomo 1. operum Lutheri exstat.

Exstat. t. 1. epist. Luth. p. 63 & t. 1. oper. Luth.

* Tom. 1. ep. Luth. p. 40 Scribit ad Staupicii. Exstat ep. t. 1. epist. Luth. p. 66 & t. 1. oper.

Oppugnavit autem principio Lutheri conclusiones *Joannes Eccius* obeliscis editis, quibus asteriscos suos *Lutherus* opponit. Post Eccium *Sylvester Prierias*, Dominicanus, palatii, quod vocant, sacri magister, prodiit, cum dialogo & præfatione ad Leonem confidenter admodum: ubi themata quædam, quasi fundamentum suæ sententiæ ponit. Ei quoque Lutherus respondet, & authoritati *Thomæ*, qua Sylvester pugnabat, *sacram scripturam* opponit. Sylvester ad ea rescribit: & *placere sibi ostendit, quòd Lutherus Romani Pontificis arbitrio se submittat, ambitionem à se removet, & Thomam, tanquam Doctorem Angelicum strenuè defendit.* Huic scripto Lutherus tantùm epistolâ ad Lectorem respondet; atque inter alia dicit; *si Pontifex & Cardinales idem sentiant, si Roma quoque sic doceatur: jam non esse dubium; quin Roma sit ipsissima sedes Antichristi, felicem esse Græciam, Bohemiam, & omnes, qui divortium ab ea fecissent, præconia Pontificis excogitari quotidie nova, ne concilio legitimo possit esse locus.* Tunc etiam acerbè in Lutherum scripsit *Jacobus Hogostratus* Dominicanus, Pontificem ad vim atque flammam exhortatus. Ei paucis respondens Lutherus, animum exprobrat crudelem; ac falsè hominis imperitiam ridet: *monetque, ut ita pergat laureolam in mustaceo quærere.* Anno millesimo quingentesimo decimo octavo, Lutherus omnibus dissuadentibus, obedientiæ tamen satisfacturus, ad *capitulum Heidelbergense* proficiscitur, maximam itineris partem pedes. *Herbipoli* benignè fuit ab Episcopo exceptus, ut & *Haidelbergæ* à comite Palatino *Wolfgango*. Habuit * tum disputationem in claustro *Augustinianorum*, quod hodie *Sapientiæ* collegium, *de* * *justificatione fidei.* Interfuit ei & *Bucerus*, quaque fuit manus celeritate, excepit, quæ inter disputandum à Luthero dicta, eaque cum *Beato Rhenano* communicavit, non sine egregio Lutheri elogio. De disputatione autem ipse Luth. ita:

Jac. Hogostrat. oppugnat Luth. Cui resp. Luth.

Ann. 1518. Abit Haidelb. Luth.

* Ad d. 6. cal. Maji.

„ Disputationem meam Domini Doctores
„ & libenter admiserunt, & ea modestia mecum disceptarunt, ut eo nomine mihi sint
„ commendatissimi. Quanquam enim pere-
„ grina illis videbatur Theologia, nihilominus tamen & argutè & pulcrè adversus eam
„ velitabantur, excepto uno, qui erat quintus
„ & junior Doctor, qui risum toti movebat
„ auditorio, quando dicebat, si rustici hæc
„ audirent, certè lapidibus vos obruerent
„ & interficerent. In reditu scripsit * epi-
„ stolam ad *Judocum Isenacensem* Theologum & Philosophum, suum præceptorem: ubi inter alia ita, *omnes constanter* (in doctrinâ gratiæ & operum) „ Doctores Wittembergæ mecum sentiunt, imò tota Universitas, „ excepto uno fermè Licentiato Sebastiano: „ Sed & princeps, & episcopus ordinarius „ noster, deinde multi alii prælati, & quot- „ quot sunt ingenioси cives, jam uno ore di- „ cunt, sese prius non novisse, nec audivisse „ Christum & Evangelium. „

Tom. 1. op. Tho. Sup. Exstat. Tom. 1. op. Luth. Wittemb. p. 170. Luth. de Roma sententia.

Haidelbergâ domum reversus, edidit illas *propositionum suarum de indulgentiis resolutiones & declarationes*, quas pontifici, ut diximus antea, Leoni X. dedicavit. Causas editionis adfert, ut *adversarios mitiget, desideria multorum expleat, & ne errare sinat eos, qui putent, omnia esse asserta.* Fatetur enim *multa esse, de quibus ipse dubitet, nonnulla quæ ignoret, aliqua se negare, sed nulla pertinaciter asserere:* Pontificisque adeò pedibus totum * se humiliter prosternit. *Maximilianus* itaque Imperator, de eventu disputationum talium solicitus, Pontificem monet: auctoritatem suam interponat. Pontifex per *Thomam Cajetanum* Cardinalem *Lutherum* Romam evocat, idemque à *Friderico* Saxoniæ Electore epistolâ petit. Lutherus ubi hoc intellexit, unicè id egit, ut in Germaniâ idoneis constitutis judicibus, causa cognosceretur, tandemque res eò deducta est, intercedente pro Luthero ad Pontificem & *Carolum Miltitium* Germanum, Pontificis cubicularium, * *Wittembergensi Academia*, & ad Cajetanum legatum ipso Electore, ut coram illo legato *Augustæ* causam diceret. Venit Augustam Lutherus pedes sub mitium * Octobris de viâ fessus in cuculla à *Wenceslao Linckio* commodatò sumta: & ad Cajetanum, acceptâ fide publicâ admissus, de *tribus* his fuit compellatus, primum ut *ad sanitatem rediret*, & quos divulgasset *errores revocaret*, deinde ut *promitteret, se imposterum talia non docturum*, denique ut & *ab aliis, quæ Ecclesiæ tranquillitatem perturbent, abstineret.* Objectum Luth. fuit, quod *negasset meritum Christi esse thesaurum indulgentiarum*, & quod docuisset, *accessuris ad sacramentum, necessariam esse fidem.* Probavit *Cajetanus* suam sententiam *Clementis VI.* decreto, multisque *Romæ sedis auctoritatem* extulit: ut quæ *omnibus & scripturis & conciliis anteponenda* sit. A multa disceptatione Lutherus deliberandi spacium petit, postridie redit, & præsentibus aliquot testibus atque scriba, consiliariis quoque Cæsaris quatuor adhibitis, *Ecclesiam Romanam à se observari profitetur, si quid alienum ab ea dixerit, nolle id ratum habere, errorem autem, cujus nullius ex scriptura convictus sit, revocare non posse, ac judicium Ecclesiæ permittere.* Dimisso

* Vide ep. ad Leon. X. tom. 1. op. Lat. p. 234. A. 1518. Maxim. I. ad Pontif. causam defert. Tom. 1. op. Lat. Luth. Witt. pag. 205. Luth. Romam. vocatur. Tom. 1 op. Luth. Witt. pag. 203. b. seq.

* Exstat Tom. 1 op. Luther. p. 206.

* Die S. Marci. Tom. 1. ep. p. 83. Augustam venit Lutherus. Quid à Luthero ibi postulatū. Objecta ibid. Luth. Cajetanus Rom Pontif. defendit. Tom. 1. op. Lat Witt. Luth. Luth. confessio tum. Discedat Augustâ.

* Quæ exstat tom. 1. epist. p. 60. Luth. dogma acceptum. Edit declarat. propos. tom. 1. oper. Luth. Latin.

missô Luthero cum objurgatione, legatus cum *Staupicio* egit, ut Lutherum ad revocationem impelleret. Sed perstitit Lutherus in sententia cum testimoniis scripturæ non convinceretur, tandemque metuens ne Cardinalis rem omnem magis imperio, quam disputatione definiret; cum ad Pontificem provocasset, Augustâ discessit, (quia Cardinalis dixerat, ne in suum conspectum rediret, si revocare nollet) *vigesimo* Octobris, rejicta ad Cajetanum epistola, & appellatiione ad Papam publicè affigenda.

Tom. 1. ep. p. 96. b. & p. 89. b. Cajetani ad Elect. Saxon. litera.

Post abitum Lutheri *Cajetanus*, qui ægrè id ferebat, ad Saxonem dat literas,* quibus eum monet: ut *Lutherum aut Romam mittat, aut finibus suis ejiciat, oratque ne Lutheri defensoribus fidem habeat, neve maculam illustrissimæ familiæ suæ adspergat.* Cui Elector respondet, *id sibi integrum non esse, cum nullius erroris convictus sit, & Academiæ utilem navet operam: & Lutherus se ad cognitionem causæ atque disputationem offerat.* Confirmavit hunc Principis animum & epistola *Erasmi*, & intercessio ac testimonium *Wittenbergensis* scholæ. Id etiam prætereundum hîc non videtur, quod heroici in Luthero est animi argumentum insigne: cùm Lutherus Augustam venisset, & de consilio suorum, quibus à suo Principe erat commendatus, in tertium usque diem exspectasset fidem publicam: misit Cardinalis quendam, qui Lutherum ad se vocaret. Ibi cum Lutherus negaret, se venturum citra impetratam fidem Cæsaris, commotus ille, *quid?* inquit, *putas Principem Fridericum propter te arma sumturum?* respondente Luthero, *hoc se prorsus nolle*, cum ille, *& ubi manebis?* cui Lutherus, *sub cœlo*, respondit, pergit Italus: *si tu Papam & Cardinales in potestate tua haberes, quid esses facturus? Omnem*, inquit Lutherus, *reverentiam & honorem essem exhibiturus.* Hic ille, more Italico morsicans digitum, *Hem*, inquit, & cum dicto abit.

Tom. 1. ep. Luth. pag. 109. Electoris responsio.

Lutheri cum Italo colloquium Augustæ.

Hæc dum geruntur, Lutherus, etsi animum minimè despondebat, tamen ne aliis damno esset, aut periculo, aut principem in suspicionem duceret, & ut liberius agere contra Papatum posset, abitum molitus est, in Galliam vel aliò, contrà amici suaserunt, ut se Saxoni captivum quasi sisteret: idque Pontificis legato scriberetur, *adservari Lutherum sistendum in loco tuto* ad respondendum. Sed Lutherus, cum planè animum induxisset abeundi, Principi suo per epistolam * valedicit, die *vicesima nona* Novembris, & pro beneficiis in se collocatis gratias agit. Epistolam illam princeps Elector Saxo, Legato Pontificis misit; Lutherum autem Wittenbergæ manere jussit; qua de re Lutherus ita: *Princeps voluit omninò, ut manerem, quid nunc cogitet editis actis (Augustanis) & appellatione (ad concilium) nescio.*

A. 1518. Luth. abitum molitur.

**Tom. 1. epist. Luth. p. 120.*

Nam cum è Cajetani literis intellexisset, fore, ut contra se Romæ judicaretur; novam interjecit appellationem, qua *addictum se extrema necessitate dicit, ut à Pontifice provocaret ad futurum * concilium, quod Pontifici sit modis omnibus præferendum.* Sub idem tempus, anno *decimo octavo* exeunte, Pontifex misit in Germaniam *Carolum Miltitium* Misnicum equitem, & *Fridericum* aureâ rosa, à Romanis Pontificibus *quarta Dominica Quadragesimæ* consecrari solita, donavit: ut in fide majorum suorum perseveret, hortatus. Egit is cum Luthero multis, ut Papæ reconciliaretur, & habuit *septuaginta brevia*, ut vocant, *Apostolica*, ut si Princeps Fridericus eum traderet; id quod Papa per rosam quærebat, singulis in oppidis affigeret singula, & ita tutum perduceret Romam. Prodidit autem coram consilium cordis sui cum dixit: ô Martine, ego credebam te esse senem aliquem „ Theologum; qui post fornacem sedens, „ secum ita disputasset. Nunc video te esse adhuc integrum ætate & validum. Si habe- „ rem viginti quinque armatorum millia, „ non confiderem te posse à me Romam per- „ duci. Exploravi enim per totum iter ani- „ mos hominum, quid de te sentirent. Ecce, „ ubi unum pro Papa stare inveni, tres pro „ te contra Papam stabant. „ Illud vero in Miltitio ridiculum fuit: exploraverat etiam mulierculas & virgines in diversoriis, quidnam *de sede Romana* sentirent? Illæ, ut ignaræ hujus vocabuli, & *sellam domesticam* cogitantes, responderunt: *Quid nos scire possumus, quales vos Romæ habeatis sellas, ligneas ne an lapideas?* Lutherus autem rogavit: ut consuleret quæ pacis essent: se omnem daturum operam; ut Papa idem faceret. Ille prolixè promisit: omnia, quæ ullo modo salvâ conscientiâ veritatis posset, promtissimè se facturum, se quoque esse pacis cupidum & studiosum qui per vim tractus in illas turbas, necessitate adactus feciisset: culpam non esse suam. Vocavit idem *Miltitius* ad se *Tecelium*, principem ejus tragœdiæ auctorem, & verbis minisque ita fregit * hominem, hactenus terribilem cunctis, & imperterritum stentorem, ut inde contabescens tandem ægritudine animi fuerit confectus. Lutherus, ante obitum literis benignè scriptis, hominem consolatus est, ac bono animo esse jussit, sed ille metu fortè indignationis Papæ, vitam reliquit. Fridericus autem Elector, princeps pius & sapiens, nec Pontificiorum admisit voculas, nec rosam * ipsam ullo est honore dignatus, quamquam *Miltitius* mirè triumpharit ob eam & Dresdæ dixerit: *Doctor Martinus* **ist in meinen Händen**/ *hoc est, Doctor Martinus est in mea manu.* Sub id tempus & Boemi *Lutherum* hortati sunt, missis literis & libello quodam *Hussi*, ad constantiam & patientiam, ac confessi sunt theologiam, quam doceret Lutherus, esse puram.

A. 1518. Provocat à Pontifice ad concilium Luth.

** Tom. 1. operum Latin. Wittenb. p. 231.*

A. 1519. Carolus Miltitius in Germ. missus. Vi Luther. Romam abducat. Ejus de Luth. verba. Præfat. t. 1. oper. Luth. Lat. Witt.

*Tecelium objurgat Miltitius. * Tom. 1. ep. Luth. pag. 152. Tom. 1. ep. Luth. pag. 208. Tecel. meritur.*

** Tom. 1. epist. Luth. p. 280. Boemi Luther. hortati.*

Rebus hunc in modum exacerbatis, & multis in Lutherum excitatis adversariis; *Lipsiæ*, Misniæ

A. 1519. Disputatio Lipsica.

Tom. 1. operum Luth. Lat. Witt. & t. 1. epistol. I. Eccius cum Andr. Carolost. ad. congressus.

Misniæ oppido, tunc *Georgii* Saxoniæ Ducis, qui erit Friderico patruelis, disputatio anno *decimo nono* fuit instituta. Venerunt eò *Andreas Carolostadius*, *Luthero* & *Melanchthone* & *Barnimo* Pomeraniæ Duce, qui ea ætate magistratum scholasticum Wittenbergæ gerebat, comitatus, & *Joannes Eccius* Theologus Pontificius Ingolstadio. Die itaque *vigesima septima* Junii congressi, I. *Eccius* & *Carolostadius* de *libero arbitrio* primum disputarunt, *an sit aliquod nobis αὐθαίρετον bonum opus*, hoc est, ut ipsi dicunt, *an de congruo mereamur gratiam, cum facimus quod in nobis est.* Dedit Eccius *in voluntate nostra non esse vim genuinam, quæ opus bonum producat, sed adscititiam* tantum. Atque ita totum octiduum ἐν τῷ σοφίζεσθαι fuit transactum. Lutherus, cum nullis literis potuisset impetrare fidem à Duce Georgio, non ut disputator, sed spectator, sub fide *Carolostadio* data Lipsiam est ingressus.

Luther. ad disputand. provocat.

Accessit igitur ad eum Eccius in hospitio, dicens *se audisse Lutherum detrectare disputationem*, cui Lutherus, *quomodo*, inquit *disputare possum, cum nequeam impetrare fidem à Duce Georgio. Tum* Eccius, *si tecum non licet disputare, neque cum Carolostadio volo. Propter te enim huc veni. Quid si ego fidem tibi impetravo, nunquid disputabis mecum?* Ad id annuente Luthero, abiit, & mox data est Luthero quoque fides publica, & facta copia disputandi. Fecit Eccius hoc ideò, quia certam sibi victoriam & gloriam promiserat ex propositione una, qua Lutherus negarat: *Papam esse jure Divino caput Ecclesiæ.* Hic latissimus ei patuit campus, & occasio summa plausibiliter adulandi, & gratiam Pontificis emerendi; Lutherum autem contra odio & invidia obruendi. Fecit hoc antagonista per totam disputationem *strenue, sed nec satis firmavit, nec Lutherum confutavit. Eccii argumenta præcipua fuerunt, *non posse Ecclesiam esse ἀνάφαλον, cum sit civile corpus*, deinde locum *Matthæi* protulit: *Tu es Petrus*, produxit & quædam ex *Hieronymo* & *Cypriano*, & denique authoritatem concilii *Constantiensis*, ubi contra articulos Hussitarum pronunciatum est, *de necessitate salutis esse, credere, Romanum Pontificem œcumenicum esse.* Postea *de purgatorio* agi ceptum, de *indulgentiis* non multum, de *pœnitentia*, de *remissione culpæ & pœnæ*, de *sacerdotum potestate.* Duo postremi dies dati sunt *Carolostadio*, & *decimo quarto Julii* disputatio fuit soluta, quam deinde Lutherus omnem evulgavit. Largitus est ibi Lutherus Eccio: *Pontificem jure humano esse caput ecclesiæ.* Itaque cum *Georgius* Princeps Saxoniæ, eos ad mensam vocasset, inter prandendum, humeros Lutheri & Eccii mulcens, dixit; *sive jure divino, sive humano sit Papa, est tamen Papa.* Sed Lutherus postea longè aliter sensit. Ante disputationem Lipsicam evocatus fuerat Lutherus Confluentiam, à *Carolo Miltitio*, Apostolico commissario, ad dicendam causam, sed Lutherus multis se argumentis *excusavit, cur eo nec possit, nec debeat ire.

Papa an caput ecclesiæ jure divino.

*Quæ describitur tom. 1. operum Latin. Luther. & 2. 1. epist. p. 161. 180. Eccii argumenta pro Pontif. Matt. 16.

*Epistola t. 1. p. 176. b. A. 1520.

Anno *vicesimo* supra *millesimum quingentesimum*, *Miltitii* monitu Lutherus ad Pontificem scribit, * illique librum de *libertate Christiana* recens à se conscriptum, & pacis conditiones offert. Cepit sub idem tempus graviter ægrotare Princeps Fridericus Elector. Itaque rogatu quorundam Lutherus, ex officio charitatis Christianæ, dolorem sublevare est conatus, scripto libello, quem *Thesseradecadem* vocat. Edidit & tunc scriptum de *ratione confitendi peccata*: in quo aliquid de votis adjicit, & carnificinam animorum deplorat. Sed cum in alio scripto quodam dixisset: *utile sibi videri, siquidem auctoritate concilii permitteretur, ut integra Cœna Domini omnibus daretur*: dictum hoc, eò quod decreto Lateranensis concilii novissimi adversaretur, multi graviter tulerunt, inter quos *Ioannes* Episcopus Misenus, qui suæ ditionis Ecclesiasticis interdixit, ut libello suppresso suos docerent, *sub utralibet specie totam Domini Cœnam repræsentari.* Lutherus huic mandato respondet, & causam suam tuetur. Interea Theologi *Lovanienses* consilio cum *Adriano* Cardinali *Derthusensi* in Hispaniis tum agente, communicato, & *Colonienses* Lutheri aliquot libros, facto decreto, damnant ut impios & igni dignos, & auctorem ad revocationem cogendum scribunt. Quo facto cognito: Lutherus ad singula capita respondet, cumque tot & tantos haberet adversarios, epistolam ad *Carolum* V. nuper creatum Cæsarem, scribit, qua *veniam compellationis deprecatus supplex rogat, ut tantisper defendat, dum reddita ratione aut vicerit aut victus fuerit. Idenim Imperatorium decere thronum, non pati ut justi deprimantur & ab impiis conculcentur.* In eandem ferè sententiam ad omnes Imperii ordines dat literas, paucis repetitis, quomodo ad hanc causam pertractus sit. Nec multò post idem ad *Albertum* Archiepiscopum Moguntinum Cardinalem valdè submisse scribit, & à duobus hominum generibus se damnari „ dicit, quorum alterum sua scripta nun- „ quam legerit, alterum legerit quidem, sed „ animo odii pleno & amarulento. *Moguntinus Luthero inter alia rescribit ita*, ex „ animo velimus res sacras, cum à te, tum à „ quibusvis, qui hanc professionem sibi su- „ spiciunt, reverenter ac religiosè, modeste- „ que sine tumultu, sine invidia, ac contume- „ lia, atque convenit, tractare. *Dicit etiam* „ non sine dolore se audire, à magnis quibus- „ dam disputari, de Pontificis Romani pri- „ matu, de libero arbitrio, & similibus nuga- „ mentis, *ut vocat*, non admodum ad verè „ Christianum pertinentibus, nec sine magno „ inobedientiæ incitamento, temerarias ad „ imperitum vulgus opiniones disseminari: „ de synaxi sacra sub utraque specie indiscri- „ minatim percipienda, denique de concilio- „ rum etiam auctoritate. *Claudit tandem literas illa admonitione Gamalielis*: Si opus „ tuum ex Deo, erit firmum & indissolubile, „ sin ex invidia fastuve, facilè dissolvetur. „ In eundem modum Lutherus ad *Adolphum* Epi-

Iterum scribit ad Papam Luther. *Tom. 1. epistolar. Luther. p. 255. & t. 2. oper. Latin. Witt.* *Consolatur Electorem Fridric. Tom. 12. operum Latin. Wittenb. Lovanienses & Colonienses damnant libr. Luth. Tom. 2. operum Latin. Witt. p. 34. 36. 39.* *Respondet Luther.*

Scribit ad Carolum V. imperat. Tom. 2. operum Luth. Lat. Witt p. 44 *Et ordines Imperii.*

Atque ad Moguntinum. Tom. 2. oper. Lat. Witt. p. 46. 47. *Qui respondet.*

Tom. 2. op. Lat. Witt. pag. 48.

scopum *Mersburgensem* dat literas, à quo etiam idem ferè tulit responsum, cum admonitione; ut Christi, pacis auctoris, amore calamum temperet.

An. 1520. Elect. Saxon. exosus Roman.

Accidit sub idem tempus, ut aliquid negocii esset *Friderico*, Electori Saxoniæ Duci, Romæ, quod *Valentino à Dithleben* Germano commendavit. Hic nunciat. *Electorem Romanensibus esse invisum propter Lutherum*, quem ille nova dogmata spargentem ferat.

** Tom. 1. oper. Lat. Witt. p. 50 Qui se purgat.*

„ Princeps igitur se purgans scribit. * se nunquam doctrinam aut scripta Lutheri defendisse, & ne nunc quidem ejus esse animi. „ Quanquam audiat, multis doctis Lutheri „ doctrinam probari, verùm se nihil pronunciare, *deinde* paratum esse Lutherum „ coram Legato Pontificio, modò idoneè caveatur, rationem doctrinæ reddere, & si „ demonstretur error, sententiam mutare. „ Imò Lutherum antea sua sponte è terris „ illis cessurum fuisse, nisi Miltitius suasisset „ retinendum potius, quam aliò demittendum, ubi liberius & tutius majora aggredi „ posset. Non itaque esse causam, cur malè de se aliqui suspicentur.

Tom. 2. op. Lat. Witt. pag. 51. 54. Bulla Papæ in Luther.

Huic epistolæ Pontifex respondit missoque exemplo bullæ, quam *Eccius* * interea impetrarat, petit, primum ut *Lutherum cogat revocare, vel si hoc recuset; custodiæ mandet captumque ad Pontificis instantiam adservet.* Ibi cum aula Saxonica * nonnihil terreretur, Lutherus de angulo aliquo, in quem se abdat, cogitare cepit. Id cum resciviſſent nobiles quidam Germani, jam Lutheri doctrina imbuti, & hospitium & patrocinium ipsi obtulerunt, de quibus fuerunt *Franciscus à Sickingen, Hulericus Huttenus, Sylvester de Schauenburg:* Et hic quidem per literas Lutherum rogavit, ut ne vel in Boemiam vel aliò, sed ad se confugeret, diris scilicet Papæ prævalentibus, policitus tutelam vel *centum nobilium* equitum Franciæ. Itaque Lutherus animosior factus Spalatinum monet, ut literis *Friderici* Electoris, ad Cardinalem S. Georgii hoc subin-

** De quo scribit. 1. epist. p. 249 Eccius Romam abiit imperaturus contra me abyssos abyssorum.*

** Tom. 1. epist. Luth. p. 286. b.*

Luth. abitum molitur.

** Tom. 1. epist.*

„ dicetur, verba Lutheri * hæc sunt: Mitto „ literas Francisci equitis Silvestri Schauenbergen, & nisi molestum esset, vellem in literis Principis id subindicari Card. S. „ Georgii, ut scirent, etiamsi me pellerent „ diris suis è Wittemberga, nihil effecturos, „ nisi ut rem pejorem è mala reddant, quandoquidem jam non in Boëmia, sed media „ quoque Germania sint, qui expulsum tueri possiut & velint, invitis ipsis, contra omnia sua fulmina. Ubi periculum est, ne „ iis quidem protectoribus tutus, sævius in „ Romanenses sim grassaturus: quàm si sub „ Principis imperio publicis militarem officiis docendi, id quod sine dubio, nisi „ Deus obsistat, futurum est: Principem verò, ut hactenus in multis suspexi, etiam irritatus, tunc certè non necesse erit suspicere. Itaque quæ illis à me nondum sunt illata, nec meæ modestiæ, nec suæ tyrannidi „ aut meritis, sed Principis nomini & autoritati, cum communi studiosorum Wittembergens. causæ, sciant deberi. A me „ quidem, jacta mihi alea, contemtus est Ro- „ manus furor & favor: *nolo eis reconciliari* „ *nec communicare in perpetuum, damnent* „ *exurantque mea.* Ego vicissim, nisi ignem „ habere nequeam, damnabo, publiceque „ concremabo jus Pontificium totum, id est „ lernam illam hæresium, & finem habebit „ humilitatis exhibitæ hactenusque frustratæ „ observantia, qua nolo amplius inflari hostes Evangelii. „ Edidit autem Lutherus ante, quàm bullam vidisset, librum *de captivitate Babylonica*, in quo optat, ut abolitis quæ de indulgentiis evulgarat, hæc propositio substituatur: *Indulgentiæ sunt adulatorum Romanorum nequitiæ*, & iis, quæ de Papatu disseruerat, hæc: *Papatus est robusta venatio Romani Episcopi.* Agit deinde de sacramentis, quorum tria agnoscit. Scripsit & *adversus execrabilem Antichristi bullam: Papam vocat Antichristum*, & articulos per bullam damnatos adserit.

Tom. 2 op. Lat. Witt. p. Lib. Luth. de capt. Babyl.

Papa Antichrist.

Eodem anno Cæsar *Carolus Aquisgrano*, ubi solenni pompâ inauguratus erat, *Coloniam Agrippinam*, sub calendas Novembris, descendit, & cum eo Elector Saxoniæ *Fridericus.* Ferventibus ergo tum maximè religionis controversiis, ἰδιοβουλίαν in re tantâ noluit, sed multorum sapientum & doctorum, atque in his etiam *Erasmi* consilium, quem *Lovanio* Coloniam evocarat, scisitatus est. In primo congressu, cùm Erasmi judicium de causa Lutheri Princeps peteret, & inter cætera se mirari diceret, tantam odii acerbitatem adversus Lutherum, cujus ipse vitam ac mores integros, & doctrinam non impiam esse doceretur, à quibusdam monachis & Pontifice ipso exerceri. Erasmus à joco exorsus, *non mirari debere Principem*, ait, *cum monachorum ventres, & Papæ coronam Lutherus suis disputationibus attigisset.* Postea serio & graviter de illorum temporum controversiis sententiam exponens ostendit; justè à Luthero indulgentiarum, & alios ab- „ usus & superstitiones taxari, earumque e- „ mendationem esse Ecclesiæ necessariam, ac „ summam doctrinæ veram, sed in contentionibus nimis vehementem & violentum „ videri. Evangelii negocium Evangelica „ consuetudine tractandum esse. „ Hoc judicio senili confirmatus *Fridericus* Elect. acquievit, & de acerbitate in disputando gravissimè Lutherum monuit. Venerunt tunc Coloniam *Marinus Caroccialus* & *Hieronymus Aleander*, qui denuo Pontificis nomine solicitarunt *Fridericum* Electorem. Sed cum Elector non ex voto responderet, illi ex formulâ decreti sibi agendum dicentes, Lutheri lucubrationes exurunt. Iidem Pontificis oratores feruntur tunc *Erasmo* pinguissimum episcopatum promisisse, si calamum in Lutherum stringeret, quibus ille responderit: *major est Lutherus, quam ut in illum scribam, imò tantus, ut ex Lutheri unica pagella perlecta, plus eruditi, quam ex Thoma toto.*

An. 1520

Fridericus elect. Sax. Erasmum consulit de Lutheri doctrina. Tom. 2. op. Lat. Witt. Sleidan.

Ejusdem judicium.

Tom. 2. op. Luth. Lat. Libri Lutheri exusti.

Erasm. in Luth. instigatur.

Ajunt

Ajunt & *Margaritam* * Cæsaris amitam, quæ tunc Belgio toti præerat, cum magistri nostri Lovanienses conquererentur, *Lutherum suis scriptis Rempub. evertere Christianam universam*, quæsivisse, *quid esset hominis Lutherus?* illis respondentibus, *indoctum monachum esse:* excepisse eam, *scribite ergo vos multi docti adversus unum indoctum, & procul dubio plus orbis fidei est habiturus doctis multis, quam indocto uni.*

*Tom. 2. operum Lat. Witt. pag. 123. Margaritæ Cæs. amitæ lepidum responsum.

Lutherus, cognito quid de scriptis suis factum, anno *vicesimo* * *die decima* Decembris, convocatâ omni multitudine scholastica Wittenbergæ, & magna doctorum catervâ comitante, ante portam *Elistri* post prochodochéum, in rogum à quodam magistro accensum, *jus Pontificium & bullam Leonis*, cum quibusdam scriptis *Eccii, Emseri*, & aliorum, hiscè verbis conjecit: *quia tu conturbasti sanctum Domini, conturbet te ignis æternus.* Postridie, in explicatione Psalterii, auditores vehementer monuit, ut, *quàm cara ipsis salus animæesset, à Pontificiis statutis caverent*, & scripto edito facti rationem reddidit, atque ex infinitis Pontificii juris erroribus *triginta* hos excerptos proposuit:

A. 1520. * Luth. t. 1. epistola p. 294 & t. 2. oper. Lat. Witt. p. 125. Comburit jus Pontif. & bullam Luth. Trigenta Pontif. errores.

I.

Papa & sui non tenentur præceptis Dei subjecti & obedientes esse.

II.

Non est præceptum, sed consilium S. Petri: quando docuit, ut omnes homines regibus essent subjecti.

III.

Sole significari Papalem, luna Imperialem, sive secularem potestatem in Christianâ repub.

IV.

Papam & ejus sedem non teneri subjectos esse conciliis & decretis.

V.

Papam habere in scrinio pectoris sui omnia jura, & plenam potestatem super omnia jura.

VI.

Ex quo sequitur: *Papam habere potestatem omnia concilia & omnes constitutiones & ordinationes convellendi, mutandi, & statuendi:* sicut & quotidie facit.

VII.

Pontifici Romano jus esse postulandi juramentum & obligationem ab episcopis pro eorum palliis.

VIII.

Si Papa suæ & fraternæ salutis ita sit negligens, ita inutilis & remissus, ut innumerabiles populos ducat secum primo mancipio gehennæ in æternum plagis vapulaturus, hujus culpas à nemine mortalium redarguendas esse.

IX.

Salutem universitatis fidelium, post Deum, ex Papæ incolumitate pendere.

X.

Neque Papam, neque ejus sententiam quisquam in terris judicare potest, ipse verò Papa omnes homines judicat.

XI.

Romana sedes concedit autoritatem omnibus juribus & legibus, sed ipsa nullis eorum subjecta est.

Tom. 2. op. Luther. Latin. pag. 125. seqq.

XII.

Petra, super quam Christus Matth. 16. ecclesiam suam ædificat, appellatur * *Romana sedes, cum proximis suis.* *Distinct. 19.

XIII.

Claves soli S. Petro traditas esse.

XIV.

Christi sacerdotium ab eo in S. Petrum esse translatum: De constit. c. Translato.

XV.

Papam habere potestatem condendi jura & leges ecclesiæ catholicæ. xxv. q. 1. Ideo permittente.

XVI.

Quod hanc sententiam: quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum & in cœlis; *eo trahit, quòd habeat potestatem, totam ecclesiam catholicam onerandi legibus suis temerariis.*

XVII.

Quod sub excommunicatione & peccato præcipit, certis diebus carne quadrupedum, ovis, butyro, & aliis lacticiniis non esse vescendum.

XVIII.

Quòd toti sacerdotio interdixit matrimonio, prohibens sacerdotes ducere uxores.

XIX.

Quòd Papa Nicolaus sive III. sive IV. *in sua Antichristiana decretali, inter multa mala ponit:* Christum *clavium traditione*, potestatem dedisse *cœlestis* simul & *terreni* regni.

XX.

Quòd Papa, magnum illud & impium mendacium: Constantinum Imperatorem ipsi Romanas provincias, regiones, & potestatem dedisse in terra & mundo hoc inferiore: *pro vero judicat & postulat.*

XXI.

Quòd Papa jactat, se sacri Romani Imperii hæredem esse: De sentent. & re judic. c. Pastoralis.

XXII.

Quòd Papa docet, justum & licitum esse, ut Christianus vim vi repellat.

XXIII.

Quod Papa docet, inferiores & subjectos, posse suis superioribus inobedientes & contumaces esse, & quòd Papa possit reges deponere.

XXIV.

Quòd Papa etiam nititur potestatem habere, convellendi & dissolvendi omnia juramenta, fœdera, & obligationes, inter superiores & inferiores status erectas.

XXV.

Papam habere potestatem, vota Deo facta dissolvendi & commutandi. De vot. & vot. red.

XXVI.

Quòd Papa docet, eum, qui differt suum votum solvere ex præcepto Dei, non teneri culpa rupti voti: ibid.

XXVII.

Quòd Papa docet, nullum posse Deo servire maritum vel conjugem.

XXVIII.

XXVIII.

Quòd Papa inutiles suas leges comparat Evangeliis & sanctæ scripturæ.

XXIX.

Papam habere potestatem sacram scripturam pro suo arbitrio & voluntate interpretandi & docendi, & nulli permittere, eandem aliter, quàm ipse Papa velit, interpretari.

XXX.

Quòd non Papa à scriptura sed scriptura à Papa autoritatem, vigorem, robur & dignitatem habeat.

Summa juris canonici.

Summa summarum totius juris Canonici hæc est: *Papa est Deus in terris, superior omnibus cælestibus, terrenis, spiritualibus & secularibus: Et omnia Papæ sunt propria, cui nemo audet dicere, quid facis?*

An. 1521. Wormatiam evocatur Luther.

Interea Fridericus Elector Saxoniæ effecit, ut Cæsar Lutherum ad comitia *Wormatiensi*, datâ fide publicâ, evocaret, mense Martio, anni *vicesimi primi*. Lutherus, Cæsaris acceptis literis *Wittemberga* abit, deductus ab ipsius caduceatore *Caspar Sturmio*, comitatus *Iusto Ionâ*, *Hieronymo Schurfio* & *Nicolao Amsdorfio*. Ex scholasticis unum sibi comitem adjunxit, *Petrum Suavenium* Danum, qui postea in aulam regis Daniæ *Christiani* accitus, studia literarum & ecclesiæ multum juvit. *Haidelbergam* ubi venit, ad disputationem publicam, si qui vellent, sese obtulit. Ibi tum, cùm multi eum dehortarentur, ne *Wormatiam* iret, & alii exustione librorum ipsius jam damnatum Pontificiorum calculo dicerent, alii exemplum *Hussi*, alii *Savonarolæ* proponerent, Lutherus magno animi robore id contemsit, & terrorem hunc à Sathana sibi dixit adferri qui confessione veritatis, præsertim in loco tam illustri, regnum suum labefactatum iri videret. Imò in hæc prorupisse verba dicitur: *Si scirem tot Wormatiæ esse diabolos quot tegulæ intectis, tamen essem ingressurus.* *Ed abit.*

Terretur, ne eat. Lutheri fortitudo.

Invitatur à Fr. Sickingen.

Franciscus etiam à *Sickingen* à Cæsaris intimis rogatus, per *Bucerum* ad se incitavit in arcem *Ebernburgam*, ubi commodiùs causa sua posset disceptari, sed Lutherus non *Ebernburgam*, verùm *Wormatiam* à Cæsare se vocatum respondet, eo etiam iturum. Ita progressus venit, die *decimo sexto* Aprilis, quæ fuit feria tertia, post *Misericordias Domini*. Ferunt ingredienti Ducis Bavariæ histrionem aulicum, sive ab aliis subornatum, sive fatidico spiritu instinctum, obviam cum cruce, ut in funeribus, venisse, altaque voce cecinisse: *Adveniisti desiderabilis, quem expectabamus in tenebris.* Erant tum statim quidam Cæsari authores, perinde cum Luthero, ut cum Hussio agendum, sed Cæsar fidem datam servandam censuit, & inprimis *Ludovicus* Elector Palatinus id ut ne fieret restitit, & cordatè dixit: *si id fieret, quod adversarii volebant, ad labem id Germanici nominis & dedecus pertinere sempiternum.*

Venit Wormatiam.

Ludovic. elect. Palat. fidem servandam Luth. monet.

Sistit se Cæsari Luth. Actio coram eo & princip.

Postridie *decimo septimo* Aprilis sub pomeridianam quartam, vocatus coram Cæsare & frequenti Principum consessu sese stitit. Ibi *Ioannes Eccius* Jureconsultus, Cæsaris orator, & officialis Trevirensis, mandatu Cæsaris Latinè & Germanicè clarâ voce: *Duæ sunt*, inquit, *causæ cur Cæsar de consensu Principum & ordinum, te jusserit accersi, Martine Luthere, de quibus ut ex te cognoscam, mihi mandavit*, primum *an hos libros* (fascem hic ostendebat librorum Lutheri Germanicè & Latinè scriptorum) *abs te conscriptos fatearis, & pro tuis agnoscas?* alterum, *an retractare quicquam in iis, aut verò quæ scripsisti, tueri velis?* Aderat Luthero *Hieronymus Schurffius* Jureconsultus, is librorum inscriptionem recitari * & edi petit, quod ubi factum, Lutherus breviter repetens quod propositum erat: quantum ad „ libros nominatos, *inquit*, pertinet, meos esse „ profiteor & agnosco, sed an propugnare velim, quæ scripsi, ut ad id legitimè respondeam, cum res sit maximi momenti, ne quid „ præcipitanter ac contra conscientiam à me „ fiat, deliberandi spacium posco. *Re communicata, Eccius iterum*, quanquam, ait, de scripto Cæsaris facilè tibi fuit causam cur evocatus sis, intelligere, atque idcirco non liceret tibi moram interponere, quo minus jam „ responderes, tamen Cæsar, quæ est ejus clementia, diem tibi unum ad cogitandum largitur, & ut cras, circa hoc ipsum tempus te „ sistas, & quid tui sit propositi, non scripto, „ sed oratione exponas, jubet. Quod moram Lutherus peteret, plerunque putarunt non fore constantem, sed falsi illi opinione suâ sunt. Hoc loco silentio involvendum non est, quod cum ad Cæsaris solium accederet Lutherus, multi è concilio Principum monuerint, fortiter rem ageret, neve animum despondere, aut timeret illos, qui *corpus solum occidere possent, animam non possent*, alii illud subjiciebant, *cogitaret, cum steteritis coram regibus ac Principibus ne estote soliciti quomodo aut quid loquamini. Dabitur enim vobis illo momento, quod loquamini.*

* *Intitulentur libri. Respons. Luth.*

Animatur Luth. à princip. Matth. 10. v. 19. 20.

Sequenti itaque die, cum ad horam dictam adesset Lutherus, ab Eccio iterum interrogatus, *ecquid tandem animi ei esset?* ipse ad Cæsarem atque Principes conversa oratione, & audientia benevola suppliciter petita, argumenta librorum suorum distinxit. Ex iis „ *inquit*, quos scripsi, libris, quidam ad fidei „ & pietatis doctrinam pertinent, quibus etiam adversarii præclarum dant testimonium. „ Hos si abjurarem, officium viri boni neglexisse jure queam accusari. Sunt alii quibus „ Pontificatum Romanum, & Pontificiorum „ doctrinam refello, qui maximis incommodis Rempub. Christianam afflixerunt, & „ etiamnum affligunt. Hos si abolearn, tyrannidem illorum confirmaro. Tertium „ genus est eorum, qui scripti sunt in quosdam „ privatim, qui Romanam nequitiam defendere volunt, mihique calumniosè multa impingunt. In his equidem fateor, me alicubi „ fuisse vehementiorem, sed nec me ἀναμάρτητον esse agnosco, & hos ipsos etiam retractare mihi integrum non erit, nisi velim festram insolentiæ multorum aperire. Sed „ tamen quia homo sum, errare possum, & „

Iterum sistit Luth.

cupio

„ cupiò ſcripturæ teſtimoniis melius eruditi „ à quovis. „ Hæc & plura eo locuto, Eccius torviori vultu: *non reſpondes*, inquit, *ad rem, neque tuum eſt conciliorum auctoritatem in dubium vocare. Planum & ſimplex abs te reſponſum requiritur: an velis tua ſcripta eſſe rata.* Tum Lutherus: *quando ergò Cæſar ac principes, jubetis, planè ut reſpondeam, obtemperabo. Hæc eſt mea ſententia: niſi ſcripturæ teſtimoniis vel evidenti ratione convictus fuero, non poſſum quicquam eorum, quæ vel ſcripſi vel docui, revocare. Nam ut conſcientiam meam vulnerem, non committam: Pontifici autem Romano & ſolis conciliis non credo: quæ & errarunt ſæpius, & contraria ſibi ipſis tradiderunt, capta & conſcientia in verbis DEI neque poſſum neque volo quicquam, cum contra conſcientiam agere neque tutum ſit, neque integrum:* Hie ſtehe ich / ich kan nicht anders/ GOtt helff mir/ Amen. Hoc eſt, *hic ſto: aliter non poſſum, Deus me juvet, Amen.* Ac cùm denùò urgeretur; ipſe tamen in dato reſponſo perſtitit, & ita tunc eſt diſceſſum.

Poſtridie Cæſar epiſtolam in concilium principum mittit, ejus hæc ſumma: „ Majo- „ res noſtri & ipſi Chriſtiani principes, fue- „ runt nihilominus Eccleſiæ Romanæ audi- „ entes, quam nunc Doctor Martinus Lu- „ therus impugnat, & quia ne latum quidem „ unguem ab erroribus diſcedere in animum „ induxit, non poſſumus nos cum decore à „ Majorum exemplo deſciſcere, in antiqua „ fide tuenda, & Romanæ ſedi auxilium ſe- „ rendo. Ipſum autem Martinum Lutherum „ & adhærentes, excommunicatione perſe- „ quemur, & ſi quæ aliæ patent ad extinguen- „ dum viæ. Datam tamen & adſcriptam fi- „ dem violare nolumus, imò daturi operam „ ut ſalvus eò redeat, unde eſt accitus. Ea Cæſaris epiſtola diu multumque fuit in ſenatu principum diſceptata: neque deerant, uti fertur, qui Conſtantienſis concilii decretum, & veſtigia ſecuti, fidem ei minimè ſervandam eſſe dicerent: ſed huic ſententiæ tum alios, tum Ludovicum Palatinum Electorem, uti dictum, reſtitiſſe vehementer ajunt. Quapropter, non modò ſervandam ei fidem, ſed neque temerè damnandum eſſe plerique cenſebant, eo quòd magni res eſſet futura momenti, quicquid demum Cæſar decreviſſet; quem in hac ætate poſitum, à pontificiis adminiſtris impelli videbant adverſus Lutherum & exacui.

Diebus aliquot interjectis, *Trevirenſis* præſul, die *viceſimo quarto* Aprilis, Lutherum ad ſe, & alios principes, qui permiſſu Cæſaris aderant, vocavit, ubique amicè, ut de propoſito deſiſteret, cum eo egit. Verùm Lutherus, gratiis pro eorum ſolicitudine actis, in doctrina nihil conceſſit; ſcripta autem ſua Cæſaris & principum ſubjecit cognitioni; modò id ſcripturâ duce & verbo divino fiat. Roga te Trevirenſi, *ecquid remedii ſciret, aut daret?* reſpondi Lutherus: *nullum aliud, quam quod Gamaliel in Actis Apoſtolicis dediſſe legitur: ſi ex hominibus conſilium aut opus hoc eſt, diſſolvetur, ſin ex Deo, diſſolvere non poteritis:* atque idem petivit ad pontificem ut perſcriberetur. Cum Trevirenſis pergeret: *quid ſi articuli decerperentur concilio ſubmittendi?* ibi Lutherus, *modò*, inquit, *non ſint illi, quos concilium Conſtantinenſe damnavit:* Trevirenſi ſubjiciente, *ſe metuere eoſdem futuros*; animosè Lutherus: *eos tueri volo, etiam cum vitæ præſentiſſimo diſcrimine.* Itaque à Trevirenſi placidè dimiſſus rogavit Lutherus eundem, ut poteſtatem redeundi ad ſuos, ſub fide publica, ſibi à Cæſare impetraret: id quod & promiſit & præſtitit. Miſſo enim *Eccio*, illo officiali, paulò poſt ſignificavit Luthero; integrum ei eſſe; ut diſcedat ſub tutela Cæſaris intra *unum & viginti* dies, addita hac commonefactione; *necubi in itinere concionem ullam habeat, aut ſcribendo quicquam turbarum excitet.* Hoc audito Lutherus, *ſicut Domino*, inquit, *placuit, ita factum eſt, ſit nomen Domini benedictum.* Deinde Cæſari ac principibus gratias egit humaniſſimè, ſeque eis commendavit.

Die ergo Aprilis *viceſima ſexta*, quæ erat feria ſexta, poſt jubilate, ſalutatis ſuis, Wormatiâ abiit, quem *Caſpar Sturm* caduceator, aliquot horis pòſt ſubſecutus, *Oſpenheimii* offendit. Ex itinere Lutherus literas dedit, tam ad Cæſarem, quàm ad Principes Electores ac Imperii ordines, quibus ſe & cauſam ſuam commendat, & ad omnia ſe paratum, præterquam ad revocationem eorum, quæ ſciat ſacris literis contineri dicit. Cæſar autem, die *octavo* Maji, Lutherum proſcribit, quem *Leo* Pontifex, die *viceſimo octavo* Martii, die cœnæ Domini, iteratò excommunicat. Erant omnium animi tum arrecti: ecquid illa fulmina eſſent eſſectura.

Fridericus autem Elector, vir prudens, cùm Lutherum odia omnium incurriſſe videret, vitandi periculi cauſa, negocium dat fidis quibuſdam è nobilitate; ut in locum quendam tutum, ac ab hominum frequentia remotum, Lutherum abducerent: donec Cæſar è Germania abiiſſet. Illi quod mandatum fideliter exequuntur; ac in ſylva quadam currum, quo Lutherus vehebatur, cum impetu invadunt: atque in arcem *Wartenburgum*, propè *Iſenacum*, quam ipſe *Pathmum* poſtea nominavit, occultè deducunt. Conſilii illius *octo* duntaxat conſcii fuerunt: idque tanta taciturnitate; ut nemo extra ipſos, ubi eſſet Lutherus, * reſciſcere diu potuerit. Ferunt Magos paſſim à Pontificiis conſultos tunc, de loco in quo Lutherus latitaret, verùm nihil hic illos certi potuiſſe indicare. Manſit in eremo illa Lutherus *decem* circiter *menſes*; ac in ocio illo tum alios Eccleſiæ utiles labores, *Evangeliorum* etiam & *epiſtolarum enarrationes*, *Alberto* Manſfeldio dicatas, uti & *contra Latomum*, de *peccato in renatis reliquo*, edidit: tum verò duos nervos regni Pontificii *miſſas privatas* & *vota monaſtica* incidit.

Cæſaris epiſt. ad principes ſuper cauſa Lutheri.

Luth. dimittitur Wormat. Sleid. l. 3. p. 58.

Diſcedit.

Litera Luther. ad Cæſ. & Imp. Excommunicatur à Papa, & proſcribitur à Cæſare Luth.

In vitu intercipitur.

Pathmos Luth.

Trevirenſis & aliorum delectorum cum Luth. actio. Sleid. l. 3. comment. Scripta ſua Cæſaris judicio ac principum ſubjecit Luth. Conſilia Luth.

* Tandè enim innotuit Luth. tom. 1. ep. p. 356. b. Chytræus in Saxon. A. 1522. Luth. in eremo labores. Miſſa privata Wit. abrogata.

Quos libros *Augustinianis* fratribus, qui absente illo missas privatas abrogare, & de laxandis votis monasticis disputare ceperant; & patri suo inscripsit. Facti autem illius etiam ad Electorem Wittembergenses rationem reddiderunt: & *in quem finem*, tàm *templa*, quàm *collegia* primùm *instituta* essent, docuerunt: nempe *non propter missas; sed ut juventus in iis ad pietatem erudiretur: & possessiones donatas in usum docentum discentumque & pauperum. Postea, ab annis quadringentis circiter, natam illam missarum nundinationem.*

Sleidan. l. 3. com. Consil. Theol. Melanchth.

Habitus est Lutherus in illâ eremo suaviter, tractatusque liberaliter: quemadmodum in multis epistolis hospitis sui deprædicat humanitatem: cui ipse *diebus Dominicis ac festis*, in ecclesia domestica, est concionatus. Interdum etiam egressus est valetudinis causa in loca vicina arci, ubi fraga legit, interdum exspaciatus longiùs in monasteria adsita, adsumto nomine *Georgii* cujusdam nobilis (Juncker Görg) cum ministro quodam aulico, fido & taciturno, qui Lutherum monuit: *ne inter diversoriis ensem statim deponeret, atque ad libros accurreret, sicubi adessent, alias iri proditum.*

Exercitia corporis Luther. in eremo. Mutato nomine exspaciatur. It venatũ cum domesticis.

Aliquando exivit etiam cum suis venatum, qua de re ipse ita: „ Fui * proximè in venatione duobus diebus, visurus voluptatem „ illam horum γλυκύπικρον. Cepimus duos „ lepores, & aliquot perdiculas miseras. Dignam profectò occupationem hominum „ ociosorum. Theologisabar etiam ibi inter retia & canes. Ac quantum voluptatis „ attulit species illa rerum: tantum miseri„ cordiæ & doloris miscuit mysterium. Quid „ enim ista imago nisi diabolum significat, „ per insidias suas & impios magistros, ca„ nes suos, scilicet theologos, venantem in„ noxias istas bestiolas? nimis præsens erat „ mysterium hoc tristissimum de animabus „ simplicibus & fidelibus. Accessit & atro„ cius mysterium. Cum mea opera lepuscu„ lum servassemus vivum, & intra manicam „ meæ tunicæ involvissem, ac paulum discessissem, interim canes inventum miserum „ leporem per tunicam, fracto ejus crure dex„ tro, & suffocato gutture extinxerunt. Sci„ licet, sic sævit Papa & Sathan; ut servatas „ etiam animas perdat, nihil moratus meam „ operam. Denique fatur sum ejus venatio„ nis: dulciorem arbitror, qua jaculis & sa„ gittis, ursi, lupi, apri, vulpes & id genus „ magistrorum impiorum confodiuntur. So„ latur tamen me, quod proximum salutis „ est mysterium, lepores & innoxias bestias „ ab homine capi, quam ab ursis lupis, & „ rapacibus accipitribus, & similibus episcopis & theologis, quod hic ad infernum, illic „ ad cœlum devorari significentur.

**Tom. 1. ep. Luth. pag. 350. b.*

Venatio imago insidiarum diaboli.

Wittembergam etiam excurrit ex sua Pathmo, paucis conscriis, hospitio usus *Amsdorffii*, posuitque aliquot dies ibi jucundè apud amicos, clam electore. Laboravit autem in solitudine & ocio alvi duricie tantâ: ut vix quarto quintove die semel exonerare potuerit: accesserunt & tentationes diaboli: qui etiam strepitu ei molestus fuit. Morbum illum leniit & evicit tandem exercitationibus & medicamentis à Spalatino missis. Legit & tunc *biblia Græca & Hebraa:* scripsitque præter illos libros literas ad amicos, quæ in publicum editæ.

Excurrit Wittenb. occultè. Tom. 1. ep. p. 367.

Morbus Luther. in eremo. Tom. 1. pag. 361.

Tandem impatiens moræ & innovationũ *, *Wittembergam*, inscio Electore, ex eremo sua rediit, die *sexto Martii*, feria quinta post Esto mihi, anno *vicesimo secundo*. Causas reditus sui ad Electorem exponit † has: primò quod *vocatus sum literis ecclesiæ atque populi Wittenbergensis, idque precibus ac solicitationibus sane multis:* deinde *Wittembergæ me absente, Sathanas irruit in gregem meum: & tantum excitavit turbarum, ut mihi scriptis duntaxat hos tumultus reprimere & sedare non sit integrum, sed necesse est me vivum, præsentem, loquentem & audientem ibi agere, adesse, præsse, & prodesse.* Denique *admodum vereor, ne qua magna & horribilis seditio oriatur in Germania, quâ natio Germanica graves pœnas det contemtus & ingratitudinis. Necessarium ergo duxi, hac de re cum meis communi consilio & studio, docendo, monendo, hortando omnia agere, quæ possumus & debemus, ut iram & judicium Dei, aut avertamus, aut certè aliquandiu differamus.* Ibi etiam inter alia *certo scio*, inquit, *& firmissimè persuasum habeo, meum verbum seu initium mei Evangelii non à me, sed à DEO profectum esse. Nec ullum genus mortis aut persecutionis, Deo juvante, hoc mihi excutiet, aut diversum docebit. Et videor mihi rectè divinare: nullis terroribus aut sævitia hanc lucem aboleri posse.* Et alia † epistola: Redeo Wittembergam munitus præsidio multo sublimiore & firmiore, quàm ab Electore, „ Saxoniæ mihi præstari possit. Neque in „ animum unquam induxi, à C.V. defensio„ nem petere. Imò judico C.V. plus à me „ præsidii & tutelæ habituram esse, quàm „ mihi præstare. Præterea si scirem; C.V. „ velle & posse me tueri; planè non redirem. „ Huic causæ nullus gladius consulere, aut „ opem ferre potest. Solum Deum hic gubernare & agere oportet, sine ulla solicitudine & auxilio humano. Itaque in hac causa, „ qui firmissimè Deo fidit, is fortissimè se & „ alios defendit. Cum igitur videam C.V. „ adhuc valde imbecilla fide præditam esse, „ nullo modo tantum tribuere C.V. possum; „ ut ab illa me defendi aut liberari ex periculis posse statuam. Ego C.V. animam, corpus, & fortunas, omnis damni & periculi „ expertes in hac mea causa servabo, sive id „ credat C.V. sive non credat. Sciat etiam „ C.V. & nihil dubitet; longè aliter in cœlo, „ quàm Noribergæ de hoc negotio conclusum esse: videbimus enim, eos qui se jam „ putant Evangelion totum devorasse, & extinxisse, nondum Benedicite absolvisse. „ Longè alius, & potentior Princeps est, „ quàm Dux N. cum quo mihi negotium „ est. Is me, & ego ipsum mediocriter novi. „

* *De quibus antea in vita Carolostadii. Redit Wittenb. Luth. & cur.*

† *Tom. 2. epist. p. 67.*

Luth. persuasio & certitudo.

† *Tom. 2. oper. Luth. Jenens. pag. 57. Luther. παράπηγμα.*

Si

* Tom. 2. epist. p. 44. Alia causa reditus.

„ Si crederet illustrissima C. V. tum magnalia
„ & gloriam Dei videret. Cùm autem non-
„ dum credat C. V. nihil etiam eorum vidit.
„ Deo gloria & laus in æternum. Hæc &
alia plura ibi, plena παῤῥησίας divinæ, & fi-
dei πληροφορίας admirabilis. Præter istas cau-
sas reditus sui & hanc ad *Melanchthonem* *
perscribit: *Para mihi hospitium, quia transla-
tio me urgebit ad vos reverti, & ora Domi-
num, ut fiat cum sua voluntate. Opto autem
latere, quantum fieri potest, interim procedam,
quò instituí.* Idem scribit ad *Amsdorsium*,
*propter translationem Bibliorum cogi se, ut re-
deat Wittembergam, aliorum ea in re consilio
& auxilio usurus.*

Reprehendit facta se absente Luth.

* Tom. 7. oper. Luth. Wittemb.

Reversus ergo Lutherus à Dominica *Invocavit* ad *Reminiscere* usque, singulis diebus singulas conciones, quæ * extant, habuit, quibus quid probaret, aut improbaret, in mutationibus se absente factis, ostendit. Reprehendit autem factum illorum, qui *missam privatam*, & *idola* abrogarant; *cœnam sub utraque specie* celebrarant; *confessionem auricularem*, *discrimina ciborum*, *sanctorum invocationem*, & alia sustulerant, *non quòd impiè fecissent:* sed *quòd non ordine.* Damnare se dicit * *missam Papisticam*, *imagines*, quæ colantur, *leges Papæ de confessione*, *oratione*, *jejunio*, sed damnare solo verbo, non violenta abrogatione. Istis concionibus quid effecerit, ipse indicat*: „ Ego, inquit, Caro-
„ lostadium offendi, quod ordinationes suas
„ cassàvi, licet doctrinam non damnarim,
„ nisi quòd displicet in solis ceremoniis &
„ externis faciebus laborasse eum, neglectâ
„ interim verâ doctrinâ Christiana, hoc est,
„ fide & charitate. Nam sua ineptâ docen-
„ di ratione, cò populùm perduxerat, ut sese
„ Christianum arbitraretur, per has res ni-
„ hili: si utraque specie communicaret, si
„ tangeret, si non confiteretur, si imagines
„ frangeret. „ Et hoc fuit initium dissidii inter *Carolostadium* ac *Lutherum.*

* Tom. 2. epist. p 49.

* Tom. 2. ep. p. 56. Carolostadius offensus illis concionibus.

Hoc anno *vicesimo secundo*, prodiit primum *N. Testamentum*, in eremo illa *Germanicè* à Luthero redditum, & postea suâ atque * *Melanchthonis* operâ elimatum. Ejus lectione Pontificii quidam Principes & Episcopi suis interdixerunt. Scripsit & tunc ad *Boëmos** epistolam gravissimam: qua *eos ad constantiam hortatur in agnita veritate, & ne vana spe pacis ad Antichristum deficiant, dehortatur, ne nos se faciant innocentis sanguinis Joannis Hussi & Hieronymi Pragensis. Quòd autem sectæ illis exprobrentur, longè plures esse inter ipsos Papistas, docetque quomodo malo huic occurrendum sit.* Sub idem tempus * librum evulgavit, *adversus falsò nominatum ordinem episcoporum:* in quo invehitur graviter in Episcopos: quod Evangelii doctrinam damnent & persequantur: cùm toties provocati nunquam eam refutarint, aut suam defenderint. „ Tyrannide nihil ipsos effec-
„ ros, neque se vel Papæ anathemate, vel
„ Cæsaris proscriptione moveri, imò Evan-
gelii doctrinam subinde latius se propaga-
turum, idque eò animosius, quò vehemen-
tiùs illi resistant, nec extinctum iri Evan-
gelium etiamsi ipsum occidant. Deum
autem ipsos, si insanire pergant, gravissime
puniturum. „ Hoc libro Episcopos, Abbates, monachos, & totam fecem Antichristi ita irritavit, ut igni deletum libros Lutheri ire constituerint, cum ipsum auctorem non possent.

* Tom. 2. ep. p. 55. b. & ep 1. ad Camer.

* Est ep. 2. p. p. 85. & tom. 2. op. Lut. Witt. p. 328.

Conflixit eodem tempore cum fanaticis hominibus Lutherus, *Nicolao Storck*, *Thoma Muncero*, & *aliis novorum Prophetarum* antesignanis: qui jactabant *arcanas revelationes* angelicas, & *colloquia cum Deo*, *baptismum* quoque *parvulorum* impugnabant. Hæc fuerunt semina doctrinæ Anabaptistarum, sparsa per illos prophetas, qui ex urbe *Cygnæa Wittembergam*, absente Luthero, venerant: & non solùm *Carolostadium*, sed etiam *Melanchthonem* nonnihil * turbarunt. Respondit tunc Lutherus etiam *Henrico VIII.* Angliæ regi, qui illum libro edito, inter alios adversarios, oppugnarat: atque à Papa Leone *defensoris Ecclesiæ* titulum eo obtinuerat: sed respondit calamo asperiore: cujus vehementiam ne omnes quidem amici Lutheri probarunt. Ea de re *Erasmus* ita, *si Lutherus collaudato pio regis studio rem solidis argumentis fortiter peregisset, non violata regia dignitate, rectius opinor consuluisset suæ causæ.* Idem, *Quid invitabat Lutherum, ut diceret in libello adversus regem Angliæ: veniatis, Domine Henrice, ego docebo vos? Certè regis libellus Latinè loquebatur nec inerudite.* Sed Lutherus ita se* excusat: Si quem offenderit mea in Regem
asperitas: hoc sibi responsum habeat. Cum
insensatis monstris me hoc libro agere,
qui omnia mea optima & modesta scripta,
tum humillimam meam submissionẽ con-
temserunt, & magis ex mea modestia in-
duruerunt. Deinde à virulentia & menda-
ciis abstinui, quibus liber Regis refertissi-
mus est, nec magnum est, si ego Regem
terræ contemno & mordeo, quando ipse
nihil veritus est, Regem cœli in suis sermo-
nibus blasphemare & virulentissimis men-
daciis prophanare. Dominus judicat po-
pulos inæquitate. „ Inscripsit eum librum Lutherus *Sebastiano comiti à Schlick*: cujus laudat singulare pietatis studium ac zelum, vultque id scriptum initium esse fugæ suæ ad Boemos. Nam ejus & rex & alii ipsum insimularant: ut possent triumphare & gloriari: *Vicimus, hæreticus fugit ad hæreticos.*

Pugnat cum Anabaptistarũ patriarch. Eorum dogm.

* Camer. in vita Melanch. Resp. Angliæ regi durius Luth. Eras. judicium de eo scripto.

* Tom. 2. op. Latin. Wittemb. p. 355. Excusat se Luth.

Sebastianum comes à Schlick.

Luth. fugæ insimulatus.

Anno *vicesimo tertio* in comitiis *Norinbergæ*, abiente Cæsare, celebratis, edicto *Wormatiensi* fuit derogatum: cumque legatus Pontificius conqueretur: pœnam de Luthero, ex edicto Cæsaris, non esse sumtam, responderunt principes, plerosque conqueri de curia Romana, & plerosque in Germania ita Lutheri concionibus & scriptis esse eruditos, ut si ex illo decreto agerctur, maxima sit

Comitia Norinbergens. 1523. Sleid. l. 4.

* Exstat. Tom. 2. op. Luth. Witt. pag. 330. In epist. scriptum Luther.

oritura inde seditio, & fore ut ita interpretentur, quasi oppressa veritate exstinctaque Evangelii Luce; manifesta vitia, quæ tolerari aut dissimulari diutius non possint, defendantur. Consilium autem hoc est datum: ut *concilium in Germania liberum* quam primum, vel *Moguntiæ*, vel *Argentorati*, vel *Metis*, vel *Coloniæ*, celebretur: interea *Lutherus & alii nihil emittant librorum: concionatores nihil præter Evangelium doceant*, idque *purè & modestè, juxta probatas & ab Ecclesia receptas interpretationes concionatores exorbitantes leniter castigandos*, per constitutos ab episcopis idoneos homines, ne suspicio oriatur, velle Evangelii cursum eos impedire: *Typographi nihil excudant, aut divendant, nisi per viros doctos & bonos judicatum, & approbatum, sacerdotes qui uxores duxerint, ex præscripto juris Pontificii multentur. Gravamina* insuper *centum* tunc legato sunt exhibita nationis Germanicæ, de quibus alibi.

Decretum Norinbergense. Conc. in Germania celebrandum.

Centum gravamina nationis Germanicæ Sleid. l. 4. p. 29.

Hoc decretum cum alii aliter acciperent, Lutherus pro se est interpretatus, literis ad principes datis. Ac primum, quod Evangelium doceri jubeant secundum interpretationes ab Ecclesia receptas, se non de Thomæ aut Scoti, sed de Hilarii, Ambrosii, Augustini, & horum similium accipere. Alterum ut Episcopi deligant homines idoneos, qui concionibus adsint & leniter moneant, sicubi opus; rectè quidem decretum, sed nunquam id futurum, cum viris doctis careant: de libris non recusare, modo non intelligatur de libris sacræ scripturæ, quorum editio prohibenda non sit. Postremum de multandis sacerdotibus qui vel uxores ducunt, vel ordinem suum deserunt, nimis esse durum, &, si Evangelium purè docendum sit, omnino mitigandum. Hoc principum decreto *Cæsar* fuit offensus, ac per legatum prorsus id infringere annisus, sed frustra. *Longè* enim *aliter in cœlo, quam Norinbergæ hoc de negocio erat concluſum*, ut scripserat Lutherus. Certatim enim principes & civitates imperii doctrinam repurgatam introduxerunt: ut & in *Dania, Borussia, Livonia, Silesia*, & alibi factum.

Luther. decretum interpretatur. Sleid. l. 4. pag. 83.

Cæsar eo decreto offensus. Evangelii cursus. Tom. 2. ep. Luth. pag. 121.

Hoc anno Lutherus inter alia edidit librum *de dignitate & officio magistratus politici*: cujus lectione inprimis delectatum ferunt *Fridericum* electorem. Scripsit & ad *Waldenses*; quos *Picardos* vocant, de *sacramenti adoratione*: quo in libro primum meminit opinionis *Berengarii*, de cœna Domini, antequam cum Helvetiis certamen inivit. Evulgavit & *Pentateuchum* in *Germanicam* linguam traductum, post *tria annorum millia à morte Mosis* elapsa. Emisit etiam librum ad senatum *Pragensem*, de *instituendis Ecclesiæ ministris*, & alium *de doctrinis hominum vitandis*. *Livonos* eodem anno epistola salutavit *; qua gratulatur illis patefactam Evangelii Christi doctrinam, cujus oppressionem plerosque in Germania tyrannos pertinaciter moliri queritur; ejusdemque generis persecutiones atrocissimas ipsis quoque exspectandas præmonet, ad quas sustinendas ut sese præparent, animumque obfirmatum habeant, atque in agnita veritate Evangelica fortiter perseverent, graviter ac piè cohortatur; de fide justificante, & tandem de vera ratione bonorum operum breviter & perspicuè eos erudiens.

A. 1523. Liber de magistratu Politico. Waldenses.

Pentateuchus, Germanicè.

Sleid. l. 4. p. 84.

* *Est ea t. 2. ep. p. 122. Ep. Luth. ad Livonos.*

Formulam quoque *missæ* & *communionis* hoc demum anno edidit, in qua omnes ritus usitatos, qui non palam verbo Dei repugnant, *introitum ex Psalmis, Kyrie, collectam, epistolam, sequentiam, Evangelion, symbolum, concionem, preces, præfationem, sanctus, precationem Dominicam, verba cœnæ, elevationem, agnus Dei, gratiarum actionem, retinet. Canonem* verò *Missæ*, transformatum Cœnam Domini in sacrificium pro vivis & defunctis, prorsus omittit. Hæc fuit *prima reformatio rituum*: etsi *Carolostadius* tale quid antea tentarat. Revocata etiam fuit in usum *confessio auricularis* & *absolutio privata* quam *Carolostadius* aboleverat. Cumque *Bruxellis* duo professionis Augustinianæ monachi inquisitore, calendis *Julii* exusti essent; ac primi pro doctrina fidei repurgatâ sanguinem fudissent: Lutherus eorum constantiam *cantico** celebravit, & ut sui temporis primos martyres canonizavit: qua de historia etiam *Erasmus**. Misit etiam eo tempore Lutherus ad *Augustanos* epistolam consolatoriam, quæ exstat *; Idem fecit ad *Miliebergenses*, propter Evangelium tunc in periculo constitutos. Primus eorum doctor fuerat *Joannes Draco Carolostadius*. Consolatus itidem est epistola Lutherus tres nobiles virgines Misnicas: quæ ob lectionem librorum Lutheri ex aula *Friburgensi ducis Saxoniæ Henrici* fuerant ejectæ. Valedixerunt etiam claustris moniales aliæ alibi: unde Lutherus ita ad Spalatinum: ad me venerunt ex Nimpschen monasterio novem istæ apostatæ moniales. Vulgus miserabile, sed per honestos cives Torgavienses advectæ, nempe per Leonhardum Coppe & fratruelem suum, & Wolffium Tomitzch, ut nihil ibi sit suspicionis iniquæ. Miseret me illarum valdè, maximè autem & aliarum, quæ ubique in tanto numero pereunt maledicta & incesta illa castitate. Sexus iste per se longè infirmissimus, & ad virum natura, imo divinitus, conjunctus; tanta crudelitate separatus perditur. Inter eas fuit *Catharina de Bora*, postea uxor Lutheri. Idem ad eundem Spalatinum de aliis monialibus alibi*: Exivere moniales sedecim è monasterio Widderstetten, sub comitibus Mansfeldensibus, quarum undecim ad Quæstorem Alstetensem venerunt. Unde recepit quinque Albertus. Agitur igitur inter eos an sint servandæ vel ejiciendæ. Nondum autem finis, fertilissimus hic annus * rerum novarum est & erit, ut video. Sæpius tum etiam Lutherus ad Electorem Saxoniæ per *Spalatinum* institit * *ut Bethavem Wittenbergensem*

A. 1523. Formula missæ edita à Luth. Chytr. in Saxon. l. 10 p. 281.

Canon missæ.

Confess. auric.

Duo martyres primi in Germania 1523. Sleid. l. 4. p. 82. a

* *Germanico: cujus initium. ein neues Lied wir heben an/ &c. Est t. 8. Ien. p. 371.*

* *Lib. 21. ep. 7. & 24. ep. 4.*

* *Tom. 2. op. Ien. Tom. 2. ep. p. 137. b. Moniales deserunt claust.*

* *Tom. 2. ep. p. 139.*

* *1523.*

* *Tom. 2. ep. p. 134.*

» gensem demoliatur, * *hoc est*, collegium ca-
» nonicorum omnium sanctorum. *Causam*
» *addit* *: quòd fermè omnes ibi sacrificuli
» non modò impiè vivant, sed præfracto cor-
» de Dei, & hominum contemtores, sin-
» gulis noctibus penè scortentur, & impu-
» denti, induratáque fronte mane missas ce-
» lebrent. *Testem allegat* Amsdorfium, *&*
» exceptis fortè tribus, cæteros omnes esse
» palàm scortatores affirmat. Non igitur
» tales fovendos, quin potius magistratus esse,
» scortationes prohibere, & illos ad matrimo-
» nium cogere. Etsi enim ad fidem cogi
» nemo possit, scelera tamen publica tollen-
» da. Missas denique saltem omittendas, pro
» quibus è Principis fisco sumtus suppedi-
» tentur, impiè & sine fructu. Princeps quo-
que Anhaltinus *Ioannes* per doctorem *Hieronymum & Franciscanum* quendam Lutherum monuit *, ut purgaret se ab ignominia, quod *Ferdinandus Norinbergæ palàm eum arguisset novo quodam articulo, nempe Christum esse semen Abrahæ, ab ipso doceri.* Id Lutherus primum joco accepit, sed postea seriò adserentibus, credere necesse habuit, seriò se accusari.

Oppugnatum est tunc evangelium & à *Papa* Adriano, qui *bulla*, ut vocant, *Fridericum* Saxoniæ electorem graviter accusavit neglecti officii, in puniendo vel ejiciendo Luthero. Monuit deinde Principem obsecravitque, vel tandem id faceret, ni pareat, *gladium Pontificium ac Cæsareum, esse experturum.* Idem petiverunt *Henricus VIII. Angliæ*, & *Ludovicus Ungariæ* atque *Boëmiæ* rex. His ab elector nihil aliud est responsum, quam *Lutherum in concilio prius audiendum, quam damnandum.* Lutherum autem ipsum legatus Pontificius ad conventum Noricum accusavit:
» Mahometo eum esse similimum. Nam ut
» Turcæ per polygamiam, ita Lutherum per
» dissolutionem votorum castitatis, frena la-
» xare cupiditatibus, ecclesiæ statum convel-
» lere, ideoque non auditum esse damnan-
» dum, denique ut in ecclesiasticos tunc, ita
» postea & in politicos sæviturum. Eodem anno *Christiernus* Daniæ rex, propter impotentem dominatum regno pulsus, cum Elisabetha * conjuge, Caroli V. sorore, apud avunculum *Fridericum* Saxoniæ electorem, exulavit, & Lutherum concionantem diu audivit.

Anno *vicesimo quarto, Clemens* VII. Pontifex in locum Adriani surrogatus, legatum in Germaniam *Norinbergam* misit, *Laurentium Campegium* cardinalem, qui ad *Fridericum* electorem prolixè scripsit: Papæ egregiam voluntatem multis dilaudavit & *de concilio* quoque *habendo recepit.* Tunc etiam Cæsar & plerique Imperii Principes edictum *Wormatiense* urserunt, quod ubi Lutherus cognovit, Germaniæ statum deploravit, deque hominum cæcitate est conquestus. Eodem anno *Erasmus Roterodamus* calamum in Lutherum strinxit, persuasus à rege Angliæ, & *Thoma Volsio*, cardinale *Eboracensi.* Edidit autem ferè invitus, ut ipse ad Melanchthonem scribit, * *diatriben de libero arbitrio.* De quo scripto quid Lutherus senserit, ex hisce ipsius ad *Spalatinum* * verbis videre est, *incredibile est, quam fastidiam libellum de libero arbitrio, necdùm ultra duos quaterniones ejus legi. Molestum est tam erudito libro respondere tam eruditi viri.* Respondit autem Lutherus demum anno *vicesimo sexto*, animis interea eruditorum suspensis, non secus atque

Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt. ——— ———

Famosus itidem hic est annus infausto illo bello Sacramentario, cujus exordium progressumque cum in antagonista * ejus, & alibi retulerimus, non lubet hic

Narrando infandum rursus renovare dolorem.

Prodierunt eadem tempestate fanatica scripta *Thomæ Münceri Stollbergensis*, & concionatoris *Alstettensis*, quibus in Lutheranos meram effudit rabiem. Liber adversus Lutherum ab eo scriptus, *dedicatus est Christo*, Principi, ut ipse loquitur, illustrissimo. Lutherum flagellat, quod *enthusiastico spiritu careat, & nihil, nisi carnalia, sapiat.* Ad *Melanchthonem* idem epistolam scripsit * qua fanaticum spiritum satis prodidit.

Edidit *Lutherus* inter alia *psalterium Davidis* vernaculè, librum *adversus seditiosos*, epistolam ad Principes Saxoniæ *Fridericum & Ioannem*, adversus *iconomachos* atque *enthusiastas, jactantes suas illuminationes & colloquia cum Deo*, item librum *de exaltatione Bennonis*, episcopi olim Misnensis, cujus ossa hoc anno die *decimo sexto* Maji, Misnæ effossa, exaltata, atque in tumbam marmoream fuerant collocata. Quæ res aliis religioni, aliis joco & risui fuit. Eodem anno, mense *Octobri* Lutherus *cucullum monasticum* deposuit, & judicium suum *de synodo ceremoniarum causa* cogenda * exposuit hisce: mihi non satis tutum videtur, concilium ex nostris cogi, pro
» unitate ceremoniarum statuenda. Est enim
» res mali exempli, quantumvis bono zelo
» tentata, ut probant omnia ecclesiæ concilia
» ab initio. Ita ut & in Apostolico concilio
» fermè de operibus & traditionibus magis,
» quàm de fide sit tractatum, in posterioribus
» verò nunquam de fide, sed semper de opinio-
» nibus & quæstionibus disputatum, ut mihi
» conciliorum nomen penè tam suspectum &
» invisum sit, quam nomen liberi arbitrii. Si
» una ecclesia alteram sponte non vult imitari
» externis istis, quid opus est, conciliorum de-
» cretis cogi, quæ mox in leges & animarum
» laqueos vertuntur? Imitetur ergò altera al-
» teram liberè, aut suis moribus sinatur frui,
» modò unitas spiritus salva sit in fide & ver-
» bo, quantumvis sit diversitas & varietas in
» carne & elemento mundi. Sub id tempus
» canonici Wittembergenses, tandem evicti,
in templo cathedrali reformationem ecclesiæ
» suæ instituerunt, abrogatis missis privatis, sub
exitum anni. Urserat hoc diu Lutherus, &
hoc anno, fortè paulò antè ita ad Spalatinum

*Tom. 2. Epist. p. 111.

*Lib. 18. ep. & l. 19. ep. 1. 2. 3. 4.

*Tom. 2. ep. 230. Iudicium Luth. de Erasm. diatribe.

Bell. sacram.

*Vita Carolost. ad. Zuving. Oecolamp. T. Müncer. in Luth. De eo Luth. t. 2. ep. 2. p. 223. ad Frid. El.

Tom. 2. ep. p. 121. b. Luther. monitus ut se purget ab ignominia.

Tom. 2. oper. Ien. Friderici. elector Saxon monitus de Luther. puniendo.

*Ejus particulam habet chronol. Bucholc. hoc anno Psalt. vernaculè editum.

Benno episcop. Misnens. inter divos relatus.

Lutherus accusatus à legato Papæ.

Cucullum deponit Luth.

*Tom. 2. ep. p. 243.

Concil. ad cogendum pro unitate ceremoniarum.

Obyt. in Sax. l. 10. Sleid. l. 4.

* Vel Isabella.

A. 1524. Sleidan. l. 4. Laurent. Campegius legat. Pontifex.

Canonici Witt. reformati.

Erasm. scribit in Luth.

scripserat *: *Ego si Dominus volet, istas missas abrogabo, vel aliud tentabo.*

*Tom. 2. epist. p. 246

Qui hunc excepit *vicesimus quintus* annus, memorabilis est *rusticano* illo tumultu, in quo, glisscente adhuc dissidio, antequam ad arma furor plebejus veniret, *dehortatus* est Lutherus *omnes à seditione, tanquam scelere flagitiosissimo*, examinavit etiam *articulos rusticorum*, quorum plerosque cum verbo Dei pugnare ostendit. Ad Principes item & nobilitatem scripsit, sui eos officii commonefaciens. Sed rusticis nihilominus progredientibus, & non Pontificiis solùm, verùm & nobilitati bellum facientibus, Lutherus alio edito scripto hortatus est omnes, ut *velut ad commune incendium restinguendum, sic ad istos conscleratos latrones trucitandos accurrant.* Libellus iste, ut nimis acer, à multis est vituperatus, sed à Luthero verbosè defensus.

An. 1525. Tumultus rusticorũ vel seditio Tom. 3. oper. Ien.

Sleid. l. 5. p. 118.

Hortatur contra rustic. Sleid. l. 5. p. 128.

Sub initium statim hujus anni respondit Lutherus ad libellos *Carolostadii* libro eo, quem inscripsit *contra cœlestes prophetas. Prophetas* autem tunc *Wittembergæ* nominabant *Anabaptistarum primitias*, de revelationibus arcanis & spiritu prophetico gloriantes, *Münce-rum, Ciconiam, Cellarium*, & his familiarem *Carolostadium.* Librum illum Lutherus in duas secat partes, *prima de imaginibus, Carolostadio & Missa* agit, affirmatque imagines in veteri Testamento prohibitas esse, non in novo: *Carolostadium* à se non fugatum: Missæ nomen etiam ab Apostolis, sacramento tributum, & alia: *Alterius materies est Eucharistia*, ubi primum exaggerat expositionem *Carolostadianam* pronominis τοῦτο, Hoc: *deinde* respondet ad *Carolostadii* argumenta, aitque verba, *quod pro vobis traditur*, hunc habere sensum, *corpus quod in pane editis, paulò post, quando non edetur, pro vobis tradetur.* Et sicut non scriptum est, *accipite corpus & edite*, ita nec scriptum esse, *accipite panem & edite.* Dictum Christi, *caro non prodest quicquam, non de carne Christi, sed de sensu carnis*, qui mors est, Rom. 8. esse intelligendum. *Fractionem esse distributionem corporis, sanguinem Christi, qui pro nobis effusus, nunc sedere ad dextram Dei, sed efficaciam illius effusionis esse perpetui temporis.* Denique *nesciri, quomodo panis fiat & sit corpus Christi: Verbis Christi inhærendum.* Contra scripserunt *Zvvinglius & Oecolampadius*, ut suo loco dictum. Instauravit hoc anno & in ecclesiam reduxit Lutherus *ordinationem ministrorum Evangelii*, cum primus ordinandus esset *Georgius Rorarius.* Primùm etiam *lingua vernacula celebrata est missa Wittembergæ*, prodiit etiam in lucem *cautionum Germanicarum libellus*, anno superiore à Luthero & aliis compositus, & liber *de abominatione missæ*, quo ulcus Pontificiorum tetigit, & adversarios plurimos in se excitavit. Scripsit & Epistolam * ad *Argentoratenses*, apud quos *Carolostadium* hærere audierat, eosque à veneno illius dehortatus est. Argentoratenses contra misso *Georgio Caselio*, Hebreæ linguæ professore, rogarunt Lutherum, *ne unionem ecclesiæ propter controversiam eucharisticam violet: Zvvinglium & Oecolampádium, viros doctos & integros pro fratribus agnoscat, de cœna scribat & edoceat, quæ vera esse credat.*

Disceptatio cum Carolostadio. Propheta qui Luth. Primitiæ Anabaptistarum. Imagines an prohibitæ in N. T. Missæ nomen.

Caro non prodest quicquam. quomodo accipiendum.

Ordinatio ministrorum in ecclesiam reducta.

*Tom. 2. ep. p. 247. b. & 302. Scribit ad Argentorat. de Carolost. vitando.

Quibus Lutherus per Caselium respondet: pace nihil esse optabilius, silere autem perpetuò non esse integrũ, responderi non posse, si damnari non liceat, & damnandi verbum pro convitio rapiatur, se à modestissimis illis, ut carnivoram, & esculenti Dei, impanatique cultorem traduci: consilium Argentinensium sibi non probari, quod fideles avocandi sint à quæstione corporis & sanguinis præsentis, & solo verbo & fide sint exercendi, alterutros esse Satanæ ministros, vel ipsos, vel se, ideo hic nulli consilio aut medio locum esse, rationes, quæ pro tropo adferantur nullas esse. Probandum, verbum EST, non alicubi in scripturis, sed in isto loco, pro *significat* accipiendum. In illo, *Petra erat Christus*, Paulum non de corporali, sed de spirituali loqui, siquidem addatur, *bibebant de spirituali petra.* Manifestum etiam lapsum esse in illo, *agnus est transitus Domini.* Hanc enim phratin nusquam in scriptura haberi. Per Christum igitur se rogare fratres, ut ab hoc errore abstineant. „

Qui respondit. Vid. tom. 2. ep. p. 302.

Ad eos iterum Luth.

Eodem hoc anno Lutherus, ætatis suæ agens annum *quadragesimum quintum*, ex improviso * uxorem duxit, *Catharinam à Borâ*, virginem nobilem, antea monialem, hac occasione. Deliberaverat Lutherus de illa *Catharina D. Glacio*, pastori *Orlamundano* elocanda. Quo inaudito consilio, venit ipsa ad *Amsdorfium*, Lutheri familiarissimum, rogatq; Lutherum ad quævis alia consilia avocet, *Paratam se matrimonium inire honestum cum quovis alio, præterquam cum D. Glacio.* Hoc ubi Lutherus intellexit, audissetque ex *Hieronymo Schurfio* hæc verba, *si monachus iste uxorem duceret, risuros mundum universum & diabolum ipsum, facturumque eum irritas actiones suas universas*, ut ægrè faceret mundo & diabolo, parenti quoque hoc suadenti gratificaretur; *Catharinam* illam uxorem sibi ducendam existimavit. Die itaque *decimo tertio* Junii, invitatis ad cœnam *Pomerano*, *Apello* Jcto, & *Luca* pictore, sponsalia peregit, posteaque nuptias * Factum hoc & inimici & amici perinde improbarunt, non quòd hi nuptias ipsas damnarent, sed quòd alio tempore celebratas vellent. Ita enim Camerarius * „ evenit „ vix sedatis illis tam turbulentis & periculosis motibus, ut Mart. Luth. uxorem duceret, paulò etiam antè mortuo Friderico, „ Principe Septemviro, creandis Impp. Romanis. Ex quo facto maximum dolorem „ cepit Philippus, non quod illud damnaret „ sed quòd occasionem dari cerneret inimicis & malevolis, quos habebat Lutherus & „ numero complures, & opibus potentiaque „ præstantes, acerbiùs infectandi & liberiùs „ maledicendi ipsi, cùm præsertim, quicunque hoc facere voluissent, adjuvari atque instrui tempore animadverteret, „ in

A. 1525. Matrimonium Lutheri.

* Camerar. in vita Melanch. Occasio illius.

*d. 27. Iun. Tom. 2. epist. p. 296

* In vita Phil. p. 107

» in quo plurimùm ad omnium rerum momenta situm esse constat. Verùm cùm » & Lutherum ipsum iisdem cogitationibus » nonnihil conturbari intellexisset: non modò suum est dolorem moderatus; sed illum quoque consolando erexit, tristitiam » molestiasque ejus hilaritate colloquiorum » levavit, & ad pristinam eum alacritatem » reduxit.

Adversariorum judicia de nuptiis Lutheri.

Adversarii equidem ejus non solùm tempus decantati hymenæi notarunt: sed nuptias ipsas esse incestas proclamarunt, quibus monachus cum Vestali copularetur. Itaque & Angliæ Rex in responso ad Epistolam Lutheri, inter alia exprobravit ei incestum matrimonium: quo vix flagitium aliud turpius designari possit. *Conradus* quoque *Collinus* Prior Colonienſis contra hoc matrimonium librum peculiarem edidit, cui titulus: *eversio Lutherani epithalamii. Hieronymus Emsenus*, tunc Pontificiorum Theologorum facilè primus, ducique Sax. Georgio à sacris, virulentum mordaxque epithalamium in illas nuptias lusit. Imò inventi sunt quidam, quibus fidem & *Erasmus* habuit, qui Lutherum ejus criminis insimularunt, à quo eum chronologia nativitatis liberorum absolvit: Lutherus contra se erexit*, sequeita est consolatus: » Si meum » conjugium est opus Dei, quid mirum si in » illo caro offendatur, offenditur etiam in » carne ipsius divinitatis & creatoris, quam » ipse pro salute mundi in precium & cibum » dedit: si non offenderetur mundus in nobis, ego offenderer in mundo, metuens » ne non esset divinum quod gerimus. Nunc » illo offenso & impatiente in me ego ædificor & consolor in ipso; ita fac & tu: Causam autem conjugii ibidem hanc subjungit: Monasterii census Principi resignavimus, vivo ego jam privatus Paterfamilias, » manens in monasterio donec Christus vo» let. Nam non duxi uxorem, ut diu viverem, » sed (quod nunc propiorem finem meum » suspicarer, cum jam etiam populos cum » Principibus in me furere videam) ut me» am doctrinam fortè mox post meam mor» tem conculcandam iterum proprio exem» plo relinquerem confirmatam pro in» firmis.

Tom. 2. pag. 300. epist. ad Mich. Stifel.

Causa conjugii à Luth. facti.

Hoc etiam anno *Anabaptistæ* pervagati sunt *Helvetiam*, & alias Germaniæ provincias, tandemq; *Antverpiam* progressi, etiam ibi sua jactare somnia cœperunt. Lutherus itaque epistola * ad Antverpianos scripta monuit, ut ab erroneis spiritibus, multum negocii piis facessentibus sibi diligenter caverent: & recensuit impostura spirituum sub Papatu, ac novorum spirituum hujus seculi seductiones. Enumerat ibidem erroneos articulos tumultuantis cujusdam spiritus apud Antverpianos, ejusque spiritus inconstantiam, mendacia, petulantiam & vanæ gloriæ cupiditatem accusat, denique orat, ut quæstionem *de occulta Dei voluntate devitent*, & necessaria ac

Anabaptistæ nidulantur Antverp.

* *Tom. 1. epist. p. 281. Admonitio Luth. ad Antverp.*

à DEO præcepta amplectantur & discant. Articuli autem præcipui sunt hi.

Articuli erronei Anabapt.

1. *Omnem hominem habere Spiritum Sanctum.*

2. *Spiritum S. nihil aliud esse, quàm nostram rationem & intelligentiam.*

3. *Omnem hominem credere.*

4. *Non esse inferos, aut condemnationem sed solùm corpus damnari.*

5. *Omnem animam vitam æternam possessuram.*

6. *Ductu naturæ doceri nos illud proximo facere, quod ab illo nobis fieri velimus & hanc voluntatem esse fidem.*

7. *Adversus legem non peccari concupiscentiis, quatenus concupiscentiis voluntate non consenserimus.*

8. *Spiritum S. non habentem nec peccatum habere, eo quod ratione careat, quam Spiritum S. vocat.*

Scripsit etiam hoc anno Lutherus ad regem Angliæ, suasu inprimis *Christierni* regis profugi; & scripsit admodum demissè epistolam: quæ exstat*, ut & ad *Georgium* Saxoniæ * ducem; ut in gratiam cum illis rediret. Sed rex acerbè respondit, inconstantiam ac levitatem ei objiciens: defendit etiam canonicum *Eboracensem Thomam Volsæum*: cui Lutherus respondit: ut quanto Lutheri flagraret odio, facilè posset animadverti. Lutherus ubi regis Angliæ responsum typis evulgatum legit: magnopere facti eum pœnituit, & doluit, quod tantum amicis esset gratificatus. Idem sibi in Cardinale *Cajetano*, *Georgio Saxoniæ* duce, & *Erasmo Roterod.* accidisse, qui sua lenitate efferati potiùs, quàm placati essent. In posterum tam stultè non facturum. Exagitavit autem Lutheri humilitatem miris modis *Cochlæus*, quemadmodum & *Eccius*. Lutherus contrà emisit scriptum *adversus maledicum*, ut appellat, *& contumeliosum regis Angliæ libellum.*

Luth. ad regem Angliæ. Sleid. l. 6. pag. 133.

* *Tom. 2. ep. p. 290.*

* *Est t. 2. oper. Lat. Witt. pag. 533. b. Pœnitet facti Luth. tom. 2. ep. p. 292. Luth. Anglo resp. Tom. 2. op. Lat. Witt. An. 1526.*

Anno *vicesimo sexto* edidit refutationem libelli Erasmi, cui oppositum scriptum *de servo arbitrio*. Causam dilati responsi indicat* epistola ad *Amsdorfium*: *Erasmo nondum respondebo, donec Caroloſtadium absolvero, qui miras turbas suscitavit & suscitat in superiori Germania.* Erasmus irritatus, edidit *hyperaspisten*, de quo sic Lutherus: *Præterea vipera illa irritata iterum in me scribit Erasmus Roterod. quam exercebit ibi eloquentiam, in sternendo Luthero, gloriæ istud animal vanissimum?* Sub idem tempus & varia moliti in ipsum sunt Dux *Georgius* & Episcopi, unde ipse ad *Fridericum Myconyum* *: *consilirant impii Pontifices* (ut dicitur) *& bellum etiam minari scribit mihi è Jena Philippus. Quare curabis tu, ut monitus populus strenuè pugnet, fide & oratione assidua ad Dominum, ut spiritu victi & prohibiti, pacem etiam carnis servare cogantur. Certè ex scriptis & dictis intelligo multorum summum opus, summæ necessitatis esse serio orare: nam Sathan consilia cogitat.*

Et Erasmo * *Tom. 2. ep. p. 270.*

Erasmi hyperaspistes. Tom. 2. ep. p. 315. Hostes Luther.

* *Tom. 2. ep. p. 314. b.*

Quare

„ Quare te oro, ut populo hanc rem seriam
„ & necessariam persuadeas, ut in mediis gla-
„ diis & furoribus Sathanæ posito & perícli-
Sex secta Sacramentariorum. Tom. epist. pag. 314. „ tanti. *Divisos etiam dicit tunc esse in* sectas
„ sex Sacramentarios, *qua de re ita*, habet sa-
„ cramentaria secta jam ni fallor sex capita
„ uno anno nata, mirus spiritus, qui sic dissen-
„ tiat sibi. Carolostadi Tuto fuit una quæ
„ cecidit, Zvvinglii est altera quæ cadit, Oe-
„ colampadii figuratum tertia, quæ cadet, ce-
„ cidit, & quarta Carolostadii, qui offensus
„ scilicet sic verba disposuit, *quod pro vobis*
Valent. Crant. & Caspar. Schvvenk „ *traditur, est corpus meum.* Quinta surgit
„ jam & stat in Silesia authore Valentino
„ Crautvaldo & CasparoSchvvenckfeld, quæ
„ invertit verba hoc modo, *Corpus meum*,
„ *quod pro vobis traditur, est hoc*, scil. spiritua-
„ lis cib. Hi nos mirè vexant scriptis, sunt-
„ que molestissimi & garruli, opto eis no-
„ strum calculum fortes sibi visis. Sexta est
Petr. Florus. „ Coloniæ Petri Flori, quam Philippus ha-
„ bet, nondum vidi nisi epistolam, Vah quam
„ ille Lutherum reprobat, scio, *inquit*, Lu-
„ therum esse derelictum à Domino. Hi
„ omnes spiritus invicem diversi argutis di-
„ micant argumentis, omnes jactant revela-
„ tiones precibus & lacrymis impetratas, &
„ in summa tamen conveniunt. Bene no-
„ bis per Christum, qui pro nobis illos facit
„ sibi ipsis pugnare.

Consolatur Hessum Luth. Epistola quoque consolatus est *Ioannem Hessum Vratislaviæ* docentem Evangelium, contra scandalum hæreticorum, undique in-
surgentium, & tunc articulos fidei impugnan-
tium, præsertim contra Schvvenckfeldium,
& Crautvvaldum. *Verum* * *dicis*, inquit, *mi*
Hesse, daß bißher eitel faule Teuffel geweſen
Tom. 2. Epist. pag. 315. b. „ sind. Quia pugnatum est hactenus in cau-
„ sis prophanis extra scripturam ut de Papa,
„ purgatorio, aliisque nugis, nunc ad seria
„ ventum est, & ad victam pugnam de rebus
„ intra scripturam positis. Hic jam Draco-
„ nem pugnantem videbimus, vel congredie-
„ mur potius ipsi, Duce Michaële in cœlesti-
„ bus, ubi tertiam partem stellarum trahet
„ sua cauda in terram, hic jam vires in Chri-
„ sto requiret res ipsa. Hic Sathanas quis
„ sit, quantus sit cognosces, quem hacte-
„ nus non satis vidisti, neque satis cognovi-
„ sti. Schvvenckfeldius servatus est ad hæc
„ mala cum suo Crautvaldo, quod doleo mi-
„ rum in modum, sed fundamentum Dei stat
„ firmius, habens signaculum hoc: *Novit*
„ *Dominus qui sunt ejus.* Hæc nostra esto
„ consolatio & insultatio adversus istas por-
„ tas inferorum.

**Tom. 2. epist. 318. Formula missæ Germanicæ.* Præter alias operas prælegit *ecclesiasten* tunc Lutherus, *sed mirè*, ut ipse scribit *, *invitum*
& impatientem lectionis. Tantum est, inquit,
ibi Hebraismi & ignotæ linguæ obstaculorum.
Perrumpo tamen gratia DEI. Scripsit et-
iam hoc anno *formulam missæ Germanicæ*: ubi
ceremonias multas permittit liberas. Inter
** Op. Ien. Germ. t. 3. p. 277.* alia hæc *: Wir laſſen Meßgewand/Altar/
Lichter/noch bleiben biß ſie alt werden/ oder
uns gefällt zu endern. Wer aber hie anders
will fahren/ laſſen wir geſchehen. Aber in
der rechten Meß unter eitel Chriſten/ müſte
der Altar nicht ſo bleiben/ und der Prieſter
ſich immer zum Volck kehren/ wie ohn zweif-
fel Chriſtus im Abendmal gethan hat. Nun
daß erharre ſeine Zeit/ hoc est: „ Missatica „
illa vestimenta, altaria, & cereos nunc qui- „
dem retinemus, donec vel vetereſcant, vel „
nobis mutare ea placeat. Si quis aliter fa- „
ciendum hic censet, per nos facere potest. „
Sed in vera Missa inter meros Christianos, „
non oporteret ita manere altare, sed opor- „
teret ministrum ad populum se convertere, „
quemadmodum procul dubio Christus in „
prima cœna fecit. Sed etiam hoc suum ex- „
spectet tempus. „ Consolatorios itidem
psalmos quatuor scripsit ad *Mariam Ungariæ*
reginam, super miserabili interitu regis *Ludo-*
vici *, illius mariti. Evulgavit & alia, quæ in
voluminibus ejus laudantur.

**Qui in Palude suffocatus perit. 1526 d. 29. Aug. æt. 20.*

Anno *vicesimo septimo* viguit novum illud
doctrinæ genus eorum, qui dicuntur *Anaba-*
ptistæ: qui parvulorum damnant baptismum,
rebaptisantur ipsi, & bonorum docent com-
munionem. In hos & scripsit *Lutherus ac*
Zvvinglius, & passim animadvertit magistra-
tus. Scripsit tunc etiam Lutherus super quæ-
stione hâc *an homines militares in vitæ genere*
beato vivant: ob Kriegsleute auch in ſeli-
gem Stand ſeyn können: ubi multa erudi-
tè & piè *de bello & belligerandi ratione.* Ivit
& in sacramentarios, quos vocat, edito libro,
quod verba Christi. Hoc est corpus meum,
adhuc firmiter stent. De hoc libro Lutherus
ita ad *Spalatinum*: Non dubito, quin ve- „ *Tom. 2.*
hementer commoverim Sacramentarios, vi- „ *ep. p. 331.*
deor enim & mihi, quamvis verbosus & „
modicæ eruditionis liber sit, me eos teti- „
gisse. Bucerus autem & antea virulentissi- „
mas in me scripsit literas ad nostrum Jo- „
nam, prorsus Sathan est Lutherus apud il- „
los, quid putas facient libello isto stimulati? „
Sed Christus vivit & regnat, Amen. Con- „ *Tom. 3.*
solatus etiam est *Hallenses* super cæde *Georgii* *op. Ien.*
Winckleri sui pastoris, per insidias occisi:
* respondit & *Ioanni Hesso* ad quæstionem,
an homini Christiano tempore pestis fugere li-
ceat? & alii, *utrum quando evangelium prædica-*
tur, liceat metu tyrannorum utriusque speciei in
cœna usum intermittere? id quod negavit Lu-
therus contra Priscillanistas.

**Portentum quod ejus mortem præcessit, narrat tom. 2. ep. p. 327. Morbus Luther. An. 1527. Tom. 2. epist. p. 326. Aqua cardui benedicti.*

Sub initium hujus anni subita Lutherum
invasit ægritudo, coagulo sanguinis circa præ-
cordia, quæ ferè ipsum exanimasset, nisi re-
pente *aqua cardui benedicti* hausta subvenisset
cujus virtus tunc non ita in vulgus nota. Sed
longe graviorem agona depugnavit postea,
sabbatho post visitationis *Mariæ*, de quo ex-
stat † narratio *Ioan. Bugenhagii* & *Iusti Ionæ*,
qui tunc luctanti adfuerunt. Fuit autem non
solùm corporis ægritudo, sed & spiritualis
tentatio, quam Lutherus appellavit *colaphum*
Sathanæ. Visum est ipsi, quasi tumentes „
fluctus maris magnâ tempestate resonarent „
ad aurem sinistram, & totam sinistram ca- „
pitis partem, non tamen intra caput adhuc, „
sed extra, tantâ quidem cum vehementia, „

† Tom. 2. epist. p. 325. & tom. 3. oper. Luth. Ien. Ægritudo alia corpor. & spiritual. Lutheri.

ut

ut jamjam exspiraturus videretur, nisi mox cessaret. Postea ubi interiorem capitis partem sinistram occupavit, syncope subitâ ipse corruit, corpus verò totum frigore correptum ita fuit, ut nec calor nec sanguis, nec sensus, nec vox supereſſet. Frigidâ autem, ut ante jusserat, à D. Jonâ perfusus, collegit sese aliquantulum, cepitq; ardentissimè orare, fidei suæ confessionem edere, & se indignum martyrio esse, quod toties optasset, queritari. Testamentum etiam uxori gravidæ & filiolo hisce condidit: *Domine Deus, gratias ago tibi, quod volueris me esse pauperem super terram & mendicum. Non habeo domum, agrũ, possessiones, pecuniam, quæ relinquam. Tu dedisti mihi uxorem & filios, tibi reddo, nutri, doce, serva, ut hactenus me. O Pater pupillorum, & judex viduarum!* Adhibitis autem & precibus & fomentis adsiduis, ubi largiter sudavit, dolor paulatim abiit ita, ut ad vesperam ejusdem diei surrexerit, atque cum amicis cœnarit. Et fassus est ipse, longè fuisse graviorem tentationem spiritualem, quam corporis ægritudinem. Inde postero die ad D. Jonam *hesternam*, inquit, *diem ego observabo, qua periculum, quasi in ludo, profectus mei feci, & in sudatorio calidissimo sedi:* Ich bin gestern in der Schule gewest / und in einem heissen Schwitzbade gesessen. *Dominus deducit ad inferos, & reducit.* Hujus tentationis sæpius postea in literis ad amicos meminit, & fidem, absolutione, à ministro petita, usuque Evcharistiæ confirmavit.

Testamentum Luth.

Eodem año edidit historiam *Leonhardi Cæsaris*, amici sui, ob evangelium jussu *Guilielmi* Bavariæ ducis, exusti, de cujus martyrio ita *Lutherus: *accepi, mi Michael, de Leonhardo Keiser historias † sed interim ab ipsius patruele etiam omnia ipsius manuscripta. Dabo igitur in lucem propediem, Christus adspiret. Cæterùm tu pro me ora: qui satis à Satanæ angelo colaphisor, ne Christus me deserat. O me miserum! qui Leonhardo tam sum impar, verbosius prædicator, illi tam potenti verbi operatori. Quis me dignum faciet, ut non duplo, sed dimidio ejus spiritu Satanam vincam, & hac vita cedam? Benedictus Deus, qui inter tot monstra, saltem hoc unum glorioſum spectaculum suæ gratiæ, nobis indignis ostendit, ne in totum nos deseruisse videatur.*

Leonhard Keyser ob religionem crematus 1527. d. 16. Aug. in oppido Scherd.

* Ineps. t. 2. p. 354. b.

† Exstat hist. tom. 3. oper. Ien. p. 410. Sleid. l. 6.

Instituta item sub id tempus visitatio ecclesiarum in Saxonia, monitu Lutheri, jussuque electoris *Joannis*. Ei negotio *Joannes à Planitz* nobilis eques, *Hieronymus Schurfius* JCtus, *Asmus Haubicius*, & *Melanchthon* fuerunt præfecti. Plurima ibi comperta sunt, ad quæ respectu maturo opus, multa deprehensa vitia, quorum emendatio necessaria esset, nec dici potest, quantum illa inspectionis opera commodi & emolumenti attulerit. Peccata enim multorum annorum fuerunt correcta, labefactatæ multis in locis ecclesiæ instauratæ, & saluti earum in posterum prospectum. Peracta autem est anno *vicesimo octavo*, quo & Lutherus *institutionem visitatorum* & *confessionem magnam de Cœna* edidit, qui illis fuit additus, unde ita ad **Amsdorfium*: *Nos visitatores, hoc est, Episcopi sumus, & invenimus paupertatem & penuriam ubiq;, Dominus mittat operarios in messem suam, Amen.* Et alibi ad †Spalatinum: *Visitatio nostra procedit, quas ibi miserias videmus? Et quàm sæpè tui recordamur, inventuri similes vel majores in ista dura gente Voytlandia. Oremus quæso Dominum, ut nobis omnibus adsit, & promoveat ipse miserrimos Episcopos, ipse optimus & fidelissimus Episcopus noster, adversus omnes artes & vim Satanæ. Amen.* Et iterum: *In nostra visitatione in orbe Wittenb. invenimus adhuc omnes pastores cum suis rusticis concordes, sed segnes populos ad verbum & sacramentum.*

An. 1527. & 1528.

De ea Luth. t. 4. oper. Ien. & tom. 3. p. 409. Tom. 4. op. Germ. Ien. p. 314. 335. & 341. An. 1528. Luth. visitat.

* Tom. 2. p. t. 394.

† Ibid. p. 394. b.

Edita est eodem anno à Luthero *magna confessio de cœna Domini*, in cujus *prima parte Zvvinglium*, in *secunda*, *Oecolampadium* exagitat atque reprehendit. *In tertia*, fidei suæ confessionem edit, quam pro certa suæ mentis sententia, tàm in vita, quàm post mortem haberi jubet. Ad hanc confessionem prolixè respondernnt *Oecolampadius & Zvvinglius*, qui suum librum principi *Saxoniæ* & *Hassiæ* Landgravio dedicavit. *Bucerus* quoque dialogo, in quo *Sebaldum* & *Arbogastum* loquentes introducit, Luthero Germanicè respondit. Sunt autem hi postremi libri, qui ab illis viris, nominatim contra Lutherum conscripti sunt.

An. 1528. Magna Confessio de Cœna Domini à Luth. edita. Resp. ei Zvvingl. & Oecolampad. Bucerus item dialogo.

Misit hoc anno *Carolostadius* quoque ad *Gregorium Pontanum* Saxonis cancellarium *epistolam, in qua fundamenta suæ opinionis ac sententiam de cœna exponit. Ei respondit Lutherus, epistola itidem ad Pontanum, monetque ab eo esse cavendum, ne quid maculæ ipsi electori adspergatur, cujus indultu impunè ille omnia sua & hæresin disseminet. Dedit & ad ipsum *Carolostadium* literas, quibus ejus argumenta refutat, ac sub finem illarum concedit, *Christum solum dare suum corpus, sed negat inde sequi, ministros non dare, Domini mandato.*

An. 1528. Carolostadii epist. ad Pontanum.

* Est ea in tom. 4. oper. Ien. Luth. resp.

Ineunte anno *vicesimo nono* evulgavit Lutherus *Catechesin majorem*, *ac minorem* in gratiam rudiorum: monuitque serio sui officii pastores & ministros, præsertim in pagis docentes, ut *eadem de iisdem semper dicant, atq; Christiano populo inculcent.* Edidit & libellum *contra Turcam*, vernaculè vom Krieg wider den Türcken: idque partim ideò; quia tunc imminere *Ungariæ* & *Germaniæ* ferebatur, uti satis *Viennæ* obsidio docuit, partim quia nonnulli pastorum credebantur persuadere vulgo: *non esse contra Turcam bellum gerendum*, imò eò dementiæ quidam venerant, ut *adventum Turcæ ejusq; jugum sibi optarent.* Cumque eo tempore conventus *Spiræ*, ubi primum *Protestantium nomen* natum, in religionis negotio agitaretur, atque collegæ Lutheri, quorum operâ in vertendis tunc Prophetis utebatur, distracti essent, ipse interea ægrotus, nec otiosus esset, absente *Melanchthone*, *Sapientiæ librum* transtulit, quem à Melanchthone castigatum postea edidit, ut & alia.

An. 1529. Catecheſis major. & minor Lutheri.

Contra Turcam liber.

Conventus Spirenſis.

Proteſtantium nomen ortũ.

Ejusdem anni mense *Octobri Philippus Hassiæ* Landgravius pio consilio perfecit, ut *Marpurgi* primarii doctores ecclesiarum

Colloquiũ Marpurgicum.

Eò vocatus Luth.

Saxonicarum & Helveticarum convenirent. Lutherus itaque eodem à Landgravio evocatus rescripsit: *nihil fructus ex colloquio sperandum, nisi pars adversa accedat animo cedendi. Se quidem cedere ipsis non posse, qui certus sit de vera sententia.* Est autem eo in congressu de præcipuis doctrinæ ecclesiasticæ capitibus tractatum, & de plerisque planè conclusum, de nullo sane iracundè litigatum, aut in controversia alienatis odio animis discessum, ut fusiùs *alibi* * dictum.

Ibi quid actum. Tom. 4. ep. Ien. p. 467. seq Sleid. l. 6. * In vita Zuv. Oecolampad. aliorum.

Anno præcedente, fama fuerat sparsa de fœdere à Pontificiis quibusdam principibus inito, adversus *Saxonem* præcipuè & *Hessum*, de quo Luther. ita ad *Wenceslaum* * *Lincum*: *Fœdus istud impium principum impiorum, quod ipsi negant, vides quantos motus moverit, sed ego Ducis Georgii frigidissimam excusationem, ferè pro confessione interpretor. Sed negent, excusent, fingant: ego sciens scio, non esse fœdus istud merum nihil, aut Chimæram, licet monstrum sit monstrosum satis. Deinde orbis novit illos animo, facto, edicto, studio pertinacissimo, hactenus talia publicè tentasse & fecisse, & adhuc facere. Exstinctum enim volunt Evangelium, quod negare nemo potest, sed quid hæc ad te? qui absq; dubio certus de his omnibus es: tantum ut scias, neq; nos istis credere impiis, licet pacem offeramus, optemus, demus: Deus confundet istum * moronem, qui, sicut Moab, plus audet, quam possit, & non secundum vires suas superbit: sicut semper fecit: orabimus contra istos homicidas. Atq; hactenus eis sit indultum: si denuo aliquid moliti fuerint, orabimus Deum, deinde monebimus principes, ut absq; misericordia perdantur, quandoquidem sanguisugæ insatiabiles quiescere nolunt: nisi Germaniam sanguine madere sentiant.* Hæc epistola intercepta, & ad *Georgium Saxoniæ* ducem delata, occasionem præbuit maximi dissidii inter Ducem & Lutherum, ut scripta ultro citroque emissa testantur. Lutherus enim edidit tractatum de *literis arcanis ac furtim interceptis*: contra Dux *Georgius* præfationem, in *versionem Novi Testamenti ab Emsero* adornatam, atro felle perspersam. Lutherus de eo * ita: *Accepi literas tuas, quibus significas, quid tentarit apud vos dux ille Georgius, mi Wenceslae. Postulaverat paulò antè idem à me, & deinde à duce nostro, ubi nihil promovit, tandem edidit exemplar, cum invectiva in me, pro insigni sua stultitia & furia maledica. Octo millia exemplarium feruntur excusa, quæ sub suo sigillo mittet in omnem locum. Sic opprimetur tandem Lutherus, & triumphabit Dux gloriosissimus Georgius. Ad nundinas emittet. Ego verò furtim exemplari accepto, respondi, quod simul, non sperante illo, evulgabitur. Fortè furia rumpetur, & morietur miserrimus moros. Optarim, furem illum Miricionum manum meam à te accepisse. Ita nihil eum Satanam metuo, quanquam Scheurlerum miror, non quòd tradiderit, sed quod hostibus nostris pessimis sic familiaris est. Te quæso, ut cum ecclesia tua ores, contra furiosum istum homicidam, sanguinariumq; latronem, ut planè non ab uno dæmone obsessum, nihil nisi cædes & minas spirantem, ut Christus vel servet eum, sicuti Paulum, vel de medio tollat. Ut quid enim divexet cœlum & terram organum hoc Satanæ, noxium & inquietum?*

* Tom. 2. epist. pag. 386. b. De eo ep. Luth.

* Georg. ducem Saxon.

Anni *trigesimi* memoria celebrabitur dum homines erunt, à comitiis illis ibi agitatis, solennibus maximè & frequentib. & *confessione* coram Cæsare ordinibusque Imperii edita, in literis relata, omnibusque per *Europam* populis nota. Historia ipsa legatur prolixè * *alibi*, nos de Luthero agemus. Is antequam iter Augustanum ingrederentur Theologi *Saxonis*, composuit *septendecim articulos*, quibus Christianæ fidei & doctrinæ, publicè in ecclesiis populo proponendæ, & præcipuè ad animarū salutem, & veram pietatem, utilis ac necessariæ summam, omissis disputationibus scholasticis, & populo erudiendo non necessariis est complexus. Jusserant & cæteri principes ac civitates, Lutheri doctrinam amplexi, singuli suos theologos *summam doctrinæ*, in ecclesiis suarum regionum sonantis, scripto comprehendere, sed hos *septendecim articulos*, à Luthero delineatos, præcipuè *Philippo* in scribenda confessione propositos fuisse, testantur eadem *verba & phrases* in aliquot articulis retentæ, & *ordo ac series* articulorum ferè similis, & *epistola Joannis* electoris, *Augusta* ad Luthetum ante Cæsaris adventum data. Venit enim *Augustam Joannes* elector Saxoniæ, præter multorum opinionem & expectationem, & *primus omnium principum* urbem ingressus est, adjunctis comitatui suo *Joanne Friderico* filio, *Francisco* duce Lunæburgensi sororis filio, & *Wolffgango* principe Anhaldino, conjugis fratre: & theologis, *Jona*, *Philippo*, *Spalatino* & *Islebio*. Lutherum enim, qui à PP. & Imperatore proscriptus, & in acerbissimo Pontificiorum odio erat, *Coburga* discedens in arce reliquerat, ut loco viciniore facilius ac expeditiùs consuli omnibus de rebus, ad religionis negotium spectantibus, posset.

An. 1530. Comitia Aug. & conf. Prot.

* Vt tom. 3. Ien. Germ. Chytr. l. 13. Saxon. Sleid. l. 7. Luther. XVII. art. præscribit.

Quos secutus Melanchth. in confess.

Ioan. Sax. elect prim. August. venit.

Luther. Coburgæ manet.

Ut autem absens etiam aliquid in commune conferret, *librum ad episcopos, & id genus alios proceres*, eo in conventu conscripsit: in quo cujusmodi fuerit sub Pontificatu Romano status ecclesiæ depingit graphicè: crudelitatem exprobrat; ne jam sanandi mali occasionem prætermittant, hortatur, & suam doctrinam esse Prophetarum atque Apostolorum consentaneam ostendit: denique adversus Deum frustra omnia niti consilia docet. In hoc Pontificiorum fremitu, ac Cæsaris comminationibus *Melanchthon* animo fuit admodum solicito & anxio, non quidem sua, sed ipsius exitus & posteritatis causa, seque tantum non mœrori, suspiriis, & lacrymis totum dedit. Lutherus igitur, ubi id cognovit, crebris eum literis erexit & consolatus est. Inter alia cujusdam * epistolæ hæc sunt verba: Lutheri: *In privatis luctis infirmior ego, tu autem fortior, contrà in publicis tu talis, qualis ego in privatis. Et ego in publicis talis, qualis tu in privatis: si privatum dici debet, quod geritur inter me & Satanam. Nam tu vitam tuam contemnis, publicæ causæ metuis, ego verò de publica*

Lib. ad episc. & clerum à Luth. script. Tom. 3. op. Ien. German.

Melanchth. cura in illis comitiis.

* Edita peculiari libello An. 1549.

publica causa satis magno & otioso animo sum, qui scio certo ipsam esse justam & veram, denique ipsius Christi & Dei, quæ non sic pallet rea peccati, sicut ego privatus sanctulus pallere & tremere cogor. Proinde penè securus spectator sum, & istos minaces & feroces papistas non hujus facio, si nos ruemus, ruet Christus unà, scilicet ille regnator mundi. Et esto ruat; malo ego cum Christo ruere, quàm cum Cæsare stare. Neq; vos soli hanc causam sustinetis, certè fideliter adsum vobis gemitibus & precibus, utinam & carne liceret. Nam & mea est causa, atq; adeò plus mea, quàm omnium vestrum, neq; ulla temeritate, aut cupiditate vel gloriæ vel lucri tentata, quod testatur mihi spiritus ipse, ut hactenus res satis declaravit, declarabitq; latius, neq; in finem. Quare te per Christum oro, ne ita negligas promissa, & solatia divina, ubi dicit: Jacta super Dominum curam tuam, expecta Dominum, viriliter age, & confortetur cor tuum. *Et quorum plenus est liber Psalmorum & Evangeliorum:* Confidite, ego vici mundum. Es wird ja nicht falsch seyn/ das weiß ich fürwar: *quod Christus sit victor mundi. Quid ergo victum mundum sic formidamus, quasi victorem?* solte einer doch einen solchen Spruch/ auff seinen Knien/ von Rom und Jerusalem holen. Et postea: *Tu secundum Philosophiam tuam has res ratione regere, hoc est, ut ille ait, cum ratione insanire pergis, & occidis teipsum, nec vides prorsus extra manum tuam & consilium positam causam, & quod Christus prohibeat, ne in tuum consilium aut manum, quod tamen pertinaciter velles, veniat. Tum verò publicè, & pulcrè, & subitò perierimus.* Et alia epistola: *Gratiam & pacem in Christo! in Christo, inquam, & non in mundo, Amen. De apologia silentii vestri aliàs, mi Philippe. Ego tuas maximas curas, quibus te scribis consumi, vehementer odi. Quod sic regnent in corde tuo, non est magnitudo causæ, sed magnitudo incredulitatis nostræ. Nam eadem causa major fuit sub Joanne Hus & multis aliis, quàm sub nobis. Deinde ut sit magna, magnus est actor & author ejus, neq; enim nostra est. Cur igitur sic perpetuò, & sine respiratione te macera-*
« *ras? Si est causa falsa, revocemus, sin vera*
« *est, cur facimus illum in tantis promissis men-*
« *dacem, qui jubet nos esse animo ocioso & dor-*
« *miente?* Jacta, inquit, curam tuam super Dominum. His qui tribulato sunt corde prope est Dominus omnibus, qui invocant eum. *Num ista in ventum loquitur, aut ad bestias projicit? Ego etiam sæpiùs concutior, sed non perpetuò. Philosophia tua ita te vexat non Theologia, ea quæ & Joachimum tuum, qui mihi simili cura rodi videtur. Quasi verò ista inutili cura quicquam efficere possitis.* Was kan der Teuffel mehr thun/ denn daß er uns tödte? *Obsecro te qui in omnibus aliis pugnax es, luctare contra te ipsum maximum hostem tuum qui Sathanæ tantum arma contra te ministras. Christus pro peccatis mortuus est semel, at pro justitia & veritate non morietur, sed vivit & regnat. Si hoc verum est, quis metus est pro veritate, si ille regnat? At prosternetur per iram DEI, prosternamur & nos simul, sed non per nos. Qui pater noster factus est, erit etiam liberorum nostrorum. Ego certè pro te oro diligenter, & doleo, te pertinacissimam curarum hirudinem meas preces sic irritas facere. Ego quidem quod ad causam attinet, stupor ne sit an spiritus viderit Christus, non valdè turbatus sum, imò spe meliore, quàm speraveram fore. Potens est Deus mortuos suscitare, potens est & causam suam labentem servare, lapsam erigere, stantem promovere, si nos digni non erimus, fiat per alios. Si enim nos illius promissis non erigimur, obsecro, qui sunt jam alii in mundo, ad quos ea pertineant? Sed aliàs plura, nisi quod in mare aquam porto. Christus spiritu suo vos omnes soletur, roboret, & doceat Amen. Si audiero rem malè affectam apud vos fore, & periclitari, vix continebo quin advolem, visurus gyrum istum dentium Sathanæ formidabilem, ut scriptura dicit. Ex Eremo nostra feria secunda Joannis. 1530.*

Psal. 55. Psal. 27.

Joan. 16.

Alia epist. Luth. ad Philipp.

Preces hirudo curarum.

Gestit Augustinum venire Luth.

Lutheri itaque consilio & consensu à Melanchthone conscripta confessio, exhibita est *Latinè* & *Germanicè* in palatio Cæsaris, die *vicesima quinta Junii*, hora *secunda* post meridiem, & à cancellario Saxonis coram *Carolo V.* adsidentibus *Ferdinando*, Electoribus omnibus ac Principibus, prælecta, voce adeò grandi & sonora, ut non tantum in amplissima illa aula, sed & in area inferiori & vicinis locis exaudiri potuerit. Subscripserunt illi *Joannes* Dux Saxoniæ Elector, cum filio *Joann. Friderico*, *Georgius* marchio *Brandeburgicus*, *Ernestus* & *Franciscus*, fratres Duces *Brunsuicenses* & *Lunæburgenses*, *Philippus Hassiæ* Landgravius, *Wolffgangus* Princeps Anhaltinus, & Imperii civitates duæ *Norinberga* & *Reutlinga*. Ea prælecta *triplex* fuit *sententia* principum, *una* eorum, qui Wormatiense decretum urgendum, & armis inobedientes cogendos statuerent: *altera* confessionem à viris doctis & bonis examinandam: postea Cæsari pronunciandum: *tertia* confutationem Protestantibus exhibendam, & totam causam Cæsaris judicio permittendam, & in hanc plerique inclinarunt. Mandatum ergò Pontificiis Theologis, inter quos Principes *Joannes Faber* & *Eccius*; ut refutationem exhibitæ confessionis adornarent. Hi acerbè multa in Protestantes scripserunt & convicia potiùs, quàm argumenta congesserunt. Jussi ergò retexere, in *sextam* usque *hebdomadam* ab exhibita confessione, publicatio refutationis Pontificiæ dilata est.

Confessio Protestantium exhibita & lecta.

A quibus subscripta.

Judicia aliorum de ea.

Datur refutanda Pontif. Theol.

Interea *Melanchthon* & *Lutherus* de multis controversæ doctrinæ partibus, & quid concedi adversariis bona conscientia possit, ac inprimis de *traditionibus humanis* ac *cultibus proprio arbitrio electis*, per literas inter se contulerunt. Lutherus etiam multis gravissimè scriptis epistolis, & spiritu ac vita plenis cohortationibus, quæ thesaurus sunt salutarium & efficacissimarum consolationum, Principis Electoris & Cancellarii illius *Pontani*, & collegarum præcipuè animos, de communi ecclesiæ & Reipublicæ ac posteritatis salute & pace, & sanandis vulneribus publicis, &

Melanchthon. cum Luth. confert Consil. Theol. Melanchthon. Chytr. in Sax. Luth. suos hortatur.

avertendis ecclesiæ distractionibus, ac dogmatum confusionibus, confirmavit. Ad *Albertum* quoq; *Moguntinum* cardinalem, cujus præcipua tum in Imperio erat auctoritas, * epistolam typis excusam, in ipsis comitiis misit, qua persuadere ipsi conatur, ut, *quando de concordia in religione stabiliendâ parum spei sit, politicam saltem pacem ab Imperatore impetret.* Et ejusdem argumenti literas etiam *Erasmus* iisdem diebꝰ ad *Campegium* miserat.

Et ad Moguntinum scribit.

* *Est ea tom. 5. op. Ien. p. 72. b*

Sleid. l. 7. Refutat. confess. prælecta.

Tandem confessionis Protestantium refutatio recocta & reficta, mense * *Augusto*, in Cæsaris palatio, coram Imperii ordinibus publicè est prælecta, in qua Cæsar se mansurum professus, ut idem Saxo eiq; conjuncti facerent petivit. Hi cum ægrè exemplum confutationis obtinuissent, & quidem sub *conditione, ne ederetur, ne transscriberetur, ne quid amplius opponeretur*, deprecantibus illis principibus has conditiones, *Moguntinus* archiepiscopus, & frater ejus Marchio *Brandeburgicus*, atque *Henricus Brunsuicensis*, à *Cæsare* petiverunt, ut sibi amicam componendi negotii rationem inire liceret. Id ubi à cæsare concessum, delecti sunt ex utraq; parte primum *septeni*, deinde *terni*: qui concordiæ rationes inirent. Ibi cum *Saxones* aliquantò plus Pontificiis viderentur largiti: Lutherus ita Melanchthonem monuit: *De obedientia episcopis reddita, ut jurisdictione, ac ceremoniis communibus, ut scribis*: sehet euch dennoch wol für/und gebet nicht mehr/dann ihr habet/*ne cogamini denuo ad difficilius & periculosius bellum pro Evangelio defendendo. Scio vos Evangelium semper excipere in istis pactis: sed metuo, ne nos postea perfidos aut inconstantes insimulent, si non servemus, quæ voluerint. Ipsi enim nostras concessiones largè, largius, largissime accipient, suas verò strictè, strictius, & strictissimè dabunt. Summa, mihi in totum displicet tractatus de doctrinæ concordia, ut quæ planè sit impossibilis, nisi Papa velit Papatum suum aboleri.* De illa confutatione id addendum, fuisse illam valdè frigidam, unde Lutherus ita ad Melanchthonem: *gratiam & pacem in Christo, Domino etiam hostium suorum* frisch hindurch. *Laudo Deum, qui adversariorum confutationem sic ineptam paravit. Christus venit & regnat, fiant sanè dæmones, si ita volunt, Monachi vel Nonnæ quoq;. Nec forma melior eos decet, quam qua sese hactenus mundo vendiderunt adorandos. Et* postea: *Nonne ego prædixi, frustra te cruciari de traditionibus, quod eares nimis superet captum Sophistarum. Æterna fuit disputatio de legibus etiam apud summos viros. Et planè Apostolicum est de eis purè & certè judicare. Nullus enim extat author præter unum Paulum, qui plenè & perfectè de hac re scripserit. Quia mors totius rationis est legem judicare, solus spiritus hic judex est. Quid igitur Sophistæ hic possent etiam ratione privati?* Wolan wir haben ihm genug gethan. *Tempus nunc est faciendi soli Domino, qui regat & servet vos, Amen.*

die tertio

Exemplū ejus ægrè impetr.

Arbitri constituti.

Quædam Pontificiis concessa.

Luth. Melanchthon monet.

Confutatio Pontificiorum frigida.

Disput. de Invocatione sanctorum.

In amica illa compositione delectorum, cum *de invocatione* etiam *sanctorum* ageretur, & Eccius protulisset dictum Jacobi: *Invocetur nomen meum super istos pueros*: *Melanchthon* primum respondit: postea *Brentius* dixit, *nihil in scriptura de sanctorum invocatione exstare. Cochlæus* autem, ut causæ patrocinium subiret excusavit ita: *quod in Veteri Testamento sancti non legantur invocati, id ideò factum, quia tum adhuc in lymbo fuerint, non in cœlis.* Ibi I. *Fridericus* Dux Saxoniæ concluſit, & ad Eccium: *en tibi D. Ecci dictum tuum, quod ex veteri Instrumento adducebas, egregiè defensum.* Confessio nostratium, quam attentè Cæsar, *Ferdinandus* frater, Principes Bavariæ, ac Episcopi quidam audiverunt, alii autem ægerrimè tulerunt, translata est in linguas varias, *Italicam* pro Pontifice, qui Latinè non adeò doctus, *Hispanicam, Gallicam, Anglicam, Boëmicam, Ungaricam.* Apologia autem recepta non est.

Eccius & Cochlæus sibi contradicunt.

Confessio Evangeliorum in varias linguas translata.

Exitus tandem comitiorum iste fuit, ut cum sæpiùs protestantes pacem à Cæsare & deliberandi spatium petiissent, nihil impetrarint: *confessio ipsa damnata, omnesq; illi adhærentes, nisi in integrum omnia restituerentur, in discrimen vitæ ac fortunarum sint vocati, constituti etiam, ut dicebatur, executores decreti à Cæsare.* Cum ergò Protestantibus bellum in singula momenta à Pontificiis exspectandum esset: Lutherus statim post comitia edidit, magno animo ac heroico spiritu ad suos Germanos *libellum*, cui titulus: Warnung an seine liebe Deutschen: quo eos hortatus est, ut pacem colerent, nec impio edicto, in persecutione veræ Evangelii doctrinæ, & innocentum principum ac ecclesiarum, armis suis juvanda, obedirent, nec pro idolis libidinibus, & aliis abominationibus Pontificiis propugnarent. Suæ etiam partis homines, si à Pontificiis bellum ipsis nomine Imperatoris inferatur, non quidem ad arma capienda incitat, verum si armis resistant, & vim vi repellant, non velut seditiosos traduci vult & condemnari, sed velut necessariam sui & suorum defensionem suscipientes, excusat. Verum antequam ex eremo ista *Coburgica* cum Luthero migremus, indicandi sunt & labores ejus, qui duûm fuerunt generum, *scriptionum* vel *commentationum*, & *precationum.* Quæ tunc scripserit, partim supra à nobis commemoratum est, partim ipse ad Melanchtonem epistola indicat: *Ego*, inquit, *tædio quoq;, non tantum capitis morbo, Ezechielem posui: interim minores Prophetas verto, & in hebdomada ista absolvam, Deo volente. Supereſt enim Aggæus tantum & Malachias. Solatii gratia sic exerceo me in illis potius, quam laboris.* De precandi autem ejus fervore hæc *Vitus Theodorus*, qui tunc illi adjunctus *Coburgi*, ad eundem *Melanchthonem: nullus abit dies, quin ut minimum tres horas, easq; studiis aptissimas, in orationem ponat. Semel mihi contigit, ut orantem eum audirem. Bone Deus, quantus spiritus quanta fides in ipsis verbis inest! Tanta reverentia aliquid petit, ut cum DEO, tanta spe & fide, ut cum Patre & amico se loqui sentiat. Scio*, ajebat, *te Patrem & Deum nostrum esse, certus igitur sum, quod filiorum tuorum persecutores sis perditurus. Quod si non facies, tuum peri-*

Exitus comitiorum Augustanorum.

Lutheri admonitio ad Germanos.

Exstat t. 5. oper. Ien.

Labores Lutheri in eremo Coburgica

Preces ardent. Lutheri.

periculum cum nostro est conjunctum, tuum hoc negotium est totum, nos ad id coacti accessimus. Tu igitur defendes. In hæc ferè verba dum orantem clarâ voce procul stans audirem, ardebat mihi quoq; animus singulari quodam impetu, cum sic amice, sic graviter, sic reverenter cum Deo loqueretur & inter orandum, promissiones ex Psalmis sic urgeret, ut qui certus esset omnia eventura esse, quæ peteret. Non igitur dubito, quin preces ejus magnum momentum ad desperatam hanc causam comitiorum sint allaturæ. Cumque in iis comitiis *de cœna Domini* potissimum ac ferè solum inter Lutherum, & quosdam alios esset dissensio, grata illa Pontificiis, molesta orthodoxis: *Bucerus*, de Saxonis & sui magistratus consensu, *Augustam Coburgum* excurrit ad Lutherum conciliationis causâ, nec responsum tulit incommodum, sed variè res fuit turbata. Venit eodem & *Urbanus Regius*, consilii exquirendi causa, ut ante * dictum.

Sleidan. l. 7. p. 188.

Bucerus ad Luth. excurrit.

* In vita Regii. An. 1531.

Anno *trigesimo primo*, submisit etiam Lutherus glossam seu interpretationem edicti Cæsarei, non contra Imperatorem, sed contra Principes & Episcopos, belli civilis tubas: defendit ibidem egregiè præcipua religionis Christianæ capita, de *Cœnæ integritate, de Ecclesiâ* quòd *errare possit*, de *Missa*, de *libero arbitrio*, de *justificatione fidei absq; operibus*, de qua memorabile est hoc ejus pronunciatum: Ich * Doctor Martinus Luther / unsers HErrn Jesu Christi unwürdiger Evangelist/sage/daß diesen Artickel (der Glaub allein ohn alle Werck macht gerecht für Gott) soll lassen stehn und bleiben/der Römische Keiser/ der Türckische Keiser/ der Tartersche Keiser/ der Perser Keiser / der Bapst / alle Cardinäl / Bischoffe/ Pfaffen/Mönche/ Nonnen/ Könige/Fürsten/Herrn / alle Welt / sampt allen Teufeln / und sollen das hellische Feuer dazu haben auff ihren Kopff / und keinen Danck darzu/das sey mein Doctor Luthers Einsprechung vom Heil. Geist/und das rechte heilige Evangelium. Dann da stehet der Artickel/ den die Kinder beten: Ich glaube an Jesum Christum / gecreutziget / gestorben. Es ist ja niemands für unser Sünde gestorben/dann allein Jesus Christus Gottes Sohn / allein Jesus Gottes Sohn / noch einmal sage ich / allein JEsus Gottes Sohn hat uns von Sünden erlöset / das ist gewißlich wahr und die gantze Schrifft / und sollen alle Teuffel und Welt sich zerreissen und bersten / so ists ja wahr. Ist ers aber allein / so Sünde weg nimpt / so können wirs mit unsern Wercken nicht seyn / so ists ja unmöglich / daß ich solchen einigen und allein Erlöser von Sünden/ Jesum/anders denn mit dem Glauben fassen uñ erlangen möge/mit Wercken ist und bleibt er unergriffen/weil aber allein der Glaube/für und ehe die Werck folgen / solchen Erlöser ergreiffet / so muß es wahr seyn / das allein der Glaube/für und ohn Werck/solche Erlösung fasse / welches nichts anders seyn kan / dann gerecht werden / dann von Sünden erlöst / oder Sünde vergeben haben muß nicht anders seyn / dann gerecht seyn oder werden. Aber nach solchem Glauben oder empfangener Erlösunge oder Sünde Vergebung/oder Gerechtigkeit / folgen alsdann gute Werck / als solches Glaubens Früchte. Das ist unser Lehre/und also lehret der Heil. Geist / und die gantze H. Christenheit / dabey wir bleiben in Gottes Namen. Amen. hoc est, *ego Martinus Lutherus, indignus Domini nostri Jesu Christi evangelista sic ajo, sic sentio: hunc articulum*, quod fides sola absq; operibus, coram DEO justificet, *non subversum iri nec à Romano Cæsare, nec à Turcico, nec à Tartarico, nec à Persico, nec à Papa omnibus Cardinalibus, Episcopis, sacrificulis, monachis, monialibus, regibus, principibus, dynastis mundi, & diabolis omnibus: hunc articulum inconcussum mihi relinquent nolentes volentes, & insuper ignem inferni præmium habebunt, gratiâ verò nullam. Hæc mihi Luthero spiritus sanctus dictat; hoc est verum evangelium. Nam ita habet articulus, quem juventus Christiana pronunciat:* Credo in Jesum Christum, crucifixum, mortuum. *Jam nemo pro nostris peccatis mortuus est, nisi unus Jesus Christus Dei filius, solus & unus Jesus Dei filius, iterum iterumq; dico, solus & unus Jesus filius Dei à peccatis nos redemit. Hoc est firmissimum, certissimumq;, hoc clamat tota scriptura, ut ringantur & rumpantur omnes diaboli ac mundus. Si autem ipse solus est, qui peccata aufert, nos utiq; non erimus cum operibus nostris, & impossibile est, ut Christum aliter, quàm sola fide amplectar, operibus nunquam apprehenditur. Cum autem fides sola antequam opera subsequantur redemtorem hunc apprehendat: verissimum manet, quod sola fides ante opera & sine operibus hoc faciat, quòd nihil est aliud, quàm justificari, quam à peccatis liberari. Fidem deinde sequuntur bona opera, tanquam fructus. Hæc est nostra doctrina, hanc tradit Spiritus sanctus, atq; tota ecclesia Christiana. In hac manebimus, Amen.*

* Interpretatio edicti Cæsarei.

Egregium Luth. do justificat. fidei pronunciatum.

* est f. 298. t. 5. Ien.

Duobus illis scriptis, nempe *commonefactione ad suos Germanos*, & *interpretatione edicti Cæsarei*, valdè irritavit Luther. *crabrones Pontificios*, qui proinde *libellum anonymum* adversus ipsum ediderunt, cui acriter respondit, sub titulo: Wider den Meuchler zu Dresen: & à se crimina, quorum insimulabatur, graviter removit, quod *obedientiam Cæsari præstandam negaret*, quòd *tuba sit rebellionis ac seditionis*, quòd *omnia, quæ de moliminibus Papæ scripsisset, ficta & ementita.* Hæc contra vera esse evincit, multis memorabilib⁹ Pontificiorum dictis factisque: quæ in *operibus* * *ejus Germanicis*, cum aliis hoc anno editis scriptis reperiuntur. Qui secutus est annus *trigesimus secundus*, pacem, Dei beneficio & *Moguntini* atq; *Palatini* Electorum intercessione, ecclesiis Evangelicis à Cæsare impetravit, certis quidem * conditionibus Electori inprimis Saxoniæ propositis. Quas ut hic ambabus, quod dicitur, amplecteretur, Lutherus literis * & ad Electorem, & ad filium I. *Fridericum*, qui paulò post patri successit, scriptis, serio suasit. Nam hoc eodem anno die *decimo sexto* Augusti rebus humanis exemtus est, pius ille Elector, & constantissim⁹ doctrinæ evangelicæ confessor, cujus memoriæ

Irritat Pontific. Luth.

Crimina ei intentata.

Defendit se Luth.

* *Tom. 5. oper. Ien. p. 304. 305. An. 1532. Primæ pax in religione.*

* *Refert eas Sleid. l. 8. p. 205. sub ann. 1532.*

* *Exstant tom. 5. Ien. p. 438. 495.*

Ioannes Elect. Sax. moritur.

riæ Lutherus concionem funebrem habuit geminam. Melanchthon autem oratione parentavit, quæ ideam boni principis complectitur. Anno *trigesimo tertio* ineunte, Lutherus per literas consolatus est cives *Oschatienses*, ob evangelii confessionem ejectos, ubi inter alia inquit: Der Teuffel ist der Wirth in der Welt/und die Welt ist sein Hauß. Darumb wo man hinkomt/ da findet man den scheutzlichen Wirth daheime. Respondit & Electori Saxon. super quæstione: *quatenꝰ vim vi repellere licent.* Inprimis autem gravis ei intercessit *controversia cum Georgio Duce Saxoniæ*, qui jam olim & Lutherum & doctrinam ejus cane pejus & angue oderat. Itaq; ne è sua ditione ei accessio fieret, juramento subditos suos voluit obligari, *nunquam se Lutheri doctrinam amplexuros: Lipsiæ* etiam civibus, qui juxta Pontificiũ morem confessi, & cœna usi essent symbola danda curavit, quæ senatui redderent. Deprehensi fuerunt sine symbolis circiter *septuaginta*. Hi enim Lutherum consuluerunt, quid facto opus esset? Lutherus respondit: *nihil agerent contra conscientiam, & qui certò crederent, integram sumendam cœnam, extrema quaq; adeant.* Inter alia epistolæ* hæc sunt verba: Nun aber Hertzog Georg auch sich unterstehet / die Heimligkeit deß Gewissens zu erforschen/were er wol werth/ daß man ihn betröge/als einen Teufels-Apostel. Dux ergo *Georgius*, datis ad Electorem Saxoniæ patruelem literis, Lutherum accusat, non solum de convicio sibi facto, sed quòd suæ ditionis homines ad rebellionem inflammaret. Elector ad Lutherum id perscribit, ac nisi se purget, vindicandum id in ipsum ait. Hac occasione Luther. criminationem illam refellit, negatq; *se consuluisse, ut principi resisterent, sed ut patienter, etiam exilium ferrent. Tantum abesse à se; ut magistratus autoritatem infringat; ut nemo se uno fortiùs eam adseruerit, aut magis illustrarit. Apostolum diaboli appellatum propter subditos: ne putent magistratus legitimi, sed diaboli esse edicta.* Huic libello subjunxit *epistolam*, quâ cives *Lipsienses* exules, consolatur & monet; ut *præsentem fortunam mod ratè ferant*: & simul *Deo gratias agant, qui vim istam mentis, atq; constantiam sit ipsis largitus, non fore perpetuum hoc neq; solidum gaudium adversariis evangelii, sed omnium opinione citius interiturum, & adhuc quidem omneis illorum conatus irritos fuisse, ac singulari Dei beneficio concidisse demonstrat.* Submisit *& minorem apologiam*: in qua se purgat de his criminibus, quod *sit mendax* quòd *perfidus*, quòd *apostata*, ac cæteris negatis *fatetur se esse apostatam, sed beatum & sanctum, qui fidem diabolo datam non servarit, non secus ac si è Mammeluca aliquis ad Christianismum, aut magus è diaboli fœdere ad Christum redeat*: ubi plura de monachatu. Oppugnavit & novo libello *missas privatas & sacerdotum consecrationem*, in qua *disputationem suam cum diabolo habitam* narrat: quæ à Pontificiis & Jesuitis variè est exagitata, sed ipse se explicat ibidem. Ad senatum denique & populum *Francofurdiensem* misit epistolam, qua eos hortatur, ut caveant sibi à *Zvvinglii* doctrina, atque instruit de confessione.

An. 1533. Tom. 6. oper. Ien. Consolatur Oschazienses.

Controv. nova cum Georgio Sax. Duce.

Sleid. l. 9.

** Tom. 6. Ien. p. 4. b*

Defensio Lutheri.

Apostolus diaboli Georg. dux erat dictus.

Consolatur exules Lipsens. Luther.

Apologia alia Luth.

Tom. 6. Ien. p. 22. seq.

Disputatio Lutheri cum diabolo.

Anno *trigesimo quarto* Elector Saxoniæ cum *Ferdinando* rege transegit, quam pacificationem *Petrus Paulus Vergerius* permoleste tulit, atque nomine *Clementis* Pontificis, de eo cum Ferdinando expostulavit. Hoc autem anno Lutherus docendo, scribendo, & commentando fuit occupatus: quemadmodum *Biblia Germanica*, ab ipso translata, & in unum corpus redacta, hoc ipso anno excudi ceperunt, ut docet *Privilegium vetus*, ab Electore Bibliopolis datum. Prodierunt anno sequenti, *trigesimo quinto*, quo cœpit iterum glisscere in Westphalia *Anabaptistarum delirium*, atque in incendium maximum erupit. Eodem *trigesimo quinto* anno rediit à pontificem in Germaniam missus *Vergerius*, qui Saxonem, de concilio *Mantuæ* celebrando, interpellavit, Lutherum quoque *Wittenbergæ* convenit, deque negotio religionis cum eo egit. Scripsit Lutherus tunc conciones varias & epistolas, inter alia *de modo precandi* libellum popularem, *præfationem in librum Urbani Regii contra Monasterienses novos Valentinianos & Donatistas.* Et cum Pontifex concilium *Mantuam* indixisset, conscripsit *aliquot dicta vel themata contra Constantiense* (ipse Obstantiense vocat) *concilium*: consolatus est & *Christianos Mittweidenses*, evangelii causa expulsos, & epistolam ad *Cardinalem Moguntinum*, ut ait, ultimam, sed submisit & alias. Hoc denique anno cepit Lutherus explicare publicè *Genesin Mosis*, quem laborem unà cum vita, uti ominatus sibi erat, finiit, exacto decennio.

An. 1534. Sleid. l. 9. P. Paul. Verger.

Biblia Germ. Luther. prima.

An. 1535.

Vergerius agit cum Luthero. Sleid. l. 9. p. 235. Labores Lutheri.

Concio Mantuam. indict.

Tom. 6. op. Ien Genes. aggred.

Anno *trigesimo sexto*, *formula concordiæ* inter Lutherum & Bucerum, aliosque ecclesiarum in superiori Germania doctores, de cœna Domini, à *Melanchthone Wittenbergæ* est conscripta, exeunte *Majo*, cujus alibi * quoque meminimus, ut & nomina eorum, qui subscripserunt, retulimus. Hoc etiam anno *Philippus* Pomeraniæ Dux, *Mariam Joannis* Saxoniæ Electoris, & *Margaritæ Anhaltinæ* filiam, *Torgæ* in matrimonium duxit, benedicente novis conjugibus Luthero. Qui peractis ritibus, manum illi porrigente Philippo Duce, stans aliquandiu tacitus, tenensq; manum ducis, clarâ voce, *Dominus Deus*, inquit, *sit tecum, & semen tuum non deficiat!* Cum autem patruus *Philippi Barnimus*, liberos mares non susciperet, & *Philippi* conjugium *primo quadriennio* prorsus sterile esset: planè interitura ducum Pomeraniæ stirps mascula est visa, sed Dei beneficio, *ex voto Lutheri, Dux Philippus septem* ex ea conjuge *filios suscepit*, ac familiam illustrissimam egregiè propagavit.

*An. 1536. Concordia inter Lutherum & Bucerum. * In vita Bucer. Vide consil. Theol. Melanchthon*

Chytr. l. 4 Saxon.

Votum Luther. ad Philipp. Pom. ducem nov. maritum.

Sequenti anno mense *Februario*, dux Saxoniæ elector, cum fœderatis religionis nomine principibus & civitatibus, eorumq; Theologis *Smalcaldiæ* conventum egit, principes, ut de synodo *Mantuæ* indicta, deliberarent: Theologi, ut de doctrina conferrent. Evocatus itaq; eodem fuit cum *Melanchthone Lutherus*: qui articulos de præcipuis controversis doctrinæ

An. 1537.

Convent. Smalcal. & evocat. eodem Luther.

ctrinæ Christianæ capitibus conscripsit, à cæteris Theologis approbatos, in concilio, si quod futurum esset, nomine docentium in Saxonicis & conjunctis ecclesiis exhibendos. Vulgò *Schmalcaldicos* nominant, & adjuncti sunt *Augustanæ confessioni*, ejus *Apologiæ* atque *Catechismis Lutheri*.

Morbo gravi corripitur Lutherus.

Eo in conventu gravi periculosoq; morbo correptus est Lutherus ut ferè de ejus vita desperaretur. Calculi id malum fuit, è quo in diem usque undecimum vesicæ obstructione laboravit. Ipse tamen, improbantibus & adversantibus plerisque avehendum se inde curavit, nec consilio aut eventu infelici. Comitem se illi itineris adjunxit *Georgius Sturciades* medicus, Erphordia evocatus. Lutherus in curru *testamentum* fecit, in quo *amicis & pastoribus legavit odium Papæ*, quemadmodum antea in ædibus *Spalatini* anno *trigesimo* hoc carmen fecit:

Georgius Sturciades medicus. Luth. fecit testamentum.

Pestis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

Melius habet.

Sed nocte, quæ discessus ejus diem secuta, melius habere Luther⁹ cepit, *Tambachii*; & apertis urinæ meatibus, ipse Lutherus scripsit *cantharos undecim* se excepisse. Vicum illum *locum benedictionis suæ* appellavit in literis. Hæc valetudinis illius recuperatio, magnum attulit gaudium piis, ac Lutheri amantibus, tum inprimis *Melanchthoni*, quod hæc epistola * indicat: *Toto pectore ago gratias Deo Patri misericordiarum, & Domino nostro Jesu Christo, Pontifici nostro interpellanti pro nobis, Συμπαθοῦντι ἡμῖν ἀσθενείαις ἡμῶν, quod morbi nimii periculum levare cœpit. Gaudeo enim ex animo, cum tuo, tum Reipublicæ nomine, te reviviscere, & hanc lætitiam auget, quod juvat exemplum vidisse, quo manifestè testatus est Deus, se hanc nostram Ecclesiam respicere. Hic omnium principum & aliorum bonorum virorum vultus, atq; congressus fuerunt hilariores, postquam allatæ sunt literæ tuæ spem vitæ ostendentes. Agnoscunt tuo ministerio lucem Evangelii rursus patefactam esse, seq; id debere tibi intelligunt, simul etiam prospiciunt, quantum detrimentum acciperet Ecclesia, si nobis eripereris. Ideo optant communibus votis; ut diu sis superstes, agunt Deo gratias, quod te velut è media morte revocavit in vitam. Ac spero, gratam esse Deo hanc lætitiam, & gratiarum actionem. Precor Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, ut te prorsus restituat, ac sanet. Hic nondum finitæ sunt deliberationes de responso dando Cæsaris Oratori, ad ipsius disputationem, quam de priore responso duriorem habuit. Itaq, nondum etiam Pontificio nuncio responsum est. Dux Wirtenbergensis laudat magnitudinem animi tui, quod ausus sis in tali morbo te committere itineri, & ex hoc antro evaseris. Ait se tuum exemplum imitaturum esse, jam enim amplius octiduum agrotat, & cras abire constituit. Christus faciat, ut brevi te videam incolumem, & restitutum bonæ valetudini. Fui in maximis doloribus, & hos augebat indignitas, quod nihil opis afferre tibi hoc loco poteramus. Excruciabant me etiam errata quædam ἰατρικὰ, quibus animadverti morbum augeri. Itaq; dici non potest, quantis doloribus conflictatus sim. Solicitudine nondum prorsus liberatus sum. Sed si fuit Δυσουρία ex oppilatione, jam depulsum spero omne periculum; sin ex calculi mole, tamen levius fore spero, & habebis medicum Dei beneficio prudentem & fidum, quem ut Deus adjuvet opto. Vale Schmalcaldiæ. 1537.*

* Est l. 1. epist. Melanchth. pag. 28.

Melanchthon. gaudium ex Luther. valetudine.

An. 1537. Pontifex concilium producit & transfert. Sleid. l. 12. f. 305.

Interea Pontifex concilium à calendis *Novembris* ad calendas usq; *Majas* anni sequentis producit, & *Vincentiæ* locum adsignat, urbe Venetorum ampla atq; copiosa, præmissis eo aliquot cardinalibus, qui initium facerent. Præ se ferebat autem seriam consultationem de purgando illo *Augiæ stabulo*: jamque certis quibusdam delectis id negotii dederat, remissa etiam jurisjurandi religione & consilium reformationis sciri à nemine volebat. Sed diu non latuit, & simul atq; in Germaniam emanavit, *Lutherus* lingua populari: *Joannes Sturmius* autem Latinè respondet, ad emendatores ipsos oratione conversa. Lutheri libello præfixa pictura statim denotat argumentum. Nam Pontificem in sublimi solio sedentem circumsistunt aliquot cardinales; qui caudis vulpinis, ad longurios alligatis, veluti scopis, omnia sursum deorsum repurgant. Et tandem reformatio illa omnis in fumum abiit, quorum artificio aut technis, satis notum est. Lutherus autem evulgavit in gratiam Pontificiorum, *unum de summis Pontificiæ fidei articulis*, nempe *de donatione Constantini*, cum notis & refutatione. Edidit etiam aliquot *Joannis Hussi epistolas* ad Boëmos è carcere Constantiensi anno *millesimo, quadringentesimo, decimo sexto* missas: quibus præfationem ad spirituales, qui fortè concilio sint interfuturi, præfixit. Misit insuper ad Papam & Cardinales aliquosque prælatos, *legendam de Joanne Chrysostomo*, cum præfatione & scholiis. De *concordia* deniq; illa *inter Helvetios & Lutherum* epistolam misit, amicè scriptam, ad fœderatos evangelicos, in qua consensum suum declarat, & quid de sacra cœna credat.

Simulat reformationem Papa.

Luth. liber de Papa reformatione.

Evanescit reformatio Papæ.

Epistola Hussi.

Legenda de Ioan. Chrysost. Epistola Luth. ad Helvet.

Interea, quasi parum certaminum in ecclesia esset enata est secta *Antinomorum*, auctore potissimum *Joanne Agricola Islebio*, qui cum Luthero antea vixerat familiarissimè. Dicebant illi, pœnitentiam ex Decalogo non docendam, & impugnabant illos, qui evangelium non prædicandum tradunt, nisi primum quassatis animis fractisq; per legem. Ipsi verò statuebant, quæcunque tandem sit hominis vita & quantumvis impura, justificari tamen eum, modò promissionib. evangelii credat. Luthero itaque rursus negotium facessitum, qui & copiosè illa refutavit, docuitque legem non datam ut justificet, sed ut peccatum ostendat, & conscientiam terreat. Itaq; primum illam docendam, deinde evangelium, quod Mediatorem monstrat. *Islebius* à Luthero monitus errorem tandem agnovit, & publico scripto confessus est.

Exstant omnia ista t. 6. Ien. G. An. 1538. Secta Antinomor. Doctrina eorum.

Luther. refutat.

Sleid. l. 12. Camer. in vita Melanchth. p. 190.

Sub idem tempus, anno *trigesimo octavo*, festo Pentecostes, rectore Academiæ per semestre æstivum *Melanchthone*, quidam *Simo Lemnius* libellum edidit epigrammatum, quibus multorum & virorum & fœminarum famam læsam esse judicatum est. *Lutherus* igitur, *osor* ejusmodi *famosorum libellorum summus*, in auctorem *epistolæ ad fratres & soro-*

An. 1538. Cam. in vita Melanchth. p. 191.

res

res ecclesiæ Wittembergensis edita *, acerrimè invectus est: factum illud poëtastri unicè sibi displicere testatus. Sed auctor elapsus postea impudentissimè mentiendo tam fœda atque impura scripta emisit, ut neq; priorum veniam dandam ei, & quicquid accidisset, id lenius quàm nefaria ipsius vesania mereretur, omnes boni statuerent. Prodierunt hoc anno & *tria symbola Oecumenica*, cum Lutheri expositione, ut & alia, de quibus tomi ipsius,

* Tom. 6. Ien. p. 533.

Oecumenica symbola.

An. 1539. Annus *trigesimus nonus* rursum deliberationes solicitas & arduas de republica attulit, cum incertum esset, quid de pace apud Cæsarem obtineri posset, & multi conatus injustæ oppressionis timerent. Lutherus itaque cum collegis Wittemb. scriptum composuit & edidit, *de legitima, concessa, & voluntati divinæ non contraria defensione*. Cumque tàm frequens esset in omnium ore *concilii nomen & ecclesiæ*: Lutherus *de utroq; librum emisit vulgari lingua*, in cujus præfatione Papam dicit eodem modo ludere ecclesiam Christi indictione concilii, quo ludificari solent canes, quibus cultri cuspide exhibeatur frustrum panis, quod illi captantes manubrio percutiuntur, non sine risu spectantium. Probat in eo primùm *ecclesiam non posse secundum patres & concilia reformari*, deinde *agit de scripturæ auctoritate*, de *Apostolorum concilio* primo: de *concilio Niceno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi*, explicat quid sit *concilium, & quæ ejus potestas*, denique *de ecclesia* tractat, *quid sit, & quæ sit vera*, quæ *ejus signa & notæ*, *Christianas scholas* postremò *affirmat esse perpetua concilia*: ac proinde diligenter conservandas, ut quæ unicè prosint triplici in terris hierarchiæ, *ecclesiastica, politica, & œconomica*.

De legitima defensione scriptum Luth. Tom. 7. Ien. De conciliis & ecclesia.

Similitudo de conciliorum indictione Papali.

Summa libri de conciliis.

Christianæ schola perpetua concilia.

An. 1539. Georg. dux Saxon. moritur. Succedit Henricus. Sub exitum Smalcaldici conventus, die *vicesimo quarto* Aprilis, discessit è vita *Georgius Dux Saxoniæ*, nullis relictis liberis. Heres igitur fuit *Henricus* frater cum filiis *Mauritio & Augusto* institutus; sed cum conditione, *ne religionis forma mutetur, sin minus, Ferdinando regi ditionem totam tribuit, donec conditio impleatur*. Sed dum legati cum *Henrico* ea de re agunt splendidis propositis rationibus, imò aureis montibus promissis, constanter * ille se id facturum negavit, & moritur *Georgius* antè, quàm legati redirent. Itaque præter voluntatem suam *Georgius* heredem habuit, ac tanta est facta in Misnia mutatio subitò, ut cùm in *Paschalibus* feriis *Lipsiæ* docuissent Pontificii: festo *Pentecostes* ibidem in suggesto starent & docerent, Lutherus ætatis suæ anno *quinquagesimo sexto*, & discipuli ejus. Fecit Lutherus tùm initium reformationis, colophonem alii addiderunt.

* Vide vitam Frid. Myconii.

Mutatio religionis in Misnia.

An. 1540. Convent. Haganoensis. Anno *quadragesimo* decretum erat, ut *Haganoæ* ad Rhenum convenirent Theologi deque controversis doctrinæ capitibus placidè colloquerentur. Eò quoque proficiscens *Melanchthon, Vinariæ* in morbum incidit gravissimum, adeò ut subsistere ibi cogeretur, & ad emigrationem ex hac vita, condito etiam testamento, totum se præpararit. Accurrit itaq; ad eum Lutherus cum *Crucigero*, jussu Electoris, itineribus maximis, quà die, quà noctu. Ut primùm autem ad *Melanchthonem* venit, misereque vi morbi absumtum vidit, cum gemitu & lacrymis, *Heu*, exclamat, *quam pretiosum & utile ecclesiæ organum, quam miserè nobis est affectum, & penè interiit!* & cum saltem salutasset, in genua procumbens, ardentissimè oravit, ac deinceps omne officium decumbenti præstitit, consolando, monendo, & quandoq; etiam objurgando. Inde ipse *Melanchthon* ad *Camerarium* *: *Nulla oratione explicare possum, quam horribiles dolores sustinuerim, qui interdum recrudescunt. Sensi & Doctorem Lutherum excruciari animo, sed ille suum dolorem repressit, ne meum augeret. Meq; erigere conatus est summa animi magnitudine, non solum consolando, sed sæpe duriter objurgando. Qui nisi ad me venisset, mortuus essem.*

Melanchthon. morbus in ipsum.

Preces pro valetud. Philippi.

Et officia alia.

* Corpus. Theol. p. 393.

Hoc eodem anno *Robertus Barnus*, Theologiæ Doctor, *Londini* secundo cal. Julii, ob evangelium crematus est. Erat is Luthero notus etiam in domestica familiaritate cum *Wittembergam* in legatione divortii regis causa venisset Amici itaq; sui & martyris constantis *confessionem*, quam dum ad rogum fuit ductus publice dixerat, *cum præfatione* sua Lutherus typis exscribandam curavit: pastores insuper peculiari scripto iterum monuit, ut masculè in usurarios ac usuras inveherentur.

Robertus Barnus exustus.

Ejus confessionem edit Luth. Tom. 7. Ien. p. 592.

An. 1541. Ineunte anno *quadragesimo primo, Friderico cum Myconium*, phthisi gravissimè attenuatum, epistola * est consolatus, qua *acerbam sibi fore vitam scribit, illo exstincto, ac proinde optat, ut sibi prius tabernaculum corpusculi exhausti deponendum sit, certoq; persuasum se confirmat, preces suas, exauditum iri*, ut & factum. Supervixit enim *Myconius* postea ipsum *sexennium*, & Lutheri precibus acceptum id retulit. Post Pascha *Dessaviæ* baptisatus est infantulus masculus *Bernhardus Joannis Anhaltini*. Ibi *super baptismo* duas Lutherus habuit *conciones* coram aula, & fratre Anhaltini & episcopo Brandeburgico, quæ exstant. Respondit etiam libello maledici cujusdam, quem ipse nominat Hans Wurst / in quo iterum & se & doctrinam, quam profiteretur defendit; contra Pontificios, & Pontificiorũ errores refellit. Edidit quoque *cohortationem ad preces adversus Turcam*, & respondit viris principibus de quæstionibus Theologicis variis, ut de *transsubstantiatione, de libero arbitrio, de justificatione fidei*, & aliis.

* Tom. 7. Ien. Consolatur Myconium.

Respondet ad convicia Hans Wurst.

Exstant omnia tom. 7. oper. Jen. Chyr. l. 15. Sleidan.

Sub id tempus, cùm *Neoburgi* ad Salam episcopalis sedes vacaret, jussu Electoris Saxoniæ, diœceseos illius advocati & patroni, à Luthero inauguratus est. *Nicolaus Amsdorfius*, familia natus nobili Theologus, repudiato *Julio Pflugio*, quem collegium ibi canonicorũ elegerat. Introduxit illum Luthers in episcopalem sedem die *vicesimo Januarii*, anni *quadragesimi secundi*. Hæc res, ut multorum fuit opinio, occasionem aliis motibus præbuit, & Cæsarem, cui *Julius* non uno nomine carus, haud leviter offendit, ut alibi * dictum. Lutherus postea librum vulgari lingua edidit, cui titulus: *Exemplum inaugurandi veri Episcopi Christiani*.

An. 1542. Ordinat episcopum Luth.

* Vita Amsdorfii.

Evul-

Evulgavit tunc & *Alcoranum Richardi* cujusdam fratris *Dominicani*, vernaculè versum: item *admonitionem fidelem de fugienda Turcarum doctrina*: &, *non Turcam, sed Papam esse Antichristum.* Cumque dissidium periculosum inter Electorem Saxon. & *Mauritium* de finibus & oppidulo *Wurcena*, ortum esset, jamque res ad arma certò spectaret, Lutherus à proposito gravissimis rationibus principes avocavit, scriptis literis. Explicuit etiam sententiam suam super themate quodam: quo ante multos annos affirmarat: *belligerari cum Turca, nihil aliud esse: quam repugnare Deo, qui nos eo, tanquam flagello, verberet.* Consolatus inter alia etiam est mulieres, quæ abortum passæ, vel fetum mortuum enixæ.

Tom. 2. Ienens.

An. 1543.

Annus *quadragesimus tertius* ut & sequens fecundus fuit malorum causis & certaminibus. Tunc enim recruduit bellum sacramentarium, magno cum dolore *Melanchthonis*, quem etiam Luthero committere quidam conati sunt. Fuerunt enim multi *, qui frigidam Luthero suffunderent: ac de *Rhenanis ecclesiis nihilo mitiùs loquerentur, quàm de Turcis.* Itaque cùm typographus Tigurinus *Christophorus Froschoverus* exemplum Bibliorum Tigurinorum à se excusorum Luthero misisset, monuit eum epistola, *nequid posthac mitteret, à Tigurinæ ecclesiæ ministris profectum. Se enim nullum cum iis commercium habere: nec libros eorum vel recepturum vel lecturum. Ecclesias DEI communicare cum eis non posse, qui jam & ipsi damnati sint, & in damnationem atque infernum alios abripiant. Se igitur, dum vivat, precibus ac libris eos oppugnaturum.* Ivit autem primùm *in Judæos* scriptis suis Lutherus, & eorum refutavit mendacia, præsertim blasphemum illud *Shemhamphoras.* Deinde judicium & breve responsum dedit ad *Caspari Schvvenckfeldii* literas & librum, quem jubet ut se missum suis scriptis faciat, ac hoc cum responso dimittit: *Increpet Dominus in te Sathan, & sit spiritus tuus, qui vocavit te, & cursus tuus, quo curris, & omnes qui participant tibi, Sacramentarii & Eutychiani tecum, & cum vestris blasphemiis in perditionem. Sicut scriptum est: Currebant & non mittebam eos: Loquebantur, & nihil mandavi eis.* Rescripsit etiam ad alios, quid sibi *de ceremoniis*, & *de excommunicatione* videretur: illarum vult esse paucas & ad ædificationem: hanc verò, ut disciplinam ecclesiæ utilem revocari quidem optat, sed vix sperat. Gravi insuper adhortatione juventutem Wittembergæ tunc discentem, monuit, ut sibi à scortorum pollutione caverent, qua multi tunc infecti, imò ipse discessurum se è colluvione talium hominum est interminatus, ac mansit aliquandiu *Mersburgæ*, apud Principem *Anhaltinum*, sed ab Academia honorifica legatione revocatus, ad ordinarias operas rediit. *Commentarium* inprimis egregium scripsit tunc *super ultima verba Davidis*, in quo articulus de *Trinitate*, de *discrimine personarum*, de *Christi Deitate* atque *humanitate* nervosissimè & planissimè declaratur.

Camer. in vita Melanchth. Consil. Theol. pag. 583. seq.

* Inter eos Amsdorff. Luth. ab aliis instigatur.

Resp. Luth. ad Typographum Tigurinum

Schemhamphoras Iudaor. Svvenckf. respondet.

Iudicium de ceremoniis & excommunic. tom. 8. oper. Ienens.

Mersburg. agit. Luth.

De ultimis verbis David. commen.

Anno *quadragesimo quarto primam partem* suorum *commentariorum in Genesin* finiit, in quibus passim in sacramentarios invehitur: ac *vaticinatur, futurum, ut se mortuo, catervatim erumpentes Lutheranam doctrinam sint oppugnaturi.* Deinde mense *Septembri*, brevem ultimamque suam *Confessionem de Cœna Domini* edidit, ubi disertè exponit, quid jà dignis & indignis in Cœnâ sumatur, tum per fidem, tum præter fidem: *Zvvinglium, Oecolampadium, eorumque discipulos, Tiguri & alibi apertè hæreticos, sacramentorum hostes, æternumque damnatos scribit.* Tigurinis, etsi alii aliter faciendum statuebant, visum est respondere, id quod *sequentis anni* initio *edita Apologia* fecerunt: de qua * alibi.

A. 1544. Comment. in Genesin.

Confessio uls. Lut. de Cœna.

A. 1545. * Vita Bulling. & Lavat. hist. sacrament. Vit. Luth. labor. Matthes. concionib. de Luth. pag. 169. b.

Illo eodem anno, die *decimo septimo* Novembris *Geneseos ennarrationem* Lutherus absolvit, quæ fuit postrema ejus in Academia illa publica lectio, quam hisce ad auditores de cathedra concluſit: **Das ist nun der liebe Genesis: unser HErre GOtt gebe / das andere nach mir besser machen. Ich kan nicht mehr / ich bin schwach:** *orate Deum pro me,* **daß er mir ein gutes seliges Stündlein verleyhe:** h. e. *hæc est ergo Geneseos nostræ enarratio: faxit Deus, ut alii post me rectius meliusve explicent. Ego plura non possum: vires me deficiunt, orate Deum pro me, ut horam mortis placidam mihi largiatur.*

Mendacia de Luth. obitu in Italia sparsum.

* Tom. 8. oper. Ien. p. 206.

Hoc anno in *Italia* sparsum fuit impudentissimum, de Lutheri obitu, planè tragico & horrendo, mendacium. Verba ex Italico * translata sunt hæc:

> *Horrendum, adeoque inauditum miraculum, quod in æternum laudandus Deus, in fœdæ morte Martini Lutheri, & corpore & animam damnati, exhibuit, in gloriam Jesu Christi, atque in emendationem & consolationem piorum.*

Cùm in morbum incidisset Martinus Lutherus, corpus Domini nostri Jesu Christi sibi communicari petiit; quod ubi accepit, brevi post extinctus est. Vitæ suæ terminum instare ubi animadvertit; petiit, ut altari imponeretur corpus suum, divinisque honoribus affectum adorarctur. Verum horrendis erroribus finem tandem impositurus Deus, ingenti miraculo populum monuit, ut ab impietate, quam Lutherus invexisset, absisteret. Imposito enim corpore ejus in sepulcrum, tantus subito tumultus & terror exortus est, ac si terræ fundamenta concuterentur. Unde qui funeri intererant, cohorrescentes obstupuêre, moxque sublatis oculis, sacram hostiam in aëre pendentem conspicati sunt. Quare magna cum animi devotione sanctissimam

„ illam hostiam in sacro loco reposuere. „ Quod ubi factum, Tartareus iste fragor audiri desiit. Sub insequentem verò noctem, „ strepitus & fragor priore multò impetuosior, circa sepulcrum Lutheri auditus est; qui „ omnes per totam civitatem trepidos, pavoreque tantum non enectos è somno excitavit. Quare cum illuxisset, sepulcrum, in „ quod detestandum Lutheri corpus repositum fuerat, aperuerunt, ubi nec corpus, nec „ ossa, nec ullas vestes offenderunt; sed fœtor sulphureus è sepulcro exiens, circumstantes ferè extinxit. Quo miraculo complures territi vitam suam emendarunt, in „ honorem Christianæ fidei, & gloriam JESU „ Christi.„ Hoc mendacium cùm in Germaniam ad Lutherum fuisset perlatum: ipse hæc ei verba sua manu subscripsit: „ Fateor „ & testor hac mea manu, ego Martinus Lutherus, me vicesimo primo Martii figmentum hoc iracundiæ & furoris plenum, de „ morte mea accepisse, lætaque mente & hilari vultu legisse; sed detestatum istam blasphemiam, qua impudens mendacium divinæ majestati adscribitur, in cæteris me „ non posse non gratulabundum ridere Sathanæ, ejusque squamarum Papæ & complicum ejus odium, quo me insectantur. „ Convertat eos Deus à diabolica ista malitia. Sin autem decretum est, preces meas „ pro peccato in mortem irritas esse; tum „ faxit Deus; ut mensuram peccatorum compleant, & libellis hujusmodi mendaciis scatentibus seipsos invicem ad satietatem usque oblectent.

Papatus à diabolo institutus. Tom. 8. Ien. p. 208. b.

Edidit tunc Lutherus librum, cui titulus, *contra Papatum à diabolo institutum:* **wider das Pabstthumb vom Teuffel gestifftet:** in quo de concilio à Papa indicto, & toties sublato, aliove translato, deque aliis Pontificiorum molitionibus. Ibidem *Campanum* refert*, cum ex Germania ad fines Italiæ venisset, inclinatum obvertisse podicem & dixisse:

** Tom. 8. pag. 211. Germani Italiæ bestia & barbari.*

Adspice nudatas barbara terra nates.

Evulgavit & alia, ut explicationem dicti: *scrutamini scripturas*, & *de mundi cæcitate atque ingratitudine* in querelam Christi super urbem Hierosolymam. De consilio quoque Lutheri imprimis *Georgius Anhaltinus* passus est sibi hoc anno demandari gubernationem ecclesiæ *Mersburgensis*, qua de re verbosius * alibi.

**Vita ducis Georgi.*

A. 1546. Camerar. in vita Melanch. Evocatur à comitib. Mansfeld.

Hoc tempore, quod inchoaret annum Christi *millesimum quingentesimum quadragesimum sextum* Lutherus abiit, comite inter alios Melanchthone, in patriam suam: & incolumis cum eodem reversus est. Paulò pòst, cum jam concilium Tridenti esse inchoatum, & consessus unus atque alter habitus, iterum eodem evocatus est à comitibus *Mansfeldicis*, dissidii componendi causa, quod inter ipsos erat de finibus & hæreditate. Non solebat Lutherus quidem ejusmodi negocia tractare, ut qui per omnem vitam nihil nisi sacra studia curasset: sed quia *Islebii* natus erat, ditionis Mansfeldicæ oppido, patriæ voluit hanc operam præstare. *Wittembergæ* itaque ultima concione habita die *decimo septimo* Januarii, in viam vicesimo tertio se dedit: ac * *Halæ* Saxonum hospitio *Justi Jonæ* usus, triduum ibi, propter aquarum eluvionem, subsistit; & concionem, *vicesimo sexto* Januarii, de Pauli conversione habuit. Vicesimo octavo, qui fuit dies Jovis, *Hala* navigio trajecit præterfluentem ipse cum D. *Jona*, ac tribus filiis, non sine periculo submersionis, adeò ut ad D. *Jonam* diceret: *nonne perjucundum, putas, foret diabolo, si ego tecum & cum tribus meis filiis, in aqua suffocarer?* Ad fines *Mansfeldicorum* comitum ubi venit: ab aula centum amplius equitum comitatu exceptus; inque oppidum *Islebium* honorificè introductus est, valetudine admodum imbecilli & tantum non desperata: quod sibi accidere semper, cùm magni quippiam aggrederetur, dixit. Sed adhibitis fomentis, mensæ in cœnâ adsedit: & à *vicesimo nono Januarii*, ad *decimum* usque *septimum Februarii*, & causam propter quam evocatus erat, egit; & in templo aliquoties docuit, cœna Domini bis usus, quin & duos sacro ministerio publicè initiavit. Domi verò super mensam colloquia habuit, pietatis plena; precesque quotidie devotè dixit.

*Abit Witt. * Quo venit d. 24. Januarii. Vide vitâ Justi Jonæ.*

Islebium venit ægrotus.

Actiones ejus ibi.

Vespera illius diei, quamvis erat imbecillior, prandit tamen cum reliquis atque cænavit. Inter cœnandum variis de rebus locutus, hoc etiam inter alia interrogavit: *num in illâ sempiternâ vita simus alter alterum cognituri?* cumque alii averent ex ipso scire: *quid*, inquit, *accidit Adamo? nunquam ille viderat Evam; sed cum eam formaret Deus, altissima quiete sopitus dormiebat: expergefactus autem, cum illam videret, non rogat: quæ sit, aut unde veniat, sed carnem esse de sua carne dicit, & os de suis ossibus. Qui verò sciebat istud? nimirum Spiritu sancto plenus, & vera DEI cognitione præditus, ita pronunciabat. Ad eundem modum, nos etiam in altera vita renovabimur per Christum: & parentes, uxores, liberos, & quicquid est, multò perfectius agnoscemus, quam tunc Evam Adamus cognovit.* A cœna, cùm divertisset precandi causa, sicuti consueverat, cepit augeri dolor pectoris. Ibi monitu quorundam usus est cornu monocerotis ex vino: pòst in minori lectulo hypocausti per unam & alteram horam suaviter dormit; cùm evigilasset, in cubiculum ingreditur, & ad quietem iterum sese componit, salutatisque amicis, qui aderant, *orate*, inquit, *Deum; ut Evangelii doctrinam nobis conservet. Pontifex enim & concilium Tridentinum mira moliuntur.* Hæc ubi dixit, facto silentio dormit aliquandiu, sed urgente vi morbi, post mediam noctem excitatus, queritur de pectoris angustia, & præsentiens jam instare vitæ finem, his omnino Deum verbis implorat:

Colloquia in ultima cœna. In vita æterna an alter alterum simus recogniturí.

Morbus Lutheri supremus.

Pater

Precatio ejus ante mortem.

» Pater cœlestis, DEUS & Pater Domini
» nostri JEsu Christi, Deus omnis consolationis, ago tibi gratias, quod filium tuum
» JEsum Christum mihi revelasti, cui credidi,
» quem sum professus, quem amavi, quem
» celebravi, quem Pontifex Romanus & reliqua impiorum turba persequitur, & affi-
» cit contumelia: rogo te, mi Domine JEsu
» Christe, suscipe animulam meam: mi Pater cœlestis, etiamsi divellor ex hac vita, li-
» cet corpus hoc mihi sit jam deponendum:
» certò tamen scio, me tecum esse permansurum in sempiternum, neque posse me tuis
» ex manibus à quoquam avelli. Addidit & » dicta: Sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum filium daret; ut omnis, qui
» credit in eum, non pereat, sed habeat vitam
» æternam.» Et ex Psalmo sexagesimo octavo: *Deus noster Deus salvos faciendi, & Dominus, est Dominus educendi ex morte:* postea medicamento quodam exhibito, cum id absorbuisset; *ego*, inquit, *hinc abeo, spiritum meum jam reddam Deo:* & cum dicto celeriter tertium: *pater in manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me Deus veritatis.* Hic tanquam dormiturus è vitâ discedit, nullo cum corporis, qui quidem animadverti potuit, cruciatu. Cumque D. *Jonas* ac *Cælius* inclamarent: *reverende Pater, morieris ne per Christum in confessione ejus doctrinæ, quam hactenus annunciasti, constanter?* Respondit ita, ut exaudiri posset, *Ia*, quæ vox postrema ejus fuit. Sic in patria sua, quam multis annis non viderat, obiit cum gemitu multorum, die *decimo octavo* Februarii; qui Concordiæ in Fastis adscribitur, sub horam tertiam matutinam, anno ætatis suæ climacterico magno. Islebii postero die exsuviæ loculo stanneo impositæ funebri pompa in templum delatæ sunt; ubi concionem habuit *Justus Jonas.* Et quamvis Mansfeldici comites cupissent in sua ditione sepultum corpus: tamen postulante ita Electore Saxon. Wittembergam id remiserunt. Ibi quacunque deductum funus fuit, & honorificè est exceptum, & cum luctu comitatum ad fines territorii: donec *vicesimo secundo* Februarii post meridiem *Wittembergam* delatum; & tanta cum frequentia, principum, comitum, nobilium, studiorum gratia ibi agentium, & plebis, quantam oppidum illud vix aut rarò vidit, in templum arci contiguum deportatum. Ibi finitis usitatis funebribus, *Pomeranus* concionem habuit coram non paucis hominum millibus, à qua *Melanchthon* cum singultu & lacrymis plurimorum peroravit. His peractis Magistri aliquot, viri docti, in tumulum sandapilam demiserunt, propè suggestum; è quo tot præclaras & sanctas conciones coram principibus, electoribus, & ecclesia Christi habuerat. In tabula supra laminam æneam in quâ ejus effigies viva, hæc leguntur carmina:

Ultima vox Luther.

Obitus ejusd.

Corpus Wittemb. evectum.

Ubi honorificè sepelitur.

Continet hic tumulus Martini membra Lutheri,
Nosse sat hoc fuerat: sed tamen ista lege.

Juxta effigiem hæc sunt.

Monumentum Luth. & Epitaphia.

Hic prope Martini rursus victura Lutheri,
In parvo tumulo molliter ossa cubant.
Quæ prius horrendis errorum pressa tenebris;
Atque operum obscurâ nube sepulta fuit,
Hoc monstrante iterum patefacta est gratia Christi;
Quæque Deo acceptos nos facit esse, fides.
Namque superstitio cum regnum cæca teneret,
Et premeret longo dogmata vera situ,
Ille Dei afflatu monitus, verboque vocatus,
Lucem Evangelii sparsit in orbe novam.
Instructusq; tuba Paulinæ & fulmine linguæ,
Explosa, cepit vera docere, dolo.
Utque agnum in media Baptista ostendit eremo,
Qui pia pro populi victima labe foret:
Sic quoq; monstravit te, maxime Christe, Lutherº
Cum totus tenebris obrutus orbis erat.
Et Legis tabulæ, quas in Sinaide Moses
Allisas fregit rupe, propheta Dei;
Quid distent Evangelio, quod pectora sanet;
Conscia quæ culpæ terruit ira Dei,
Hoc prius amissum discrimen reddidit orbi;
Essent ut Christi munera nota magis.
Arguit Ausonii frandes atque impia regna
Pontificis, populo quæ nocuêre Dei.
Pollutasque monens vitare idola per aras,
Ad verum adduxit corda levata Deum.
Magnanimusq;, Deo cursum servante, peregit:
Insidias contra multiplicesque minas.
Tandem ex hac vita tranquilla morte vocatus,
Ardua propitio venit ad astra Deo.
Sentit ubi coram felicia gaudia Christo:
Veraque post obitum præmia vivus habet.
Grata Deo tanto sit pro doctore futura
Ætas; quæ Christi dogmata vera sciet,
Atq; oret precibus, Deus hanc quam præbuit orbi
Lucem Evangelii servet ut ipse sui.

Decessit in patriæ suæ Isleben,
anno à natali Christi M D XLVI.
die Februarii XVIII.
anno ætatis suæ LXIII.
Academia Witteberg. ut filia patri
dilecto F. C.

In lapide.

MARTINI LUTHERI S. THEOLOGIÆ D. CORPUS H. L. S. E. QUI AN. CHRISTI M D XLVI. XII. CAL. MARTII EISLEBII IN PATRIA S. M. O. C. V. ANN. LXIII. M. III. D. X.

Exstant & aliorum epicedia in eum atque Epigrammata, de quibus hæc adjungimus.

Philipp. Melanchth.

Occidit omnigenæ venerandus laude Lutherus,
Qui Christum docuit non dubitante fide.
Ereptum defici vero hunc ecclesia luctu:
Cujus erat doctor, vertus imo pater.
Occidit Israel præstans auriga Lutherus,
Quem mecum sanus lugeat omnis homo.
Nunc luctumq; suum lacrymoso carmine prodat,
Hoc etenim orbatos, fiere, dolore decet.

Theod. Beza.

Roma orbem domuit; Romam sibi Papa subegit,
Viribus illa suis, fraudibus iste suis.
Quanto isto major Lutherus, major & illa:
Istum, illamque uno qui domuit calamo!
I nunc! Alciden memorato Græcia mendax,
Lutheri ad calamum ferrea clava nihil.

Joann Major.

Lutherus decimum confecit strage Leonem,
De clava noli quærere, penna fuit.

Joachim à Beust.

In sua concessit quo tempore fata Lutherus,
Mortuus est puræ relligionis apex.
Mens it ad astra, die cui dat Concordia nomen,
Lutherum in cœlum qua comitata redit.
Huic quia successit lacerâ Discordia veste;
Da populo Eliæ pallia, Christe, tuo.

Hic ergo cursus fuit, atque hæc meta laborum Lutheri: cujus obitus cum *Melanchthoni* nunciatus esset, hæc repetiisse è sacris verbo dicitur: *occidit currus & auriga Israelis!* fuitque *Melanchthoni* ejus mors inprimis luctuosa. Nam cum eo annis *viginti octo* conjunctissimè vixerat, eum ob eximias virtutes verè dilexerat, atque in illustranda Evangelii doctrina fidelem se ipsi socium & adjutorem præstiterat. Etsi enim tempora fuerunt tunc ad distractiones proclivia, hominumque levitas dissidiorum cupida, tamen, cum alter alterius vitta nosset; nunquam inter eos simultas exstitit; ex qua animorum alienatio, aut divulsio consuetudinis subsecuta sit. Quæ autem quantæve reip. procellæ in Germania post obitum Lutheri ortæ sint, prohdolor in vulgus notum est! & constat ipsum Lutherum sæpe dixisse: *se vivente, propitio Deo, bellum in Germania non futurum: se autem mortuo videret posteritas.* De doctrina item Evangelii hoc oraculum edidit: *Hæc* inquit, *perdent Christianam religionem, primum oblivio beneficiorum ab Evangelio acceptorum: deinde securitas, quæ jam passim & ubique regnat: postremo sapientia mundi, quæ vult omnia redigere in ordinem, & publicæ tranquillitati impiis consiliis mederi.*

Melancht. luctus ex obitu Luth. Conjunctio Luther. & Melancht.

Obitum Luth. quæ consecuta.

Matth. in concion. de vita Luth. Evangelii pestes.

Fuit sanè summi hujus viri ingenium acre & sagax, animus ingens & excelsus, in veritate agnita constans, à cujus confessione nec minis nec pollicitationibus ullis potuit dimoveri. Ferunt aliquando Pontificiorum quendam ex alio quæsisse: *cur homini os non obstruitis auro argentovè, quò minus ita invehatur in Romanos?* respondisse alterum: *Hem Germana hæc bestia pecuniam non curat.* Fortitudinis etiam singulare argumentum ac specimen reliquit in illo, de quo ante, conventu Augustano, quando ex sua eremo ita ad Spalatinum: „ Furere isthic & fremere reges, „ principes, populos, adversus Christum Domini, felix omen puto, ac multò melius, „ quam si blandirentur. Sequitur enim; Qui „ habitat in cœlis ridebit eos. Hoc autem „ principe nostro illos ridente, non video „ cur nobis flendum sit a facie eorum. Ridet „ enim non sui, sed nostra gratia; ut & nos „ potius fidentes, rideamus inania eorum consilia, in tantum est opus fide, ne causa „ fidei sit sine fide. Sed qui cœpit hoc opus, „ is cœpit certè absque consilio & studio nostro. Idem hactenus protexit, & gubernabit supra & præter nostra consilia & studia, „ ille ipse est, qui perficiet & absolvet idem, „ extra & ultra nostra consilia & studia, de „ quo nihil dubito. Scio & certus sum, cui „ credo, qui potens est facere supra quam nos „ petimus & intelligimus. Etiamsi Philippus „ cogitet & cupiat eum facere infra & intra „ suum consilium, ut liceret ei gloriari. Certè „ sic oportuit fieri, sic fecissem ego, **Mein es muß nicht heissen / sic ego Philippus, das ego ist zu gering / es heist** *sic, Ego ero qui ero, hoc est nomen ejus. Qui ero,* **Man siehet nicht wer er ist / aber er wirds seyn / so werden wirs sehen.** *Sed hæc verbose satis, tu esto fortis in Domino, & Philippum meo nomine exhortare sæpe, ne fiat Deus: sed pugnet contra illam innatam, & à Diabolo in Paradiso implantatam nobis ambitionem divinitatis, ea enim non expedit nobis Evam & Adam divinitas ex paradiso extrusit, nosque ipsa sola exturbat & extra pacem trudit* **Wir sollen Menschen und nicht Gott seyn / das ist die Summa / Es wird doch nicht anders oder ist ewige Unruhe und Hertzenleid unser Lohn.** Martyrium non semel tibi exoptavit, ut cum Augustam iret anno decimo octavo, ad *Melanchthonem* suum dulcissimumque ita scripserit*: Tu age virum, sicut & agis, & adolescentes „ recta doce, ego pro illis & vobis vado immolari, si Deo placet: Malo enim perire, & „ quod unum mihi gravissimũ est, vestra dulcissima conversatione carere in æternum, „ quam ut revocem bonè dicta, & studiis optimis perdendis occasio fiam. Et alibi * ad „ Spalatinum: Mallem me, quod sæpius dixi, „ in solis Romanistarum manibus perire: ne „ Carolus cum suis in hanc causam involveretur. Scio quæ miseria Sigismundum Imperatorem post occisum Huss consecuta sit, „ ut nihil deinde prosperum habuerit, sine „ prole obierit: & filius etiam filiæ, postea „ Ladislaus perierit, & in generatione una „ deletum sit nomen ejus, uxor vero Barbara infamia reginarum evaserit, & alia quæ „ te nosse credo. Si tamen ita fieri oportet; ut „ & ego non modo pontificibus, sed & gentibus tradar, fiat voluntas Domini, Amen: „ & iterum ad Lampertum Thron captivum: „ Tibi toto corde congaudeo & gratulor gratias agens fidelissimo Salvatori nostro Domino, Jesu Christo, qui mihi non modo „ verbum suum & spiritum nosse, sed & incrementum gratiæ tam opulentum & magnificum in vobis videre donavit. Me miserum, qui primus ista docuisse jactor, & „ novissimus & forte nunquam vestrorum „ vinculorum & ignium particeps esse dignus „ sum. Vindicabo tamen hanc meam miseriã „ & consolabor me, quod vestra vincula mea „ sunt, vestri carceres & ignes mei sunt, sunt „ verè dum & ea confiteor & prædico, vobisque simul compatior & congratulor. „

Animosa Luth. op. de negocio Evangelii in comitiis August. 1530.

Luth. virtutes & dotes.

Animi constantiæ singularis.

Optat. Martyrii Luth.

** Tom. 1. ep. p. 81. A. 1518.*

** Tom. 1. ep. p. 297. A. 1520.*

Vide Tom. 2. f. pag. 240. Sigismundi Cæsar in felix post eadem Hussi.

Tom 2. epist.

Pate-

Religio Christ. instaurata per Luth.

Patefecit Deus per Lutherum & reliquos συνεργοὺς, atque illustravit doctrinam ecclesiæ necessariam, de *Mediatore*, de *justificatione hominis*, de *discrimine Legis & Evangelii*, de *cultu Deo placente*, de *invocatione & aliis*. Sæpe deplorans impias compellationes mortuo-
„ rum, dixit: multas esse causas, propter quas
„ execranda sit illa invocatio, præcipuam ta-
„ men hanc, quod profana illa consuetudine
„ obscuratum sit testimonium de divinitate
„ Christi, cui scriptura Prophetica & Apostolica jubet tribui honorem invocationis. Ista
„ Idola sunt, quæ Barbarum Turcæ acinacem
„ in nostras cervices acuunt, nec desinet is
„ fundere nostrum sanguinem, nisi pia fuerit
„ suscepta emendatio. Quam enim impia
„ sint hæc quis non agnoscat? quæ Pontificii
„ in suis templis sonant:

Maria, mater gratiæ,
Tu nos ab hoste protege,
In hora mortis suscipe.

Et:

Sancta Dorothea, cor mundum in me crea:
Sancta Catharina ab æstu mundi transfer
nos ad amœna
Paradisi: aperi januas Paradisi.

Invocatio sanctorum cur fugienda.

Tom. 6. declamat Melanchthon.

Ut autem cœlestis doctrina ad posteritatem quoque propagaretur, transtulit magno & longo cum labore & studio è fontibus suis in Germanicam linguam scripta Prophetica, & Apostolica planè & perspicuè, ut interpretatio quandoque commentarii vice esse possit. Hujus laboris & difficultatis ipse passim meminit, ut ad *Wenceslaum Linckum*:
„ Nos jam in Prophetis vernacula donan-
„ dis sudamus. Deus, quam molestum &
„ quantum opus, Hebraicos scriptores co-
„ gere Germanicè loqui, qui resistunt, quam
„ Hebraicitatem suam relinquere volunt, &
„ barbariem Germanicam imitari. Tan-
„ quam si Philomela cuculum cogatur, dese-
„ ta elegantissima melodia, unisonam illam
„ vocem detestans, imitari. *Et iterum ad*
„ Spalatinum *: In transferendo Hiob tan-
„ tum est nobis negotii ob styli grandissimi
„ granditatem, ut videatur multo impatien-
„ tior translationis nostræ esse, quam fuit
„ consolationis amicorum, aut certè perpetuò
„ vult sedere in sterquilinio. Nisi fortè id
„ voluit author libri ejus, ne unquam trans-
„ feratur, ea res moratur præla in hac tertia
„ parte Bibliæ. „ Usus autem est in isto labore opera & consilio collegarum, quos alibi nominavimus, ut judices in obscuris & testes suæ fidei haberet. A *Spalatino* petiit * ut ex aula mitterentur gemmæ, utque ipse nomina & discrimina indicaret bestiarum quarundam & avium rapacium, item reptilium & insectorum. Curavit domi suæ mactandas pecudes, vitulos, verveceſque, atque partium nomina ac proprias appellationes à lanionibus didicit, sæpe ut ipsemet fassus, cum *Philippo*, *Aurogallo*, aliis, totos quatuordecim dies in interpretatione unius voculæ aut lineolæ hæsit. Conventus autem illius ratio hæc fuit:

Translatio Bibl. insigne opus Lutheri.

Tom. 2. epist. p. 387.

*Tom. 2. ep. p. 183. b. Iobi translatio difficilis.

Modus & ratio transferendi libros sacros à Luth. observata.

* Tom. 2. epist. 171. Matth. conc. 13. de vita Luth. pag. 153.

præsidebat Lutherus in monasterio cum Bi-
„ bliis Latinæ translationis veteris, & sua no-
„ va, cui semper habebat adjuncta Hebrai-
„ ca: Melanchthon afferebat textum Græ-
„ cum: Cruciger cum Hebræo Chaldaicum,
„ alii Professores habebant Rabinos, & ac-
„ cedebat quilibet præmeditatus. De loco
„ vertendo fiebat sententiarum exploratio &
„ collatio, tandem concludebatur. „ Sed cor-
rexit ipse Lutherus ante obitum primam editionem, quemadmodum dies diem docet: Pro hoc labore debetur perpetua gratia, cum & ecclesiæ prosit, & fontium ignaros erudiat, imò ipsos eruditos delectet collatio. Reprehensus tamen est hic labor à *Vicelio*, à Staphylo apostata & aliis Romani præsulis mancipiis.

Primam translationem correxit Luth. A. quibus reprehensa translatio

Ad hunc laborem adjunxit & ipse multas enarrationes eruditas, de quibus Erasmus scripsit, *in uno folio commentariorum Lutheri plus solidæ Theologiæ contineri, quam in multis prolixis scholasticorum & aliorum similium scriptis*. Germanicam certè linguam exornavit plurimum & locupletavit, vertit è Latino, quæ verti non posse putabantur, ac significantissimis usus est verbis, maximeque propriis, ut unica voce rem nonnunquam ob oculos ponat. De Pontifice scribit, quemadmodum missam etiam pro mortuis applicari jusserit, & ait eum penetrasse cum sua missa non solum per omnes orbis angulos, verum in ipsum etiam purgatorium, ibi mitur verbo, quod strepitum significat: **ist hinunter gerumpelt in die Hölle.** *Item* **Beuteldrescher** vocat indulgentiarum mangones, & talia sexcenta in Germanicis ejus scriptis. Verissimo igitur elogio à magno *Sturmio* ornatus est, quo ita de eo:
Lutherus quasi magister extitit nostri ser-
„ monis, sive puritatem consideres, sive co-
„ piam. Principum consilia, civitatum judi-
„ cia, scribæ omnes, omnes legati, ac Jurecon-
„ sulti Germanici hanc laudem homini tri-
„ buunt Theologo. Causam certè ipse de-
„ fendit & justam & necessariam, quæ per se
„ meretur victoriam, sed certè oratoriis la-
„ certis sua misit tela argumentorum. Si hæc
„ religionis restitutio non esset, si nullæ con-
„ ciones ejus extitissent, si nihil scripsisset
„ aliud, quam ea, quæ in vetere & novo Te-
„ stamento translata divulgavit, tamen sum-
„ ma ejus & perpetua in hoc labore deberet
„ extare gloria. Si enim hujus Germanicæ
„ translationi cæteræ Græcorum, Latino-
„ rum, aliorumque comparentur, cedere co-
„ gentur, perspicuitate, puritate, proprieta-
„ te, similitudine Hebraicæ originis. Credo
„ ut Appellem nemo legitur pictorum super-
„ asse, ita ne scriptorum quidem quisquam
„ Lutheri conversionem poterit vincere. „

Enarrationes libror. sacror. Luth. Erasmi de iis judicium. Facundia Luth. in ling. Germ.

Elogium Luth. à Sturm. In lib. de exercit. Rhetorit.

Rem aggressus est humanis viribus, ut o-
mnibus * videbatur majorem, nec sine periculo: Sed non est consilium, non vis ulla contra Dominum, qui adversus hostes omnes & vivum & mortuum mirabiliter defendit. Vivus adversarios habuit potentissimos, vaferrimos, & verbo dicam, *totum Antichristi regnum*: nec solum palam & bullis & scriptis eum op-

* *Vide vitam Crantzii.*

Adversarii Luth.

pugnarunt Pontifex, Episcopi, Academiæ aliique sophistæ, sed etiam clam veneno, sicâ, sclopetis, atque aliis modis deletum ipsum iverunt. De insidiis vitæ ejus structis notum est:
insidiæ eid. structæ.
„ & ipsemet his confirmat *: Est hic apud
„ nos Judæus Polonus missus sub pretio bis
„ mille aureorum, ut me veneno perdat, ab
„ amicis per literas mihi proditus. Doctor
„ est medicinæ, & nihil non audere, & face-
„ re paratus, incredibili astutiâ & agilitate,
„ quem hac hora jussi capi, nescio quid ad-
„ huc futurum sit. Hæc nova. „ Ad Spa-
* *Tom. 2. ep. p. 270. An. 1525.*
latinum scribit *, plures fuisse, quos noluerit
* *Tom. 2. ep. p. 271.*
torqueri, cùm sponte prodere nollent, à quibus essent submissi, sed egisse, ut liberi dimitterentur. Addit tamen, *quamvis persuasissimus sim ipsum fuisse, quem mihi prodiderant, adeò omnia symbola consentiunt.* Et quid moliti sint Pontificii, indicant verba *Aleandri* Pontificii legati, de quibus Lutherus: *Scribit Palatinus, Aleandrum fuisse ausum dicere, etiam si vos Germani, qui minimum omnium dependitis æris Romano Pontifici, jugum servitutis Romanæ excussëritis, tamen curabimus, ut mutuis cædibus absumti vestro cruore pereatis.* Jam
Pontificiorum moliminæ. Tom. 2. pag. 8.
Mendacia de Luth. sparsa. Tom. 1. ep. p. 227. & pag. 6.
de fabulis & mendaciis ipso vivo sparsis, quid dicam aut scribam? De patria primum ac parentibus, *fuisse eum Boëmum, hæreticis*, quos ipsi vocant *parentibus natum.* Deinde reprehenderunt *promotionem ejus Wittembergæ factam*, ac variis deformarunt mendaciis, exemplo sit, quod scribit ad Spalatinum:
Tom. 2. ep. p. 180. b. 181
„ Ferdinandi sive legatus, sive quid aliud, apud
„ me fuit, visurus quid hominis essem, & quid
„ agerem. Ajebat apud Dominum suum
„ mihi famam esse paratam, quod armatus
„ stipatusque procederem, scortis, aleis, ta-
„ bernis vacarem, ac nescio quibus aliis ho-
„ noribus in aula eadem fulgerem. Sed ego
„ mendaciis satis sum adsuetus. *Quoties di-*
Tom. 2. ep. p. 75. 85. 289.
„ *ctus fuit* ad Boëmos fugisse? *quoties objecta*
„ *ei* scandala ex scriptis orta? *quoties audiit*
„ Principum adulator? *quoties* seditionum
„ tuba? *De παῤῥησίᾳ autem ipsius & ve-*
„ *hementia vetus est cantilena, unde ipse:*
* *Tom. 2. epist. p. 6.*
„ * Omnes fermè in me damnant mordaci-
„ tatem, sed mihi idem sensus est, qui tibi,
„ scilicet Deum fortè hoc modo revelare
„ hominum figmenta. Video enim ea, quæ
„ nostro seculo quietè tractantur, mox cade-
„ re in oblivionem, nemine ea curante. *Et*
* *Tom. 1. ep. p. 192.*
„ *alibi* *: Non tamen negare possum, me esse
„ vehementiorem, quàm oporteat, quod
„ cùm illi non ignorent, canem irritare non
„ debuerunt. Quàm sit difficile calamo &
„ stylo temperare, vel ex te ipso discere po-
„ tes. Hoc enim est, cur in publico versa-
„ ri semper indignatus sum, quoque magis
„ indignor, magis contra votum involvor:
„ idque non nisi atrocissimis criminibus, in
„ me & verbum Dei grassantibus, quibus sit,
„ ut si nec calore nec stylo raperer, tamen in-
„ dignitate rei ad arma queat moveri vel sa-
„ xeus animus, quantò magis ego, qui & cali-
„ dus sum, & stylum habeo non penitùs ob-
„ tusum. His monstris ultra modestiæ deco-

rum feror. „ Allegat ibidem & exemplum Christi, qui Judæos vocet *generationem adulteram & perversam, progeniem viperarum, hypocritas, filios diaboli:* deinde Pauli, qui *canes, vaniloquos, seductores, indoctos*: imò qui Act. 13. sic invehatur in pseudoprophetam, ut videri possit insanus. Hæc ipse, sed & *Erasmus* sæpe dixit: *Deus dedit huic postremæ ætati propter morborum magnitudinem acrem medicum*, & *Carolus* Imper. **Wann die Pfaffen fromm wären / so dürfften sie keines Luthers /** h. e. *si sacrificuli frugi essent, nullo indigerent Luthero.* Ad ista omnia accesserunt & tentationes spirituales, atque Sathanæ colaphi & terriculamenta. *Coburgi* cùm subsisteret, apparuerunt ipsi aliquoties faces ardentes, à quarum conspectu pessimè habuit, adeò ut ferè deliquium animæ fuerit passus. Sed adhibitis tum medicamentis, tum lectione epistolæ ad Galatas, malum levavit, & ad eos, qui aderant, *venite* inquit, *in contemtum diaboli psalmum de profundis quatuor vocibus cantemus.* In horto etiam suo apparuit ei diabolus apri nigri forma, sed ipse neglexit.
Erasmi de Luth. Carol. V. Imper. Tom. 5. epist. p. 281.
Tentationes Luth. Matth. conc. 15. p. 184. b.

Post obitum, in bello illo Germaniæ fatali, parum abfuit, quin & in cadaver ejus sævitum sit. Nam cùm *Wittemberga Carolo* victori se dedidisset: Cæsarque visendi causa oppidum ingressus esset: Hispani in templo arcis in sepulcrum Lutheri insultarunt, & effodere voluerunt, sed ausi id non sunt. Nam cùm Cæsar sepulcro Lutheri insisteret, & Hispani corporis effossionem atque concremationem impensè urgerent: Carolus V. fide dignis testibus id referentibus, dixit: *Sinite ipsum quiescere, usque ad diem resurrectionis, & judicii* „ *omnium.* „
Cadaver Lutheri appetitum Matth. Dresser. de urb. Germ. p. 616.

Cæterum initio quidem ne ipsi Luthero in mentem venit facere, quod fecit, imò quid anno *vicesimo* adhuc in animo habuerit ex istis * liquet, *quàm possum humilimè offeram silentium, modo cæteri quoque sileant, ut nihil videar omittere, quod in me ad pacem quoq; modo facere possit, desiderandum, id quod semper facere paratus fui. Parabo itaque hac* * *ante omnia propediem, si eveniet, quod speramus, benè factum est, sin aliud erit, id quoque bonum erit, quia Domino placitum erit.* De abitu etiam ut supra attigimus, sæpè cogitavit, quemadmodum ad eundem *Spalatinum* scribit, *nisi venissent heri literæ tuæ, jam parabam recessum, mi Spalatine, sed & adhuc sum in utramvis partem paratus*, & postea, *ego si mansero, multa dicendi scribendique libertate carebo, si iero, totum effundam, & vitam offeram Christo.* Profecit autem magis magisque in veritate, ut ut ex quibusdam non statim potuerit se extricare. Nam de invocatione sanctorum anno *decimo octavo* ita sensit *: mi Spalatine, non fuit mens „ mea unquam, venerationem sanctorum esse „ superstitiosam, neque invocationes eorun- „ dem, pro causis vel corporalissimis. Hoc „ enim sapiunt hæretici illi, vicini nostri, „ Pighardi in Boëmia. Melius enim à Deo per „ sanctos ejus impetramus, quæcunque tan- „ dem bona (quippe cum sint omnia utique „ dona
* *Tom. 1. epist. Luth. pag. 230. b.*
* *Libellum & epistolam deprecatoriam ad Pontificem.*
* *Tom. 1. ep. p. 120. b. De invocatione sanctorum sent. Luth.*

» dona Dei) quàm quod per Magos & ma-
» leficos apud diabolum quærantur, ſicut plu-
» rimi ſolent. Sed id volui ſcil. ſuperſtitioſum
» imò & impium, atque perverſum eſſe, a-
» pud Deum & ſanctos implorare tantum ea,
» quæ corporis ſunt, nihil prorſus curare ea,
» quæ animæ & ſalutis, imò voluntatis Dei
» ſunt, quaſi obliti, aut increduli ſimus verbi
» ejus, qui dicit, primum quærite regnum
» Dei, & hæc omnia adjicientur vobis, imò
» ubique Chriſtus corpora, & ea, quæ cor-
» poris ſunt, ut viliſſima contemnere docet.
De adoratione in ſacramento ita ſcribit:
* *Dico liberum eſſe Chriſtum adorari & invocari ſub Sacramento. Neque enim peccat, qui non adorat: neque peccat, qui adorat.* De cœna vernaculè adminiſtranda hæc ſcribit †: *Miſſam vernaculam opto magis, quàm promitto, quòd impar ſim huic operi, quod muſicam ſimul & ſpiritum deſiderat. Interim permitto quoslibet in ſuo ſenſu abundare, donec alia Chriſtus dederit.* Celebravit tamen vernaculè primum anno 25. ut ipſe ad J. Langum
» *& miniſtros Erphord. Nunc jam Prin-
» cipis mandato elaboratur, craſtina Domi-
» nica * publico experimento tentabitur in
» nomine Chriſti. Erit autem miſſa vernacu-
» la pro laicis, quotidianus verò cultus latinus
» erit, conjunctis lectionibus vernaculis, ut
» hæc brevi publicis exemplaribus perſpicie-
» tis. *Pſalmos quoque vernaculos introduxit,*
» *qua de re ita ad Spalatinum* *, *anno* viceſi-
» mo quarto: conſilium eſt, exemplo Pro-
» phetarum & priſcorum Patrum eccleſiæ,
» Pſalmos vernaculos condere pro vulgo, id
» eſt ſpirituales cantilenas, quo verbum Dei
» vel cantu inter populos maneat. Quæri-
» mus itaque undique poëtas. Cùm verò
» tibi data ſit & copia & elegantia linguæ
» Germanicæ, ac multo uſu exculta, oro ut
» nobiſcum in hac re labores, & tentes ali-
» quem Pſalmorum in cantilenam transfer-
» re, ſicut hic habes meum exemplum. Ve-
» lim autem novas & aulicas voculas omitti,
» quo pro captu vulgi, quàm ſimpliciſſima,
» vulgatiſſimaque, tamen munda ſimul &
» apta verba canerentur. Deinde ſenten-
» tia perſpicua, & pſalmis quàm proxima,
» redderetur. Liberè itaque hic agendum,
» & accepto ſenſu, verbis relictis, per alia
» verba commoda vertendum. Ego non ha-
» beo tantum gratiæ, ut tale quid poſſem, qua-
» le vellem. Itaque tentabo, ſi tu vel He-
» man, vel Aſſaph, vel Jedithum ſis. *Mul-
» ta etiam verè & graviter dixit docuitve, ut
» de ſacra ſcriptura & ejus auctoritate*, ſolis
» canonicis libris debetur fides, cæteris o-
» mnibus judicium. *De bonis operibus*, ut
» fructus non faciunt unquam arborem, ita
» opera nunquam faciunt bonum virum. Sed
» è contra facta arbore ſequuntur neceſſariò
» fructus, ita facto primum bono viro, ſe-
» quuntur bona opera, non ut bonum fa-
» ciant, ſed ut bonum eſſe teſtentur. *De
» verbo, ſacramentis, & miniſtris*, nos planta-
» tores & rigatores ſumus, verbum vitæ &
» ſacramentum ſalutis miniſtrantes, ſed incre-
menti datores non ſumus. *De juſtitia noſtra*: Tu Domine Jeſu es juſtitia mea, ego autem ſum peccatum tuum, tu aſſumſiſti meum, & dediſti mihi tuum, aſſumſiſti, quod non eras & dediſti mihi, quod non eram. *De ceremoniis*, ego ſanè nullas ceremonias damno, niſi quæ pugnant cum Evangelio. *De Moſe*: quemadmodum mundi ſapientes dicunt: Homerum eſſe patrem omnium poëtarum, fontem, imò Oceanum omnis eruditionis & ſapientiæ & eloquentiæ, ſic noſter Moſes fons & pater eſt omnium prophetarum & librorum ſacrorum, id eſt ſapientiæ & eloquentiæ cœleſtis. *De literarum ſtudiis*: Ego perſuaſus ſum, ſine literarum peritia prorſus ſtare non poſſe ſinceram Theologiam, ſicut hactenus ruentibus & jacentibus literis, miſerrimè & cecidit & jacuit. Quin video, nunquam fuiſſe inſignem factam verbi Dei revelationem, niſi primò, velut præcurſoribus Baptiſtis, viam pararit ſurgentibus & florentibus linguis & literis. *Et alibi*: vehementer & toto cœlo errare cenſeo, qui Philoſophiam & naturæ cognitionem inutilem putant Theologiæ. *De tentationibus ita monet*: Tentatos fide & ſpe hoc modo ſolarer, primum ut ſolitudinem caveant, ſed ſemper converſentur cum aliis, de Pſalmis & ſcripturis confabulando. Deinde quanquam eſt difficillimum facere tamen præſentiſſimum eſt remedium, ſi ſibi perſuadere poſſent, certò eſſe cogitationes has non ſuas, ſed Sathanæ, ideò annitendum ſummo conatu, ut ad alia cor vertatur & tales cogitationes illi relinquant. Nam eis immorari, vel cum eis pugnare, ac velle ſuperare, aut finem eorum expectare, eſt eas irritare & roborare, usque ad perditionem, absque ullo remedio. **Das beſte iſt/ laſſen ſie ein/ ſo laſſe ſie wieder ausfallen/ und nicht lange nachdencken oder diſputiren/ wer das nicht thut/ dem iſt nicht zu rathen.** De phreneticis & moriombus hoc ejus fuit judicium. De phreneticis ſic ſentio, omnes moriones & quicunque uſu rationis privantur, à dæmonibus vexari vel occupari, non quod damnati ſint ideo, ſed quod variis modis Sathan homines tentat, alios gravius alios levius, alios brevius alios longiùs. Nam quod Medici multa ejuſmodi tribuunt naturalibus cauſis, & remediis aliquando mitigant, fit quod ignorent quanta ſit potentia & vis dæmonum. *De Auguſtanis comitiis*, quorum recordatione ſe non delectari ſcripſit * Melanchthon, cum ibi triſti & atroci ſententia damnati fuerint Evangelici à Carolo V. *cui ſubſcripſerunt* quinque Electores, *Principes Eccleſiaſtici* triginta, *ſeculares* viginti tres: *Abbates* viginti duo: *Comites & Barones* triginta tres: *civitates liberæ* triginta novem, *de illis ergo comitiis ita ſenſit Lutherus*: etſi multis ſumtibus nihil videtur Auguſtæ actum, ſic tamen ego ſentio, etiamſi duplo plures eſſent facti ſumtus, ſatis tamen reſponderet illis confutatio illa publica Sophiſtarum & invidorum,

De adoratione ſacramenti. *Tom. 2. epiſt. p. 72. †Tom. 2. ep. p. 243.

De cœna vernaculè celebranda.

*Tom. 2. epiſt. pag. 301. b.

* Fuit. 20. Trinit.

Miſſa primum Germanicè celebrata.

Introducit pſalmos German. Tom. 2. Epiſt. pag. 239.

Tom. 1. ep. p. 61. b. Sacra ſcriptur. Tom. 2. ep. p. 64. b. & tom. 1. p. 27. b.

Bona oper.

Tom. 2. ep. p. 273.

Juſtitia noſtra. Tom. 1. ep. p. 11. b.

Ceremonia. Tom. 2. ep. p. 371.

Tom. 2. ep. p. 287.

Moſis & Homer. cellatio.

Studia literar. Tom. 2. ep. p. 307. b.

Tom. 1. ep. p. 360.

Tom. 2. ep. p. 382.

Tentationes quomodo ſuperanda.

Tom. 2. ep. p. 381. Iudicium Luth. de phreneticis

* Tom. 1. epiſt. Melanch. pag. 408. ad l. Obernburgerum.

Tom. 5. op. len. p. 280.

„ rum, qui ita noſtram doctrinam deforma-
„ runt mendaciis, quaſi nulla tetrior unquam
„ audita eſſet. Brentius *item ſtatuit:* omnium
„ comitiorum, quæ illa memoria celebrata,
„ ſumtus non eſſe ſatis dignum precium pro
„ tanto confeſſionis & ejus Apologiæ the-
„ ſauro.

Conſil. Theol. Melanch. pag. 438.

Tom. 2. ep. p. 196. & 250. De ſacra Cœn.

De S. Cœnæ negocio hæc ſcribit: *Hoc diffiteri non poſſum nec volo, quod ſi Caroloſtadius aut alius quiſpiam ante quinquennium mihi perſuadere potuiſſet, in ſacramento præter panem & vinum eſſe nihil, ille magno beneficio me ſibi devinctum reddidiſſet. Gravibus enim curis anxius in hac excutienda materia multum deſudabam, omnibus nervis extenſis me extricare & expedire conatus ſum, cùm probè perſpiciebam hac re Papatui cum primis me valde incommodare poſſe. Præterea duos habui, multo dexterius & acutius hac de re ad me ſcribentes, quam Caroloſtadius, nec ita proprii ingenii captu verba detorquentes, verum ego me captum video, nulla elabendi via relicta. Textus enim Evangelii nimium apertus eſt & potens, qui facilè convelli non poteſt, multo minus verbis aut gloſſis è capite vertiginoſo confictis ſubverti.* De

Tom. 2. epiſt. p. 196.

eadem quæſtione tum alibi tum epiſtola prolixa probare nititur, *non tantum ſpiritualiter, ſed & corporaliter comedi Chriſti carnem.* Præter id autem quod alibi aliter videtur de eo capite loqui, ſunt qui affirmant paulo ante mortem ſeſe explicaſſe. Nam ad Melanchthonem eum dixiſſe, cum Islebiano itineri eſſet accinctus, die *viceſimo tertio* Januarii, anno *quadrageſimo ſexto*, *fateri ſe longius in controverſia Sacramentaria progreſſum, tum Melanchthonem* ſuaſiſſe, ut leni ſcripto edito ſeſe explicaret, ad id reſpondiſſe Lutherum: *hoc modo totam doctrinam ſe ſuſpectam redditurum, faceret Melanchthon poſt mortem, quod videretur.* Et laudantur teſtes hujus colloquii ipſe *Melanchthon*, *Herbertus de Langen*, *Daniel Burenius* Coſ. Bremenſis, & alii.

Vide mellificium hiſt. part. 3. p. 450. Embdiſch Bericht. p. 42.

Cum *Antonius Muſa* paſtor Rochlicenſis aliquando apud eum conquereretur, *ſe ipſum credere non poſſe, quæ alios doceret: Deo ſit gratia*, inquit, *Lutherus, quod audio alios experiri idem quod ego.* Concionatori dicebat tres caniculas in ſuggeſtum non adducendas, *ſuperbiam, avaritiam, invidiam*, & regulam de moderandis concionibus hanc dedit, *cum vides attentiſſimè audire populum, conclude, eo alacriores redibunt.* In aulis ſummos labores ſuſtinere cenſuit eos, qui tantum exhaurire potando coguntur, ut nec die, nec noctu quieſcant. Cum ei afferretur lapis fiſſilis, in quo imago Papæ tricoronigeri, ex Mansfeldicis fodinis: *Hem*, inquit, *oportet Papam revelari, etiam per metalla & metallicos.* Tria faciunt Theologum, dixit, *meditatio, oratio, tentatio*, & tria verbi Miniſtro facienda: *evolvere biblia, orare ſerio*, & *ſemper diſcipulum manere.* Optimi ad vulgus hi ſunt concionatores, qui *pueriliter, trivialiter, populariter & ſimpliciſſimè docent.* In viſitatione Saxonicâ, cùm in pago ruſticus ſymboli verba hæc recitaret dialecto ſua: Ich glöve in Gatt den allmächteigen: *credo in Deum patrem omnipotentem*, quæſivit ex eo quid allmächteigen *omnipotens* ſignificet? reſpondente ruſtico: Ick weß nicht / *ignoro: imò* inquit Lutherus, *& ego & omnes eruditi id ignoramus, tu id ſaltem crede, Deum eſſe tuum patrem, qui poteſt & vult te, tuosque ſervare.* Rhythmis etiam delectatus fertur vernaculis, de quibus ſunt iſti:

Matth. in conc. de Luth. p. 138

Concionatori quæ cavenda.

Rhythmi Luth.

Jß was gar iſt /
Trinck was klar iſt /
Redt was wahr iſt.

Item

Weiſtu was ſo ſchweig /
Iſt dir wol ſo bleib /
Haſtu was ſo halt /
Unglück mit ſeinem breiten Fuß
komt balt.

Item

Schweig / leid / meid / und vertrag /
Dein Noth niemand klag /
An Gott nicht verzag /
Dein Hülff komt alle Tag.

Vita ejus privata plena fuit exemplis virtutum. Inter prandendum aut cœnandum non rarò conciones aliis dictavit, ſæpè paginas à vitiis Typographicis expurgavit, interdum muſica ſeſe & convictores ſuos recreavit. Fuit natura, quod *Melanchthon* ſæpè miratum ſe narrat, in corpore non parvo, nec imbecilli, valdè modici cibi & potus, viditque continuis quatuor diebus, cum quidem rectè valeret, prorſus nihil edentem, aut bibentem, vidit ſæpè aliàs multis diebus, quotidiè exiguo pane & halece contentum eſſe. Nihil hic dicimus, quomodo in clauſtro vigiliis, inedia, laboribus, aliis ſeſe macerarit. Sæpè ad convivia invitatus non venit, ne tempus perderet, unde ipſe ita *: *Ego per civitatem invitationculis ſatis multum tempus perdo, neſcio quis Sathan id curat, uti negare non liceat, & tamen feciſſe noceat.* In congreſſibus familiaribus fuit ſuavis, ac humanus, cum gravitate tamen, virum ejuſmodi docente: fuit

Vita Luth. privata. Temperantia.

** Tom. 1. epiſt. p. 265.*

ἀφυδρὸς ἦθος, εὐσεβοπρεπὲς σῶμα.

De precationibus ejus ardentiſſimis confirmat idem *Melanchthon* ſæpè ſe interveniſſe, quando lacrymans preces pro tota eccleſia dixit. Sumſit enim ſibi ferè quotidie certum tempus ad pſalmos aliquot recitandos, quibus ſua vota gemens & lacrymans miſcuit, ac ſæpè dixit, *ſe ſuccenſere illis, qui aut propter ignaviam, aut propter occupationes dicunt ſatis eſſe ſolo gemitu precari. Ideò formæ nobis divino conſilio præſcriptæ ſunt*, inquit, *ut lectio mentes accendat: imo ut vox etiam profiteatur, quem Deum invocemus.* A ſtudiis quando remitteret, delectatus eſt *luſu latrunculorum*, quem calluit ingeniosè, exercuit & *artem tornandi* cum ſuo miniſtro *Wolffgango*: *ut*, inquit ipſe, *ſi omnino mundus nos noluerit alere propter verbum, diſcamus manu victum parare*, interdum *teſtudine luſit*, interdum *ad ſcopum* jaculatus eſt,

Precandi fervor in Luth.

Recreationes Luth.

Tom. 2. ep. pag. 293 & 334.

Hortum

Hortum etiam excoluit: in quo varii generis semina ab amicis sibi mitti petivit. Adeò ferè nunquam quiescere potuit: & de suis occupationibus ita * scribit: „ Ego sum oneratissimus, psalterium exigit integrum virum, „ totum eundem concio in populum, per „ Evangelium & Genesin laborans: tertio „ totum ipsum preculæ & instituti mei cultus: „ quarto totum hoc enarrandi munus, ut taceam epistolarum scribendarum, deinde „ negotiorum alienorum occupationem, „ inter quæ & congressus familiarium, quem „ pene commeatioenm nomino, plurimum „ mihi temporum pessimè furatur: „ & postea semper solenne suum obtinuit: ut vel meditaretur, vel conciones, vel lectiones haberet, vel consultationibus adesset: verbo, nunquam ociosus esset. Liberalis erga pauperes penè supra modum. Accidit aliquando ut studiosus viaticum peteret, quod uxori ut daret jussit, illa autem penuriam pecuniæ excusante, ipse poculum quod fortè astabat arreptum manu compressit, ac scholastico dedit: ut aurifabro venderet, pretiumque sibi retineret. Ita cum quidam è fodinis metallicis ei misisset *ducentos aureos*, omnes in egenos literarum studiosos distribuit. Et cum ei à *Ioanne* Electore nova vestis donata esset: rescripsit *plus nimio fieri. Si enim hic omnium laborum merces accipienda sit, nullam fore vitæ alterius spherandam:* **Wenn es ihm hie alles bezahlt wurde / was wolle er in jenem Leben zu gewarten haben?** Idem Elector ei venam metallicam *Snebergæ* obtulit, quam recusavit, ne Diabolum thesaurorum subterraneorum dominum tentaret. A Typographis etiam nihil se accepisse scribit*: *pecunia & ipsi pauperes sumus valdè, sed jure quodam licet modico utor in Typographos, ut cum nihil ab iis pro vario labore meo accipiam, aliquando cum libet exemplar tollam. Hoc credo mihi deberi, cum alii scriptores imò translatores pro quaternione aureum accipiant.* De pecunia aliquando sibi donata ita scribit*: *centenarium aureorum mihi delegatum accepi per Taubenheimum, sed & Scharttus quinquaginta dedit, ut ego metuere incipiam, ne Deus hic præmiet. Sed protestatus sum, me nolle sic satiari ab eo: aut statim reddam & profundam. Quid enim mihi & tantæ pecuniæ? P. Priori dedi medium, & hominem lætum feci.* Fuit φιλόστοργος erga suos: quos tenerrimè amavit: & honestè educavit, præceptorem alens domesticum; qui pietatis & literarum elementa inculcaret. Cum videret domi filiam natu maximam *Magdalenam* morientem prælegit ei locum Iesaiæ: *vivent mortui tui & resurgent: expergiscimini & laudate habitatores pulveris: quia ut ros olerum ros tuus, & terra mortuos projiciet. Vade populo mi, ingredere cubilia tua: & claude ostium tuum post te, absconde te ipsum paululum ad momentum, donec transeat ira. Mea*, inquit, *filia, ingredere etiam tu in cubile tuum cum pace, ego mox adero tibi, nec enim permittet Deus ut videam pœnas Germaniæ imminentes*, & flevit tunc effusissimè: sed in publico cum prodiret in funus repressit se, ut ne guttula quidem lacrymarum in ipso conspiceretur. Ut autem *magni viri habent ardentem iram*, ita & Lutherus fuit natura ardens; sed placabilis. Itaque cum aliquando ad eum venisset *Melanchthon* vehementer commotum, subjecit ei, ceteris altum silentibus hunc versum:

Vince animos, iramq; tuam, qui cætera vincis:

tum ille arridens, *non volumus amplius*, inquit, *de his rebus disputare*, & placidè collocutus est de aliis. Præsagiit multa & prædixit: ut de tumultu in germania: *Vehementer metuo, si pergant principes audire stolidum illud cerebrum ducis Georgii, futurum esse tumultum, qui tota Germania Principes & Magistratus perdat, & simul clerum universum involvat**. De obitu Friderici Electoris Saxoniæ hæc * scribit: *Quod si omninò definita est ira in cœlo; ut nec orationibus, nec consiliis, impediri possit: impetrabimus, ut Josias noster in pace dormiat: & mundus sibi relinquatur in suam Babylonem.* De avaritia Germanorum & annonæ caritate: *Famem pertimescimus, fame quoque laborabimus, cujus mali medendi nullum dabitur remedium. Et cum citra necessitatem, tanquam gentiles impii & increduli, cura distorqueamur, soliciti ne nobis fame sit periclitandum, verbum & opus Dei negligentibus, suboriri tempus permittet brevi, quod tota curarum plaustra adducturum est secum: quas nulla nobis deponendi dabitur facultas aut occasio.* Et ita de aliis multis prædixit.

Valetudine usus est sat firmâ; nisi quod capitis dolore, præsertim annis extremis, fuit sæpè vexatus: unde paroxysmum apoplecticum metuit, sæpè his verbis in vertigine ac tinnuitu aurium usus: *Feri, Domine JESU, feri clementer: ego paratus sum, quia verbo tuo à peccatis absolutus & corpore ac sanguine tuo pastus, etiam Apostolus tuus Joannes & noster Elector hoc mortis genere exstincti sunt.* Ad hæc accesserunt tentationes creberrimæ; unde ipse: *valemus omnes præter Lutherum ipsum, qui corpore sanus, foris à toto mundo, intus à Diabolo patitur, & omnibus angelis ejus.*

Statura fuit justa, corpore robusto, oculorum leonina vivacitate tanta, ut eorum intentionem rectà aspiciendo non omnes ferre possent. Submissum quendam narrant, qui specie privati colloquii domi è cubiculo evocatum sclopeto transverberaret. Eum à Luthero humanissimè acceptum, acie oculorum ejus territum, obstupuisse, nec quicquam priùs habuisse, quàm ut fuga sibi consuleret. Vocem habuit lenem, nec adeò claram, unde cùm aliquando mentio fieret super mensam Paulinæ vocis, quæ non adeò fuisset plena, dixit, *ego itidem depressa utor pronunciatione ac voce, cui Melanchthon* subjecit, *sed exilis ista vox, valde latè ac procul exauditur.* In conjugio vixit castè & piè annis *viginti* amplius: ac moriens orphanos reliquit filios tres & viduam

Tom. 2. ep. p. 365. b.

* Tom. 1. ep. p. 222. b.

Labores & occupationes Luther. Liberalitas.

Matthes. in conc. de Luth. pag. 144.

* Tom. 2. ep. p. 342. A Typographis nihil accipit.

* Tom. 1. ep. Luther. pag. 333.

Pecuniam sibi donatã aliis donat

Φιλοστοργία Lutheri

Iesa. 26, 19. seq.

Iracundia.

* Addit ibidem & causas.

* Tom. 2. ep. p. 10. b. Tom. 2. ep. pag. 207.

Valetudo Lutheri.

Matthes. in concionibus de Luth. pag. 138. Tom. 2. ep. pag. 366.

Prosopographia Luth.

Conjugiũ. Vidua Luther.

Cath. de Bora.

duam illam *Catharinam de Bora*, quæ supervixit annis ferè septem. Doluit illa inprimis, quod maritus peregre esset mortuus: ubi ægrotanti adesse, atque extrema fidei conjugalis officia præstare non potuisset. Mox subsecuto bello circumerravit cum orphanis in exilio maximis cum difficultatibus & periculis, ac præter viduitatis incommoda, quæ multiplicia sunt, experta est etiam magnam ingratitudinem multorum, à quibus sperans beneficia ob ingentia mariti in ecclesiam merita, sæpè turpiter frustrata est. Tandem cum *Wittembergæ* lue grassante etiam ipsius domus infecta esset: ut liberos ex periculo eriperet, quod piam matrem decet; *Torgam* sese, ubi & Academia erat, recepit. Sed in itinere cum equi consternati currum per avia raptaturi viderentur, territa misera non tam sua, quàm liberorum causa, è curru desiliit, ubi corpus humi graviter allisit, ac in lacunam frigidæ aquæ lapsa, morbum contraxit. Eo amplius trimestri decumbens in exilio paulatim contabuit, ac placidè exstincta est exeunte anno *quinquagesimo secundo.*

Moritur.

Scriptæ Luth.

Scripta Lutheri certis tomis distincta *Wittembergæ* & *Jenæ* Latinè & vernaculè prodierunt, partim *exegetica* partim *didactica*, partim *polemica*; de quibus tale judicium ipse tulit: „ Ante omnia oro pium Lectorem, &

De iis judicium ipsius Luth. in præf. tom. 1. op. Lat. Witt.

„ oro propter ipsum Dominum nostrum Jesum Christum; ut ista legat cum judicio, „ imò cum multa miseratione. Et sciat, me „ fuisse aliquando Monachum & Papistam „ insanissimum, cum istam causam aggressus „ sum, ita ebrium, imò submersum in dogmatibus Papæ, ut paratissimus fuerim, „ omnes, si potuissem, occidere, aut occidentibus cooperari & consentire, qui Papæ „ vel una syllaba obedientiam detrectarent. „ Tantus eram Saulus, ut sunt adhuc multi; „ non eram ita glacies & frigus in defendendo Papatu, ut fuit Eckius & sui similes: „ qui mihi verius propter suum ventrem Papatum defendere videbantur, quàm quod „ seriò rem agerent; imò ridere mihi Papam „ adhuc hodie videntur, velut Epicuræi. „ Ego seriò rem agebam, ut qui diem extremum horribiliter timui, & tamen salvus „ fieri ex intimis medullis cupiebam. Hactenus Lutherus, qui alibi * libros suos etiam abolitos optat. Ach ich solte ja billich für den Meinen Friede haben / es wäre an den Papisten gnug. Es möchte einer schier mit Hiob und Jeremia sagen: Ich wolt daß ich nicht gebohren wäre / so möcht ich auch schier sagen: Ich wolt daß ich mit meinen Büchern nicht kommen wäre / fragt auch nichts darnach / möchte leyden / daß sie alle schon wären untergangen / und solcher hoher * Geister Schrifft feil stünden in allen Buch-Laden / wie sie gern wolten. Noluit * idem Lutherus, ut quisquam se de suo nomine appellaret: quia doctrina non sit sua, quia ipse *pro nemine sit mortuus*: quia *S. Paulus*, 1. Cor. 3. *id noluerit in sua persona ferre*, ubi addit: Wie käme denn ich armer stinckender Madensack dazu / daß man die Kinder Christi solte mit meinem heilosen Namen nennen? Præterea, quia *Christiani sumus, Christi doctrinam profitemur: & denique quia Papistæ id faciunt, vocantes se Pontificios*, eos nos imitari minimè decet. De libris autem Lutheri ita * scribit Sturmius: *Memini, me ante aliquot annos in quadam Lutheri epistola legere, quæ est in Bibliotheca Conradi Huberti, ad Wolffgangum Capitonem, nihil sibi suorum scriptorum placere, præter Catechismum suum, & librum de servo arbitrio.*

* *Tom. 7. Ien. Germ. p. 288. Optat libros suos abolitos.*

* *Antinomos ibi intelligit.*

* *Tom. 2. Ien. Germ. pag. 69.*

* *Lib. 2. exerc. Rhetoricis.*

Coronidis loco lubet addere de Lutheri & aliorum donis *Melanchthonis* judicium, *Pomeranus*, inquit, *est Grammaticus, & verborum vim explanat: ego sum logicus, monstro contextum rerum & argumenta: Justus Jonas est orator, copiosè & ornatè disserit, sed Lutherus est omnia in omnibus, est miraculum inter homines, quicquid dicit, quicquid scribit, id in animos penetrat, & mirificos relinquit aculeos in cordibus hominum.* De existimatione autem Lutheri hæc *Camerarius*: *Apud quosdam Martini Lutheri nomen adeò odiosum est; ut auditum execrentur; contra nonnulli in illius dictis aut factis aliquid argui omninò pati nequeunt, & si quis hoc facere audeat, eum statim impietatis reum declamitando peragunt. Qui quidem Martini Lutheri authoritatem & nomen ita celebrant, ut supra conditionem & modum generis humani non dubitent extollere; ita videndum, ne præstantissimi atque summi viri bonam existimationem, tribuendo nimium, diminuere, & suæ audaciæ ab illa excellentia præsidium quærere videantur. At isti insectatores, qui non modò omnia scripta illius damnant, ut impia & turbulenta, sed nomen etiam auditum, tanquam omnis mali detestantur; nunc etiam si quid cordis haberent, poterant reminiscendo considerare, quid acerbitate odii & contumacia pervicaciaque adversandi & clamoribus vesanis effectum sit.*

Melanch. de Luth. Matthes. in cons.

Camerar. in vita Melanch. p. 251.

Wolffgangus *Severus*, præceptor quondam *Ferdinandi* Austriaci, postea Imperatoris, ejusmodi de Luthero distichon encomiasticum scriptum reliquit:

Wolffg. Sever. D. de Luth.

Japeti de gente prior majorque Luthero
Nemo fuit, sed nec credo futurus erit:

quod rhythmis vernaculis sic est expressum:

Auß Japhets Blut und Heydenstamm/
Kein gröſſer Licht auff Erden kam/
Denn Doctor Luther der groſſe Mann/
Damit wil GOtt beſchloſſen han.

Insigne ejus fuit rosa cum cruce: cujus explicatio hæc:

Insigne Luther.

Crux conjuncta rosæ mens est invicta Luthero:
Lætitiam notat hæc, illa jugum Domini.

Et

Et hæc de Luthero, desumta atque collecta ex *scriptis ipsius*, & *aliorum*: ut indices ad marginem passim notant.

FRIDERICUS MYCONIUS.

1546. d. 7. April. ætat. 55.

Lichtenfelsium patria Myconii.

Lichtenfelsii, in Franconiâ ad Mænum oppido, natus est *Fridericus Myconius*, parentibus piis & honestis, anno Christi *millesimo quadringentesimo nonagesimo primo*, die *vicesimo sexto* Decembris, Stephano protomartyri dicato. Anno ætatis *decimo tertio*, primis literarum elementis in patriâ haustis, missus est in scholam *Annabergicam*, uberioris ingenii cultus ergo. Ibi cùm *sexennium* amplius vixisset, jamque *vicesimum* ætatis annum attigisset: ingressus est monasterium ordinis *Franciscanorum*, quod tunc Annæbergæ de novo excitabatur. Fecit autem id non ocii, non ventris ac voluptatum causâ: sed ut Deo serviret, ut pro suorum & aliorum peccatorum remissione oraret: ut sanctum & innocentem vitam viveret. Ita enim tunc hominibus persuasum erat, *monachatum æquipollere baptismo, esse statum perfectionis, statuta & regulas monasticas verbo DEI multis parasangis anteire: habitum monasticum sanctitatæ præstare aliis vestibus, & qui in cuculla sepeliatur, cum remissionem tertiæ partis peccatorum suorum consequi:* ac hujusmodi sexcenta alia.

Mittitur Annabergam.

Ingreditur monasterium. Causa ejus facti.

Opinio olim de monachatu.

Prima autem nocte, qua inconsultis parentibus ipse filius unicus monasterium ingressus erat, quod factum anno *decimo* supra *sesquimillesimum*, die *decimo quarto Iulii*, somnium habuit ejusmodi. „ Visus est sibi ingredi vastissimam eremum, & in locis asperis, præruptisque oberrare, nunc ascendendo, „ nunc descendendo adeò defatigari, ut ferè „ animam ageret. Interea dum ita hæret; „ accedit vir staturæ mediocris, fronte serenâ, „ sed calvâ, capillo & barbâ promissâ, chlamyde rubrâ amictus, cum nodo in sinistrâ „ scapula; qualem viderat Paulum Apostolum pingi. Hic blandè eum compellans, „ surge, inquit, & me sequere, res tuæ melìore erunt loco. Quem dum per tesqua „ viarum subsequitur; vallis amœnissima, & „ in ea pratum viridissimum, in prato rivuli leni susurro decurrentes, apparent, „ sed ex iis aquam haurire ductor prohibet. Mox ad fontem marmoreum pervenitur; è quo aqua copiosè manabat. „ Hic dum geniculando haurire aquam cupit, imaginem Christi in cruce pendentis „ conspicatur: è cujus vulneribus vis illa „ aquarum omnis scaturiebat. Eum in „ fontem dux viæ Myconium sitibundum „ injicit, ita ut capite Christi pectus contingeret, & potu suavissimè reficeretur. „ Extractus inde cum duce suo pergit. „ Hic paululum progressis campus se aperit latissimus, maturis frugibus plenus, quas dux demetere jubet. Myconius se „ excusare, laboribusque ejusmodi nunquam adsuetum dicere: cui ille, quod nescis, docebere. Propiùs ubi accesserunt, „ videt messorem unum, tanto conatu fruges demetentem, quasi solus totum agrum „ demetere vellet. Huic dux viæ jubet se „ adjungere, & simul falcem arripit, qua „ ubi manipulum unum atque alterum resecuisset, sic & tibi, (inquit ad Myconium) „ faciendum. Aggreditur ergo opus; ubi „ cùm ductor ille vidisset, non solùm culmos, sed etiam inferiorem partem præscindentem, Domino meo, inquit, non „ opus est stramine; modò aristæ in horrea colligantur. Inde cùm ad colliculum „ devenisset Myconius, circumlustrat campum, & ejus latitudinem miratus, quærit, „ quantum temporis requiratur ad fuges „ omnes demetendas, in tanta operariorum paucitate? Cui ductor, ante brumam „ ultima manus imponenda est, ut cepisti, „ perge strenuè, Dominus messis, plures „ mittet operarios, & statim adsunt plures, „ qui & ipsi manus admovent. Postea fessi „ labore pone rivulum considunt, panes, pisces, assasque carnes promunt; quibus illi „ suaviter vescuntur. Interea dux se subducit; Myconius viribus exhaustus, in cubiculum infertur, cui subito liberator adstat, & cum eo alius, habitu & vultu ferè „ Apostolico, uti Andreas & Philippus pingi „ solent, hi cum Myconio placidè colloquuntus. Quibus dum attente auscultat, „ iterum imaginem crucifixi conspicit, macie planè extenuatam. Hic liberator ille „ pectus Myconii tangens: Huic oportet, „ inquit, te conformem fieri, è tactu Myconius evigilat, quid somnium portendat „ multum sollicitus, quod tamen fratricellis suis indicare ausus non fuit, sed eventus deinde perspicuè explicavit.

Somnium Myconii.

In cænobio ergo, dum seipsum vigiliis, jejuniis, preculis aliisque operibus ab hominibus excogitatis tantum non enecat, adscivit sibi insuper patrone, *Apostolos*, *martyres*, *confessores*, tanquam mediatores. Lectionibus etiam se maceravit adsiduis, ad noctu, aliis monachis dormientibus, legit *Petrum Lombardum*, *Alexandrum de Ales*, *Bonaventuram*, *Gabrielem Biel*, *Augustinum*, & alios. Constitutus à monachis in refectorio, ut vocant, lector, Biblia cum interpretatione *Lyræ*, sub prandium ac cœnam, totò ferè septennio prælegit, totiesque evolvit, ut penè memoriter tota tenuerit, sed sine intellectu, sine judicio, historiis tamen sacris retentis.

Patroni Myconii è Divis.

Auctores ques legerit.

Biblia ad mensam prælegit.

Tandem, sub ejusmodi præceptoribus, de studiis suis desperavit: omnemque librorum atq; literarum amorem abjecit. & ad artes mechanicas animum appulit: modò libros compingendo, modò tornando & ligna dolabrâ levigando, modò alia faciendo.

Mechanicas artes tractat. Audit Ioa. Tecelium.

Sub id tempus venit in Germaniam *Joannes* ille *Tecelius*: quem Myconius *Annæbergæ* ipsum biennium docentem audivit; nil nisi indulgentiarum virtutem crepantem, & affirmantem: *nullam esse aliam viam consequendæ remissionis peccatorum & vitæ æternæ, præter satisfactionem per opera: quæ quidem homini sit impossibilis; sed hanc unicam restare viam, illam satisfactionis vim & efficaciam, si nummis redimatur à Romano Pontifice; & emantur indulgentiæ Papales*; quas definiebat esse *remissionem peccatorum, & certissimam viam ingrediendi vitam æternam.* Minabatur præterea, se depositurum Crucem; clausurum januam cœli jam latissimè patentem; extincturum radios & splendorem solarem; futurum brevi, ut res tam pretiosæ non amplius tàm vili precio extarent venales, nec in posterum sperandum, unquam in Germaniam, donec hic mundus staret, tantam liberalitatem Romanæ sedis redituram esse. Hortabatur etiam seriò, ut singuli suæ, & suorum mortuorum, & vivorum amicorum animæ salutis rationem haberent: adesse enim diem salutis: adesse tempus acceptabile, occasionem præsentem arripiendam. Nisi enim quis habeat literas indulgentiales, non posse eum à quoquam absolvi à suis peccatis. Clamitabat etiam hic Stentor Pontificius, si Annæbergenses cives largiter darent nummos, fore, ut singularum fodinarum venæ circa S. Annæ oppidum argento puro puto abundarent.

Elogium indulgentiarum à Tecelio.

Definitio indulgentiarum. Tecelii mina.

Et promissiones.

His clamoribus effecit indulgentiarum caupo, ut literæ indulgentiales in tanto haberentur honore & precio: ut, si quando Tecelius urbem aliquam ingrederetur: Bulla Pontificia holoserico vel etiam linteolo aureo involuta præferretur, processione tam longa & pomposa: ut vix sit credibile, si Deus ipse alicubi ad Pontificium visibili forma ingrediatur, tantò cum splendore & honorificentia exceptum iri. Nimirum Deus omnem potentiam Papæ tunc resignarat in cœlo & terra.

Honor. Tecelio & indulgentiis habitus.

Cum autem literæ indulgentiarum papalium annexam haberent appendicem: *Pauperibus dentur gratis propter Deum* inter Myconium & Tecelium orta est disputatio. Didicerat domi puer Myconius *Decalogum, Symbolũ Apostolicum, Orationem Dominicam, & admonitus erat, ut frequenter oraret, quod à solo Deo nobis gratis omnia dentur, & ille nos gubernet, si seriò oremus. Et sanguinem Christi esse unicum precium pro peccatis totius mundi, & hanc fidem cuilibet Christiano esse necessariã, omninoque sibi persuasum, animoque suo infixum haberet ἀξίωμα Theologicum, si tantum tres homines essent salvandi per sanguinem Christi, certò statueret, unum se esse ex tribus illis, & contumeliã esse in sanguinem Christi, de hac re dubitare. Indulgentias Romanas esse retia, quibus venarentur pecuniam, ac deciperent simpliciores: Remissionem peccatorum & vitam æternam non posse emi pecuniâ.* Hæc domi didicerat ex patre: quem apparet rectè sensisse de justificatione, de vera ac non dubitante fide, qua omnia à Deo impetremus, de invocando solo Deo, & de indulgentiarum vanitate. Fuit haut dubiè aut Waldensium discipulus, aut alioqui θεοδίδακτος, mirabili modo à Deo veritatem edoctus, quales multi omnibus temporibus in densissimis Papatus tenebris fuerunt. Et idem postea docuit Myconius monachus: sed tamen non sine fremitu & indignatione fratrum. Cum ergo in concionibus publicis nihil præter indulgentiarum laudes audiret populo inculcari, & gratiæ Christi ac satisfactionis ejus, pro peccatis mundi, nullam fieri mentionem, aut si fieret, ita exponi, *eos fieri mortis Christi participes, qui vel bonis operibus meriti essent, vel emisssent pecunia*: ancipiti ac dubio in tenebris istis oberrabat animo, utri parti magis, parentibus ne an Sacerdotibus, esset credendum; tamen hoc unum non admittebat, remissionem peccatorum impetrari sine pecunia non posse, maximè qui essent pauperes. Adeò mirificè ipsi placebat clausula in fine literarum Papalium, *pauperibus gratis propter Deum.* Quare spiritu Dei incensus, non tamen intelligens quid ageret, adiit, commissarium Pontificium; petivitque exemplum diplomatis Papalis, addens, se peccatorem esse pauperem & indigere gratuitâ remissione & participatione meriti Christi. Audiebat Tecelius orationem Myconii latinam, admirabatur hominis ingenium, cum in illa barbarie nemo esset inter clericos, qui unum aut alterum verbum latinè pronunciare posset: deliberabat hac de re cum collegis, qui pro eo deprecabantur. Sed respondebatur post longam deliberationem; petitioni ejus locum dari non posse. Literas enim Papales dispensationem non admittere, & eos solum capaces & participes fieri indulgentiarum & thesaurorum Ecclesiæ, adeoque meritorum Christi; qui manus porrigerent auxiliatrices, hoc est, qui nummos darent. Instabat Myconius & objiciebat literas, publicè valvis & parietibus templorum affixas? Sanctissimum patrem Papam mandasse: ut *pauperibus gratis darentur propter Deum*; & adscripta esse hæc verba, quæ simpliciter & significanter hoc vellent; nimirum. *Ad mandatum Domini Papæ proprium.* Ita improbè urgente Myconio, collegæ denuo intercedebant pro illo apud Tecelium, ut satisfaceret petitioni, daret literas, dimitteret, esse adolescentem ingeniosum & facundum; & omninò dignum, in quem præ cæteris aliquid beneficii collocaretur: ne injurius fieret in pauperem, quem nec Deus nec Pontifex exclusum vellent à gratiâ, nec rejiceret propter pauculos nummos. Sed Monacho abnuente, insusurrabant Myconio in aurem; ut saltem aliquid nummulorum daret, contra Myconius disertè negare: vel nummum se additurum. Hic alii metuentes ne vel subornatus ab aliis esset Myconius, vel turbæ ab agmine scholasticorum, aut pauperum orirentur, suaserunt illi mangoni cucullato non dimittendum Myconium sine literis, & ut eò facilius impetrarent; offert quidam eorum Myconio sex nummos, pro redimendis illis literis,

Disputatio inter Tecelium & Myconium Domi quomodo institutus Myconius.

Qui Christi meriti fiant participes juxta Pontificios.

Petit exemplum indulgentiarum gratis sibi dari. Quod denegatur.

literis, & ne destructor ædis Petrinæ, aut ossor Papæ haberetur. Sed Myconius apertè respondet: *nolle se emtas indulgentias, si vellet emtas, posse libro divendito emere, se gratuitas capere indulgentias, propter solum Deum, quas si non impetraret, redderent ipsi rationem Deo ob neglectam animæ salutem, propter solos sex nummos, siquidem & Deus & Papa remissionem peccatorum gratis dari velint peccatoribus, pro meritis quidem singulorum, sed pauperibus gratis.* Quærebatur tandem, *à quo esset missus? à quo instructus, hanc rem tam pertinaciter urgeret?* Respondebat Myconius; *se à nullo prorsus homine, ut & erat, subornatum, sed sola fiducia gratuitæ remissionis in literis promissæ fretum, rem illam egisse, nec sibi unquam cum tantis viris fuisse colloquium; naturæ se esse verecundum, sed gratiæ divinæ ac remissionis peccatorum exstimulatum.* Et cum videret, se *ex pumice poscere aquam:* discessit, partim dolens se voti compotem non factum, partim verò gaudens; quod adhuc esset Deus in cœlo, qui peccata remitteret pœnitentibus sine pecunia & precio, propter solius Christi filii sui lytron, juxta consolationis plenissimam promissionem: *Vivo ego inquit Dominus, nolo mortem peccatoris: sed ut convertatur & vivat.* Et hæc cum Tecelio.

Sine indulgentiis dimittitur.

Ordinem ergo fratrum minorum sectatus Myconius *Annæbergæ, Lipsiæ & Vinariæ*, tandem Vinariæ sacris fuit initiatus; &, ut vocant, primam missam cecinit, die pentecostes, anno Christi *millesimo quingentesimo decimo sexto*, anno ætatis suæ *vigesimo quinto*. Huic actioni interfuerunt duo Saxoniæ Duces, *Joannes & Joannes Fridericus*; qui etiam sumtus suppeditarunt. Legit tunc, cum *Joanne Voito* in angulum abditus, libellos Lutheri: & veritati, quam Dei beneficio videbat, adsensum præbuit: ringentibus & dira minitantibus fratricellis. Anno subsecuto, quo Lutherus Wittenbergæ primum cœpit impugnare errores & blasphemias Papisticas, & lux Evangelii oriri, vocatus est Myconius à Vinarienſibus ad Ministerium, ac ejus conciones quidem sub initium Papismum redolebant interdum, cum pauca de passionibus & legendis sanctorum immisceret: sed spiritu Dei magis magisque illuminatus, & Lutheri scriptis confirmatus, primus in Thuringiacis Ecclesiis Papatui contradixit, & Evangelii semina sparsit; quod tam celeri volatu ferebatur, & quidem spatio menstruo, per universam Germaniam & aliquot regiones exteras, ac tanto cum applausu accipiebatur, ut ipsi angeli cursores & hujus doctrinæ præcones fuisse viderentur. Wittenbergam itaque, atque adeò ipsum etiam sacellum, in quo publice docebat Lutherus, in monasterio Augustinianorum nominare solebat Myconius *Sepulchrum Domini, custoditum & munitum à militibus Papæ, ne Christus resurgeret, neve discipulorum quisquam eum raperet:* Id sacellum, juxta vetustam quandam prophetiam, de qua in * *tomis Lutheri*, redimi debuit, per *Fridericum* Imp. qui fuit *Fridericus* ille Saxoniæ Elector, sapiens, olim ab ordinibus Imp. designatus Imperator. Existimat autem Lutherus, divinitus factum esse, ut quemadmodum prædictum fuit à prophetis*: *De Sion exibit Lex, & verbum Domini de Hierusalem:* Evangelium quod est verbum, Dei, divulgandum ab Hierosolymis in totum orbem terrarum, & suo suavissimo odore allecturum multas gentes ad agnitionem Christi, sic etiam in isto abjecto angulo terrarum, Wittenberga, Deus voluerit suscitare suum verbum: & quod præter Judaicam terram nulli parti terrarum acciderit; ut oppida, & pagi, quin & cives Hebraicis nominibus vocentur, ut *Ephrata, Hebron, Reson, Pannec, Globoc, Zidon, Jesse, Damascus, Dibon*, & multa similia. Ipsa etiam *Wittenberga* à *candore montis* dicta, quid est nisi mons *Libanus? Libanus* enim candidum sonat. Cum verò hoc sacellum multò esset angustius; quam ut caperet ingentem illam hominum multitudinem, confluentium crebrò turmatim, ad audiendum Evangelium: jussus fuit Lutherus publice docere in templo parochiali. Et hoc pacto puer Jesus denuo introductus est in templum Hierosolymæ: ut olim in festo ὑπαντῆς exceptionis ab Imp. Justiniano dicto; quod Simeon Christum, diu à patribus magno cum desiderio exspectatum, in ulnas suas susceperit, referente Nicephoro.

* Iesa. 2, 3. Mich. 4, 2.

Nomina Hebræa oppidor. & pagor. ad Witt. Wittemb. unde dicta.

Anno Christi *millesimo quingentesimo decimo octavo*, cum *Lutherus* iter susceperet Augustam, & pedes venisset Vinariam; pernoctavit eo in monasterio, missamque decantavit. Ibi Myconius primum vidit Lutherum: sed ab accessu & colloquio ejus tum est prohibitus. Monachorum verò tunc temporis ἡγούμενος vel ἐπίτροπος, vicarius & administrator *Joannes Kestnerus*, solus Lutherum compellavit, & de religionis negotio multa cum eo contulit: atque vel ex pia quadam συμπαθείᾳ, vel potius μικροψυχίᾳ & humana imbecillitate: *Mi frater*, inquit, *habebis Augustæ Italos homines doctissimos & acutissimos, Antagonistas acerrimos, qui plurimum tibi facessent negotii. Valde metuo, ut ne in hac religionis controversia causa excidas, profecto in ignem te conjicient, & flammis exurent.* Cui Lutherus per jocum respondit, *si urticis me usserint, aliquo modo tolerabile erit, sin igne, nimium grave & prorsus intolerabile:* addens hanc patheticam & spiritu plenam adhortationem: *Interpone, quæso, tuas preces apud Deum pro me, & ora Christum filium ejus, cujus est causa hæc, ut mihi adsit, quam si obtinuerit, mihi obtenta erit, sin verò causa exciderit, nec ego eam obtinere potero, atque ita ipse solus ignominiam reportabit.* In novella etiam tum Ecclesia apud Cygneos nata, cæpit exaudiri cygnea cantio & cœlestis tuba renascentis Evangelii, quo ex oppido ἐξαρχὴν Myconius ad Remp. & cives *Annæmontanos* epistolam misit lingua vernacula, zelo maximo & ardentissimo spiritu scriptam. In ea *Deo* peculiariter *gratias agit, quod liberatus sit divinitus ex Pharaonica captivitate, Ægyptiaco carcere, & nido fucorum ignavorum;*

Luth. venit Vinariam.

I. Kestner.

Colloquii istius Kestneri cum Luthero.

Myconius ad Annæmontanos scribit. Summa epist.

Sacris initiatur.

In præsentia principum Saxo. Ioan. Voitus Cum eo legit libr. Luth. Mycon.

Vinarienſis ecclesiæ minister designatur Primus ibi docet Evangelii.

Sepulchrũ Domini Wittemb. * Tom. 2. Witt. pag. 248.

rum, & ex animo lætatur, quod Dominica Palmarum una cum lætissima turba Christum descendentem de monte oliveti, & ingredientem Hierosolymam spiritualem sit comitatus. Deinde adhortatur Annæmontanos, ne metuant Pontificiòs animarum devoratores, & verbi divini hostes, & ut in libertate Christiana constanter permaneant, nec patiantur sibi & conscientiis suis laqueos injici, prohibitione ciborum à rege Babylonis Romanæ, habitante in Ægypto verè tenebricosa. Quin etiam instruit atque informat, quid porrò faciendum, si magistratus eos ob violatas leges mulcta pecuniaria afficere vellet, aut aliud supplicium decerneret, ne expaveſcant, nec patiantur Christum sibi è cordibus eripi, sed cum centurione coram cruce Christi edant confessionem suam: Hic verè est Filius Dei. *Idem remittit eosdem ad aureas verbi divini fodinas, & aperit venas quasdam metalli spiritualis & cœlestis, deducens ad eloquia Dei pura; quod* sint desiderabilia super aurum & obryzum multum, & dulciora super mel & favum. *Psalm. 19.*

Gotham vocatur Myconius. Vocatus exinde *Gotham* ad munus docendi & gubernandi ecclesias Thuringiacas, quod accidit anno *vigesimo quarto*, circa festum assumtionis Mariæ virginis, vixit cum collegis annos *viginti duos* in summa pace & concordiâ, quomodo ea de re ipsius Myconii verba sonant: *Cucurrimus, certavimus, laboravimus, pugnavimus, vicimus & viximus semper conjunctissimè, ut admiratione afficerentur plurimi super illa rara fratrum* συμβιβαστικῶν φιλαδελφίᾳ *& conjunctione*, quæ eadem repetit in quadam ad electorales consiliarios epistolâ. *Concordia ejus cum collegis.*

Floruerunt autem eo tempore in Thuringiâ & ecclesiæ & scholæ, & politiæ, quæ ecclesiis ac scholis hospitium præbebant, & claruerunt in ecclesiis reformatis illustria lumina, viri excellentissimi, Wittembergæ, *Lutherus, Melanchthon, Pomeranus:* Magdeburgæ *Amsdorfius*, Augustæ *Urbanus Regius*; Tubingæ *Erhardus Snepfius*, Halæ Suævorum *Joannes Brentius*, Noribergæ *Vitus Theodorus*, Hamburgi *Joannes Alpinus*, Lubeccæ *Hermannus Bonnus*, Uratislaviæ *Joannes Hessius*, *Ambrosius Moibanus*, in Borussia *Ioannes Brismannus*, *Paulus Speratus*, *Joannes Poliander*, Stetini in Pomeraniâ *Paulus Rhodius*, Cygnææ *Hausmannus*, Numburgi *Nicolaus Medlerus*, Vinariæ *Joannes Cæsius*: Erfordiæ *Joannes Langus*, & alii alibi, adeò ut magno cum exercitu Evangelistarum Dominus dederit verbum suum. *Myconii* σύγχρονοι, *viri clari.*

Tumultus rusticorum. Postea evocato ex hac vitâ *Friderico*, Duce Saxoniæ Electore, illico subsecutus est rusticorum tumultus, anno *millesimo quingentesimo vicesimo quinto*, in quo sedando Myconius plurimum posuit operæ. *Gotham* oppidum & totam Νοίκησιν, cum ubique *sæviret animis ignobile vulgus*, pacificam & tranquillam precibus, obtestationibus & hortationibus conservavit, ne quid ibi turbarum moveretur, & prohibuit, ne se cum seditiosis rusticis conjungerent. *Eum sedat Mycon.* Agmen rusticorum, qui convenerant *Ichtershusii*, ad diruendas & demoliendas arces *Gleichenam*, *Mulbergam*, *Vuachseburgum*, & ad delendas familias nobiles, oratione unicâ sic compescuit & dissipavit, ut à malo proposito desisterent. Sapientissimè enim consideravit, quem tandem ejusmodi pernicioſæ machinationes habituræ essent eventum, juxta illud Pindaricum *: *Facile est urbem movere, etiam paucioribus facile est, at pristino restituere statui grave est, è vestigio nisi ipse Deus etiam ducloribus gubernator factus fuerit.* Fuit igitur Myconius verè ille διαλλακτὴς σεμνότατος quem Maro * in Æneide describit significantissimè: * Pythiodym. 4. *Lib. 1. Æn.*

Ac veluti magno in populo cum sæpè coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus:
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem, ac meritis, si fortè virum quem
Conspexére, silent, arrectisque auribus astant.
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet.

Conjugium Myconii. Eodem anno uxorem duxit Myconius, *Margaritam*, honesti civis Gothani filiam, ex qua sobolem Dei benedictione suscepit numerosam. Filia Barbara post obitum parentis matrimonio juncta fuit *M. Cyriaco Lindemanno*, celebri olim scholæ Gothanæ Rectori. *Cyriacus Lindemann.* *Fridericus* filius patri ὁμώνυμος, in Academiis Germaniæ præcipuis, Lipsensi, Wittenbergensi, Jenensi, morte nimis immaturâ præreptus, triste sui desiderium amicis reliquit.

In Belgium abit. Cæterum Myconius ipse, etsi divinitùs vocatus esset ad gubernationem Ecclesiæ Gothanæ, ab illustrissimo tamen Saxoniæ Electore ad alia multa negotia adhibitus fuit. Cum *Friderico* enim electore, ter in Belgium profectus est, *Coloniam Agrippinam*, & *Vbiorum* terram, Ducatum *Juliacensem*, & *Clivensem* apprimè perlustravit. *Düsseldorpii concionatur. Et disp. anno 1527.* *Düsseldorpii* Christum in publicis concionibus publicè confessus est, non sine vitæ discrimine, & cum monachis Colonienſibus disputatione publica congredi minimè dubitavit, quæ paulò pòst prælo subjecta prodiit, ad quam respondit Franciscanus quidam Colonienſis, frater *Ioannes Corbachius*, sed vicit, & palmam reportavit Christus, benedictus in secula. *Docet & Brunsuigæ & in Westphalia.* Simili constantiâ & fide Myconius puram Evangelii doctrinam professus est *Brunsuigæ*, *Cellæ* Saxonum, *Susati* & alibi in Westphalia. *Interest colloq.* In conventibus item & comitiis publicis, *Smalcaldiæ*, *Francofordiæ*, *Noribergæ*, adhibitus in consilium, magno spiritu & zelo, religionis negotia tractavit, gloriam Dei, Ecclesiarum salutem, & emolumentum, pro sua virili promovendo, adeò ut nihil prius faciendum putaret, quàm ut Deo serviret. *Mittitur in Angliâ An. 1538.* Eo fine missus est in *Angliam*, cum *Francisco Burcardo*, viro in omni disciplinarum genere summo.

Iter hoc Anglicum Myconio non parum utilitatis attulit, cum quemadmodum Baptista in aula Herodis, observavit mores, ingenium & naturam hypocritarum. Sub initium renascentis Evangelii acerrimè se oppo-

suit

fuit Luthero Anglorum Rex, datis literis * ad Saxoniæ Duces, Fridericum, ejusque fratrem Joannem, offensus libello Lutheri *de captivitate Babylonica*, & indicavit, quantum ab ejus doctrina periculum ipsis immineat, totique Germaniæ, nec esse quòd contemnant aut parvi faciant, sed nascenti malo statim occurrendum. Cum autem repudiata conjuge *Catharina* Hispanica, Pontifex Romanus, cujus implorabatur auxilium, divortium à Rege factum non probaret *; quod Carolus V. Cæsar Catharinæ filius esset è sorore, cujus potentiam Papa metuebat, indignatus Rex gravissimum odium in Pontificem concepit, decretum promulgans, *ne quis Episcopo Romano supremam potestatem tribuat, neve tributum annuum solvat, sed singuli ipsum Regem per Angliam Ecclesiæ caput agnoscant.* Abjecta itaque Religione Papistica, misit ad Protestantes legatos, per quos maximè captabat benevolentiam Saxo- „ niæ Principum, significans, „ in Angliæ „ regno factam religionis mutationem, abo- „ lita magna parte errorum, de communi „ omnium consensu, Papatus impostura è „ regni finibus exterminatas non secus at- „ que per Saxoniam. Et eum in finem, o- „ mnia Regis consilia & actiones dirigi, ut „ deinceps cum Germaniæ Principibus con- „ jungeret omnes suas vires & copias, si „ quid Antichristus adversus reformatas Ec- „ clesias moliatur. „ His dictis & pro- „ missis regis in optimam spem erigebantur Angli, fore ut Christus etiam apud ipsos deinceps haberet hospitium, & se cum Ecclesiis Germanicis reformatis amplexuros confessionem Augustanam. Contulit Myconius cum tribus Episcopis, & quatuor Theologiæ doctoribus, de singulis capitibus doctrinæ Christianæ, in confessione Augustana, & ejus apologia comprehensis. Tractata præterea est causa matrimonialis, petente Rege uxorem sibi dari *Annam*, Principis Clivensis *Guilielmi* & *Sibyllæ* Saxonicæ sororem, eleganti forma virginem, quam tamen ille paulò pòst repudiatam à se dimisit. Eodem modo religionis negotium non seriò, sed astu tractavit. De Religione enim decreta fecit, „ sub forma panis & vini verum esse & na- „ turale corpus atque sanguinem Christi, & „ à consecratione non amplius manere sub- „ stantiam panis & vini: perceptionem in- „ tegræ cœnæ non esse necessariam ad salu- „ tem, sed sub utralibet specie contineri to- „ tum Christum: Sacerdotibus non licere „ contrahere matrimonium, vota castitatis „ esse servanda, missas privatas retinendas, „ auricularem & arcanam confessionem de- „ lictorum esse utilem & necessariam. „ Edidit etiam paulò pòst non obscura suæ hypocriseos signa. Nam *Hugonem Latimerum* & Salisbeviensem Episcopum religionis causa diu captivos detinuit, *Thomam Cromelium*, quem ex infimo loco ad summam evexerat dignitatem, plecti capite jussit * *Robertum Barnum* Theologum, virum sanctum & eruditissimum, Londini igne concremavit: *Thomæ Bequeti*, olim Archiepiscopi Cantuarien sis, exemta è thecâ, gemmis & auro exornatâ, ossa combussit; Ecclesiis bona eripuit, & in fiscum regium intulit, aliaque plura designavit.

Vide to. 2. op. Luth. Lat. p. 273. Angl. rex contra Luth.

Facit divortium cum uxore

Vide vitam Thom. Cram.

Decretum de Papa in Angl. Sleid lib. 4. 9. 12, 13.

Legatio Angli ad Saxon. Duci.

Myconii in Anglia colloq.

Decreta de religione in Anglia. Sleid. l. 12.

Hugo Latimerus. Thom. Cromelius

* *Sleid. l. 13 p. 339. sub An. 1540.*

Robert. Barn. Thomæ Bequetus, de quo Sleid. l. 12. sub A. 1538.

Reversus ex Anglia Myconius, ab *Henrico* Saxoniæ Duce vocatus est, ad visitandas & reformandas Ecclesias Misnicas, unà cum *Luthero*, *Iusto Iona*, *Casparo Crucigero*, *Ioanne Pfessingero*, *Iusto Menio*, & aliis. Visitatio hac occasione accidit. Anno *undequadragesimo*, vicesimo quarto Aprilis *Georgius Saxoniæ Dux* vitam cum morte commutavit: ei in gubernatione *Henricus* frater succedebat, siquidem Georgii filii ante patris obitum decesserant. Caverat quidem Georgius testamento, *ne forma religionis mutaretur*, & miserat legationem ad *Henricum*, ut assentiret, additis magnis magnorum thesaurorum & verè aureorum montium pollicitationibus. Sed Henricus constanter respondit, *se nequaquam opum causa ab agnita veritate discessurum*, ac subdidit hæc verba memoriâ digna: *Vestra hæc legatio planè mihi repræsentat illud, de quo proditum est in sacris literis, cum Satanas Christo polliceretur totius mundi regna, modo procumbens ad pedes ipsum adoraret.* Interea vita excedit Georgius legatis nondum reversis, & frater Henricus occupata tota provincia, invitis omnibus Pontificiis, Ecclesiarum Reformationem suscipit. Nactus Georgius est successorem & hæredem, quem nunquam optaverat, & is, quem cane pejus & angue per omnem vitam oderat, Lutherus, Lipsiam accersitus à novo Principe, docuit publicè, ac reformationis fecit initium. Quem secuti cæteri symmystæ, singuli suo loco officium fecerunt, inter quos & Myconius, nec id sine fructu. Quomodo enim descendit imber & nix de cœlo, & illuc non revertitur, sed inebriat terram, & germinare eam facit, Sic verbum, quod egreditur de ore Dei, non revertitur vacuum.

Georgii Ducis Sax. obitus.

Postulatio illius ab Henrico fratre.

Memorabile Henrici responsum.

Iesaiæ 55.

Finita ista visitatione obivit omnes Ecclesias Thuringiacas, & constituit scholas, adjutus à *Melanchthone*, *Iusto Menio*, duobus nobilibus *Plaunicio* & *Wangenhemio*, & *I. Cotta*. In hac visitatione deputata sunt, docentibus in ecclesiis & scholis, certa stipendia, & hujus viri pio studio & opera Dei beneficio hoc etiamnum tempore in Thuringia florent Ecclesiæ & Scholæ, florent artes & linguæ. Reliquum vitæ curriculum quod ei natura exiguum circumscripsit, docendo, orando, & scribendis literis consumsit, quo labore occupatus erat quotidie: cum summi viri in Academia, & ecclesiis præcipuis, crebro ad ipsum scriptitarent, de quibus *Lutherus*, *Melanchthon*, *Cruciger*, *Menius*, *Basilius Monnerus*, primus instaurator scholæ Gothanæ, *Ioannes Langus*, *Ægidius Mechlerus*, *Ioannes Marcellus*, *Matthæus Ratzenbergerus*, & alii.

Visitat Thur. ecclesias. Stipendia ministris adsignat.

Amici Myconii.

Biennio

Scriptum ad consiliarios Sax. de unguento Mariæ.

Biennio ante obitum edidit scriptum, cujus supra mentio injecta, ad consiliarios electorales de bene-olente ac pretioso unguento, quo Maria soror Lazari ac Marthæ Dominum Bethaniæ mensæ accumbentem inunxit, & quod Judas proditor ægrè tulit. Historiâ illa allegoricè taxavit quorundam invidorum & malevolorum avaritiam. Cum enim Elector Saxoniæ, pia quadam munificentia in animum induxisset, ministrorum in ecclesiis & scholis stipendia augere, quidam eo vehementer sunt offensi & longo tempore plumbeas iras gesserunt. Quare necesse habuit Myconius Judam avarum increpare; Electorem verò ut domus Bethanicæ custodem & curatorem, hortari, quo trecentos illos denarios Deo semel à majoribus dicatos, accuratè observaret, nec ad alios usus transferri pateretur. Hac gravi & seria adhortatione quid profecerit apud optimum Principem, statim subjungit, nempe ex illa hora à discipulo matrem Domini in cruce pendentis susceptam fuisse.

Tabe laborat Myconius. De ea ad Luth. scribit.

Anno Domini *millesimo quingentesimo quadragesimo primo* graviter decumbere, & tabe, quam φθίσιν appellant, paulatim absumi cepit. Eo de morbo cum ad Lutherum scriberet, *decumbere*, inquit, *sè quidem, non autem lethaliter, sed vitaliter ægrotare*, adeò placuit Luthero hæc recta & sancta interpretatio, & quod perspiceret ipsum planè imperterritum contra mortem in somnum istum communem omnibus piis, & cupidum solvi, & esse cum Christo, ut responderet, „ ipsum jam non moriturum, sed diutius in „ hac vita fore superstitem, *adderetque hæc „ verba*: Ego oro & peto Dominum Jesum „ vitam nostram, salutem & sanitatem no- *Luth. responsum. Videt. 7. oper. Luth. Ien. p. 393.* „ stram, ne hoc mihi addi sinat malum, ut „ me superstite videam te aut aliquot nostrum „ perrumpere & irrumpere, per velum ad „ quietem, & me sinatis foris relictum in- „ ter Dæmones, & vos præcedere. Peto „ ut loco tuo me faciat Dominus ægrotum, & „ jubeat deponere tabernaculum meum hoc „ inutile, emeritum & exhaustam. *Et in calce literarum*: Vale mi Friderice, & Domi- „ nus non sinat me audire tuum transitum me „ vivo, sed te superstitem faciat mihi, hoc „ peto & volo & fiat mea voluntas, Amen. „ Quia hæc voluntas gloriam nominis Dei, „ certè non meam voluptatem nec copiam „ quærit. Iterum vale. Pro te oramus ex „ animo, & vehementer tuâ ægritudi- „ ne perturbati sumus. „ Ab hisce precibus paulò pòst convaluit Myconius, & ex ipsa velut morte excitatus est, quomodo etiam de *Theopompo* Phthisico proditum est, quod ab Asclepiade sit sanatus. Et hanc historiam ipse postea Myconius paulò ante felicem ex hac vita emigrationem prolixè & copiosè descripsit in duabus epistolis ad M. *Georgium Rorarium*, tum temporis Ecclesiæ Witenbergensis ministrum, in quibus miris modis prædicat beneficium Dei, & Deo gratias agit, quod Lutheri precibus fuerit conservatus, & pristinæ valetudini in morbo desperato restitutus, ita ut legens Lutheri epistolam, planè sibi visus sit audire vocem Christi: *Lazare, veni foràs.* Et agnoscit & palàm fatetur, Lutherum fuisse verum Prophetam, per quem Deus in hisce postremis mundi temporibus veram Evangelii lucem iterum accenderit, & qui etiam miraculorum dono fuerit præditus, adeò ut morbo planè lethali liberatus, *sexennium* superstes esset, & ejusdem ardentissimis precibus dimissionem ex hujus vitæ ergastulo impetraret. *Lutheri elogium à Myconio.*

Quod ergò Lutherus optavit ac voluit, eventu postea fuit comprobatum. Nam sexennio post, cum Lutherus diem suum obiisset; ipse Myconius eodem anno, *Aprilis* die *septimo* est subsecutus, atque carnis suæ fragilis ac mortalis sarcinam depositi, & hoc celebris illa vox *Iusti Ionæ* confirmata est: *Iste vir potuit, quod voluit.* Antevertit eum Lutherus & superstes ipsi fuit septies septem diès, ἑπτάδας septem, ut annotavit *Paulus Ebersus*. Cæterum, cum morbi prioris, phthiseos recidivâ accidissent, valedixit Myconius Principi suo Electori Saxoniæ *Ioanni Friderico* epistola admodum graphicè, piè & patheticè scripta, quam verè κύκνειον ἆσμα dicere possumus, de quo Epigrammatographus: *Moritur Mycon.* *Valedicit principi suo.* *Martial. l. 13.*

Dulcia defectâ modulatur carmina linguâ
Cantator Cygnus funeris ipse sui.

In illis postremis literis, quibus calamum deponebat, gratias egit Deo, qui excitasset tres Electores in domo Saxonica, *Fridericum, Ioannem, & Ioannem Fridericum*, ut causæ Lutheranæ patrocinium susciperent. Ibidem longa serie recensuit, quæ beneficia Deus Ecclesiæ suæ per salutare organum Lutherum contulisset: ut cujus ministerio revelatus sit Antichristus, atque ex agro & finibus Ecclesiæ exterminatus: Christus in regnum suum restitutus, & scriptis infinitis præcipuè Bibliorum versione multis regnis ac provinciis annunciatus. Consolatur denique Electorem obitu Lutheri vehementer perturbatum, quod Lutherus nequaquam sit mortuus, sed nunc demum incipiat vivere spiritus ejus. Et quemadmodum Deus post Christum in cœlum sublatum, dederit Apostolos, doctores & tandem hunc etiam postremum Heliam, ita in toto Christianorum orbe excitaverit multos præstantes & excellentes doctores, hujus (ut ipse loquitur) magni prophetæ discipulos, quorum salutari ministerio conservaturus sit verbum & ecclesiam, modò ea Dominum messis oret, ut & verbum purè conservet, & operarios in messem suam extrudat. Hac epistolâ scriptâ pedum pastorale deposuit, inque invocatione Filii Dei spiritum Deo reddidit, cùm vixisset annos *quinquaginta quinque*, menses *tres*, dies *septendecim*. Elatus est funere frequenti, habita à rectore quidem scholæ Gothanæ oratiunculâ brevi, à *Iusto* autem *Menio*, pastore Isenacensi, concione vernaculâ. *Ioannes Stigelius* tumulum ejus hoc epitaphio ornavit: *Ætas Myconii.* *Funus.* *Epitaphium.*

Quo

Quo duce Gotha tibi monstrata est gratia Christi;
Hic pia Myconii contegit ossa lapis.
Doctrina & vitæ tibi moribus ille reliquit
Exemplum: hoc ingens, Gotha, tuere decus.

Virtutes ac dotes.

Fuit hic vir pietate excellenti, eruditione solida, judicii dexteritate, animi candore, zelo ardenti, auctoritate & gravitate singulari. Argumento esse potest judicium ejus: quod de Lutheri super epistolam ad Galatas commentariis tulit. Cùm *Joannes* Elector Saxoniæ ecclesias suæ ditionis inspici jussisset: idoneos ministros præfici: ac reditus egentibus ecclesiis attribui: petiverunt Gothani & Isenacenses; ut donationem ecclesiis factam princeps confirmaret. Ibi cùm *Myconius* & *Menius* in literis ad Electorem dictum Jesaiæ*: *reges erunt nutritores tui, & feminæ principes nutrices*; recitassent, idque explicassent: sententia ea, tunc nondum sæpè citatâ, ita delectatus est princeps: ut jusserit mox locum sibi monstrari: & donationem benignè confirmarit. Et hactenus de Friderico Myconio.

Studium provehendi Evangelii.

**Isaï. 49. 23.*

Antonius probus Theol. D. in oratione de vita & obitu ejus.

JOANNES HESSUS.

B. 1547. d. 6. Ian. ætat. 60. Patria & vitæ genus Hessi.

JOannes *Hessius* Norinbergensis fuit Uratislaviæ canonicus, Theologiæ doctor, vitæ inculpatæ, doctrinæ eruditæ, eloquentiæ rarè. Itaque cùm anno *millesimo quingentesimo vicesimo tertio*, ab obitu *Osvvaldi Wimleri*, pastoratus ad D. Mariæ Magdalenæ, *quadriennium* vacasset; nonnullis de eo obtinendo coram politico magistratu, pro more illorum temporum, contendentibus: Senatus moræ pertæsus, consentiente populo, probante *Jacobo à Salzâ*, episcopo Uratislaviensi, *Hessò* isti vocatione solenni ecclesiæ Magdalenanæ gubernationem commodavit, pactus salarium ducentarum marcarum & victum, sicut & Moibano. Factum id anno* *millesimo quingentesimo vicesimo tertio*, die *vicesimo nono* Junii. Hessus primam concionem, in maxima populi frequentiâ habuit, die 25. Octobris; qui tum Dominica 21. post. Trinitatis.

Præficitur Ecclesiæ Magdal. Vratislav.

**Luth. ei gratulatus est an. 1522. d. annunc. Mariæ. Tom. 2. ep. pag. 57.*

Id ubi Papa *Adrianus* audivit, ægerrimè tulit: datisque ad Senatum literis, avocare eum à proposito est conatus. Sed Senatus, editâ Apologiâ, causas reddidit sui facti gravissimas: ubi inter alia sic scribit: „ Aliquot „ jam annis non æquè Evangelium hic annuntiatum est, quippe alii pro Christi Evangelio Thomam, Scotum, Aristotelem, „ Christianis auribus, summa cum indignitate instillarunt: alii loculis & marsupio „ consuluerunt, prædicando non gratuitam „ fidei, sed pronundinam fiduciam operum: „ alii item in operculum suæ carnis & impietatis sacras literas detorserunt, quo factum est, ut multi nesciant, quam viam „ sequantur, atque ita dubii errent: ut navis „ in medio mari gubernatore destituta. Quod „ malum ne indulgentia nimia aut irritando tanquam excetra illa Lernæa vires acquireret, aut latiùs serperet, summa cum „ diligentia è nostrorum animis tollere, & ad „ usque vivam radicem averruncare studuimus: quærendo scilicet nobis & ecclesiæ „ nostræ cum pastorem, qui incredibili fiducià & alacritate verbum Domini, & im- „ perveſtigabiles ab humana prudentia divitias ejus communionem mysterii, quod „ erat absconditum à seculo, ideo nobis decantabit secundum spem nostram, quam in „ illum habemus repositam in Domino, qui „ omnibus innocentiâ vitæ & modestia charus est, qui antea à Reverendissimo D. „ Episcopo nostro ad evangelizandi munus, „ & nunc quoque à nobis unanimi consensu „ vocatus & accensus est, ac electus in Domino juxta consuetudinem ab Apostolis „ vulgatam, & Ecclesia, quæ in Christo est, „ receptam. Siquidem Ecclesiæ, est vocare „ & eligere pastorem: Episcopi autem sive „ presbyteri, manus imponere. „ Et paùlò pòst: juste igitur verè pium & Christianum hominem D. Joannem Hessum, Theologiæ „ Doctorem in parochum nobis elegimus, „ ad ministerium verbi ante vocatum ab Episcopo, commisimusque ei curam & vivorum & mortuorum: ut vivos immarcescibili fructu verbi Domini pascat ac nutriat, „ defunctos verò in Domino piè sepeliat, „ non, ut prædecessores parochi, quibus „ una opera erat inhiare lucro. Nam sive nasceretur, sive moreretur aliquis, omnes „ erant tributarii & vectigales parocho, ut etiam multa millia gratiarum ac indulgentiarum nomina, remissionem peccatorum præ „ se ferentia, atque id genus alia pastorum „ commenta taceamus. Quod verò omnium „ miserrimum, mortui plus vivis censebantur: ut credibile sit, poëticum illum Charonta in transportandis multis mitiorem „ fuisse, quàm nostros parochos in sepeliendo. Cum autem sine iis nundinationibus cum suis Diaconis & hypodiaconis verus Pastor sese de nudis Ecclesiæ reditibus „ sustentare non possit; ut sæpè nostris auribus inter concionandum inculcavit sinceriter nobis in Christo dilectus, eximius „ vir D. Magister Joachimus, qui aliquot jam „ annis sive per locationem, sive per aliam „ rem quampiam dictæ parochiæ præfuit, atque ita inter concionandum nos admonuit, „ ut augeremus censum Ecclesiæ ne cogeretur eam egestate & penuriâ rerum deserere: „ consilium quæsivimus, ne ita perpetuum, „ & vivi & mortui vectigales & in prædam „ essemus: & ut sine hoc censu pastorem „ quoque nostrum honestè ac liberaliter, pro „ persona & dignitate sacerdotii alere possimus, quo is modo in salutem nostram occupatus sit, non autem turpibus illis ratio-

Elogium Hessi.

Avaritia sacrificulorum.

„ nibus, tot hodie, tot heri, tot nudius ter-
„ tius funera, atque utinam etiam aliquid in
„ crastinum, perendie, & sic deinceps.

Disputatio Hessi. A. 1524. Et themata.

Sequenti anno *vicesimo quarto*, die *vicesimo* Aprilis, theses, ad disputationem publicam, hasce proposuit: quibus comprobaturum se promisit:

Soli Deo esse inhærendum.

Missam non esse sacrificium, sed solum meritum Christi.

Blasphemos esse in Deum, qui conjugio interdicant sacerdotibus.

Disputavit, adjuncto sibi Trocedorfio, in Templo S. *Dorotheæ* ipsum octiduum, & interrogantibus quibusvis respondit. Ea de disputatione *Lutherus* * ita ad *Spalatinum: Uratislaviæ disputatio Joannis Hessi processit feliciter, frustra resistentibus tot legatis Regum & technis Episcopi.* Eodem anno *vicesimo quarto* epistola * Lutherus eum confirmavit: animum paratum ut haberet, ad sustinendas varias afflictiones, propter doctrinam verbi. *Adscendisti:* inquit, *in navem cum Christo, quid exspectabis? serenum? imò ventum & procellas, & fluctus navem operientes; ut mergi incipiat. Sed hoc baptismo baptisandus prius es: tum sequetur serenum, excitato & implorato Christo, qui saltem dormiet aliquando.*

* *Tom. 2. ep. p. 205.*

* *Est ea 2. epist. pag. 240.*

Ambros. Moiban. Hessi collega.

Adjunctus deinde ipsi est anno *vicesimo quinto* collega *Ambrosius Moibanus*, Pastor templi *Elisabethani*, vir pius, doctus & modestus. Hi itaque duo primi fuerunt Uratislavienses Evangelistæ, qui magna dexteritate & prudentiâ abusus Pontificios populo detexerunt: ad obedientiam erga superiores subditos, ad vitæ innocentiam singulos invitarunt: idque tanto cum fructu, ut sine ullo tumultu *cultus imaginum, processiones, vigiliæ anniversariæ, fraternitates, peregrinationes ad sanctos, leges de cibis vetitis, de monachis, monialibus, & id genus alia Papatûs βδελύγματα*, uno quasi labefactata motu corruerent, & paulò pòst Evangelium in *novem* templis, quorum *septem* extra, *duo* intra urbis mœnia, prædicaretur.

Vratislavia religio mutata.

Conjugii Hessi. Paul. Hessius.

Eodem anno *vicessimo quinto* uxorem duxit *Hessius* die *octavo* Septembris, *Stephani Spigleri*, senatoris Uratislaviensis filiam: ex qua suscepit filium *Paulum* medicum & professorem Wittembergensem: qui Patavii edito scripto *Melchiorem Guilandinum Borussum* contra *Petrum Matthæolum Senensem* defendit. Ex filiabus una nupsit *Bützero* Med. D. altera *Nunharto* civi Uratislaviensi: tertia *Frid. Staphylo*, qui pro concubina se habere dixit, cùm ad Pontificios defecisset: quæ apud Lutheranos uxor fuisset.

Obitus Hessi.

Functus est *Hessius* ministerio Uratislaviæ annos *viginti quinque*: & ad meliorem vitam abiit, anno Christi *millesimo quingentesimo quadragesimo septimo*, die *sexto* Januarii, ætatis suæ anno sexagesimo. Sepultus est in æde Magdalenæa, cum Epitaphio tali à Melanchthone scripto:

Epitaphium à Melanch.

Ἐνθὰ θεῷ λιπαρῶν, ψυσία χαριεστέρα ἄλλων,
Καὶ ὁσμὴν γλυκερὴν λοιδὴ ἵεισ' ἀγαθήν.
Τὴν σοφίαν καθαρῶς εὐαγγελίοιο διδάσκειν,
Καὶ φωνεῖν ὁσίαις δόγματα θεῖα φρεσίν.
Τοῖσ' Ἰωάννης ποτὲ ἔνθα διδάσκαλος ἦεν,
Ὡι πατρῴα ἔην Ἕστ' ἐπωνυμία.
Θέσφατα ὃς λαοῖς σπείρων εὐπάλματα χειρῶ,
Πιστὸς ἰὼν δολερὰς ὑ σεσιμιξ' ἀπάτας.
Καὶ τίμησιν ἀκριβολήλοις ἀρεταῖς θεὸν ἀιεὶ,
Εν κραδίῃ πίστιν, σεμνάτε ἦθ ἔχων.
Νῦν ἐν ἰσ μακάρων ψυχὴν θεὸς ἤγαγ' ὅμιλον.
Ενθὰ σόρῳ παύτῃ λείψανα ἧκε πόλις.

Successit in munere pastoratus *Joannes Aurifaber* Uratislaviensis: qui tam literarum, quàm religionis doctrinæ peritissimus, mirifico studio ac fide doctrinam veram propagavit, & vitæ sanctimonia commemorabili ornavit. Periochen vitæ ejus complectitur Epitaphium, memoriæ ipsius positum:

Ioann. Aurifaber.

Vitæ ejus periocha.

Justificantes multos ut stellæ in sempiterna secula erunt.

JOAN. AURIFABRO URATISL. S. TH. DOCT. ET ECCLESIÆ HUJUS PASTORI: ACADEM. WITTEBERG. ET ROSTOC. QUONDAM PROFESSORI: ANTE REDITUM VERO IN PATRIAM SAMLANDIÆ POMESSANIÆQUE IN BORUSSIA PER PLURES ANN. PRÆSIDI: VIRO PURÆ RELIGIONIS STUDIO ET TOTIUS PHILOSOPH. INPRIMIS VERO MATHES. AC LINGG. PRÆCIPP. COGNITIONE CL. VITA IN HIS TERRIS ANN. LI. m. VII. d. XVII. HONESTE ET LAUDABILITER ACTA: ANNO VERO M. D. LXVIII. DIE m. OCTOBR. XIX. SUPERSTITE CONJUGE SARA, JOANN. HESSI THEOL. DOCT. FILIA: QUÆ QUADRIENN. POST RELICTIS QUATUOR FILIIS ET DUAB. FILIAB. DIEM SUUM OBIIT; FELICITER ET SANCTE MORTUO:

LAURENTIUS SCHOLTZIUS URATISL. PHIL. ET MED. D. SOCERO ET SOCRUI OPTT. HIC CONDITIS OFFICIOSÆ PIETAT. ERGO P. M D XC.

In memoria æterna erit justus.

Hæc de J. Hesso ex *Mel. Laubani M. S. Dresseri chron. D. Sculteti annalib. eccles. epistolis, aliis.* Moibanus & J. Crato orationes de ipso scripsisse perhibentur: Sed nobis eas videre necdum contigit. Exstant aliquot *epistolæ Hessi* ad Camerar. lib. 3. epistol. Eobani: & *epistola Bugenhagii* ad Hessum contra novum errorem de sacramento εὐχαριστίας: Item *Consilium Lutheri* Germanicum, an peste ingruente fugere liceat.

CA-

CASPAR BORNERUS.

CASPARUS BORNERUS BENE DE STUDIIS, OPTIME DE ACADEMIA MERITUS, HIC CONDITUR: VIR GRAVIS, DILIGENS, MALIS NIHIL LARGIENS, IN MATHEMATICIS EXCELLENS SCIENTIIS, ET THEOLOGIÆ DOCTOR. HIC MOSELLANUM IN HOC GYMNASIUM PRIMUS ADDUXIT; D. THOMÆ LUDUM MODERATUS EST ANNOS OCTO ET DECEM, QUEM SUIS SUMTIBUS, COLLABENTEM, IN MELIOREM FORMAM RESTITUIT: PAULINUM COLLEGIUM PRINCIPIS BENEFICIO ACCEPTUM, ÆDIFICIIS, BIBLIOTHECA AUXIT: SEMPER PUBLICÆ QUAM PRIVATÆ REI SERVIENS MAGIS. IN GRAVISSIMA URBIS OBSIDIONE, DOLORE ANIMI ET LUE CONFECTUS, VITAM CADUCAM DEPOSUIT, IMMORTALI DIGNISSMUS.

Plangite Pierides, lugubria carmina cantet
Parnassius quicquid, quicquid & orbis habet,
Occidit, heu fatum! Bornerus vester alumnus,
Bornerus, Clarii gloria summa chori.
Is parat exilio sedem dum tectaque vestro,
Heu non perfectum concidit inter opus!

Elogium.

⊙. 1547. d. 3. Maji alii 5. Maji

Haina patria Borneri.

Peregrinatio Borneri.

Præfit ludo.

Doctor Theol. renunciatur.

Collegium Paulinum Lipsiæ.

Academiæ suetur.

Petrus Schadæus Mosellan. Lipsiam vocatus operâ Borneri.

* Vide vitas Philosophor. Germanor.

Bello Germanico manet Lipsiæ Bornerus.

Peste corripitur.

Qua extinguitur.

* Cam. 3. Non. Maji.

Monumentum ejus.

CASPAR BORNERUS.

HIc Patriam nactus est benè moratam *Misniam*, territorii Saxonici regionem, & in eâ oppidum *Hainam*, non ignotum. Adolescens literariâ susceptâ, magnorum Philosophorum exemplo, peregrinatione, & Italiam, & Italiæ jam, non orbis caput, Romam perlustravit, inprimisque in Mathematum cognitione non vulgari comparandâ, industriam, laborem ac studium diuturnum impendit.

Postea Lipsianæ scholæ sive ludo literario ad *D. Thomæ* operam suam addixit: cui ipsos *octodecim annos* præfuit. Inde ad sanctæ Theologiæ studium animum adjecit: Doctoralibusque in sublimi illâ scientiâ insignibus ornatus, publicè sacra, unâ cum *Alexandro Alesio Scoto*, explicavit. Id autem unicum sibi datum negocii credidit: Academiæ ut augeret commodum. Itaque suo labore & intercessione effecit, ut Paulinæ ædes Academiæ accederent, & in collegium id converterentur: in quo & Theologi & Philosophi docerent. In iisdem ædibus instituta est Oeconomia, & instructa Bibliotheca, translatio eo libris tum ex aliis, tum ex Cellæ cœnobio veteri, & coëmtis novis quamplurimis. Atque ita Bornerus, quemadmodum de eo *Georgius Fabricius* alicubi scripsit, solus ferè Academiæ onus & spem literarum eâ in urbe sustinuit, maximoque animo & constanti voluntate contra senatus iniquitatem pugnavit.

Hoc eodem etiam Bornero potissimùm auctore *Petrus Schadus Mosellanus* dictus, anno Christi *decimo quarto*, supra *millesimum quingentesimum*, Lipsiam vocatus, doctrinam Græcarum literarum mirificè ibi excoluit. Sed exiguum * *Mosellano* vitæ curriculum natura, vel potius auctor naturæ Deus circumscripserat, quippe qui in ipso ætatis flore, anno *trigesimo primo*, è vita discessit; fama tamen nominis relictâ, nunquam intermoritura.

Ardente autem in Germania bello, anno *quadragesimo sexto*, Lipsensi urbe obsessâ, Bornerus præsenti fortique animo, toto oppugnationis tempore in urbe mansit, ac scholasticas ædes pro virili sua tueri, & publicam privatamque aliorum suppellectilem conservare annisus est. Defatigatus tandem nocturnis diurnisque laboribus, curis ac vigiliis, contagione ex promiscui vulgi è suburbiis confluxu, in ædes illas ferè vacuas enata, correptus, cum jam aliquantulum animo acquiesceret, & metum periculi posuisset; mortem obiit cum bonorum omnium deploratione & mærore ingenti, anno salutis *millesimo quingentesimo quadragesimo septimo*, die *tertio* * Maji, annis nondum gravis nec ætate effœtus. Monumentum ejus memoriæ sacrum in Paulino legitur ejusmodi:

Fuit vir hic omnino egregius, & multis magnis verisque virtutibus ornatus: quoque vix unquam exstitit alius, sui commodi & utilitatis minus studiosus, dum rem scholasticam publicè stabilivit, amplificavit, & ornavit. Doctrina fuit in omni disciplinarum genere eximia, præsertim in Mathematicis. Nam ante illa tempora nemo Bornero exquisitius aut industria majore situs, loca, figuras, ortus, obitusque siderum & signorum cœlestium observarat, neque istius contemplationis iter planius ostenderat. Itaque cum *Melanchthone* vetus ei & singularis necessitudo intercessit: qui & obitum amici gravissimè tulit, & sæpe in rebus dubiis & negotiis impeditis consiliorum actionumque socium aut ducem requisivit.

Charus Melanchth.

Posteritati autem scripta reliquit hæc, primum *Analogiam*, sæpius apud suos recusam, cui præfationem præfixit *Georgius Fabricius Chemnicensis*, deinde *libellum de stellis:* denique *indices in Ptolomæi Geographiam & in Sabellici historiam* copiosissimos collegit. Inchoasse etiam dicitur historiam; sed quam mors interrupit, & qualem *Joannes Sleidanus* postea edidit.

Scriptæ ejus.

Hæc de Bornero suggesserunt Petrus Albinus in Chronico Misniæ, Joachim. Camerar. in vita Melanchthonis, Matthæus Dresserus in Isagoge historica.

MATTHIAS ZELLIUS.

☉ 1548. d. 9. Ian. ætat. 71. Mons Cæsaris oppidum.

IN oppido Alsatiæ, cui *Cæsaris mons*, vulgò Keisersberg nomen, *Matthiam Zellium* natum literæ nostratum produnt, sub annum à Messia exhibito, *millesimum quadringentesimum septuagesimum septimum*. Primis linguarum & artium rudimentis perceptis, ad publica Gymnasia, ut tunc in Germania erant, sese contulit, inque iis Magisterii philosophici gradum, non vulgari, illo seculo, exemplo, promeruit. A Philosophicis ad divinarum literarum studium progressus, assidua earum lectione tantum profecit, ut minimè in iis hospes esset.

Argentorati docet.

Postea *Argentoratum* venit, & sacerdos factus, in æde D. Laurentii parochus est constitutus, anno *millesimo quingentesimo vicesimo secundo*. Cum autem eo tempore Lutheri doctrina passim increbesceret. Zellius eam cum adversariorum religione contulit, collatamque approbavit. Itaque publicè pro suggestu eam defendere & commendare Argentorati cœpit.

Accedit Luth.

Accusatur apud Episcopum. Gervasius Sopherus. Articuli Zellio objecti.

Id cum Episcopus cognovisset, ei diem dixit, & per *Gervasium Sopherum*, qui postea Evangelicis accessit, & anno *millesimo quingentesimo vicesimo quinto* obiit, Fiscalem accusavit, viginti quatuor articulis objectis: inter quos erant *de justificatione* per fidem, *de Lutheri defensione*, *de Missa*, de *Matrimonio sacerdotum*, *de primatu Romani Pontificis*, & de *traditionibus humanis*. Itaque Zellius libro, an. *millesimo quingentesimo vicesimo tertio* edito, ad omnes articulos respondit, & se excusavit. Ab eo tempore cum magna cleri invidiâ, & magno discrimine constanter perrexit profligare ex ecclesia superstitiones, tandemque cum aliis effecit, ut Argentorati an. *millesimo quingentesimo vigesimo nono* religionis fieret instauratio.

Zellius iis respondet. Evangeliũ recipit Argent. A. 1529. mens. Feb. Sleid. l. 6. comment. p. 155. Sturm. Antipapp. 4. p. & 7. Symphorianus collega Zellii. Ejus vita liberior.

Primus ergo Argentorati in concionibus ecclesiæ fuit Zellius, cui sese non longo intervallo *Symphorianus* adjunxit, presbyter ætate grandis, pastor in æde *Martini*, quæ illo tempore in foro piscario, cui tum adhuc firma & recenti memoria liberior fuerat initio vivendi ratio, in conviviis hilaris, in rebus periculosis omnium primus. Ubi Rhenus erat altissimus, ibi pede sinistro dimidio extra marginem pontis posito, dextro toto præposito, absque ulla vertigine stabat. In æde primarii templi supra primum fornicem cursu in transennam insiliit, & stans atque erectus, subjectas plateas intuebatur, absque ulla non solum vertigine, sed etiam vertiginis metu. Hic vir ex primis fuit, qui doctrinam Evangelii amplexus, non absque multorum, propter vitæ mutationem, admiratione, ita, ut quibus primis annis fuerat familiaris, ad se plerosque attraxerit, quos hujus exemplo motos, pœnitere vitæ anteactæ statim cœperat. Populares hi magis concionatores erant, quam literati, sed insignis in *Zellio* probitas: quibus sese Paulò pòst adjunxit *Antonius Firnius*, pastor tum ad *D. Thomam*, qui primus in urbe ista sacerdos uxorem duxit. Neque longe ab hoc initio abfuerunt *Martinus Bucerus*, *Capito*, qui apud Cardinalem Moguntinensem intra cancellos Consiliariorum primas tenebat, & Doctor *Casper Hedio*, summi templi Moguntini pastor, qui, simul ac Argentoratum anno *vicesimo tertio* venerunt, firmiora cœperunt fundamenta poni Evangelicæ ecclesiæ. Docuit *Zellius* Argentorati annos circiter *viginti sex*, tandemque ex ecclesia militante ad triumphantem evocatus est anno *millesimo quingentesimo quadragesimo octavo*, die *nono* Januarii, vitæ suæ anno *septuagesimo primo*. Successit ei in munere concionatoris summi templi *M. Ludovicus Rabus*, alias *Gyncer*, *Memmingensis*: qui vehementer in Interimisticam doctrinam, ut Papisticam, fuit invectus. Viduam Zellius reliquit *Catharinam*, piam matronam, apud quam aliquantisper latuerunt *Bucerus* & *Fagius*, Theologi solum vertere jussi.

Antonius Firnius primus & gentor. uxorem duxit. Bucerus, Capito, Hedio, Argentorati decent. An. 152[illegible] Obitus Zellii.

Ludov. Rabus succedit.

Nicolaus Gerbelius jureconsultus tale Zellio Epitaphium posuit:

Epitaphium Zellii.

Sex & viginti Christum docet impiger annis,
Primus & insuetum Zellius urget opus.
Infensus Papæ, scelerumque acerrimus hostis,
*Nec minus & molles sævus in * hypocritas.*
Parte alia nunquam, quos dura premebat egestas,
Auxiliatrices deseruêre manus.
Moribus & vita doctrinam expressit, & ipsi
Mors fuit haud aliud, quàm sopor esse solet.

* artoletras.

Est in ipsum & hoc anonymi Epigramma:

Exegit decies septenos Zellius annos,
*Triginta hic summa * parrochus æde fuit.*
Quinque Evangelium docuit per lustra renatũ,
Hostis hypocriseos, Pontificumque gravis.
Censor erat scelerum vehemens, quæque ore professus
Expressit vita: pauperum ubique pater.
Lingua loquebatur, quæ corde animoque sedebant:
Nec quicquam inflatâ mente superbus erat.
Omnium obit tandem luctu, (mirabile visu)
Dum sedet, & sanctas fundit ad astra preces.

* doctor?

Fuit homo non doctrina tantum, sed etiam Christianis virtutibus, ac præsertim modestiâ, temperantia, & caritate insignis; temperati ingenii, vitæ innocentis, doctrinæ puræ, vir ab omni fastu alienus. Non theoreticus tantum, sed & practicus Theologus, ea, quæ docebat, ipse primus fecit, & inprimis pauperum rationem habuit. Aliquando à symmysta quodam ad cœnam invitatus, cùm nulli alii hospites adessent, atque ille deaurata & argentea pocula protulisset: Zellius pompâ, & in concionatore divitias admiratus, imò indignatus, discessit incœnatus. Postea quoque eundem fratrem solus officii graviter admonuit, & ut superfluis poculis divenditis, erga egenos liberaliorem sese præberet, effecit.

Ejusdem dotes & virtutes. Theologia practica. Divitias in ministro improbat.

Scripsit

Scripta ejus.

Scripsit multa; sed quæ, ut gloriæ minimè cupidus, in vulgus exire passus non est. Publico tamen bono hæc evulgavit: *catechesin Germanicam, explicationem quorundam capitum religionis* ad Episcopum Argentinensem, & *defensionem Christianam* ad articulos ei ab Episcopi Fiscali oppositos, & in litem traditos, germanicè anno millesimo quingentesimo vicesimo tertio. Scripsit etiam *orationem, in qua conjugium sacerdotum defendit: explicationem* item *decalogi, orationis Dominicæ*, atque *articulorum fidei*. Æterna gratia sit viro, de ecclesiâ optimè merito! Cæterùm cùm mentio facta antè sit *Antonii Firnii*, qui parochus Argentorati primus uxorem duxit: lubet heic mantissæ loco addere *Nicolai Gerbelii*, ad J. Schwebelium * narratiunculam ea de re. *Hodiè*, inquit, *apud nos mira & inaudita res acta, mi Johannes. Nam quæ Christiana sunt, rara apud nos hactenus fuere. M. Antonius Parochus olim S. Stephani, nunc S. Thomæ, aliquot annis scortillum apud se habuit, elegans satis & non vulgari forma. Hanc diebus superioribus uxorem duxit, ductamque è suggestu palam populo vulgavit. Hodie vero cùm hæc scribimus, subque hanc horam, in templi foribus apud Divum Laurentium, per M. Matthæum habita concione ad plebem in matrimonii commendationem, publicè introducitur ducentibus sponsam duabus honestissimis matribusfamiliis: sequentibus vero omnis generis hominibus mirificeque applaudentibus. Est autem hora diei octava, qua ingens hominum multitudo, ad rem novam inauditamque accurrit: fremunt Papistæ: exultant Christiani. E media plebe acclamat unus:* Er hat ihm recht gethan / GOTT geb ihm tausend guter Jahr. *Tu, crede, multos hunc secuturos esse, qui ante menses aliquot virgines duxere.*

* Cent. ep. Theol. p. 36. 37.

Et hæc de Zellio ex *l.* 3. *Prosopograph. Pantal. Crusii annal. Suev. l.* 9. *part.* 3. *c.* 22. *Gesneri bibliotheca, Sturmii* 4. *Antipappo, centur. epist. Schwebelii.*

CASPAR CRUCIGER.

Georgius Cruciger.

PAtria *Casparo Crucigero* obvenit inclytum Misniæ emporium *Lipsia*, anno Christi *millesimo quingentesimo quarto*, die *primo Januarii*, sub horam primam matutinam, post medium noctis. Pater ei fuit *Georgius*, cum aliis civilibus virtutibus præditus, tum verò hoc præcipuè nomine laudandus, quòd & doctrinam cœlestem coluit ipse, & filii studia, non sine periculo, ut tunc ibi tempora, ad Ecclesiæ utilitatem fovit. Abiit hic è vivis quarto ante filium anno, die *vicesimo octavo* Junii, Wittembergæ sepultus. In matre etiam ejus virtutem fuisse eximiam scribitur.

Schemæ genethliacum Crucigeri.

De positu siderum, si qui id curant, *Gauricus* ita judicavit, ingenii excellentem in eo significatam vim, sed simul etiam varios morbos. Nam duo tantum sunt in ejus genesi domicilia planetarum, *Sol*, *Venus*, & *Mercurius in Capricorno*, tertium locum ab horoscopo occupantes: cæteri omnes in cancro volvuntur, in nono loco: existatque tantum supra finitorem spica virginis, quantum infra absunt à lineâ horizontis duæ lucentes in utraque chele, quæ quidem nobis simul oriuntur. De toto asteriismo & congressu stellarum eruditis judicium relinquitur. Etsi autem ingenii fuerit significatio illustris: tamen gubernatorem ipse habuit longè potentiorem Spiritum Sanctum: qui arrhabo nostræ est salutis. Nunc ad pueritiæ studia accedimus. Etsi itaque nihil in eo torvum, aut asperum, aut immite; tamen temperamentum fuit melancholicum, & ut ita dicam, ferè Socraticum. Itaque & pauciloquus erat, & cogitabundus, & sæpè in medius sodalitiis quasi peregrinante animo. Visus inde est initio parentibus hebetior, & segnior. Sed cum celeriter percepisset Grammaticen apud virum integerrimum *Georgium Heltum*, postea commendatus est *Casparo Bornero*. Qui cum animadverteret, nequaquam esse tardam aut ignavam naturam, ut videbatur; sed & avidam doctrinæ, & celeriter arripientem omnia, quæ proponebantur, & vel inter ludos, cum aliud agere existimabatur, cogitatione intentam in ea, quæ discebat, ac sanitatem judicii, & facilitatem & perspicuitatem in explicandis cogitationibus eximiam, benè sperare parentes de ingenio filii jussit, & fuit hortator, ut apud *Petrum Mosellanum* in utraque lingua exerceretur. Antea Græcè docentem paulisper audivit *Richardum Crocum Britannum*, ubi commilitonem habuit *Joachimum Camerarium*; qui illa primæ ætatis studia commemorans, de Crucigero dixit: *tunc quoque in speciem visum esse cæteris segniorem; & tamen plus didicisse, quam alios commilitones.* Posteà cùm apud Petrum Mosellanum formare Latinam orationem didicisset, & in Græca lingua multum proficeret, & in moribus nihil esset arrogantiæ, nihil insolentiæ, nihil fuci, nihil perversitatis; sed natura recta, candida, modesta, disciplinæ patiens, amans veritatem, pietatem erga Deum & castitatem; Mosellanus eum, ut erat sagax ingeniorum censor, ita ut filium complexus est. Et laudavit indolem, studia, & mores adolescentis universa Academia.

Ingenium & temperamentum Crucigeri.

Georg. Heltus, de quo Cam. in vita Melancht. Caspar Bornerus.

Petr. Mosellan. præceptor Cruciger. Richard. Croc. Joachim. Camer. commil. Crucigeri.

Profectus Crucigeri.

Ita utilissimis utriusque linguæ exercitiis apud Mosellanum *quadriennio* amlius exercitus, cum propter luem Lipsiæ grassantem paulisper secedendum esset: unà cum Bornero venit in vicinam Academiam Wittenbergensem, præcipuè ut doctrina de Deo rectè cognita, veris officiis Deum coleret, & Ecclesiæ posteà usui esse posset. Nam ad hos fines studia & vitam referebat, Deo, ut posteà eventus ostendit, quasi per gradus eum ducente in eam stationem, in qua posteà operam Ecclesiæ utilem navavit. Ad priora exercitia linguæ

Venit Wittenbergam.

Linguas discit. Latinæ & Græcæ, adjunxit studium linguæ Hebrææ, ac omnes ita didicit, ut adeò familiariter ei notæ essent, ac si nativæ ipsi, non insititiæ fuissent. Audiebat studiosè & doctrinam Ecclesiæ, ac universæ antiquitatis certamina, & patrum judicia cum sacris literis conferebat, ac veros omnium dogmatum fontes quærebat.

Regit scholam Magdeburgi. Aliquanto post ad scholæ *Magdeburgensis* regimen est vocatus, reformatis cum religione itidem scholis. Nam qui prius in ludo ibi literario docendi sustinuerant provinciam, partim jam concionatores designati erant populares, partim æditui, partim verò etiam senes jam opificio cuipiam manuario sese dediderant, partim denique ad alias quascunque negociationes animum applicarant. In templis ipsi auditores cantiones Lutheri Germanicas cecinerunt, ut tunc recens natæ. In funerum deductionibus pastor sæpenumero solus cum solo ædituo prodibat, donec anno *vicesimo quarto* supra *mille quingentos* jacto emendationis feliciter fundamento, scholas instaurare eos, qui vel ad Ecclesiastica vel politica gubernacula sedebant, extrema cogeret necessitas. *Origo ejus.* Collecta est igitur ex multis in Urbe Magdeburgica scholis una in parochia *D. Ioannis* cujus regimen primum *Georgio Willichio* & *Sebastiano Wernero*, collegis pristinis adjuvantibus, fuit demandatum.

Georg. Willichius, & Sebastian. Werner.

Sed primis illis ad altiora progressis, crescente numero discentium, & schola rectorem exquisitæ doctrinæ flagitante, vocatus fuit hic Cruciger. *Docet Cruciger cum laude.* Qui in scholâ Joannitanâ, & æde D. Stephani tanta cum doctriuæ existimatione docuit, ut ad eum audiendum etiam provectioris ætatis & nonnulli Clerici convenerint, & schola oppidana verè quasi ex profundo torpore revixerit caputque extulerit.

Docuit ibi Cruciger ad annum usque *millesimum vicesimum septimum*, & ita docuit, ut propter discipulorum frequentiam necesse fuerit cætum scholasticum ex angustiori in patentius deduci phrontisterium, ad D. Augustinum.

Revocatur Wittenberg. Wittenbergam deinde revocato mandatum est munus & interpretandi Prophetica & Apostolica monumenta & in templo arci vicino concionandi, Hoc in officio cum graviter pergeret, testimonium ei de more Academiarum publicarum, quod Doctura nomine indigitant, fuit perhibitum. *Cum Theolog. medicinæ studium conjungit.* Conjunxit tunc cum Theologiæ studio & artis medicæ doctrinam, quam postea sic amavit, ut nunquam ejus curam deposuerit. *Eam exercet quoque* Nec solum nosse didicit herbas & frutices, remedia itidem præcipua morborum, sed & hortos duos sua ipsius manu magna stirpium varietate adornavit, & medicamenta multa ipse singulari industria apparavit.

Iuvat Luther in Bibliorum translatione. Ob eruditionem itaque & vitæ integritatem cum Luthero charissimus esset, in transferendis in sermonem Germanicum libris Propheticis συνεργὸν adscivit, ejusque dexteritate & adsiduitate non parum adiutus fuit. Singulis enim diebus cum vernaculè redderet Lutherus Biblia sacra, aliquot viros linguarum peritos, è quibus & Cruciger hic, coegit, qui & versionem ipsam examinarent, & in obscuris indices, in omnibus judices essent. Et ita opus totum, Dei gratia, absolutum perfectumque prodiit.

Erat autem & in scribendo mira Crucigeri celeritas, ut de ipso illud epigrammatographi usurpari potuerit: *Ταχυγράφος Cruciger. Martial.*

Currant verba licet manus est velocior illis:
Nondum lingua suum, dextra peregit opus.

Itaque cum anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo*, colloquium inter dissidentes in religione institutum esset Wormatiæ Vangionum, ipse notarii loco fuit adhibitus. *Notarius in colloq. Wormatiensi. Granvell. de Crucigero judicium.* Ibi non solùm tàm Melanchthonis quàm Eccii verba incredibili penè manus volubilitate excepit, sed & Melanchthonem submonuit sæpè, quid in Eccii subtilitatibus refutandum reliquum esset. Itaque *Granvellanum*, qui loco Cæsaris colloquio illi præfuit, dixisse accepimus. *Lutherani scribam habent omnibus Pontificiis doctiorem.*

Excipit Lutheri enarrationes & concionis. Præterea studio indefesso magnam *enarrationum* & *concionum Lutheri* partem in scholis & templis excepit, quas & brevibus notis velociss imè scribere, & postea rursus integris syllabis ac dictionibus redditas edere, magnæ industriæ & magni laboris opus fuit, qua in re fidem ipsius probavit ipse Lutherus. Et, teste *Georgio Rorario*, à quo in hoc labore semper adiutus est, etiam post Lutheri mortem fidem præstitit. *Quas & edit. Georg. Rorar.* Edidit & proprias lucubrationes, in quibus *Psalmos* & *Evangelium* à *Ioanne* scriptum enarrat, in quibus eruditus & sapiens lector non ambitiosè eum ludere fingendis peregrinis interpretationibus videt, nec offundere caliginem lectoribus ambiguo & improprio sermone, sed propriis verbis, & perspicuè unicam nativam sententiam evolutam illustrare. *Item suas commentationes. Elogium earum.* *Ut mores ita oratio*, fuit placida, recta & casta, sed tamen copiosa, & quadam parsimoniâ ornatûs & luminum, quæ magno delectu miscebat, Atticam illam formam referens. Semper ab omnibus furoribus fanaticorum hominum abhorruit, & custos fuit incorruptæ doctrinæ, quæ in Lutheri confessionibus expressa est. *Confessio Crucigeri.* Affirmavit sæpissimè se toto pectore amplecti consensum doctrinæ in omnibus articulis, quem una voce cum Luthero & Pastore Wittembergensis Ecclesiæ, sonare solitus sit, seque hunc consensum ad Deum & Filium Dei, & ad Prophetarum & Apostolorum consuetudinem constanter allaturum esse, nec dubitare se, hanc perpetuam esse sententiam Catholicæ Ecclesiæ Dei, quam professus esset. Inchoata est ab eo *enarratio Symboli Nyceni*, in qua initio affirmat se symbolum illud amplecti, deinde illustrat doctrinam *de tribus personis*, diligenter universa antiquitate Ecclesiæ considerata: *Enarrat symbolum Nicenum* In sermonibus suis omnia Ecclesiæ tempora repetebat, & errores taxabat. Serio oderat cothurnos & ambigua dicta, quibus sæpè turbatæ sunt Ecclesiæ. *Oderat Sophistit.* Nec tantum vox in docendo

cendo congruebat cum Ecclesia Dei, sed etiam pectus, invocatio, mores celebrabant Deum. Vestigia Dei in natura libenter considerabat, ac sæpè dictum Platonis repetebat; *Gratam de Deo formam in artibus sparsam esse*, & illud Paulinum, *tàm propè adesse Deum, ferè ut manibus contrectari possit*, cernere se dixit præsentiam Dei in natura, qui prorsus ut artifex certo consilio singulis membris sua auxilia attribuit, & adversus singula morborum genera peculiaria remedia condidit. Ad cæteras artes adjungebat *Mathematum studia*, quorum initia degustârat apud Bornerum. Et decennio postremo tantum eis operæ tribuit, ut inter artifices numerari potuerit. Erat in eo & aviditas discendi, & celeritas in percipiendo, & judicii rectitudo, & laboris tolerantia & constantia animi, quâ immorari inchoatis laboribus in numeris, & Geometricâ subtilitate poterat. Assiduus erat in *Euclidis demonstrationibus* investigandis & eruendis. Sæpè cum magna pars diei consumta esset aliis lectionibus aut Reipub. curis, tamen in prandiis & cœnis Euclidem collocabat in mensam, & in eum oculis & mente intuens, pingebat inter edendum numeros aut figuras demonstrationi necessarias. Jamque in μεγάλῃ συντάξει Ptolomæi versabatur, ubi cum animadverteret *Alphonsinas tabulas*, conditas ex certis observationibus, ante annos tunc ferè trecentos, discrepare à Ptolemaicis, nec illas tamen cum nostri temporis observationibus congruere, valdè optare cœpit emendationem tabularum.

Platonis dictum. Et Pauli. Vestigia Dei in natura.

Mathematum studia amplectitur.

Euclidem diligenter cognoscit.

Alphonsina tabula.

Belli tempore, cum non impediretur lectionibus, ut mœstitiam leniret, plus temporis tribuit observationibus, in quibus non solum machinis majoribus, sed etiam aliis minoribus utebatur, quas fabricari curaverat. Instrumentum enim *parallacticum* Ptolomæi construxit, cujus duo sunt æqualia latera pedum denorum & tenorum. Item *quadrantem circuli*, cujus semidiameter non minor esset tribus cubitis. Deprehendit igitur cum Joanne Rhetico Wittembergensis oppidi veram latitudinem *graduum unius & quinquaginta*, & *scrupulorum quatuor & quinquaginta*. Deinde & motum solis & tempora æquinoctiorum, ubi apparuit, vernum æquinoctium *sedecim* penè integris *horis* fieri tardius, quàm ostendunt usitatæ computationes, sed autumni æquinoctium parum à calculo discrepare. Loca insuper stellarum fixarum multaram observavit; quæ ipsius manu annotata sunt. *Opticen* probè intellexit, & Rhetici lucubrationem & *Alhasen* sua manu descripsit, ubi multa διαγράμματα, quæ deerant, addidit.

Studet observationibus Mathemat. Instrumenta parat.

Latitudo vera Wittemberg.

Æquinoctiorum tempora.

Opticen peritus Cruciger.

Hac ratione & de Ecclesia Dei & Republ. literaria egregiè est meritus, nec solùm pacis tempore, sed etiam belli, Germaniam tunc miserè divexantis. Incidit in fatalem eam calamitatem Crucigeri rectoratus, quo à festo *S. *Lucæ* Evangelistæ per totum belli tempus ad diem usque *Philippi* *, *Iacobi* Apostolorum, totum biennium functus est, solusque ferè negocia singulari prudentiâ, diligentia, & magnitudine animi sustinuit.

Rector Acad. Wittemb. an. 1546. 47. & 1548

* An. 1546.

* An. 1548.

Adsiduitate autem sua, pertinaci studio, atque lucubrationibus procul dubio mortem sibi acceleravit. Ventriculi enim viribus exstinctis nutrimentum in humorem melancholicum fuit versum, quem copiosè ejecit. Ita paulatim contabuit, cum quidem cerebri vires usque ad extremum halitum integræ essent.

Lucubrationibus morbum contrahit.

Decubuit amplius *tribus mensibus* sine spe recuperandæ valetudinis, quo toto tempore præclara edidit fidei, patientiæ, & pietatis specimina. Nulli fuerunt fremitus, nulla indignatio, sed quia mens obedire Deo decreverat, summa patientia & πληροφορίᾳ felicem ἀνάλυσιν exspectabat. Nec tamen etiam tùm studia prorsus omisit. Dies ita ei distributæ erant, quantum in illa morbi sævitia fieri potuit. Manè filiolas duas ad se vocabat, ac juvabat recitare precationes, ipse suam invocationem, suos gemitus & lacrymas pro ecclesiâ, pro se ipso, pro natis miscebat, sæpe hæc verba repetens: „ Invoco te, omnipotens „ Deus, æterne & unice pater Domini nostri „ Jesu Christi, conditor cœli & terræ, & ho- „ minum & Ecclesiæ tuæ, unà cum Filio tuo „ coæterno Domino nostro Jesu Christo, & „ Spiritu sancto, sapiens, bone, juste, verax, „ misericors, caste, liberrime, custos Ecclesiæ, „ miserere mei, & remitte mihi omnia mea „ peccata propter Jesum Christum filium „ tuum, crucifixum pro nobis & resuscita- „ tum, „ λόγον τὸν εἰκόνα σὸν ἄϊδιον, *quem voluisti pro nobis esse victimam*, καὶ μυστικὸν καὶ ἀκήρυκτον *mirando & inenarrabili consilio, sanctifica me Spiritu sancto tuo, serva in his regionibus Ecclesiæ reliquias, non sinas extingui lucem Evangelii tui. Fac etiam meos orphanos vasa misericordiæ. Invoco te quanquam languida & imbecilla fide, sed fide tamen. Credo Fili Dei Domine Iesu Christe, promissioni tuæ, quam sanguine tuo & resurrectione obsignasti. Adjuva me, erige pectus meum fide.* Has voces sæpè auditus est repetere, deinde filias aliqua doctrinæ parte inculcata dimisit.

Patientia ejus in morbo.

In quo neque studia omittit.

Precatio ejus.

Illis dimissis redibat ad operas institutas, & morbi tempore absolvit *versionem libri Lutheri de ultimis verbis Davidis*. Reliquum tempus tribuebat aliâs lectioni psalmorum, aliâs *Ptolomæo*, *Theoni*, *Euclidi*, epitomæ *Regiomontani*. Et cum diu foris contemplatus esset cœlum, tandem rursus velut ingressus cœlum, Filium Dei Dominum nostrum compellabat, & usitatam invocationem ac confessionem repetebat. Sermones cum amicis erant, quales antea fuerant, *de omnibus doctrinæ partibus, de miranda Ecclesiæ gubernatione, de immortalitate, de spe nostræ consuetudinis in Ecclesia cœlesti.* Die sexto Novembris Chasma in cœlo valdè conspicuum fulsit, ab ortu æstivo, versus brumalem occasum sparsum, quod latè conspectum est, & flammæ alicubi in terram delapsæ rursus in aërem evolarunt. Id ipse etiam noctu viderat, ita

Sermones ejus in morbo.

Chasma conspectum.

ita cubans, ut eam cœli partem intueri posset. Eo motus prodigio cum quidem vires ejus valdè languefactæ essent, deploravit Ecclesiæ dissipationes, & venturos motus præsdixit, ac reliquos dies quibus superstes fuit, consumsit in invocatione & confessione.

Placidè exspirat. Tandem inter vota, tranquillo animo, die *decimo sexto* Novembr. anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo octavo*, ætatis anno *quadragesimo quinto*, ex hac vita morte immatura quidem, sed beatâ decessit Wittembergæ, ibidemque in templo honorificè sepultus die *decimo octavo* Novembris, illustrem illam Filii Dei ὀπτασίαν corpore exspectat. Obitum optimi & doctissimi viri inter alios deflevit *Petrus Lotichius* epicedio, quod inter carmina edita exstat, & in ejusdem vivam imaginem tale epigramma lusit:

Lotichii epigr. in eum.

Ore tribusque potens linguis & pectore Caspar
Talis, adhuc vitæ cùm frueretur, erat.
Caspar, ovile Dei qui rexit, vimque luporum
Reppulit, & juvit relligionis opus.
Lustra sui nondum bis quinque peregerat ævi;
Funere sublatus cum fuit ante diem.
Lucida nunc coram cœlesti sede receptus,
Quæ prius ingenium calluit, astra videt.

Et Georgii Fabricii. Est & in tumulum ejus hoc *Georgii Fabricii* epigramma ἐπιλογιστικὸν

Cui sacer est tumulus? Christo, quis condita servat
Ossa chorus? Spes & cum Pietate Fides.
Qui cubat hic? Cruciger, quænam monumenta reliquit?
Plurima præstanti non renuenda viro.
Qualis vita fuit? divini plena timoris:
Quod munus? populum Christe docere tuum.
Quæ studia? in sacris omnes perferre labores:
Quæ mens? digna bono, digna pioque viro.

Ingenium & dotes ejus. Fuit verè in hoc viro ingenium excellens, cujus labores assidui atque indefessi, non solùm Academiæ Wittembergensi, sed exteris quoque plurimum ad doctrinæ illustrationem & propagationem profuerunt. Nam cœlestis doctrinæ cognitionem habuit uberrimam, quam in eo primum ardens ipsius pietas & Spiritus ille æternus, omnis sapientiæ unicus fons & donator accendit & auxit, deinde ipse quoque multarum aliarum rerum scientia egregiè provexit & aluit. Ita enim linguarum peritia instructus fuit, ut in Hebraicis facilè vinceret reliquos sacrorum librorum interpretes judicii dexteritate & ingenii celeritate.

In dicendo vis ejus & elegantia & judicii rectitudo fuit summa, cum in aliis linguis omnibus necessariis Reip. & Ecclesiæ aliquid explicandum vel voce vel scriptis susciperet. Magnitudinem etiam ingenii in eo declaravit, summa & propemodum perfecta Mathematicarum disciplinarum cognitio, in qua ita excelluit, ut doctissimorum hominum judicio inter artifices hujus generis jure haberetur. Hæc summa dona ornavit multis egregiis virtutibus, gravitate, constantia, moderatione summa in omnibus rebus, beneficentiâ in alios & eximia φιλοσοφία in suos.

Ingenii autem viribus nequaquam corporis vires respondérunt. Multis enim annis morbo graviter fuit excruciatus, in quo, exemplis etiam aliorum hominum, fragilitate & miseriis commonefactum, crebrò usurpare illud solitum accepimus:

Omnia præterèunt, præter amare Deum.

Scripta. Edita sunt ab ipso in Theologicis *commentaria, in Evangelium secundum Ioannem, in Epistolam Pauli ad Timotheum priorem, in Psalmos Davidis, enarrationes in duos articulos Symboli Niceni. Habuit orationem de ordine discendi*, quæ Melanchthonianis est addita. Idem & in scholis & in templis, cùm esset ταχυγραφώτατος, magnam partem *enarrationum* & *Concionum* Lutheri, ut diximus, excepit, & ejusdem multa in Latinam ex Germanicâ, aut contrà convertit.

Desumta hæc sunt ex oratione de Crucigero habita ab Erasmo Reinholdo, quæ exstat tom. 3. Melanchthonis, item ex funebri programmate tom. 1. scriptorum Wittembergæ publicè propositorum, Petri Albini chronico Misniæ: aliis.

VITUS THEODORUS.

Ob. 1549. d. 26. Mart.

Patria Theod. PAtria *Viti Theodori* sive *Diterici* fuit *Norinberga*, urbs totius Germaniæ clarissima. Primis literarum elementis imbutus, postea Wittembergensis Academiæ alumnus non paucis annis fuit, ac humaniorum artium & doctrinarum studium, sub præceptoribus, viris undiquaque doctissimis, amplexus, Magister Philosophiæ publicâ solennitate ibidem est renunciatus, in Theologiâ autem, si non doctoris insignia, doctrinam certè atque merita est consecutus.

Wittemb. dat operâ literis.

Eruditio ejusdem.

Charus Luth. & Melanch. Charus itaque ob insignes animi dotes vitæque sanctimoniam Luthero, atque fido ejus laborum socio Melanchthoni, non solùm summâ discendi cupiditate utrunque audivit, sed ne à latere quidem eorum discessit. Adfuit enim Luthero cum aliâs, tum anno *trigesimo*, quo Augustæ comitiis durantibus, *Lutherus Coburgi*, ad Franconiæ fines agebat, non sine animi fortitudine singulari, quam ipse Vitus * epistola quadam ad Melanchthonem deprædicavit. Interfuit deinde aliquoties in Imperii comitiis religionis causâ indictis colloquiis, & super controversis capitibus cum adversariis placidè contulit.

**Extat l. 9. operum Luther. Adestin Synodis.*

Docet Norinbergæ. Docuit autem Evangelium Christi multis annis in patria suâ magna eloquentiæ vi, & auditorum fructu, in æde *Sebaldinâ*, donec à Brabeuta laborum nostrorum evocatus est, anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo nono*, die *vicesimo sexto* Martij.

Moritur. Lucubrationes ejus. Illustravit doctrinam cœlestem aliquot lucubrationibus, de quibus bibliothecæ, scripsit *annotationes* breves *in tota Biblia Germanica*. Inprimis autem utilem ecclesiæ operam navavit Lutheri colligendis expoliendisque *commentariis in Prophetam Micheam, in priora undecim Geneseos capita*, quam totam ab ipso

ipso ita absolutam cum aliis * optavit Calvinus. Philippus Melanchthon ejusmodi elogio fidelem Christi servum ornavit, ad effigiem ipsius abscripto:

* Epistola ad ipsum Vitum.

Elogium ejus à Melanchth.

Effigiem Viti pictura hæc monstrat inanem:
Conveniens nomen cui Theodorus erat.
Clara pios dedit huic urbs Noricaberga parentes.
Addidit ingenio sed sua dona Deus.
Ipsius mores casti & sine labe fuerunt,
Justificâ coluit te quoque, Christe, fide.
Sparsit & in patriâ, constanti robore mentis,
Pura Evangelii semina voce suâ.
Ingenii monimenta sui, sed plura Lutheri
Edidit: his poterunt secla futura frui.

* Part. 4. enarrat. evangelic. p. 582.

Mansuetudo Viti.

Refert * idem Melanchthon *sæpe per literas Vitum hunc fuisse conquestum: quod suggillaretur pro concione ab Osiandro: & consuluisse, quidnam faciendum existimaret. Melanchthonem aliquoties per Deum obtestatum, ut taceret: & se itagereret, quasi non audiret. Rescripsisse ad hæc Vitum, se obtemperaturum, quamvis valde sibi grave accideret.* Id ubi factum; nemo fere resciyit, nisi pauci docti, simultates inter Osiandrum & Vitum esse. Populus etiam libenter audivit Vitum, & probè intellexit ejus conciones: Osiandrum autem nemo fermè intelligere poterat propter grandiloquentiam. Bonum factum. Verè enim beati sunt, Deoque chari, omnes εἰρηνοποιοὶ pacifici & mites: ac in communi vita multæ injuriæ, quemadmodum pillulæ medicorum, deglutiendæ statim sunt, non mandendæ.

Camerar. in vita Melanchthonis: Pantal. l. 3. Prosopographiæ; Calvini epistolæ: alii.

PAULUS SPERATUS.

Vixit circa A. 1550.

* Vel Beatus Paulus.

In Gallia & Italia versatur.

Paulus Speratus * nobili *Sprettorum* familia Suevicâ, sub annum Christi *millesimum quadringentesimum octuagesimum quartum*, die *decimo tertio* Decemb. dimid. octava antemerid. natus, Lutetiæ & in Italicis Academiis diu versatus, singularique zelo domûs Dei accensus, vindicandæ concionibus sacris veræ agnitioni & invocationi Dei, ac cultibus Deo gratis, totum sese dedidit.

Docet variis in locis.

Augustæ igitur, *Herbipoli*, *Saltzburgæ*, ac *Viennæ* Austriæ, circa annum *vicesimum secundum*, supra *millesimum quingentesimum*, constanter atque intrepidè abusus & superstitiones omnis generis taxavit. Tandem in Moraviam venit: & *Iglaviæ* aliquantisper subsistit: unde episcopus Olomucensis, ad causam dicendam evocatum, in carcerem tetrum compegit.

Venit in Moraviâ.

In carcerē conjicitur.

Divinâ autem ope ex eo elapsus *Wittembergam*, sub annum *millesimum quingentesimum vicesimum quartum*, ad Lutherum venit: à quo statim in *Borussiam* missus, & principi *Alberto* Borussiæ duci, ac *Joanni Brismanno* Theologiæ Doctori in Regiomontanâ ecclesiâ commendatus, post paucos annos Pomezanensi ecclesiæ vocanti à principe Episcopus est præfectus.

In Borussiam mittitur.

Episcopus Pomezan. creatus.

Excelluit ingenio & eloquentiâ admirabili: & perpetuus ac constans Augustanæ confessionis adversus Anabaptistas ac sacramentorum profanatores, defensor & propugnator fuit. Ac nominatim *Eccelium* quendam & *Zankerum*, qui initio emendationis Ecclesiarum irrepserant, & multos etiam ex proceribus seduxerant, *Rasteburgi* colloquio instituto refutavit.

Labores ejus in ecclesiâ.

Pietatis ac doctrinæ Theologicæ, non vulgaris aut hypocriticæ, sed spiritualis & sublimis & naturæ musicæ ac poëticæ, indices sunt Odæ sacræ ab ipso compositæ: quibus summam doctrinæ Evangelii complexus est, ut sunt: **Es ist das Heyl uns kommen her / von Gnad und lauter Güte: In GOtt glaub ich: Hilff GOtt / wie ist der Menschen Noth.** Certavit cum Sperato talibus poëmatis sacris pangendis, velut alter Borussiæ Orpheus, *Ioannes Poliander*, cujus Odæ sunt: **Nun lob mein Seel den HErren: Frölich wollen wir singen:** Hic anno post Speratum proximo in Borussiam primùm appulit: & tum in ecclesiæ gubernatione, conjunctissimis studiis & officiis, Speratum, & cæteros collegas adjuvit: tum verò in Schola docens, plerosque Veteris & Novi Testamenti libros interpretatus est, ad annum usque *millesimum quingentesimum quadragesimum*: quo ἀποπληχθεὶς aliquot menses decubuit; donec tandem ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem emigravit, quem sexennio post *Brismannus* subsecutus est.

Odæ sacræ ab ipso compositæ.

Ioan. Poliand.

Obitus Poliandri.

Item Ioan. Brismanni

Et Sperati.

Speratus paulò longius producto vitæ spacio, in ipsâ Osiandricæ tragœdiæ epitasi, doloribus, curis, laboribus fractus, ex statione hujus vitæ evocatus est. Et hi tres *Speratus*, *Poliander*, atque *Brismannus*, fuerunt primi ducatus Borussiæ Evangelistæ, & ecclesiarum ἀνίσχαι. *Brismannus* autem *Cotbussii* in Lusatia natus, Lutheri familiaris, cum Sperato ac Poliandro annis ampliùs viginti ecclesias illas rexit & conservavit. *Chytræus in Saxoniâ*, *Rabus l. 4. martyrologii*, *Dresserus.*

Primi doctores Borussiæ.

JOANNES SPANGENBERGIUS.

Ob. 1550. d. 13. Iunii. ætat. 66.

Joannes Spangenbergius Herdessianus, lucem hanc primum adspexit anno Christi *millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto*, *Northusii* Thuringiæ oppido, quæ & patria fuit *Joannis Gigantis* * Theologi.

* De quo postea.

Et quamvis Spangenbergii adolescentia incidit in seculum nostræ Germaniæ adhuc barbarum: tamen in illo ipso crepusculo matutino exorientium literarum, qua fuit ingenii bonitate, atque studiorum assiduitate, eò pervenit eruditionis; ut & Philosophus elegans, & Theologus haud indoctus tunc audiret. Humaniorum enim, ut vocant, artium & literarum studium cum divinis, non ineptè ab adolescentiâ ultimâ conjunxit.

Conjungit Philosoph. cum Theologiâ.

Itaque *Northusium* ad munus ecclesiasticum vocatus, patriæ primum ac civibus suis

Præest sacris in patria.

prodesse voluit: sicut reverâ profuit, tum sacris habendis ad populum concionibus, tum ad juventutem scriptis eruditis emittendis, de quibus mox dicetur.

Et in comitatu Mansfeldico. Gubernavit deinde etiam Ecclesias *in comitatu Mansfeldensi*, egitque pastorem & vicinarum Ecclesiarum Episcopum, vel si Latinè mavis, inspectorem, annis compluribus, in oppido Islebio, ubi & vivendi finem fecit anno Christi *millesimo quingentesimo quinquagesimo*, die *decimo tertio Iunii*, ætatis suæ *sexagesimo sexto* anno, relicto filio haud obscuri nominis Theologo *Cyriaco*, de quo in sequentibus suo loco.

Moritur.

Cyriacus Spangenb.

Elogium Ioann. Spangenb. Fuit & hic Theologus Melanchthonis judicio vir eruditione, pietate & virtute præstans, quem ipse Melanchthon, & propter ipsius multa ornamenta, & qui fidelis ac salutaris ecclesiæ doctor fuit dilexit & veneratus est. Extant ejus monumenta: & memoriam ipsius in ecclesia posteritas retinebit.

Scriptæ ejusdem. Sunt autem, quæ scripsit, Theologica alia, alia Philosophica.

Theologica sunt hæc.

Theologica

Psalterium elegiaco redditum.

Catechismus Lutheri major per quæstiones explicatus, & *postilla* Latina.

Margarita Theologica præcipuos doctrinæ Christianæ locos per quæstiones ordine explicans.

Sermones de tempore & *sanctis* per circuitum totius anni.

Expositio in epistolas Dominicales per erotemata.

Conciones funebres.

Themata sexaginta V. T. quibus conciones applicari possunt.

Explicatio Evangeliorum & epistolarum Dominicalium.

Liber *de Matrimonio.*

Postilla Germanica.

Philosoph. *Philosophica* verò, quæ posteritati elucubravit, sunt hæc.

Quæstiones Musicæ.

Erotemata trivii Grammaticæ, Rhetoricæ, Dialecticæ.

Artificiosæ memoriæ libellus.

Computus ecclesiasticus, in pueriles quæstiones redactus, ac scalis, rotulis, & figuris illustratus, studiosis utilis.

Scripsit & alia plura Germanicè, quæ nunc memoriæ non sunt.

Epistola Melanchthonis, qua Spangenb. commendat. Coronidis loco, quando *à laudatis laudari magnum* est, optimi *Melanchthonis* epistolam addimus, tanquam emblema insigne narraticnpulæ nostræ. Sic igitur ille.

Ecclesiæ Dei in comitatu Mansfeldensi
Philippus Melanchthon S. D.

„ Ecclesiæ inde usque ab initio memoriam
„ tradidit & eorum, qui præcipui doctores
„ fuerunt, & generis doctrinæ, ut sciret po-
„ steritas, quam doctrinam, per quos traditã,
„ quibus confirmatam testimoniis vel judi-
„ ciis accepisset, & normam certam haberet,
„ ad quam conferret sententias sequentium
„ doctorum. Ita Irenæus Polycarpum citat, „ qui fuit auditor Joannis, & Basilius nutricis „ testimonium celebrat, quæ audierat Grego- „ rium Neocæsarienſem, de trib. personis di- „ vinitatis. Et cum in Ecclesia Antiochena, „ quæ à Petro Apostolo doctrinam acceperat, „ & fuerat præcipua schola, Samosatenus au- „ dacissimè corrumperet dictum in Joanne, „ ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος; opposuerunt Malchion „ & Dionysius (alter Antiochenæ ecclesiæ, „ alter Alexandrinæ) testimonia tradita per „ Apostolos & eorum auditores. Hanc dili- „ gentiam conservandæ memoriæ veterum, „ qui rectè docuerunt, & eorum monumanta „ custodiendi utilem esse posteritati, nequa- „ quam dubium est: quæ etsi longo tempore „ intermissa est, cum nec una vox doctrinæ „ certa esset, & pastores muti essent, ac nequis- „ simis summum gradum, videlicet munus „ docendi, cessissent, qui fabellas ad quæstum „ accommodatas circumferebant: tamen „ nunc magna cura revocanda erat. In publi- „ cis monimentis Ecclesiæ & Respub. anno- „ tare debebant, per quos viros emendata sit „ quolibet loco vox doctrinæ, & quorum ju- „ dicio singuli approbati sint. Habuit autem „ Ecclesia vestra gravem & honestissimum se- „ nem Gutelium, qui initio puram doctrinã „ vobis tradidit. Postea de Luth. judicio se- „ nex venerandus Joannes Spangenbergius „ Ecclesis vestris præfuit, cujus extant libri, „ ac fuisse eum probatum reverendo domino „ Luthero, D. Langio Erford. D. Pomerano, „ & cæteris in tota Saxoniâ docentibus me- „ ministis. Ut igitur posteri sciant, vos habuis- „ se hunc testem veræ sententiæ, & custodi- „ ant doctrinam ab ipso acceptam, ut jubet „ Paulus depositum fideliter custodire: hor- „ tor vos, ut ejus nomen & administrationis „ tempus in monumentis vestris annotetis, & „ scripta conservari curetis. Valde metuen- „ dum est in his ruinis imperiorum, majores „ Ecclesiæ dilacerationes secuturas esse, in- „ quib. poterit videri, quorum fuerit eadem „ sententia, & probandi doctores tanquam „ norma sequẽdi erunt Jussi igitur & hoc car- „ men edi, ut memoria Spang. diuturnior sit, „ & ut doctrinam ejus magis amplectantur „ juniores. Est autem laudanda pietas Mence- „ lii, quòd hanc historiam recitavit, ut suam „ erga fidelem pastorem observantiam decla- „ raret, & ut cæteris ostenderet concordiã in „ Ecclesia & schola vestra, & mutuam omniũ „ docentium benevolentiam & fuisse & esse. „ Id exemplum & cæteris utile est. Etsi autem „ præcipuè Dei beneficium est, quòd habetis „ multos viros honestos & concordes in Ec- „ clesiis & scholis vestris, tamen & Spangenb. „ modestia multũ ad concordiam proderat. „ Hic cum eruditione & multis virtutibus ex- „ celleret: tamen ab ambitione alienissimus „ erat. Et candor in eo erat eximius. Mence- „ lium vero scitis & antea bene meritum esse „ de vestrâ Ecclesiâ: hujus officium in hac „ historia etiam candidè probare vos decet. „ Bene & feliciter valete, idibus Decem- „ bris, 1550. „

PUL-

PAULUS FAGIUS.

Paulus Fagius, vernaculè Büchlein / patriam habuit *Tabernas Rhenanas*, oppidum Palatinatus non procul à Brettâ, vulgò Reinzabern. Pater ei fuit *Petrus Buchlin*, dicti oppidi ludimoderator & grammateus: mater *Margaretha* Hirnin / Heidelbergensis, cujus parenti *Henrico* Jäger / Fridericus Palatinus, propter virtutes bellicas, cognomen Hirn dedit. His parentibus, non ditissimis, natus est, anno Christi *millesimo quingentesimo quarto*, ipso tempore belli Bavarici.

Primis literarum fundamentis in patria scholâ jactis, cùm annum ageret circiter *undecimum*, à patre, pro more illius seculi, instructus *octo baciorum viatico*, *Heidelbergam* ablegatur, ubi sub *Joanne Brentio* & *Martino Frechto*, aliisque præceptoribus operam literis haud indiligentem dedit.

Adolescens jam factus annorum circiter *octodecim*, excolendi ulteriùs ingenii gratiâ, *Argentinam* se contulit, ibique annos aliquot permansit, pædagogi munus obiens, quo inopiam sublevaret. Sub hoc tempus studium linguarum in Germania emergere cœperat & *Wolfgangus Capito*, quatuor linguarum peritus, jam *Institutionum Hebraicarum* libros duos, rarissimo ejus temporis exemplo, in lucem ediderat: Judæi etiam aliquot hinc inde vagabantur, & suam linguam alios utcunque docebant. Occasionem hanc Fagius arripiens, Hebraicæ linguæ studio se mancipavit ferè totum, atque in familiaritatem *Capitonis*, *Hedionis*, *Buceri*, *Zellii*, aliorumque Doctorum, qui Christi ibi Ecclesiam primi plantarunt, se feliciter insinuavit.

Anno deinde *millesimo quingentesimo vicesimo septimo*, jam literis & linguis mediocriter instructus, paupertate ipsâ & hominum doctiorum maximo neglectu quasi coactus, *Isnæ*, quod *Algaviæ* oppidum est, ludimagistri, amicorum & fautorum suasu ac promotione, officium suscepit. In quo diligentia & virtutibus se omnibus approbans, uxorem duxit, libros procreavit, & patremfamiliâs haud indiligentem egit. Inclarescens autem magis magisque, ex pistrino scholastico ad ministerium sacrum destinatur, & ut ad id se magis instruat, subsidia ei splendida suppeditantur. Florebant tum temporis lingua Græca & Hebraica cumprimis *Argentinæ*, & permulti viri doctissimi, etiam exules, ibi degebant. Eam igitur eligens urbem, suo instituto præ multis aliis accommodam, studiosis aliquot rudimenta linguæ Hebraicæ magnâ felicitate tradidit. Neque destitit in studio Theologiæ atque declamationibus Theologicis se ita exercere, ut biennio ipsius progressibus præscripto jamque revoluto, meliùs ad suos, cum familiâ, redire posset, instructus atque ornatus.

Anno itaque *millesimo quingentesimo trigesimo septimo*, à senatu Isnensi ad ministerium pastorale suscipiendum domum revocatur, quod munus magna fidelitatis & eloquentiæ laude annis circiter *quinque* procuravit. Interea verò ocioli nonnihil nactus unà cum libris necessariis ad studium linguæ sanctæ, quæ potissimum ipsi adlubescebat, se totum ferè impendit, atque in hac brevi tempore ad miraculum usque profecit: adeò ut seculis abhinc aliquot Hebraicè doctiorem Fagio creditum sit fuisse neminem. Usus etiam est opera *Eliæ Levitæ*, Judæi doctissimi, Venetiis ad se accersiti. Præter permultos alios viros doctos, & ex senatorio ordine amicos, præcipuum Isnæ habuit *Petrum Buslerum*, qui sumtu suo officinam Typographicam Isnæ instituit: ut Fagius, non docendæ plebi solùm, sed edendis in publicum libris utilibus vacaret. Cùm autem initia votis, præsertim eò loci, non satis respondarent, & damnis suis Fagius moveretur: Buslerus ipsum securum pergere jussit, sibi ista curæ futura: nec longè pòst, quam ei reliquam debebat summam, *aureorum plus mille*, totam condonavit. Edoctus igitur experientiâ, ad suum institutum Isnam multis de causis parum aptam, de mutandâ sede cogitavit: quam in migrationem tandem Isnenses, oblato *Joanne Marbachio Lindavienſi* successore, consenserunt.

Interim Isnæ, anno *quadragesimo primo*, pestis grassari cœperat, quo tempore, cùm sciret plurimos locupletiores cives, nullâ habitâ pauperum ægrotantium ratione, oppidum relinquere consuevisse; deinde domos infectas à Magistratu occludi, sui officii esse judicavit, de utroque homines è verbo DEI admonere. Et ut erat in dicendo copiosus & vehemens, persuasit, ut plerique cives aut manerent, aut ante abitum eleëmosynas liberaliter darent. Effecit etiam, ut Senatus homines idoneos sumtu publico constitueret; qui omnibus laborantibus adessent, eorumque diligentissimam curam gererent. Ipse autem Fagius intrepidus omnes laborantes adire: nemini suum officium denegare, dies noctesque omnibus adesse, ut planè divino miraculo in tàm sæva lue, omnium testimonio, conservatus fuisse non dubitaretur.

Eodem tempore pestis etiam *Argentinæ* inclementius grassabatur; & præter alios *Wolfgangum* Capitonem* abripuerat. Hujus in locum cum sub autumnum anni *quadragesimi secundi*, anno integro à morte Capitonis, vocaretur; ex improviso Resp. *Constantiensis*, tum religionis socia, scriptis & precibus enixis effecit; ut Senatus argentinensis ipsi ad biennium, hocque exacto, alterum insuper biennium concesserit: cum & antea *Philippus*, Hassiæ Princeps, operam ejus Marpurgensi in Academia, navandam, expetivisset. Mutato itaque rursus domicilio, sub autumnum anni quadragesimi quarti, *Argentoratum* tandem venit, ubi honorificè exceptus ministerium sacrum obiit.

Sub initium belli Germanici *Fridericus* secundus Elector Palatinus, cum de constituendis suæ ditionis Ecclesiis cogitaret; Fa-

Θ. 1550. d. 13. Nov. ætat. 45.

Fagius Germanicè Büchlein.

Margaret. Hirnin.

Heidelbergam mittitur.

Inde Argentoratum abit.

Studium linguarum in Germaniâ accensum.

Hebræa lingua se dedit.

Fit ludimagister Isnæ. Ibi uxorem ducit.

Docet Argentorati.

Redit Isnam.

Ubi pastor declaratur

Excellit in Hebraicis.

Vtitur opera Eliæ Levitæ.

Petrus Buslerus.

Instruit Typographiam.

Donat ingentem summam Fagio Buslerus.

J. Marbachius. Pestis Isnæ.

Ibi Fagius officii monet auditores.

A lue servatur.

** De quo antè.*

Vocatur Argentoratum.

Conceditur Constantient.

Vocatur à Landgr. Hassiæ.

Venit Argentoratũ.

Evocatur Haidelbergam.

gium, jamdudum facundia & doctrina clarum, *Argentorato Heidelbergam* evocavit, ut Evangelii doctrina cæteris præiret.

Verum cum Cæsar fortuna prospera uteretur; & in Germania triumpharet: quod inchoatum in Palatinatu fuit, totum intercidit.

Interea temporis libros non paucos parturiebat; quos doctis & linguæ Hebrææ studiosis utiles futuros judicabat. Unde paulo post *Bucero, Martyri & Hedioni*, ordinariis Theologiæ Professoribus visum; ut septimanis alternis Theologiam extraordinariè doceret, atque, illis vel occupatis vel ægris, vicariam operam subiret.

Pater Fagii moritur.

Dum ista fiunt, morituri Fagii pater sub autumnum anni *millesimi quingentesimi quadragesimi octavi*: eoque tempore Ecclesiis Christi *Interimistica sphinx* tyrannicè obtrudebatur, exilium fidis ministris passim intentabatur, iisque maximè, qui jam usu rerum Ecclesiasticarum præstabant; & Antichristo se instar muri opponebant. Inter eos, post *Bucerum*, haud postremus Fagius fuit: qui tamen nihil quicquam veritus Pontificiorum minas, perpetuo constans in professione mansit. Cæterum tot piorum in Germania pericula nationes exteras latere diutius haud poterant, unde factum; ut & *Bucerus* & *Fagius*, DEO sic providente, ab Archiepiscopo Cantuariensi, Angliæ primate, *Thoma Crammero* in Angliam, quasi in tutum receptum iterum iterumque serio vocarentur. Dimissi * itaque à Magistratu Argentinensi, licet invito & temporum necessitatibus adacto, anno *millesimo quingentesimo quadragisimo nono*, calendis Aprilis * iter ingressi, in Angliam ringentibus hostibus, salvi atque incolumes pervenerunt. In Archiepiscopi illius aulâ novi & diu expetiti hospites Germani, honorificè excipiebantur, multisque diebus ibi, non absque pietatis incremento, detinebantur.

Sphinx Interimistica

Persecutio piorum doctorum in Germania.

In Angliã vocatur Fagius.

* *Fagio interdictum est concion. d. 2. Mart. 1549.*

* *Vel ut Crus. d. 4. April.*

Sub id verò tempus subingressi sunt dies, quibus in Academiis istius regionis, anni ferè quartam partem professores à prælectionibus feriabantur. Ea fuit causa, cùr Bucerus & Fagius suis ministeriis tempestivius non destinarentur. Interim autore Crammero in præclarum opus erant intenti: ut integra Biblia non tantùm proprietate sermonis, sed brevi interpretatione, locorumque pugnantium aut difficilium enodatione illustrata ederentur. Ac Bucerus quidem in explicatione Novi Testamenti, Fagius in Veteris elucidatione elaborabant. Sed progressum hujus laboris morbus utriusque mox intercepit & Fagii mors insperata prorsus evertit. Nam cùm avidè expeterent scire, ubi sibi docendum, atque designata ipsis tandem *Cantabrigia* esset, paucis post diebus uterque morbo corripitur. Fagius sub finem canicularium acutissimâ febri *Londini* correptus, mutandi aëris ergò, Cantabrigiam omninò deportari voluit. Secutus eum Bucerus ante nonas demum Novembr. cum eo ultimos dies decem variis sanctissimisque consolationibus transmisit.

Biblia transferre incipiunt.

Interrumpitur is labor.

Morbus Fagii Cantabrigiam defertur.

Tandem ex morbi vehementiâ viribus naturalibus planè destitutus Idibus, hoc est, die *decimo tertio* Novembris, anni *millesimi quingentesimi quinquagesimi*, vitam hanc caducam cum sempiterna commutans, anno ætatis *quadragesimo quinto*, placidè in Christo obdormivit, non sine veneni suspicione, & postridie in æde *D. Michaëlis* honorificè sepultus est.

Ibi moritur.

Quomodo autem postea, anno *quinquagesimo sexto* supra *sesquimillesimum*, hæreseos, temporibus Marianis, damnatus: cadaver ejus effossum inque cinceres redactum, tandem Elisabethâ, ad regium solium evectâ, in integrum restitutus ipse sit, in vitâ Buceri, fidelis ejus συνεργός, dicetur. Ex carminibus Epitaphiis unum subjicere placet *Guilielmi Dati*, quod sic habet:

Cadaver ejus effos. sum, & cremat.

Epitaphium Fagii à Guilielmo Dato.

Bucero primas dedimus, tibi, Paule, secundas
Et damus, Hebræa gloria prima schola.
Hoc uno inferior Bucero, Paule, fuisti,
Quod prior extremum cernis adesse diem.
Verum illo major Bucero, Paule, fuisti,
Quod prior æterno jussus adesse Deo.
In reliquo similem duxisti tempore vitam,
Ambo salutiferi buccina fida Dei.
Ambo stelliferi sparsistis semina regni:
Semina, proventu non caritura suo.
Unde utrumque Deus magno dignatus honore,
Utrumque ad superi transtulit astra poli.
Et ne vestra queant communia fata putari,
Qualia sunt quæ nos, vulgus inane, ferunt:
Mors postquam è vita, solita Vos lege tulisset,
Restituit sacris ossa cremanda focis.
Non ut confessi tantum sed ut ultima passi,
Scandatis celsi sydera summa poli.
Felices animæ, superas licet iistis ad oras,
A nobis vestrum nomen abire nequit.
Eximia semper vivetis laude perennes:
Quam canet Aoniis nostra Thalia modis.

Ex Hebraica lingua, quæ impressa sunt, translata à Fagio hæc, *Thisbites Heliæ*, qui liber ab autore Thisbi vocatus est, à numero vocum D CC XII. quæ in hoc opere explicantur *Capitula aut Apophthegmata Patrum*, quæ veterum Hebræorum sapientum pias utilesque sententias continent, cum scholiis à se additis: *Sententiæ Morales* ordine Alphabeti *Ben Syræ* nepotis, ut Judæi credunt, Hieremiæ Prophetæ, cum commentario. *Tobias Hebraicus* ex urbe Constantinopolitana tunc recens transmissus: *Precationes Hebraicæ*, quibus in solemnioribus festis utuntur Judæi, ex quo videre licet vestigia quædam ritus veteris populi, quem & Christus in cœnâ suâ, ut eam Evangelistæ, præsertim Lucas, describunt, in quibusdam observavit, *parvus tractatulus* ex libro fidei Judæi cujusdam ad Christianismum conversi ante annos ducentos. *Expositio dictionum Hebraicarum*, literalis & simplex *in quatuor Capita Geneseos*, pro studiosis linguæ Hebrææ, cui adjicitur *Paraphrasis Chaldaica* * *Onkeli* in eadem capita cum versione Fagii. *Liber fidei veritatis, quem*

Scripta Fagii.

Ben Syra.

* *Targum vocant.*

doctus

doctus quidam Israelites ante annos multos edidit ad comprobandam fidem Christianorum perfectam esse: *Prima quatuor capita Geneseos Hebraice* cum versione Germanica, Hebraicis tamen characteribus, cum scholiis, & ratione legendi Hebræo Germanica: *Commentarii R. David Kimhi* in decem primos Psalmos: *Eliæ Levitæ* præfatio Hebraica in Lexicon ejus Chaldaicum: *Targum*, hoc est, paraphrasis *Onkeli Chaldaica*, in quinque libros Mosis ex Chaldæo versa, quibus adjecit breves doctasque annotationes. Scripsit etiam *collationem præcipuarum*, quæ in usu sunt, *translationum* in Genesin, & compendiariam *Isagogen in linguam Hebræam*, & si quæ alia.

Prosopographia Fagii.

Statura fuit procera, facie subnigra, sub specie severa humanissimus, in concionando eloquens ac παῤῥησιαςικώτατος. Cùm ei & Bucero die secundo Martii Argentorati concionibus interdictum esset: postrid e ultimo ibi concionati sunt: ac *Fagius* quidem gravissimam, ἡ μάλα παθητικὴν concionem ex 7. Matthæi habuit; cui Crutius, cujus verba hæc sunt, i terfuit: *Verbum DEI non tantùm audiendum; sed & faciendum esse.* Addid t deinde hæc:

Fagii valedictoria concio Argentina.

I.

Ich bin ordentlich gen Costentz und hieher beruffen worden/ hoc est. *Ego legitimè Constantiam & huc vocatus sum.*

II.

Hab gelehrt nach der Augspurgischen Confession im 30. Jahr geschehen/ hoc est. *Docui juxta Augustanam Confessionem, an. 30. exhibitam.*

III.

Ihr Unterthanen solt rühig seyn/ nichts fürnehmen mit Gewalt/ das Predigampt zu erhalten/ h. e. *Vos cives & subditi quieti estote, nec quicquam vi molimini, ut ministerium conservetis.*

IV.

Die Obrigkeit ist nicht an der Sache schuldig/ sie hat alles versucht/ ob sie das Evangelium möcht erhalten/ h. e. *Magistratus hac in re culpa est nulla, quippe qui nihil reliquit intentatum, quò Evangelii doctrina retineretur.*

V.

Leset des Luthers Bibel fleissig daheim: vermahnet einander: bleibet in der bekanten Lehr bestendig: haltet euere Kinder zum Kinder-Bericht/ h. e. *Vos domi vestræ diligenter legite Lutheri Biblia: alii alios exhortamini: perseverate in doctrinâ, quam semel veram agnovistis & confessi estis: liberos autem vestros adsuefacite ad institutionem Catecheticam.*

VI.

Ihr Jungen bittet GOTT. Er möcht euch daß erhören/ dann die Alten/ die da mehr gesündiget haben/ hoc est. *Vos juniores orate Deum. Fortè enim vos faciliùs exaudiet, quàm ætate grandiores, qui plus peccatorum admiserunt.*

VII.

Haltet euere Prediger/ so lange sie leben/ in Ehren. Gedencket nicht/ daß sie des Bauchs halben bleiben. Es wil ihr keiner die falsche Lehr annehmen. Jacobus mocht in Jerusalem bleiben/ da Paulus weichen must. Der Teuffel setzt denen allweg am meisten zu/ die ihm mehr Schaden thun können/ hoc est. *Honorate vestros, dum vivunt, Ecclesiastes. Nolite putare, ventris causa eos hic manere. Nemo eorum falsam doctrinam amplecteatur. Jacobo Hierosolymis manere integrum erat, Paulo non item. Diabolus eos potissimum appetit; a quibus plurimum sibi periculi.*

VIII.

Die Ursachen des gegenwärtigen Ubels. a. Wo GOTT eine Kirche bauet: da richtet der Teuffel sein Capell darneben auff. b. Wir sind heilloß gewesen. Darumb der Feind Unkraut gesäet hat. c. Wir sind gegen dem Wort GOttes undanckbar gewesen. d. GOtt probiret die Frommen. Der Wind und die Versuchung wehet die Spreuer von dem Korne/ hoc est. *Causæ præsentis mali sunt. 1. Ubi Deus Templum excitat: ibi Diabolus sacellum juxta erigit. 2. Nos socordes fuimus ac securi. Itaque inimicus zizania sevit. 3. Ingrati fuimus erga verbum divinum. 4. Deus explorat suos. Ventus & tentatio paleas à tritico separant.*

IX.

Man hat uns nie überwunden/ daß wir eine falsche Lehr hätten/ auß der Schrifft: aber daß man mit Gewalt mit uns handelt/ müssen wir GOtt befehlen/ h. e. *Nullius unquam erroris ex scriptura convicti sumus: quod autem vi nobiscum agitur oportet DEO commendemus.*

X.

Ihr andere aber/ die ihr bißher alles verlacht habt/ seyd gottloß gewesen/ und lacht auch jetzt in die Faust/ bessert euch. Ihr habt eine falsche Lehr/ und lebt ärgerlich. So GOtt dem grünen Holtz nicht verschonet: Viel minder dem dürren. GOtt schencket einen Becher des Zorns ein. Die Seinen müssen das Obeist trincken: die Gottlosen aber die Grund-Suppen/ h. e. *Reliqui vero, qui hactenus omnia aeriissitis, impii fuistis, & etiammum in sinu gaudetis: redite ad frugem. Falsam fovetis doctrinam, & vitam agitis mali exempli. Si Deus viridi ligno non parcit; multò minus arido. Deus infundit poculum iræ, è quo superna ebibunt pii, fæces autem impii.*

XI.

Man hält mich für einen auffrührischen Prediger. Aber ich hab niemands angehetzt. Man kans mit der Warheit nicht von mir sagen. Aber ich bekenne/ daß ich auch hinlässig bin gewesen im Lehren. Bitte Verzeihung von Gott. Ich muß Rechenschafft für euch geben/ hoc est. *Audio tuba seditionis, sed neminem instigavi, hoc me feciſſe verè dici non potest. Fateor remissiorem in docendo me fuisse, veniam ejus à Deo peto. Mihi pro vobis reddenda est ratio.*

XII.

Ich bedanck mich gegen jederman/ was mir je gutes geschehen ist: Vnd bin willig euch alle Wege wieder zu dienen/ wils Gott: Ich sey hie/ oder anderswo/ hoc est. *Gratias vobis omnibus & singulis ago, pro quibuscunque beneficiis. Paratus sum vobis iterum gratificari, volente Deo, sive hic sive alibi agam.*

XIII.

Bittet GOtt für mich/ daß ich beständig bleib in allem Creutz: Ich bin ein Mensch. Petrus ist auch gefallen. h. e. *Orate Deum pro me, ut constans maneam, in omni afflictione. Homo sum, etiam Petrus lapsus est.*

XIV.

Bittet das die Christliche Zucht erhalten werde/ die *Excommunicatio* h. e. *Orate, ut disciplina Christiana conservetur, excommunicationem dico.*

XV.

Ihr Obren/ straffet die eusserlichen groben Laster. h. e. *Vos superiores, animadvertite in enormia & manifesta peccata.*

XVI.

Leset das 7. Cap. Daniels. Das 15. Cap. 1. Epist. Corinth. das 20. Actor. die Epistel Judæ/ h. e. *Legite caput septimum Danielis, caput decimum quintum prioris ad Corinthios, caput vigesimum Actor. & Epist. Judæ.*

Hactenus Crusius è valedictoria Fagii. Cætera desumta sunt *ex narratione ministrorum ecclesiæ Argent. lib. 3. Prosopograph. Pantaleonis: Sleidani commentariis, Crusii annalibus lib. II. p. 3. cap. 23. aliis.*

MARTINVS BVCERVS.

© 1551. d. 27. Febr. ætat. 61. Selestadium.

PAtriam *Martini Buceri Selestadium*, Alsatiæ oppidum, præstantibus ingeniis fœcundum, fuisse accepimus, ubi anno Christi *millesimo, quadringentesimo, nonagesimo primo*, lucem hanc primùm adspexit. Jactis artium & literarum in patriâ fundamentis, ut liberiùs pietati ac studiis operam dare posset, de amicorum consilio, puer etiamdum *Dominicanorum sodalitio* Selestadii sese addixit, sub annum *millesimum, quingentesimum, sextum.* Ibi cùm singulare industriæ specimen deposuisset, prudentioribus monachis spem de se præclaram excitavit.

Natalis Bucer.

Adjungit se Dominicanis.

Itaque de *Prioris*, quem vocant, voluntate, *Haidelbergam* sese contulit, ubi primùm artes dicendi ac Philosophiam gnaviter didicit, deinde animum ad Theologiam convertit. Cùm autem linguarum cognitio tum aliis, tum inprimis Theologiæ studioso apprimè sit necessaria, Bucerus Hebreæ etiam linguæ & Græcæ diligentem & utilem navavit operam.

Venit Haidelbergam

Linguis incumbit.

Prodibant sub id tempus, *Erasmi scripta* non pauca, ea Bucero unicè arriserunt, ac ex iisdem primùm Evangelicæ doctrinæ fontes hausit. Accedentibus deinde & Lutheri variis libellis: Bucerus, cùm doctrinam in iis traditam, cum sacris literis contulisset, quædam in Pontificia religione suspecta habere cepit. Cùm ergò esset facundia & humanitate singulari, voce sonorâ ac grandi, lingua libera in vitiis hominum taxandis, à *Friderico* Palatino evocatus est, ut à sacris sibi esset, commendante eum *Francisco à Sickingen.* Docuit itaque tum alibi, tum Haidelbergæ, ubi Lutheri *disputatione de libero arbitrio*, primam lucem purioris sententiæ de justificatione in suo pectore accendi sensit. Inde Lutherus de Bucero ad Spalatinum ita: *Habes epistolam Bucerianam, fratris vel solius in istâ sectâ candidi & optimæ spei juvenis, qui me Haidelbergæ & avidè & simpliciter excepit atque conversatus fuit, dignus amore & fide, sed & spe.*

Legit scripta Erasmi Et Lutheri.

Docet Haidelbergæ Luth. de lib. arb. disputatio.

Tom. 1. ep. pag. 245.

In *Belgium* deinde cum Palatino profectus, superstitionum impietatem, ut solebat, liberè in concionibus taxavit, imò & consilia de ordine suo deserendo agitavit. Id cùm monachi inaudissent, hominis vitæ insidias moliti dicuntur. Verùm Bucerus fugâ elapsus, Rheno adverso adscendit, atque ad illum *Franciscum à Sickingen* equitem, tunc non è multis præstantissimum, sese contulit, qui eum haud invitus ad se recepit, ac patrocinium est pollicitus, donec totum religionis negocium legitimè cognosceretur. Apud hunc ergò in arce Nanstallensi vixit, otioque literato usus, sacra inprimis studiosè tractavit. Paulò post, anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo primo*, cùm ad comitia *Wormatiam Vangionum* Lutherus evocatus esset: Bucerus eodem venit, cumque Luthero compluscules dies familiariter transmisit, sententiamque ejus amplexus, apertè eandem postea est professus.

Abit in Belgium cum Principe. Insidias evadit.

Vivit cum Franc. à Sicking.

Wormatiæ est cum Lutheri.

Bello * deinde inter *Sickingensem* & *Trevirensem* orto, cum videret Bucerus, se in literis tranquillè posthac vivere non posse, venia ab illo Sickingensi impetratâ, aliquantisper *Wittenbergam* secedendi, donec flamma belli exstincta esset, eo consilio ex arce Nanstal abiit. Verùm à vicino pastore *Wissenburgico* ad Rhenum invitatus, semestre ibi substitit, concionesque ad D. Joannem habuit, donec à vicario Spirensi cum Pastore suo, *Henrico Motherо* pulsus, jamque Sickingensi infelici casu, anno *vicesimo tertio* oppresso, summis implicatus periculis fuit.

* De quo in vita Schwebelii, Wittenb. excurrit. cupit. Detinetur Wissenburgi. Pellitur inde cum pastore Henr. Motherо.

Ceperant jam Argentorati *Matthias Zellius, Caspar Hedio*, & alii semina purioris doctrinæ, connivente *Sigismundo, comite Hohenloensi*

Primi doctores evangelici.

henloensi, collegii decano, spargere, ad quos cum Bucerus accedisset, amanter susceptus, & sacra publicè, & in templo & pòst in scholâ docere jussus est, anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo tertio.* Hi itaque symmystæ, ingenio & eloquentia præstantes, zeloque ferventes, puram Evangelii doctrinam ea in urbe latè propagarunt, & confirmarunt, atque anno *vicesimo quarto* fundamenta ac causas, susceptæ à se mutationis, rituum Missæ seu *Cœnæ Domini, baptismi, dierum festorum, imaginum, cantionum, in publicis Ecclesiæ congressibus* ex sacris literis edito libro, quem *Friderico* Palatino dicarunt, exposuerunt. Subscripserunt libro illi *Wolffgangus Capito, Caspar Hedio, Matthæus Sell, Symphorianus Pollio, Theobaldus Niger, Ioann. Latomus, Antonius Firn, Martinus Hag, Martinus Bucerus.* Tandem res eò deducta est, ut conscientibus votis Argentorati missa abrogata, & doctrinæ ac rituum reformatio fuerit suscepta. Cum autem Evangelicos inter ipsos non in omnibus conveniret: *Marpurgi* Cattorum, anno *millesimo quingentesimo, vicesimo nono*, colloquium * institutum est. Ad id reip. Argentinensis nomine *Bucerus* cum *Hedione* missus, cum *Luthero* & *Zvvinglio* multa est collocutus. Ac convenit tunc quidem in capitibus religionis omnibus, uno excepto de Cœna Domini. Discessum est tamen amicè, initio Octobris, & conclusum, *ab omni contentione inposterum abstinendum utrinque esse: Deumque orandum, ut Spiritu suo erudiat ducatque.* Secuta sunt anno trigesimo comitia Augustana, ad quæ & Bucerus venit, in religionis negotio, ibi, qua erat doctrina, adversariis sese opposuit, ut & antè *Bernæ* ac *Basileæ* apud Helvetios fecerat, magnamque eruditionis & modestiæ laudem reportavit. Eo enim erat ingenio, ut adversarios patienter audiret, leniter responderet, & veritatis potiorem, quàm victoriæ curam haberet. Id quod *Erasmus Roterodamus*, cui cum Bucero magna intercessit familiaritas, multoties de ipso prædicavit. Cùm autem, ut non semel diximus, de Cœna Domini ferè solum inter Lutherum & alios esset dissensio Pontificiis pergrata, aliis contra unicè dolenda: Bucerus tunc, de voluntate Saxonis Electoris, & sui magistratus, Augustâ ad Lutherum tunc Coburgi commorantem profectus est reconciliationis causa, & responsum tulit non incommodum, ita quidem, ut illinc ad Zvvinglium & Helvetios iret, quò propius jungerentur animis atque sententiâ. Vidit enim & prævidit vir prudens, & pacis perquam studiosus, quantum in Ecclesia Dei damnorum dissidium illud sacramentarium, nisi maturè sopiretur, daturum esset, quod vel hodiernâ die cum dolore experimur.

Interea anno *trigesimo primo*, supra *millesimum quingentesimum*, Ulmenses quoque suas Ecclesias reformare aggressi sunt. Itaque eam in rem ab Argentinensi Senatu flagitarunt, ut Bucerus eò profectus, ipsorum ditionis Ecclesias constitueret, & Evangelicæ doctrinæ initium faceret. Venit Bucerus, & fideliter, unâ cum Oecolampadio, quod petebatur, præstitit, præscripta religionis formula. Cùm autem videret verbi cursum passim impediri dissidio illo eucharistico, dum libellis editis sese invicem proscindebant, iterum de ineunda concordia seriò consilium cepit, suisque, ut idem agerent, auctor & suasor fuit. De voluntate itaque Senatus, Bucerus & Capito, cum præcipuarum Imperii in Germania superiori civitatum doctoribus, in Saxoniam, anno *trigesimo sexto*, ad Lutherum primò *Isenacum*, inde *Wittembergam* profecti, de concordia tractarunt. Tandem multis ultrò citroque habitis colloquiis, conscripta sunt *capita concordiæ* à Melanchthone & Bucero, inter *Wittembergenses* & *superioris Germaniæ* Theologos, quæ ita habent:

Ibid. & Bucer.

Exponunt causas mutationis ministri Arg.

Missa abrogata.

* De quo in vita Zvvinglii Oecolam. Luth. & aliorum.

Comitia Augustana.

Modestia Bucer.

Lutherum Coburgi accedit.

Vlmenses reformant ecclesias.

Operâ Bucери.

Iterum ad Luth. cum aliis abit.

Capita concordiæ inter Luth. & Bucerum ac alios.

I.

Confitentur, juxta verba Irenæi, constare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cœlesti. Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino verè & substantialiter adesse, exhiberi, & sumi corpus Christi & sanguinem.

II.

Et quanquam negant fieri transsubstantiationem, nec sentiunt fieri localem inclusionem in pane, aut durabilem aliquam conjunctionem extra usum Sacramenti, tamen concedunt sacramentali unione panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt porrecto pane simul adesse, & verè exhiberi corpus Christi: Nam extra usum, cum asservatur in pyxide, aut ostenditur in processionibus, ut fit à Papistis, sentiunt non adesse corpus Christi.

III.

Deinde hanc institutionem Sacramenti sentiunt, valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate ministri aut sumentis. Quare, sicut Paulus ait, etiam indignos manducare, *ita sentiunt, porrigi verè corpus & sanguinem Domini indignis, & indignos sumere, ubi servantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad judicium, ut Paulas ait, quia abutuntur Sacramento, cum sine pœnitentia & sine fide eo utantur. Ideò enim propositum est, ut testetur, illis applicari beneficia Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam, & erigunt se fide in Christum. Cum autem pauci convenerimus, & opus sit utrinque hanc rem ad alios concionatores & superiores referre, nondum licet nobis de concordia pacisci, priusquam ad alios retulerimus. Cum autem omnes profiteantur, se juxta confessionem & Apologiam Principum Evangelium profitentium, in omnibus articulis sentire & docere velle, maximè cupimus sanciri & constitui concordiam. Et spes est nobis, si reliqui utrinque ita consenserint, solidam futuram esse concordiam:*

Subscripserunt.

D. *Wolffgangus Capito*, minister Ecclesiæ Argentinensis.

M. *Martinus Bucerus*, minister Ecclesiæ Argent.

Lic. *Martinus Frechtus*, Ecclesiæ Ulmensis in verb. minist.

Lic.

Lic. *Jacobus Ottherus*, ministeri Ecclesiæ Estingensis.
M. *Bonifacius Lycosthenes*, Ecclesiæ Augustanæ minister in verbo.
Wolfgangus Musculus, Eccl. Augustanæ minister in verbo.
M. *Gervasius Scholasticus*, Memmingensis Ecclesiæ Pastor.
M. *Johan. Bernhardi*, Francofurtensis Ecclesiæ minister.
Martinus Germani, Furfeldensis Ecclesiæ minister.
M. *Matthæus Aulbertus*, Pastor Ecclesiæ Reutlingensis.
Johannes Schradinus, Diaconus Reutlingensis.
Martinus Lutherus D. Wittenbergensis.
Justus Jonas D.
Caspar Cruciger D.
Johannes Bugenhagius Pomer. D.
Philippus Melanchthon.
Justus Menius Isenacensis.
Friderieus Myconius Gothensis.

N. convenerunt etiam de Baptismo & Absolutione.

Post hanc transactionem *Bucerus* quædam in sententiâ suâ *de cœna Domini* retractavit, in enarratione quatuor Evangelistarum, scripsitque, *se non satis intellexisse mentem Lutheri.* Eo in itinere cùm *Numburgum* venissent: Landgravius Hassiæ *Bucerum* & Capitonem detinuit, ut *Homburgi* & *Marpurgi* Hessorum, cum primariis Theologis de concordiæ quoque negotio tractarent. Tandem *Francofurti*, quæ inter ipsos & Lutherum acta fuerunt, in scriptum quoddam retulerunt.

Detinetur in reditu ab Hassiæ Principe.

Capitâ concordiæ Basileensibus non probata.

Domum reversi capita concordiæ *Basileam* miserunt, quæ cum recitata essent in senatu, & doctorum judicio subjecta, obscura esse dicta sunt. Visum itaque est *Carolostadium* & *Grynæum* Argentoratum mittere, ut coràm cum *Bucero* & *Capitone* colloquentes, pleniùs intelligerent, quid *Wittembergæ*, actum esset. Illi Argentoratum profecti, diebus aliquot cum eis contulerunt, & tandem scriptum quoddam Basileam retulerunt, quod continebat, quidnam cum *Luthero* actum esset, & quomodo capita concordiæ intelligenda. Jussus deinde declarationem illorum capitum conscribere Bucerus, in qua etsi Helvetii nihil reperirent, adversum suæ confessioni, non tamen placuit subscribere, sed scripto suam sententiam complecti, & *Luthero* transmittere.

Declarat ea Bucerus

Conventus Smalcaldensis.

Anno *millesimo quingentesimo trigesimo septimo*, Principes & ordines imperii Evangelicæ confessionis Smalcaldiæ conventum egerunt, quo & Theologos adduxerunt, ut de concilio, à *Paulo III. Mantuæ* indicto, deliberarent. Eò venit & Bucerus, qui Lutherum ex calculi doloribus gravissimè decumbentem, secutus, responsum ad Helvetiorum literas petiit, quod postea misit. Cæterum cum Helvetiis plerisque Bucerus ambigua loquendi formâ solidam concordiam moliri videretur, & comment. in Evangelium Matthæi ac Joannis, doctrinam de cœna ante defensam, in gratiam, ut dicebant, Lutheri retractasset, non parum

Bucerus Ambiguis formis loquendi usus. Et quædã retractat.

ab alienasse à se Tigurinos visus est, quòs antè & amarat plurimum, & singulari quadam pietate coluerat: Quidam etiam viri docti dixerunt, *ei conciliandæ pacis & concordiæ cum Luthero studio, idem accidisse, quod illis, qui præ nimia vini aviditate, etiam feces hausirent.*

In eum eterim.

Eadem tempestate Argentorati schola, consilio saluberrimo, Senatus liberalitate, est aperta, in ea Bucerus minimè postremas tulit, sed & concionando & docendo, tam Ecclesiam illam, quàm scholàm, plurimùm illustravit. Interea aliquoties ad Protestantium conventus ivit, cumque iis de magni momenti negotiis, qua erat prudentia, deliberavit. Comitiis quoque Imperii aliquoties, sui Magistratus jussu, interfuit, & cum Pontificiis *Haganoæ*, *Spiræ*, atque *Wormatiæ* congressus, placidè contulit,

Schola Argentorati aperta. In ea docet Bucer.

Interest variis colloquiis.

Interea *Carolus Augustus* in Germaniam reversus, anno *millesimo*, *quingentesimo*, *quadragesimo primo*, conventum *Ratisbonæ*, religionis potissimum causa, egit. Ibi Cæsar *Fridericum* Palatinum cum consensu Protestantium & aliorum Principum, ad colloquium designavit, *Iulium Pflugium*, *Ioannem Eccium*, *Ioannem Gropperum* è Pontificiis, *Philippum Melanchthonem* *Martinum Bucerum*, *Ioannem Pistorium* ex Evangelicis. Deinde ad se vocatos graviter monuit ipse Cæsar, uti in causæ tam arduæ tractatione sepositis affectibus ad solam veritatem & Dei gloriam respiciant. Ad eam orationem cum omnes summissè sese excusarent, ac onus suis humeris impar deprecarentur, solus Eccius promto animo accepit, seque instructum esse dixit. Datis igitur præsidibus & testibus colloquii, aliquot dies Theologi de controversis religionis capitibus inter se collocuti sunt ita, ut non esset nulla spes pacificationis & concordiæ. Exhibitus est tunc *liber* nomine *Cæsaris* Protestantium Theologis, quem perlectum & correctum Cæsari reddiderunt: Dux Bavariæ Guilielmus librum oblatum prorsus rejecit, nec quicquam concedendum adversariis contendit, cui accesserunt Episcoporum plerique: affudit etiam frigidam Eccius, literis ad Principes scriptis, Cæsaremque eò adduxit importunitate sua, ut scripto testaretur, se de reconciliatione nihil propositurum nec probaturum, sed judicium integrum Romano Pontifici relicturum: Idem Eccius Pflugium & Gropperum, complices suos, non dubitavit insimulare quasi proditæ causæ Pontificiæ, cum quosdam abusus corrigendos esse sensissent. Itaque cùm non congruerent voluntates, & grave imprimis Germaniæ periculum à Turcis impenderet, conventus ille solutus est.

Collocutio Ratisbonense.

Ibi interfuerunt Bucer.

Liber à Cæsare Protestantibus oblatus.

Eccii importunitas.

Innotuit eo in colloquio Groppero Bucerus, fuitque illi hujus lenitas, gravitate decenti mixta, plurimum probata. Itaque domum reversus, Bucerum *Hermanno*, Colonensi archiepiscopo, qui jam tum Ecclesiarum emendationem moliebatur, mirificè commendavit & inter omnes idoneum esse dixit, cui religionis

Buceri lenitas.

Commendatur Hermanno Colonensi.

gionis reformatio rectè committi posset. Nam esse comprimis doctum, & pacis amantem, & integræ vitæ. Episcopus ergo, qui jam antè noviſſet Bucerum, & ipsius opera cogitarat uti, significat, cupere se cum eo loqui. Profectus eò Bucerus, anni *quadragesimi secundi* mense *Februario*, perhumaniter fuit exceptus; inprimis à Groppero: qui precibus ab eo contenderat: ut Bonnâ Coloniam ad se veniret. Itaque tum dimissus est ab Episcopo, ut suo tempore vocatus, rediret. Principio ergo anni *quadragesimi tertii* revocatus jussu Archiepiscopi, Bonnæ oppido ad Rhenum, circiter quinque supra Coloniam milliaribus, cepit docere. Habita deinde deliberatione in conventu; Bucero hoc munus committitur, ut unà cum *Melanchthone*, Wittemberga accersito, doctrinæ Christianæ capita seu formam instaurandarum Ecclesiarum conscribat. Quem librum cum Bucerus & Melanchthon absolvissent; Archiepiscopo exhibuerunt. Hic attentè perlectum ac emendatum Princeps in alio conventu legendum ordinibus dedit. Tum comites, ordo equester, & legati civitatum, magno consensu librum approbarunt; & polliciti sunt: se ad eam formam Ecclesias instauraturos. Sed in collegio Colonienſi, ut ut quidam rectè sentiebant; tamen πλεονες οι κακοι in alia omnia iverunt, & edito libro, cui titulus *judicium cleri & Academiæ Colonienſis*, petulanter conviciati sunt illi doctrinæ, adeò ut affirmarint: *ſub imperio Turcio malle ſe vivere, quàm ſub magiſtratu, qui reformationem illam ſequatur.* Præterea unicè id urserunt, ut Bucerus, cujus etiam nomen erat exosum, & alii novitii doctores, loco moverentur. Inter adversarios facilè primas tenuit, ille ipse Gropperus: qui se posteà totum à Bucero avertit. Oppugnarunt etiam Bucerum vehementer Theologi Colonienſes: & graviſſimis lacerarunt conviciis. Bucerus contra velle se doctrinam illam tueri professus est, ubi ubi placeret. Defendit item Bucerum Melanchthon libello in publicum emisso, & clerum ad modestiam & studium veritatis hortatus est. Exitus totius negocii post multas difficilesque actiones, tandem hic fuit, ut à pontifice Archiepiscopus excommunicatus, à Cæsare gubernatione terrarum & omni functione privatus; optimus & piissimus senex populi sui rationem habens, alii cesserit: atque per totam eam regionem religionis facta immutatio fuerit; & quicquid Bucerus instituisset abolitum. Anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo ſexto*, iterum colloquium *Ratisbonæ* à Cæsare fuit institutum: quo & Bucerus denuò vocatus, atque inter collocutores cum *Joanne Brentio* & *Erhardo Snepſio* fuit nominatus. E pontificiis autem *Petrus Malvenda* Hispanus, *Eberardus Billicius* Carmelita, *Joannes Hoſmeiſterus* Augustinensis, & *Joannes Cochlæus*. Ibi *Bucerus* cum *Malvenda* potissimum contulit, *de capite juſtificationis hominis peccatoris coram Deo*. Sed cùm varia incidèrent impedimenta, & dissensio esset de Præsidibus: actio tota soluta, & bellum Smalcaldium inchoatum fuit. Cum ergo Saxoniæ Dux suos revocasset: illis discedentibus Bucerus etiam, ut acta Landgravio Hassiæ referret; vicesima Martii abit. Ferunt eo in colloquio Hispanum illum solitum esse longâ declamatione negocium suum tractare: Bucerum interea literas huc illuc scripsisse, cumque alter finem orationis fecisset, in pauca omnia contraxisse, & ex Malvenda, nonne hoc fuit argumentum tuum? quæsiviſſe, illo annuente, statim brevi & acuta solutione id diluisse. Id cùm sæpius fecisset Bucerus, homo promtissimi & acerrimi ingenii, quidam ad nomen ejus alludens dixit: **Er heiſt wohl Butzer / ich meyn er hat ihn außgebutzt.** Id etiam non omittendum, ad hoc colloquium cum Bucero permissu senatus Argentoratensis profectum esse *Joannem Diazium* Hispanum, qui ad partes Protestantium accesserat. Hic postea, operâ fratris *Alfonsi*, Cainico planè exemplo, Neoburgi in superiori Palatinatu trucidatus est. Historia vel ex Sleidani commentariis est nota.

Anno *quadragesimo octavo*, post bellum Germanicum, cùm jussu Cæsaris *Julius Pflugius* Episcopus Numburgicus, *Michael Heldingus* Sidonius & *Joannes Agricola*, cui à patria, quæ sibi cum Luthero communis, Islebio nomen; doctrinæ, ceremoniarum, & ecclesiasticæ emendationis formulam conscripsissent: Brandeburgicus Septemvir, ut erat & rerum Cæsaris, & pacis supra modum studiosus, cum serio rem agi crederet; communicato cum *Jacobo Sturmio* consilio, ad Argentinenses scribit; & ut Bucerum ad se mittant, rogat. Cæsarem enim postquam Pontificem concilium detrectare videat, aliam viam institisse: ac demum aliquam spem emendationis in ecclesia bonis affulgere. Bucerus cùm Augustam venisses, ad septemvirum divertit: qui ab Islebio persuasus, librum de religione à delectis confectum ferri posse; quem moderatione summa scriptum esse dicebat. Eum propterea Bucero evolvendum dat, ut ei subscriberet. Ille, quòd in eo Pontificiam doctrinam constitui diceret, probare se non posse respondit, & quantumvis graviter ei succensente septemviro, & ut subscriberet, omni ope per internuncios contendente, & si probaret, ampliſſima dona promittente, à sententia dimoveri non potuit: magnoque vitæ cum discrimine per Wittembergicum agrum, qui tunc ab Hispanis passim insidebatur, Islebe Argentinam recepit.

Liber autem ille qui à nonnullis *Interreligio*, ab aliis *decretum religionis*, Germanicè **Religions-Ordnung** & in constitutionibus Imperialibus *declaration* **der Religion** indigitatur, capita complectebatur omnia Pontificiæ religioni consentientia, nisi quod sacerdotum conjugium non penitùs

Evocat Bucer.

Qui Bonnæ docet.

Conscribit formulam emendationis.

Qui liber probatur ab ordinibus, rejicitur à clero.

Gropperus adversarius Buceri.

Exitus illius reformationis.

Aliud colloquium Ratisbonæ.

In eo Bucerus cum Malvenda disputat.

Malvendæ ratio disputandi.

Joannes Diazius. A fratre trucidatus Sleid. l. 17. comment.

Scriptores Interim.

Evocatur Bucerus. Augustam à Brandeb.

Improbat Interim.

damnabat, nec carnis & sanguinis Christi sub utraque specie communionem omninò rejiciebat: sed utrumque tolerandum esse proponebat: donec de tota re ex concilii sententia decerneretur. Quo factum est: ut is liber, quamvis Cæsar gravissimis verbis id vetuisset, contrariis editis scriptis, ab utraque parte impugnatus sit: inde quidem à *Bucero*, *Calvino*, *Casparo Aquila*, & aliis: hinc à Pontificiis *Roberto Genali* Abrincarum Episcopo, Romæ à quodam ordinis Dominicani, ut vocant, Generali. Postea male fabricatum Interim sæpius incudi est redditum: sed nunquam utrique parti usquequaque placuit.

Interim ab utraque parte impugnatur.

Argentinensibus obtrusum.

Cum ergo iste liber Argentinensibus etjam obtruderetur, & Protestantium Theologi passim in magno periculo versarentur; aliique carcere, exilio alii multarentur, commodum accidit, ut fama de Buceri, & collegarum fortuna, in Angliam perferretur, ubi jam sub Eduardo sexto rege doctrinæ religionis mutatio facta fuerat. Thomas itaque Crammerus, Cantuariensis Archiepiscopus & Angliæ primas, Buceri fama incitatus, ipsum unâ cum *Paulo Fagio*, in Angliam literis honorificè scriptis invitat. Cum itaque nulla spes melior in Germania affulgeret: Bucerus & Fagius, magistratus Argentinensis voluntate, anno *quadragisimo nono* supra *millesimum quingentesimum** calendis Aprilibus Argentorato, ubi vicennium totum Bucerus docuerat, discedunt, & per hostium fines in Angliam contendunt: quo etiam media æstate incolumes appulerunt. Excepti ibi sunt Germani hospites perhumaniter, præsertim ab Archiepiscopo, inque Cantabrigiensi Academia utrique domicilium constitutum, ut ibi sacrarum arcana literarum explicarent. Stipendium etiam Theologicum *octoginta Anglicorum coronatorum* Bucero est triplo auctum, ut honestè cum familia inter peregrinos degere posset. Et Fagio quidem Vetus instrumentum legis, Bucero autem novum explicandum fuit designatum. Itaque Fagius à Jesaia Propheta, Bucerus à Joanne Apostolo & Evangelista exorsi & aliquousque uterque progressi sunt. Ut autem commodius & cum dignitate actionibus scholasticis & disputationibus, pro more scholarum, interesse posset Bucerus: concessum est ei privilegium totius Academiæ maximo plausu, id quod ante eum nemini: *ut absque ullo publico ritu & usitata ceremonia, quoniam id postulasset, inauguraretur.* Postea cum *Jungo* Theologo disputavit, & eum admiratione auditorum scripturæ locos, in speciem inter se pugnantes, dextrè conciliavit. Præter eruditionem autem Angli quoque in ipso mirati sunt vitæ integritatem, vestitum simplicem & modestam victus sobrietatem, laborum tolerantiam, & in variis morbis patientiam.

In Angliâ vocatur Bucerus.

** Imo 4. April. ut infra.*

Eo venit cum Fagio.

Cantabrigiæ docere jussus.

Stipendiâ ejus.

Privilegiû ei concessum.

Disputat. cum Jungo.

Quid Angli in eo admirati.

Paulo post, ut fieri solet, ob cœli intemperiem & diætæ mutationem, uterquè in gravissimum incidit morbum: quo etiam Fagius cum summo Buceri dolore in autumno, ut diximus, sublatus est. Erat Fagius tum Londini æger, quem Cantabrigiam deportatum subsecutus est Bucerus, ac Londino suum morbum extulit. Morbus autem erat *intestinorum dolor, calculus, fastidium ciborum, alvi siccitas, catarrhi copiosi capitis*; jacuit aliquot menses; nunquam tamen otiosus, adeò ut quando per valetudinem publicè non licebat, domi suæ scholam aperiret. Ad quintum Id. Januarii, nondum recuperata valetudine, prodiit in publicum & prælegit. Magna ejus in docendo fuit autoritas, doctrina excellens, integritas vitæ, magna prudentia, vox grandis & canora cum orationis forma congruens. Accedebat quoque ejus in notandis hominum moribus modesta libertas, diligentia tanta; ut dubium, utrum magis ornandus sit, quod ipse semper occupatus esse voluit; aut quod alios otiosos esse non permisit. Sed triginta ferè dies hoc in curriculo studiorum versatus, relabitur in eundem morbum, è quo se paululum recreaverat. Ex hoc quoque cum respirasset, concessum est ei; ut sine omni publico ritu, quod postularat, in numerum doctorum theologiæ cooptaretur: ut modò dictum. Idibus Februarii in eum morbum incidit, qui mortem paucis pòst diebus attulit, in in quo sanctis occupatus cogitationibus assiduè cœlum suspirabat, monitus à medicis, ut cibum caperet, renuit. Sed illis instantibus; ut cogitaret non sibi se, sed multorum utilitati esse natum: *Geramus igitur morem*, inquit. Subinde precatus Deum; ne pateretur Angliam in ea vitia prolabi; quæ Germaniæ cladem attulissent, optavitque; ut quæ ad regem de disciplina Ecclesiæ scripserat, locum in regno reperirent. Cum *H. Joann. Bradfordus* concionatum iret; seque dixisset velle in precibus ejus meminisse; collacrymans, *Ne*, inquit, *abjicias me Domine in tempore senectutis meæ, cum defecerit virtus mea:* tum addidit, *castiget fortiter, abjiciet autem nunquam, nunquam abjiciet.* Monitus, ut se armaret contra Diaboli impetum: *nihil habeo*, inquit, *cum Diabolo commune, in Christo solummodo sum.* Et, *absit, absit, ut nunc consolationes dulcissimas non experirer.* Cum Bradfordus ad eum venisset, & medicorum amicorumque timorem; ne scilicet deficiente luna, vires quoque prorsus deficerent, & morbi vi opprimeretur, indicasset, porrexisse dicitur tres digitos, & oculis in cœlum elatis: *ille, ille*, inquit, *regit & moderatur omnia.* Tandem inter pia vota animam DEO reddidit, die *vicesimo septimo* Februarii, anno Christi *millesimo quingentesimo quinquagesimo primo*, Cantabrigiæ: cum haberet annos *unum & sexaginta.* Elatus est funere frequentissimo omnium ordinum: quippe quod vel *duo* vel *tria hominum millia* deduxerunt.

Morbo corripitur Bucer.

In quo tempore non otiosus.

Recidivâ patitur.

Joann. Bradford.

Voces Buceri in morbo.

Placidè moritur.

Nam

Funus ejus frequentiss.

Nam & à Procancellario mandatum fuit: ut omnia collegia adessent, & dies selectus est sepulturæ is, quo maximè populus vacaret. Locus sepulturæ datus est in majori urbis templo, quod D. Mariæ vocant. Concio funebris habita est à *Gualtero Haddono*, ante humationem: humato verò corpore *D. Parckerus* est concionatus. Hic cùm peroraſſet, discessum est, & reliqua celebritas in posterum diem dilata: quo cùm de more sacra peracta essent, nec dignæ satis laudes Bucero tribui potuisse viderentur; D. *Redmanno* partes demandatæ sunt; ut pro concione aliquid de Bucero loqueretur. Carminibus item epitaphiis celebratus à multis est: ac præcipuè à duobus *Suffolciis* fratribus, quorum mater semper ægrotanti adsedit, & omnia humanitatis officia præstitit. *Henrici*, ducis Suffolciensis, Heroicum est hujusmodi:

Gualter. Haddonus.

Suffolcii fratres.

Epitaph. Buceri ab Henrico Suffolciensi

Vita suavis erat multis, vivente Bucero;
Vita peracris erit multis, moriente Bucero.
Voce Dei docuit delectavitque Bucerus:
Morte docet, vitâ docuit, Christum esse sequendum:
Talia discenti, nec mors nec vita nocebit.
Hæc pius hic docuit vitâque & morte Bucerus.
Plangite tam charum patrem, vitamque sequendo
Fingite: sic cœlum capiet, quos terra tenebat.

Verùm exuvias fidelis Dei, servi hostilis rabies quiescere passa non est. *Eduardo* enim rege exstincto, cùm Mari soror regnum adepta esset, atque Pontificiam doctrinam restituisset: *Reginaldus Polus* Cardinalis, Pontificis legatus, ut Angliam hæresi & hæreticis expurgaret, primùm Inquisitores delegit quinque, qui Academiam Cantabrigiensem reformarent. Hi cùm sacris interdixissent: à procancellario & collegiorum præfectis, eam in sententiam est itum: à legatis Academiæ nomine petendum, ut cadavera *Buceri* & *Fagii* effodiantur. Libello exhibito ac deliberatione habitâ, edictum publicè affigitur, quo ad diem decimum octavum Januarii, qui Buceri & Fagii patrocinium suscipere vellent, adesse jubentur: fore, ut quantum satis, audirentur. Interea testes conquiruntur, qui de hæresibus ipsorum testimonium dicant. Constitutâ die 26. Januarii legati in æde D. Virginis locum eminentiorem conscendunt, ubi confidentibus collegis surrexit Cestrensis; & habitâ ad populum circumfusum oratione sententiam de scripto recitavit: *Bucerum & Fagium hæreseos damnavit, cadavera effodi, & magistratui tradi jussit.* Promulgatâ sententiâ *Pernus* quidam multa in Bucerum dixit, quo perorante valvæ templi versibus, in reos falsè scriptis, fuerunt oppletæ. His peractis legati sententiam condemnationis descriptam, & sigillo Cestrensis Episcopi obsignatam Londinum, adjunctis quibusdam versiculis famosis, mittunt; una cum literis, quibus quid actum sit, Cardinalem edocent; peruntque ut *Breve* de comburendo hæretico ad Smithum prætorem oppidanum mittat. Hic enim negavit quicquam se facturum, nisi priùs sibi cautum de indemnitate esset. Interim nuntio in itinere hærente, libros hæreticos perquirunt, unà cum cadaveribus comburendos. Reverso Londino nuntio cum mandato de comburendis reis, dies sextus Februarii negocio illi definitur. Hic ubi illuxit, Pernus adscito Notario Publico ad *D. Michaelis* pergit, ubi Fagius humatus, & evocatos ad se parochianos juramento adstringit, de effodiendis Fagii ossibus, inque locum supplicii deducendis. Item de Bucero, qui in æde *Virginis*, faciendum imperavit. Tum prætor ille oppidanus quosdam cum armis adesse jussit; quibus stipata cadavera circumligatis funibus bajulorum humeris impolita (novis enim erant capulis inclusa) in medium oppidi forum deportant: ubi truncus in terram defixus exstabat. Huc ut ventum, eriguntur capuli cum cadaveribus, & ex utraque parte lignis circundati longa catena ferrea palo alligantur. Ibi igni suppositio cùm flamma se diffudisset, magnus librorum numerus in eam conjectus est. Hæc dum fiunt, *Watsonus* suggestum in æde D. Virginis conscendit: multisque doctrinam Buceri ac Fagii traduxit. Quarto post rursus * anno, cùm Mariæ mortuæ *Elisabetha* soror succesisset; & Evangelii doctrina Anglis, mirabili rerum vicissitudine, reddita esset, reginâ jubente, *Bucerus* & *Fagius* per legatos regios, & omnes Academiæ ordines, judicio adversus innocentes publicè rescisso, in integrum restituti sunt: adeo quidem; *ut omnis generis laudibus eos celebrarint, martyribus annumerarint, multisque Epitaphiis vitam, mortem, sepulturam, martyrium, & restitutionem descripserint*, atque posteritati commendarint. Sed hæc, ut & scripta utriusque alibi. Nos colophonem Bezæ epigrammate imponemus, quod tale:

Fagii cadaver effossum.

Ut & Buceri.

Comburuntur, unà cum libris.

* 1560. Restituti ambo.

Beza Epigramma in Bucerum.

Natales, Bucere, tuos Germania jactat
Natalibus felix tuis:
Quis verò & quantus fueris, tua scripta loquuntur,
Ad littus orbis ultimum.
De vita si quis roget, Germania dicet:
Invita Bucerum expuli.
Ast ego sic pulsum (pia auxerit Anglia) fovi,
Tandemque texi mortuum.
Verùm mox eadem (factum ô immane!) sepulcro
Flammis cremavit erutum.
Fallor ego, totus terrena fecis an expers,
Bucere, sic cœlum tenes?

Bucerus & Fagius hæreseos damnati.

Argentinâ antequam discederet Bucerus die 23. Martii, auditoribus suis, de quibus Martin. Crusius, in lectione Theologica valedixit: rogavitque; *boni consulerent, quòd tot negociis occupatus, sæpè turbatè docuisset. Magnificiendos ejusmodi scholasticos conventus.*

Valedictio Buceri Argent.

Nam etsi domi possint sacra legere, tamen vivam vocem plus prodesse. Hunc interpretandi morem semper in scholâ antiquitus fuisse, teste historia Ecclesiasticâ. Sequenti hebdomade pro * ipsis docere cœperunt Doctores Theologiæ *Caspar Hedio* & *Joannes Marbachius*. Discessérunt demum 4. die Aprilis in Angliam, non autem calendis Aprilis, sicut putatum fuit. Interea namque latuerant domi Catharinæ viduæ Zellii. Abiit cum eis Ulmensis *Matthæus Negelinus* in Angliam, atque inde ipsis mortuis reversus, plurimos postea annos Argentinæ concionator templi Wilhelmitani fuit.

* Bucero & Fagio.

Matthæus Negelinus.

In cæteris virtutibus istud quoque habuit laudabile Bucerus, quod imitandum est. Res quas ad disputandum proposuit, in *duas* dividebat *partes*, & *propositiones necessarias* separabat à *probabilibus*: & hac ratione condocefaciebat τὰ ἀναγκαῖα à probabilibus distinguere adolescentes: ut scirent, quæ retinenda & defendenda essent fortiter in Ecclesiâ & Repub. & in quibus largiendum aliquid temporibus necessariis. Si verò aliquid pro necessario posuisset, & demonstrabatur ab alterâ parte, probabile esse, ita confitebatur; ut ignoraretur, bonitaténe naturæ concederet, an tentandi causa posuisset. Solidæ certè eruditionis laudem, sicut virtus vel in hoste probanda, etiam ab inimicis tulit. Cùm enim Cardinalis *Contarenus* à *Petro Martyre*, in Germaniam proficiscente, è conventu illo Ratisbonensi rediens, interrogatus esset de doctis Germanorum viris; respondit * ille: *nihil attinet de Philippo, qui notus, dicere: habent Germani & Martinum Bucerum, qui ea ubertate doctrinæ Theologicæ & Philosophicæ, ea etiam in disputando subtilitate felicitateque est instructus: ut unus ille omnibus nostris doctoribus possit opponi.* Macte tua ingenuitate Contarene! macte & tu tua laude hac ô Bucere!

Ratio docendi Bucceri.

Contareni Cardinalis de Bucero judicium.

* Idea pii reg. & principis Vrsini p. 148.

Desumta hæc sunt *ex epistola Nicolai Carri ad Checum, Saxoniæ chronico Chytræi: Sleidani commentariis: Crusii annalibus Suevicis, consiliis Theolog. Melanch. Thuani historia, & aliis.*

OSWALDUS MYCONIUS

© 1552. d. 13. Octob. ætat. 64.

Lucernæ, Helvetiorum oppido haud ignobili, *Osvvaldus Myconius*, Germanicè Geißheuser * Würstisii indicio, nominatus, editus est sub annum Christi *millesimum quadringentesimum octogesimum octavum*. Prima literarum tyrocinia in patria fecit, inde *Basileam* venit: ibique artium ac linguarum cognitioni diligentem impendit operam, studiosissimus inter alios magni illius *Erasmi*, deinde & *Henrici Glareani* popularis sui, quorum utrique contrà ipse, ob ingenii præstantiam, egregiamque eruditionem, fuit charissimus. Factum hoc circa annum Christi millesimum quingentesimum decimum quartum.

Lucernæ oppidum. * Lib. 8. Chron. Basil. c. 14.

Erasmi & Glareani studios.

Cognita itaque eruditione ejus Basileæ primò ludo literario ad *S. Theodorum*, postea quoque ad S. Petrum præfectus, in utroque non vulgaris industriæ opinione juventutem erudivit. *Basileâ* interjectis annis aliquot, *Tigurum* vocatus est, ut ibi quoque scholam moderaretur: Hic cùm triennium adolescentiam literas bonas docuisset, amicorum operâ in patriam suam *Lucernam* vocatus, atque primariæ ejus loci scholæ præfectus est. Sub id tempus doctrina evangelii passim inclarescebat: quam cùm & ipse non solùm amplecteretur; sed etiam ex mandato divino, juventuti, quam eâ in schola frequentem habebat, instillare conaretur, à Lucernatibus Pontifici adhærentibus dimissus est anno Christi, *millesimo quingentesimo vigesimo tertio.*

Præficitur ludo literario Basileæ.

Tigurum vocatur.

Inde in patriam.

Dimittitur ob religionem.

Tigurum ergò reversus hospitium invenit, ac denuo ibi ludi moderatorem egit. Postea cùm Zwinglius in acie occubuisset, atque literarum cultores à plerisque civium, ut solent, neglectim haberentur, sub initium anni *millesimi quingentesimi trigesimi secundi*, Basileam repetiit, ubi molestiis Ludimoderatorum liberatus, Diaconus ad *S. Albanum* fuit delcaratus. Ibi concionibus habendis officio suo functus est: cumque *Joannes Oecolampadius* diem suum obiisset, Myconius Theologicam illius lectionem absolvit, & Evangelium secundum *Marcum* magno cum auditorum applausu explicavit.

Denuo Tiguri docet.

Fit Diaconus Basileæ.

Docet loco Oecolampadii.

Interea de surrogando in locum Oecolampadii pastore deliberatum. Ibi tum Myconius præter suam exspectationem à superioribus nominatus, & primarius Pastor Basilecnsis fuit designatus, cum per semestre duntaxat Diaconi munus subiisset. Hac in vocatione annos ipsos *viginti* cum fide & industriâ versatus est, ac docendo & concionando cunctis exstitit gratissimus. Insignis quippe in eo fuit humanitas, eruditio non vulgaris; facundia verè popularis.

Cui substituitur.

Cum autem certamen illud Eucharisticum, de præsentiâ corporis Christi in cœnâ, passim efferveseeret: Myconius in sententiam Lutheri haud obscurè inclinavit, atque sæpiùs ejus rei causas amicis ex verbo Dei explicavit. Inde cùm gradu Academico ornatus esset nullo, nec fortè ornari vellet; cùm Academiâ Basilienst nonnihil simultatis ei intercessit. Tandem ultrò professione abdicata, suâ sorte contentus, ad vitæ usque exitum vixit: qui ei, jam senio gravi, contigit, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo*, die *decimo quinto* Octobris, cùm vixisset annos *sexaginta quatuor*; & ecclesiæ præfuisset annis viginti, præco Evangelii fidelis, atque gravitate morum conspicuus. Sepultus est Basileæ in templo cathedrali, succedente ipsi in Pastoratum *Simone Sulcero*, Theologo celebri: de quo suo loco. Scripta ejus quæ edidit duûm sunt generum. *Primum* est *Theologicorum*, ut sunt, *expositio in Evang. Marci* docta & pia:

Facit cum Luthero. Non vult ornari gradu. Abit ejusd.

Moritur.

Sim. Sulceri successit.

Enar-

Scripta Myconii Theologica.

» Enarrationes in psalmum centesimum primum: J. Oecolampadii Catechismus è
» Germanico in Latinum translatus. Habuit quoque expositiones in Evangelium
» secundum Matthæum, Lucam & Joannem,
» commentaria in Jesaiam, Jeremiam & Jonam prophetas, cum aliis Theologicis, sed
» an edita sint omnia nec ne, ignoramus. Al-
Philologica. » terum est Philologicorum, ut commentarii
» in Glareani poëma de situ Helveticæ, suaso-
» ria ad sacerdotes Helvetiæ, qui Tigurinis
» malè loquantur, ut male loqui desinant, nar-
» ratio de vitâ & obitu Huldarici Zvvinglii,
» præfatio in enarrationes Oecolampadii in
» Matthæum & Marcum, tractatus vel sermo
» de liberis rectè & ingenuè educandis, de
» crapula & ebrietate, de fœnore & usurâ &
» alia multa.

Glareani carmen ad Myconium

Coronidis & emblematis cujusdam quasi loco adjicimus carmen *Glareani*, cujus lectionis benevolum Philologum forte non pœnitebit. Id est ejusmodi:

Candide, pars ingens nostrorum, Osvvalde, laborum,
Seu qualem Alcides, Pirithousve petat,
Surgit Amazonio, pharetrata caterva, flagello:
Et mihi Centauri bella cruenta parant.
Huc ades ô Theseu, tua ope est opus, accipe tela,
Tela cataphractis objicienda malis.
Omnia in hoc mundo vincit patientia longa:
Et labor & probitas, ingeniumque sagax.
Erasmo gratus Myconius. *Laudo tuum ingenium, quod & ipse probavit Erasmus,*
Pallados ille pater, Mœoniique chori.
Socraticis se temporibus Plato gaudet Athenis
Natum, atque exuvias ille triumphus habet.
Dictus Alexander felix cognomine Magnus:
Cui nasci obtigerit tempore Aristotelis.
Lætor ego, quòd temporibus sum natus Erasmi,
Gaudeo, & exultans bella trophæa fero.
Ah quoties ægros comites affatus amicè est.
Pabula quanta animæ contulit illa meæ!
Is docuit mores, meliusque infudit Iesum;
Is docuit cœlum perpetuasque domos.
Et docuit penitus stultum contemnere mundum,
Vexit & ad superos mentem animumque meum.
Quid dare plus posset Cræsusve Cyrusve roganti?
Quid Calaber dives, quid Sybarisve potens?
Ille hinc digrediens, doctâ sciotericon umbra
Dona dedit, dextræ, munera eburna, meæ.
Accipe, ait, nostri monumentum & gluten amoris,
Accipe Phidiacâ dona polita manu.
Umbra tibi vitam notat, & vaga gaudia mundi:
Circulus æthereo sidera clara polo.
Elige utrum malis, utinam tibi sidera cordi,
Et, qui sideribus præsidet, orbis herus.
Accepi lacrymans, nomenque incidere jussi,
Osculaque insculpto terque quaterque dedi.
Sed vedeo, gratare tuis, Osvvalde, Camœnis,
Est aliquid, tanto complacuisse viro.
Plus certè, quam si gelidis mea Musula metris
Strideat, atque oneret, teque, tuumque caput.
Gratulor & patriæ, venturâ gaudeo vitâ,
Quæ Grajos fonteis, Romuleosque refert.
Helvetios priscos gentem in fera prælia natam;
Comperimus Grajo verba notâsse stilo,
Atque utinam positis etiam nunc refluat armis,
Quicquid apud Grajos, Romulidasque fuit.
Ecce Camillus adest, pius ac facundus Erasmus,
Quo nil candidius Romula terra tulit.
Milos ego, quamvis imbellis, inutilis, ager,
Ære tamen mereo, teque merere velim.
Nec timeas vulgus nebulonum, & inutile mundo,
Nec Chrysippeas, fulmina cæca, faces.
Chare vale, pharetrata fugit tua tela caterva,
Chare vale Theseu, quo Duce tela dedi.

Henric. Pantal. l. 3. Prosopograph. Wurstisius in Chron. Basil. l. 8. c. 14. Erasmi epistolæ l. 2. p. 56.

ANDREAS OSIANDER.

G. 1552. d. 17. Octob. atat. 54. *Vernaculè, ut ferunt, Hoßmañ.

ANdream * *Osiandrum* Bavaria dedit, die *decimo nono* Decembris, horâ primâ, minutis duodecim post meridiem, sub altitudine poli graduum *quadraginta* novem, anno Christi, *millesimo, quadringentesimo, nonagesimo octavo.* Nomen familiæ, penè * ridiculum, mutavit in *Osiandri*, unde sonus non longissimè recederet.

*Parens enim fuit. Hosen. Enderle. dictus l. Sturm. Antipappo 4. Wittembergæ dat Theologiæ operam. Docet Norinbergæ.

Hic cùm ingenium nactus esset acre, facilè & linguas & liberales disciplinas, adeoque Mathemata ipsa arripuit, ac *Wittembergæ* inprimis in discendâ Theologiâ operæ precium fecit. E Bavaris venit *Norinbergam*, ubi cùm Hebraicæ linguæ cognitionem profiteretur, in Augustiniano cœnobio doctrinæ suæ primùm mercedes quasdam accepit, carus ob ingenii acrimoniam ac studium industriamque eruditis, præcipuè *Bilibaldo Pircamero*, dignitate, honoribus sapientia & doctrina præstanti viro, quos tamen deindè rusticitate morum & præfractâ animi elatione à se plerosque alienavit. Commendatus deinde primoribus civitatis facundiâ suâ potissimùm, concionibus in æde *Laurentiana* Norinbergæ habendis est præfectus, ac quidem primam concionem Evangelicam habuit, anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo*, die *vicesimo tertio* Februarii de semine.

*Moribus suis offendit.

*Docet & in templo Evangelium.

Primis itaque contentionibus de religione, cùm monachis, superstitiones jam corruentes retinere cupientibus, vehementer restitisset, auctoritatem est consecutus, præsertim quando coram Antistite *Papebergensi* de illis controversiis copiosè, cum plurimorum admiratione & applausu, disputavit.

*Resistit monachis.

Interfuit deinde & aliquot Theologorum colloquiis, & anno quidem *millesimo, quingentesimo vicesimo nono*, à suis ad colloquium Marpurgi inter Lutherum & Helvetios institutum missus est. Ibi cùm petente Landgravio, singuli Theologi concionem habuissent, ac Lutherus *de justitia coram Deo* disseruisset:

*Interest colloquio Marpurgensi.

Concionem ibi habet de justitia coram Deo, sed mirificam.

Osiander eundem textum, quem Lutherus explicarat, sibi tractandum sumsit, ac de justitia tam subtilia, Philosophatus est, ut plerique offensi grandiloquentiâ ejusmodi, *monstri aliquid alere Osiandrum* dicantur præsensisse: Lutherum quoque ferunt testatum esse, *se fastuosum spiritum improbare*. Hæsit hoc in memoria multis, donec monstrum illud, ut mox dicemus, infelici partu in Borussia prodiit.

Adest & in Augustanis comitiis.

Fuit deinde & in Augustanis illis comitiis, quando Carolo V. Augusto Principes & ordines Imperii fidei suæ confessionem exhibuerunt: cumque aliis de controversis religionis capitibus adversus Pontificios suum judicium contulit, & à nostratibus stetit. In Borussiam autem hac occasione pervenit. Norinbergæ anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo* in comitiis eum *Albertus* Marchio Brandeburgicus, summus Borussiæ Magister, concionantem audiens, & privatim familiariter cum eo de doctrina religionis colloquens, primam sincerioris doctrinæ lucem in suo pectore ipsius ministerio accensam fuisse est fassus. Postea igitur promulgato à *Cæsare* Carolo V. *Religionis libro*, quem *Interim* nominabant, cum summo in periculo passim in Germania pii Doctores versarentur, & *Bucerus, Brentius, Snepfius, Sarcerius*, & alii, à magistratibus suis, quibus antè servierant, dimitterentur: Osiander etiam Norinbergam, ubi & dignitatem, & aliquid facultatum erat adeptus, occasionem relinquendi arripuit, contulitque sese in Borussiam, à vetere catechumeno suo, *Alberto*, illo Borussiæ Duce, invitatus *Regium montem*, ubi Academiam quinquennio ante Dux ille instituerat, in qua Theologiam eo tempore docebant, *Fridericus Staphylus* Osnaburgensis, vir ingeniosus, qui *sedecim annos Lutherum & Philippum Wittembergæ audierat*, & summum gratiæ locum apud Principem aliquantisper tenebat, *Petrus Hegemon* Francus, *Ioannes Tezelius* concionator in aula Ducis Borussiæ, *Melchior Isinderus* Suidnicensis, cujus mentem melancholiâ gravi & diuturnâ disputationes secutæ turbarunt: quibus accedebant flagrantibus jam dissidiis, *Georgius Venetus, Ioachimus Morlinus, Franciscus Stancarus*.

Albertus Brandenburgicus.

Venit in Borussiam Osiander.

Fridericus Staphylus,

Melchior Isinderus.

Eruditio Osiandri.

Osiander etsi gradu nullo in scholis ornatus, tamen ingenio ac eloquentia excellens, & non solùm in Theologia & Hebræa lingua, sed Mathematicis etiam disciplinis omnibus, præclarè excultus, & jàm recens ac novus hospes, à Principe cæteris omnibus dignitate & gratia præferebatur, nec solum pastor veteris oppidi & post obitum *D. Georgii à Polentis*, Sambiensis Episcopi, præsul Sambiensis; verùm etiam primarius Academiæ Professor constitutus, *quatuor prima Geneseos capita* sibi enarranda sumsit, cumque de creatione hominis ad imaginem Dei differens, hanc *imaginem corpoream Filii Dei, seu verbi incarnati substantiam*, interpretaretur: *Visibilem enim Christum imaginem esse invisibilis Dei, ad cujus similitudinem homo conditus sit*: addidit loco de imagine Dei, diligenter tractato, effulsurum, quòd, *etiamsi peccatum non introivisset in mundum, tamen Filius Dei humanam naturam adsumturus fuisset*: sicut *Alexander de Ales, Thomas, Bonaventura, Gabriel Biel*, ac *Picus Mirandula* olim disputarant. Hæc cùm variis reprehensionibus & obtrectationibus collegarum exagitari didicisset, peculiari libello typis descripto sententiam de imagine Dei suam exponit, & *Filium Dei, etiamsi Adam non peccasset, nihilominus incarnandum, sed non crucifigendum fuisse*, decem argumentis ordine explicatis contendit.

Floret gratia apud Principem

Docet in Academiâ Regiomontanâ.

Imago Dei quid Osiandro.

Filius Dei homo futurus, etsi homo non peccasset.

Interea verò gravior multò *de justificatione controversia* exarserat, quæ priorem obruit. Hanc brevibus ad disputandam sententiis primùm Osiander comprehensam publicè in scholâ proponit, adserens: „ nos solâ es- „ sentiali Dei justitiâ justos esse: essentiali „ ejus vitâ vivere & victuros esse: essentiali „ ipsius gloriâ glorificari: essentiali illius cha- „ ritate ad diligendum Deum & proximum „ propter ipsum inflammari: & gravissimè er- „ rare omnes, qui putent aliâ re, quàm solo „ uno & vivo Deo Patre, Filio, & Spiritu san- „ cto nos posse justificari, vivificari, glorifica- „ ri: & glacie frigidiora docere, qui doceant, „ nos tantùm propter remissionem peccato- „ rum reputari justos, & non etiam propter „ justitiam Christi, essentialem & divinam, „ per fidem in nobis habitantis. „

Controversia de justificatione. Dogma Osiandri.

Cumque status controversiæ esset, *de definitione, seu causa formali, quæres sit nostra justitia coram Deo*, & hactenus in Lutheri & Philippi scriptis, *Justitia hominis peccatoris coram Deo*, diverso causarum respectu, & dissimilibus verborum formis; re autem ipsa eodem redeuntibus desinita esset: *Remissio peccatorum propter Christum, seu imputatio justitiæ, seu non imputatio peccati*, seu *acceptatio personæ*, seu *reconciliatio per Christum Mediatorem*, seu *obedientia, passio, & mors Christi*, seu *fides in Christum*: *Osiander* contrà pertinacissime adseruit, justitiam nostram coram Deo, proprie nihil horum esse, sed *essentialem justitiam Dei, sive divinæ in Christo naturæ, communem Patri, Filio & Spiritui sancto*: quæ, cùm per verbum Christi corpori inseritur, in nos influat, & in nobis habitet: qua sola justi vivamus, & ad diligendum Deum & proximum impellamur, sicut scriptum sit, *Iehova justitia nostra*, & Rom. 3. *Justitia Dei in omnes & super omnes, qui credunt.*

Justitia hominis peccatoris coram Deo quid.

Osiander quid.

In libro contra Melanchthonem: „ cùm quæritur, quid sit nostra justitia, respondendum est: Christus per fidem in nobis habitans, est nostra justitia, secundum suam di- „ vinitatem; & remissio peccatorum, quæ „ non est Christus ipse, sed per Christum impetrata est, non est justitia nostra sed præ- „ paratio & causa est, quod Deus suam justitiam, quæ est ipse Deus, nobis exhibet. „ Hanc doctrinam de justificatione, Osiander se ab initio repurgatæ Evangelii doctrinæ, constanter uno eodemque modo sonuisse adfirmavit, & in comitiis Augustanis anni 1530. horta-

hortatorem Philippo, præsente Brentio & Urbano Regio, fuisse, ut articulus de justificatione, in hanc sententiam, inserto testimonio, Jeremiæ, Jehova justitia nostra, in confessione Augustanâ conciperetur. Postea etiam Smalcaldiæ, cùm Lutherus Joannis dictum: *Omnis Spiritus, qui confitetur Iesum Christum in carnem venisse, ex Deo est*: pro concione tractasset, se postridie eandem sententiam, in præcipuorum Germaniæ Theologorum frequenti conventu, explicasse, quomodo Jesus Christus, seu λὸγ☉ Deus incarnatus, per verbum Evangelii fide acceptum & sacramenta in nostram quoque carnem veniat, & nos sibi uniat: atque ita in nobis habitantis ipsius essentiali justitia & vita, nos justos censeri, & par ipsum vivificari, & glorificari. Quod non falsò jactitatum ab ipso esse, ex Philippo Melanchthone Chytræus audivit, cùm adderet, Bucerum fortè tum sibi astantem, cum audivisset; Osiandrum proponere, se aphorismum Joannis, de quo heri non satis dictum esset, repetere, ac nervosiùs explicare velle, impudentiam hominis summoperè miratum fuisse: sed hæc tum, vel nondum satis intellecta, vel alioquin pacis causa dissimulata sunt, cùm Lutheri magnanimitatem veritus Osiander, publicis scriptis communem doctrinam nondum oppugnaret. In Borussiam verò proficiscens, Uratislaviæ apud D. Moibanum, amicum veterem, jactarat, *Leonem mortuum esse, vulpes à se floccipendi*, sed has ipsas præcipuè metuendas sibi fuisse, exitus ostendit. Verùm animus elatus & sui confidens, vehemens etiam ac iracundus, in summa, *Pelidæ stomachus cedere nescii*, tum ex cæteris ipsius scriptis & actionibus tum verò ex epistolâ ad *Ioachimum Morlinum*, Theologiæ Doctorem data, elucet. Regium montem Morlinus, ab Erico juniore Duce Brunsuicensi Gottinga ejectus, paulo ante Osiandri disputationem venerat, & cathedrali Ecclesiæ à Duce Borussiæ præfectus, rogabatur: ut dissidia inter Osiandrum & cæteros Theologos, quæ post disputationem, ut fieri solet, velut ventorum procellis inflammatum & auctum incendium, multò graviùs & atrociùs exarserant, sedare & componere anniteretur. Videri enim Principi cæteros, odio & invidia magis, quàm justis & necessariis causis, adversus Osiandrum incitari. Morlinus, vir doctus & eloquens, nulli operæ & labori, in sedando & extinguendo incendio parcit, & aliquot hebdomadis, medium se inter partes gerens, tandem accepta Principis commissione, cum Rectore Academiæ, Theologos omnes, *Osiandrum*, *Venetum*, *Staphylum*, *D. Petrum* & *Funccium*, Idib. Februarii convocatos, ad Christianam pacem & concordiam fraternam hortatur, & media pacis, de statu controversiæ, thesibus comprehensa, proponit, quæ cùm omnes probarent: Morlinus eandem prorsus utriusque partis sententiam esse judicabat, etiamsi Osiander loquendi formis minùs propriis aut usitatis uteretur. Id verò Staphylus pernegabat. Mandatum igitur Staphylo & cæteris Theologis, ut quæ in Osiandri doctrina desiderarent, scripto complecterentur. Hi antilogias, seu contrariam Lutheri & disputationis Osiandri doctrinam, *quinque antithesibus* demonstrant, ad quas respondens Osiander, articulo quarto inquit, se confictas ab adversariis contradictiones, inter Lutherum & ipsum, non videre. Etsi enim ira Dei & severitas, puniens æternis cruciatibus omnes impios, sustineri à nobis nequeat, tamen gratiam, bonitatem, misericordiam, benignitatem & lenitatem, erga credentes, per verbum & Spiritum ipsius, in credentes, quos Christus inhabitat, influere & implantari posse: ita ut ipsis ad justitiam imputentur, & ipsi de die in diem magis magisque his virtutibus Deo similes reddantur: atque ita Dei justitia & probitas, etiam nostra justitia & probitas existat. Petit etiam à Theologis, ut respondeant: *An Christus in utero matris verè & perfectè justus fuerit? ac ut ipsi suis verbis: quæ res sit nostra justitia coram Deo, diserte indicent.* Theologi sub specie colloquii se multipliciter pro concione & libris editis deformari & damnari queruntur, & hæc gravamina tolli petunt: quibus sublatis ad publicam disputationem, vel colloquium se offerunt, & ad judicium Ecclesiæ provocant, cumque nihil impetrarent, tandem huic actioni renunciant.

Ioachim Morlinus.

Iubetur Osiandri causam cognoscere.

Cùm autem Morlinus Osiandrum ipsum audite enarrantem Psal. 71. sententiam: *Memorabor justitiæ tuæ solius*, à Principe juberetur, ac si quid verbo Dei minùs consentaneum sentiret, Osiandrum per literas monere: audito ipso, sequentem epistolam de totius causæ statu & controversiæ momentis, ad Osiandrum scripsit: quam etsi longiusculam, tamen hoc loco inserere operæ precium duximus. Sic igitur Morlinus:

Epist. Morlini ad Osiandrum.

Gratiam & pacem per Christum.

Meministi haud dubiè, vir reverende, quam „
piè & amanter tecum contulerim statim ab „
initio adventus mei, de justificatione homi- „
nis peccatoris, ubi sine Sophistica, sine ul- „
verborum portentis & præstigiis, quid sen- „
tiam, candidè & sincerè explicavi. Totus „
enim eram tui amore accensus, sicut in hunc „
diem, magnum virum suspicio, & cum ad- „
miratione in oculis fero. Scio enim quæ „
ingentia dona Dominus pro sua bona vo- „
luntate in hoc tuum vasculum contulerit. „
Interim cœpit agitari inter nos hoc negotium diligentius, jussu & mandato illustrissimi Principis. Eram ego totus in ea sententia, tantum esse inanes λογομαχίας & verborum contentiones magis, quam rerum: „
donec ex magnis viris fide dignis audio, revocari in dubium confessionem Augustanam. Perculit hoc animum meum, & affecit ingenti dolore. Neque enim ex suspicionibus, quæ sunt cæcæ, neque ex vulgi „
rumoribus hauseram hæc: sed ex summi ordinis viris præstantissimis audieram ipse. „
Et tamen cum adhuc spes esset de concilianda pace: sperabam omnia, donec tuum „

scriptum,

„ scriptum, seu responsum ad Theologorum „ ἀντιλογίας accepi. In eo videris propositione 4. Justitiam nostram facere, coram „ Deo, novitatem ipsam, infusam nobis bonitatem, lenitatem, mansuetudinem, misericordiam: ut sicut Deus his virtutibus positivè justus est, ita eandem suam justitiam „ nobis inserat, & infundat, atque ita justitia nostra sit eadem, quæ est justitia Dei. „ Hæc propositio, ut ingenuè & candidè fatear veritatem, fecit mihi rem totam suspectam magis. Sed tamen cum propter „ suspiciones nihil omnino in Ecclesia sit „ movendum, volui audire te ipsum. Accessi igitur lectiones tuas hoc biduo, in „ quibus hoc primum sum miratus: quod „ cum ferè per integras duas horas, de justitia hominis Christiani, qua peccator coram „ Deo justificatur, multa dixeris, nunquam „ tamen memineris Christi meriti: sed illud „ transieris fortiter, & reliqueris tanquam „ otiosam & mutam personam in theatro. „ Vulnus cordis mei, mi clarissime D. Osiander, tibi ingenuè & candidè aperio: ut possis non mihi solum, verum multis aliis etiam hæsitantibus, de te, pro tuo officio „ mederi. Tam non cupio te tantum virum „ perditum, quàm me ipsum, salva tamen per „ omnia veritate verbi.

„ Secundò, negas duplicem in Christo justitiam, quod non ego solus, verum universa asserit scriptura. Certum est enim, „ Christum à justo Patre ab æterno, justum Filium natum etiam ante incarnationem, & „ sine incarnatione. Postea in forma servi, „ omnem vitam ejusdem usque ad mortem „ crucis, fuisse obedientiam Filii erga Patrem: sic vocat Paulus Rom. 5. Philipp. 2. „ & Christus ipse Joann. 6. & 10. item Heb. „ 10. Psalm. 40. Hanc obedientiam filii esse „ justitiam & legis consummationem, nemo „ negare potestaut debet.

„ Tertiò, ne igitur de mea sententia hæsi„ tes, si fortè me non ante satis intellexisti: sta„ tuo fortiter, fortiùs, fortissimè, & sum super „ omnia certus: justitiam hominis peccatoris, „ non esse illam justitiam, qua Pater, Filius, „ & Spiritus sanctus, absolutè, extra incarna„ tionem, positivè, sunt justi, quia est hoc sim„ pliciter facere beneficium & meritum Christi „ in incarnatione merum nihil. Deinde non „ esse, novitatem, aut ullas qualitates divini„ tùs infusas, vel acquisitas: sed esse justitiam „ Filii incarnati, qui Deus & homo natus ex „ Maria virgine, mortuus propter peccata „ nostra, & resurrexit propter justificationem „ nostram, nobis credentibus in suâ persona „ hoc meritum, cum omnibus suis virtutibus „ tribuens per imputationem, extra hanc me„ diatricem, quæ ab incarnatione incipit, non „ tempore, sed formâ, nullam aliam audie„ mus. Quia ad hanc unam & solam re„ mittit nos scriptura: cùm de justificatione peccatoris loquitur: *Genes. 3. Semen mu-* „ *lieris conteret caput serpentis.* Hic non re- „ mittit Deus Adamum ad justitiam essen- „ tialem Filii, in qua tum quoque erat ju- „ stus ab æterno: sed ad semen mulieris, hoc „ est, ad Christum incarnatum.„ Galat. 4. Factum ex muliere, factum sub lege: ut eos, qui sub lege erant, redimeret. Sic Genes. 22. In semine tuo benedicentur omnes nationes terræ. Joann. 8. Abraham vidit diem meum. Jerem. 23. & 33. Et hoc est, quod vocabunt eam, scilicet virgulam ex David: Jehova justitia nostra. Sic Esaia. 53. Livore ipsius sanati sumus. 1. Petr. 1. Ipsius vibice sanati fuistis. Rom. 3. Interveniente ipsius sanguine: cap. 4. Mortuus est propter peccata nostra, & resurrexit propter justificationem nostram. Rom. 5. Quemadmodum per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita per obedientiam unius justi constituuntur multi: loquitur hic de justitia formali, qua justi „ constituuntur: Ea non est essentialis ju- „ stitia Patris, nec obedientia nostra; quâ „ incipimus legem aliquo modo præstare, „ sed obedientia Filii incarnati, in formâ „ servi, *Philipp. 2. sic 1. Corinth. 1.* „ Nos prædicamus Christum crucifixum, *& paulo pòst*; ex eodem vos estis in Christo Jesu, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia & sanctificatio. Galat. 3. redemit nos à maledicto factus pro nobis maledictum. Coloss. 1. Pacificati per sanguinem. Item, reconciliavit in corpore carnis &c. Hebr. 10. in qua voluntate sanctificati fuimus per oblationem corporis. Item: una oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. Desinam recitare alia quæ „ tibi sunt notiora, quam ut opus sit in „ memoriam revocare. Tantum hæc te- „ stimonia ideo adjeci: ut audias me, non „ otiosis speculationibus & aliorum calu- „ mniis & detrectationibus, sed gravi- „ bus & justis argumentis moveri. Ac „ peto, vir clarissime, propter san- „ guinem CHRISTI, ut ad hæc mihi „ respondeas amicè & candidè. Ego ver- „ mis, pulvis & umbra, te tantum vi- „ rum admoneo, sed ex animo candido „ & syncero. Spiritus Domini gubernet „ te totum, & rapiat ex tuis in sua, ex „ humanis in divina. Nostra sunt caro, „ fœnum, & stipula: Dei omnia sunt, „ verbum, veritas & vita, qui te custo- „ diat & gubernet: Amen. 18. Aprilis, „ anno 1551. „ Huic igitur epistolæ, sequentibus Osiander respondit: ex quibus, quantumvis brevibus, de ingenio illius vehementi judicium sumi potest.

Clarissi-

Clarissimo & ornatissimo viro D. Joachimo Morlin, Theologiæ Doctori, Pastori Ecclesiæ Kneiphovianæ, suo in ministerio verbi Dei Collegæ.

Osiandri responsio ad epist. Morlini.

Inflixisti mihi hodie in concione tua non modò acerbum verùm etiam sceleratum vulnus. Nemo enim aliter intellexit: accedunt literæ tuæ, nescio an indoctiores, an furiosiores. Verùm ut intelligas quàm me terrueris, audi. Ego mihi vehementer gratulor, quod te inimicum habeam apertum potius, quàm amicum incertum. Agerem aliter tecum, sed literæ tuæ adimunt mihi spem amicitiæ, concordiæ, & tuæ resipiscentiæ. Itaque respondebo tibi, non ut tu vis, neque quomodo tu vis, sed quando, & ut mihi commodum videbitur, & ostendam tibi, DEO adjuvante, coram totius Europæ Ecclesia, aliud esse doctum, aliud Doctorem Wittebergensem, qui oblitus Filii DEI, juravit se non discessurum à confessione Augustana, cum omnis homo sit mendax, nec excipiatur Philippus. Hæc memori mente reponito. 19. April. 1551.

Hæc cum legisset Princeps, jubet nihilominus pergere Morlinum, & literis ad eum, modestè & sine ulla iracundiæ significatione scriptis, responsum urgere, sed cum nihilo moderatiùs ille rescriberet, & jam in concionibus, lectionibus, & scriptis editis, alii alios hæreseos, aliorumque criminum arguerent. Princeps aliam restituendæ concordiæ viam ingressus, mandat, ne quis ante cognitionem causæ alterum condemnet, sed singuli suæ opinionis, & sententiæ summam & nominatim de hoc capite: *Quæ sit nostra Justitia coram DEO?* seorsim propriis verbis conceptam, principi offerant, & judicium de illis legitimum exspectent.

Jubentur scripto complecti sententiam dissidentes.

Osiandri.

Osiander, *justitiam Dei essentialem, quæ est Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus nostram quoq; justitiam esse* affirmat: *cum per verbum Dei in nos credentes influit, & in nobis habitat, & efficax est*, & prolixo libro, qui editus est, confessionem suam expouit. Staphylus contra asserit, *aliam esse justitiam, qua Deus justus est, aliam qua miserum peccatorem induit, & justum reputat. Hanc, esse opus Dei in Christo Jesu, illam creatorem ipsum*: Morlinus, *nihil aliud esse justitiam nostram seu fidei, quàm acerbissimam mortem, innocentem sanguinem, & resurrectionem Servatoris nostri, Jesu Christi*, citatis testimoniis Rom. 5. Johan. 16. Esa. 53. Ephes. 1. Coloss. 1. Rom. 3. asseverat. Georgius Venetus, *justitiam Christi, quæ sit obedientia Jesu Christi veri Dei & hominis, in passione, in morte, qua iram Dei adversus nostra peccata, placavit, verè esse nostram justitiam coram Deo, cum firma fide eam apprehendimus; & nobis applicamus.* Petrus Hegemon, *transitum Christi ad Patrem*, ex Joh. 16. Luc. 24.

Staphyli.

Morlini.

Georgii Veneti.

Hegemonis

Hæc scripta cùm exhibita essent, princeps, etsi dissimilitudine offendebatur, tamen *Osiandri confessionem de Mediatore Christo, & justificatione fidei*, prolixè explicatam, prælo subjici voluit, ut commodius exempla illius Theologis Regiomontanis, & aliis, ab eo dissidentibus, de illius doctrina judicium laturis, communicari possent. Morlinus igitur & cæteri Theologi se quoq; suas refutationes typis descriptas edituros esse, nec privatim ampliùs cum Osiandro, ut volebat princeps, scripta commutaturos, ostendunt.

Interea *Fridericus Staphylus*, qui inter primos se Osiandro opposuerat, cùm Wittembergenses præceptores se languidiùs Osiandro opponerent, & aliter, quàm existimarat, rem geri videret: Vratislaviam secessit, ac prorsus ad Pontificios defecit. *Franciscus* autem *Stancarus* Mantuanus Francofordiam ad Oderam migravit, aliudque bellum Theologicum movit. *Morlinus* in acie immotus constitit, & lingua calamoque bellum adversus Osiandrum gessit.

Staphylus deficit.

Stancarus Francofordiam abit.

Confessio autem Osiandri, qua doctrinæ suæ de justificatione explicationem prolixè & accuratè evolverat, statim ubi typis descripta fuit, publicè omnibus venit, & à Duce Borussiæ ad præcipuos ordines, principes, & civitates Augustanæ confessioni addictas *viginti quatuor*, missa, & Theologorum judicio subjecta est. Hi omnes Osiandri *κενοφωνίας* unanimiter improbarunt, solo *Erentio* & Wittembergensibus exceptis, qui non judicum, sed medicorum munus sibi sumentes, conciliare potiùs partes inter se dissidentes, quàm alterutram damnare voluerunt.

Confessio Osiandri.

Theologorum judicio subjecta.

Moderatissima verò omnium & lenissima fuit *Melanchthonis* responsio, erudiendis potiùs priorum mentibus, quàm adversarii objectionibus & calumniis retundendis, occupata. Hujus auctoritate & nomine clarissimo, cùm inprimis se premi Osiander videret: refutationem illius Sophisticæ plenam, insertis de verbo ad verbum censuræ Melanchthonis verbis, edidit: exorsus à calumniosâ depravatione promissionis, quâ in renunciationibus testimoniorum publicis Wittembergæ ostendunt Canditati: *se amplecti incorruptam Evangelii doctrinam, & tueri symbola ac confessionem Augustanam, & si forte controversiæ incidant, deliberaturos cum senioribus in Ecclesia Wittembergensi.* Hoc juramento tyrannidem & seditiosam conjurationem institui calumniantur: ut omnes ex solius Melanchthonis, auctoris illius Confessionis præscripto atque interpretatione pendere cogantur. Itaq; in controversiâ, cum adversariis suis, Philippo juratis, nullius ponderis Melanchthonis sententiam esse. Deinde nullis illum scripturæ testimoniis doctrinam Osiandricam refutare; sed ambiguis verbis idem ferè, quod ipse, dicere jactat: imò non audere sententiam suam disertis verbis aperire, quod sciat, eam verbo Dei non posse probari. Prodit tunc & Joachimi Morlini *ὁμοψήφων* Theologorum liber adversus Osiandrum, cujus *titulum* duntaxat, quasi *septem mendaciis scatentem*, Osiander statim refutavit.

Melanchthon. de ea sententia.

Iuramentum Candidatorum Wittembergæ.

Morlini liber contra Osiandrum.

Hortatus est Morlinus cum collegis principem, ut propter gloriam Dei & subditorum salu-

Petita dijudicatio causæ.

salutem, judicia Ecclesiarum, à se requisita publicari sinat, tandemque exequatur, & cognitas jam atque indicatas Osiandri blasphemias ulterius spargi non patiatur, sibi etiam defensionem contra Osiandri invectivas concedat. Princeps Dantisco demum, quò ad Sigismundum II. Poloniæ Regem profectus erat, respondit: *Ante judiciorum publicationem Osiandrum etiam audiri oportere, an rectè eum omnes intellexerint, & an sufficienter sua probent, verisq; fundamentis scripturæ Osiandrica refutent. Videri, neminem ex illis sibi constare, & certò constituere posse, quæ sit nostra justitia: non multitudinem, sed verbum Dei spectandum, sicut sæpè antea veritatem, plerisq; errantibus, unus aliquis Paphnut. Athan. Luth. conservarint. Ideò non properandum esse. Melancht. judicium magis pro Osiandri sententiâ, quàm contra intelligi posse, tametsi non æquivocis illis & ambiguis scriptis, sed sacra scriptura sola teneri velit. Eam cùm solam Osiander alleget, & suam doctrinam inde confirmet, prohibere sè ipsi conciones & prælum non debere: cùm nec ipsum Morlinum, modestè se defendentem, impedire, sed utramq; partè audire constituerit.*

Principis responsio.

Antequam autem princeps Dantiscum abiret, Osiander excerpens ex singulis cæterorum Theologorum judiciis, quæ in speciem poterat depravare, multis simul, quorum nomina primæ paginæ inscripserat, respondit uno libro, cui titulum Schmeckbier fecit.

Osiandri responsio Schmeckbier.

Reversus Dantisco princeps, sepositis omnibus cæterarum Ecclesiarum judiciis, solum Wittenbergense scriptum quod Osiandrum minus, quàm cætera, prægravare videbatur, velut medium concordiæ proposuit. Id cùm utraq; pars pro se interpretaretur, atrocius & pernicioſius incendium exarsit. Ibi cùm in acie novaculæ Osiandri adversarii essent constituti; quos tanquam turbatores Reip. inquietos, petulantes, seditiosos, à magistratu è medio tollendos jactitabant, præter omnem exspectationem *Osiander paroxysmo epileptico* prostratus, post paucos dies ex hac vitâ discessit, priusquam tristiores tragœdias in Borussiâ, & aliis Augustanæ confessioni conjunctis Ecclesiis, excitaret. De obitu autem ejus cùm varia à variis sparsa fuerint, adscribemus narrationem de eo ex Funccii Chronologia, quæ ita habet:

In medio certamine moritur Osiander.

Narratio obitus illius.

Anno post natum Christum 1552. *d.* 2. *Oct. decumbere cepit reverendus, ac in omni doctrinarum genere excellentissimus vir Andreas Osiander. Qui cùm multis Pseudodoctorum atq; theologastrorum mendaciis atq; calumniis, multisq; aliorum hominum insidiis, longo jam tempore ob unicam Christi justitiam esset impetitus: nihil magis optavit, quam ut Dominus miseriarum ipsi faceret finem. Quandoquidem non tam innocentiam vitæ ejus, quam puritatem doctrinæ Evangelicæ, quam ipse est professus, omnibus ita esse propositam confideret, ut ex scriptis à se editis sine magno labore possent cognosci. Deinde & adversariis suis, qui scriptis ipsum impugnarunt, magna ex parte sic responsum arbitrabatur, ut quivis verum scire volens, facilimè judicare posset, quantâ injuria, non dicam, quam impudentissimis mendaciis & calumniis bonum virum, contra suam ipsorum conscientiam oneraverunt: quæ tamen propediem magis in lucem venient; cùm & ea quæ restant ejus scripta, cum descriptione totius vitæ ejus in publicum prodibunt. Decubuit ad decimum quartum diem, nihil molestè ferens ægritudinem. Spes omnibus erat, eum brevi nobis sanum atq; incolumem restitutum iri, quamvis ipse aliter sentiret. Sed nihil neq; nobis, neq; uxori suæ, quæ sensit, aperiebat; donec manifestissima mortis signa adessent. Tunc convocatis ad se uxore, & liberis, aliisq; pietatis atq; veritatis Christi doctrinæ studiosis viris, animam suam Domino nostro Jesu Christo commendavit, atq; ex hac vitâ decessit, die decimâ septimâ Octobris, circa horam quartam, post meridiem. Vulgatâ ejus rei famâ per urbem, adversarii ejus, spiritus sui impulsu, qui eos regit, mendaciis & mortuum proscindebant, nescio quæ de ipsius corporis dilaceratione mentientes. Quâ impulsus famâ illustrissimus atq; pientissimus Prussiæ Princeps Dux Albertus senior, publico judicio corpus jam humandum diligenter inspici, ejusq; conditiones libris judicialibus inscribi mandavit, præsertim ut mendaces adversarii haberent suorum mendaciorum fructum, nempe pudorem, alii verò veritatis testimonium. Quâ pompâ funus sit celebratum in vitam ejus referemus, his paucis hoc loco indicatis, quod sepultus est ad XIX. Octobris, in magna hominum frequentiâ, præsente Illustrissimo Principe, D. no, Domino Alberto seniore, Marchione Brandeburgensi, primoq; Prussiæ Duce: quem comitabatur totum Gynæcium cum Ducissa Prussiæ, Domina Anna Maria, atq; ducis filiâ Anna Sophia, &c. Corpus humandum ultra unam horam omnibus conspiciendum adstabat in Ecclesiâ parochiali, in qua & docuit, & sepultus est. Quæ mortem ejus porrò consequentur: dies docebit.* Hactenus Joannes Funccius Comment. in suam chronologiam lib. X. sub finem commentariorum.

Mortuo itaque Osiandro non statim etiam dogma ejus mortuum & exstinctum est. Nam *Funccius, Sciurus*, & alii Λειτεργωνιςαὶ, id deinceps defenderunt, & princeps edito mandato, juxta Wirtembergensem censuram doceri jussit. Huic cùm pro concione *Morlinus* esset adversatus, ac auditores, ne parerent, adhortatus, à principe dimissus fuit. Quo vix digresso, Illustrissimi Principis *Joannis Friderici*, Saxoniæ Ducis, legati, ac in his Theologi *Justus Menius* & *Joannes Stolsius* advenerunt. Cupiebat enim optimus ille princeps pro amicitiâ & necessitudine fraternâ, quæ utrisque à teneris intercesserat, amicum Borussiæ ducem, ab Osiandro seductum, monstratis per Theologos suos Osiandri erroribus, in viam veritatis reduci. Cognitis igitur legatorum mandatis, Dux Borussiæ Theologos suos, *Joannem Funccium* & *Joannem Sciurum*, adhibitis aliis, Osiandri sententiæ addictis, confessionem fidei suæ scribere jussit, quæ Saxo-

Osiandri adsecla.

Morlinus dimittitur.

Legati Saxonici ad Borussiæ ducem.

Colloquuntur cum Osiandricis.

Vid. chron. Borussiæ German. Caspar. Hennebergeri.

Saxonicis Theologis proponeretur. De qua cum utrinq; scripta prolixa Theologi comutassent, & præsidente *Poppone* Comite Hennebergensi, etiam collocuti essent, tandem *ultra trimestre* Regiomonte cōmorati, cum de summa rei non conveniret, scriptis judicio Ecclesiæ subjectis, re infectâ, discesserunt.

Re infectâ discedunt.

Anno deinde *quinquagesimo quarto*, Dux Borussiæ evocatis Tubingensibus Theologis, à *Christophoro* Duce, petenti missis, aliam de pace Ecclesiarum restituendâ actionem suscipit: *novam confessionem* suo nomine scriptam, & exteris & suis è toto ducatu Regiomontem coactis, proponit. Subscripserunt utrinque, nisi quòd *Venetus* * *Hegemon*, & alii Pastores petiverunt, ut insuper Osiandri dogma damnaretur, & sententia Ecclesiarum executioni mandaretur. Hic jussi formam executionis præscribere, cum deliberatio in aulâ protraheretur, abitum Theologis parantibus, princeps præter expectationem decretum promulgat, quo de justificatione ita doceri præcipit: *Justitiam miseri peccatoris in DEI judicio, esse remissionem peccatorum, passione & morte Filii DEI partam, fideq; apprehensam. Reconciliatos autem fide, renovari etiam oportere per inhabitantem in eis Deum Patrem, Filium & Spiritum sanctum, qui novam justitiam & vitam in eis inchoet, perficiendam in omni æternitate. Hanc doctrinam, ut majori cum fructu propagent, mandat ut ab omnibus infectationibus personarum abstineatur, & charitas Christiana cum omnibus colatur. De forma executionis, auditurum se ecclesiarum judicia, judicat.* Sic paulatim Princeps reductus, postea à anno *quinquagesimo quinto* mandatum id repetit; atque exploratis ecclesiarum de executione sententiis, ἀμνηστίαν, & oblivionem omnium offensionum sancit, in qua ipse Dux, etsi alii ut *pallium Osiandrismi*, eam traducerent constanter deinde acquievit. Post etiam, cùm duæ in ducatu Borussiæ episcopæ *Sambiensis* & *Pomezanensis*, restitutæ; & reditibus auctæ essent: revocati sunt & iisdem præfecti, *Sambiensi* quidem *Joachimus Morlinus* ex Brunsuicensi ecclesiâ revocatus, *Pomezanensi* verò *Georgius Venetus*, nobili familia Prutenica natus, ex Pomeraniæ oppido *Colberga*, ubi è Borussia exul, Superintendentis munere erat functus.

Confessio nova Ducis Alberti.

* *De quibus supra.*

Ei subscribunt Theologi.

Decretum Principis, uti docendum de justificatione.

Dux Albertus in viam reducitur.

Ἀμνηστίαν sancit.

Duo episcopatus in ducatu Borussiæ.

Morlinus revocatus fit Episcopus Sambiensis.

Factum hoc anno *milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſexto*, atque ita tandem bellum id Theologicum sopitum est, sublatis etiam quibusdam pacis turbatoribus, de quibus Chronica consulenda.

Finis belli Osiandrici

Fuit Osiander sanè ingenio naturaque excellente, & doctrina * multiplice, facultate insuper præclara in pronunciando, quæ cogitasset, instructus: tamen non cavisse apparet, ne oppugnando alios, & suspectam formam doctrinæ callidè introducendo, novas quasi secures impingeret rei Ecclesiasticæ. Certè suo exemplo id, quod Poëta ait, verum esse ostendit:

Osiandri elog.

* *Camerar. in vita Melanchth.*

Qui velit ingenio cedere, rarus erit.

Martialis.

Optimum *Melanchthonem* atrocibus contumeliis & conviciis appetivit *: quæ tulit omnia placidissimus senex animo æquissimo: etiam tam inhumaniter acceptus postea honorificam ejus fecit mentionem. Narrat alicubi * de diæta ipsius & hæc: *Osiander ita sibi abrupit vitam. Solebat incumbere studiis circa horam nonam noctis; & continuabat ea ad primam vel secundam usq;. Sæpe eum conveni, cùm essemus Augustæ in conventu. Manè surgebat, quando erat cibus appositus ad mensam, descendebat de scalis, & gestabat caligas repositas in brachiis. Solebam dicere ad eum:* Domine Andrea, Ihr hättet die Suppen schier verschlaffen: *respondebat:* Ich weiß die Zeit wohl zu treffen: *& hilariter prandebat ac bibebat: ut Melancholici sunt voraces. Postea ibat deambulatum unam vel alteram horam: tertiâ vel quartâ hora legebat vel scribebat aliquid; postea cœnabat, & circa horam noctis nonam iterum ad studia redibat. Factus est tandem Hydropicus, id tribuo illi consuetudini. Quando venit in Prussiam, voluit etiam certare cum aulicis bibendo, sicut poterat largiter bibere, erat enim robustus vir.* Hæc Melanchthon. Et cùm usum auri etiam in medicinis esse, non ignorent eruditi: Osiander hic auream catenam collo gestasse scribitur *: ne lepra inficeretur.

Diæta Osiand.

* *Inter alia edidit lib. cum tit.* Aderas tassen *Philippi.*

* *In enarrat. evangelior. part. 4. p. 206.*

* *Georg. Fabr. in observ. de reb. metallicis.*

Animus autem in eo fuit admodum confidens, & mores nequaquam moderati ac suaves. Calvinus levitatem etiam ei exprobrat epistola quadam ad Melanchthonem, *qui quoties vinum suave & generosum laudare volnit, has in ore habuit voces:* Ego sum, qui sum: *Item.* Hic est Filius Dei vivi *quæ manifesta prodiderunt ludibria.* Præter illa portentosa dogmata, etiam hoc invexit, quòd de pane Eucharistico dicere solitum Melanchthon scribit: *Hic panis est Deus.* Quod quàm sit scripturæ & analogiæ fidei consentaneum & quæ paradoxa inde sequantur, eruditi vident.

Levitas Osiandro exprobrata.

Hic panis est Deus, an rectè dicatur.

Cardanus etiam hoc de ipso narrat *. *Adolescens cùm esset, & quartana laboraret, sub ipsius accessionis tempus visus est sibi in nemore esse, atq; à diversi generis feris ac serpentibus appeti. Accedente autem patre suo, illicò menti pristinæ est restitutus, agnovitq; domum, cubicula, & amicos adstantes absq; ullâ formidine. Recedente verò patre, denuò species illæ animo obversatæ sunt, & redierunt imagines omnes.* Perseveravit hoc malum tantisper, dum febris illa. Editus fuit aliquando liber diversis in locis, de Magistratu politico, sine nomine quidē auctoris, sed quem arrogantia facile prodidit. Ejus exordium fuit hoc: *Quotquot hactenus scripserunt de magistratu, omnes aut nihil intellexisse, aut turpiter assentatos esse principibus.*

* *De subtil. lib. de Mirabilib.*

Liber de magistratu.

Coronidis loco lubet adscribere verba Melanchthonis, *de inhabitatione DEI in sanctis*, ad ipsum Osiandrum *Evangelium*, inquit *, *sanctificationem tribuit Spiritui sancto, & sapissimè dicitur:* Fide accipi Spiritum sanctum, *ut ad Galatas:* Ut accipiamus Spiritum per fidem. *Certum est tamen simul esse, Patrem, & Filium, Spiritum spirantes sanctum in corda nostra, sicut Filius afflat Apostolos & halitu largi-*

* *In consiliis Theol. part. 2. p. 155.*

largitur Apostolis Spiritum sanctum, Joh. 20. Ita dicitur Joh. 14. Veniemus ad eum: *Hæc certissima & verissima sunt. Nec eodem modo intelligantur hæ propositiones:* Deus est ubique, & Deus habitat in sanctis. *Nam hoc inhabitare sic intelligitur, quod ibi Pater, & Filius spirent Spiritum S. in corda sanctorum, & luce ac justitia nova sanctificent eos. Ideo Augustin scripsit*: Fatendum est, Deum esse ubique per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam.

Augustini dictum.

Christus est ubiq; quomodo explicandum.

Hinc jam aliæ quæstiones oriuntur. Tota antiquitas declarans hanc propositionem, Christus est ubique, *sic declarat*, Christus est ubique personaliter. *Et verissimum est, Filium Dei, Deum & hominem habitare in sanctis. Sed antiquitas hanc propositionem rejicit:* Christus corporaliter est ubique. *Quia natura quælibet retinet sua ἰδιώματα. Unde Augustinus & alii dicunt*: Christi corpus esse in certo loco. *Sic* " *Augustinus enim inquit*: Sic Christus ven- " turus est, angelica voce testante, quemad- " modum visus est ire in cœlum, id est, in ea- " dem carnis forma, atque substantia, cui " profectò immortalitatem dedit, naturam " non abstulit. Secundum hanc formam non " est putandus ubique diffusus. Cavendum " est enim, ne ita divinitatem astruam[9] homi- nis Christi, ut veritatem corporis auferamus.

Lutherus âme interrogatus de loco ad Rom. 8. Si Christus in vobis est: *dicebat se intelligere, ut antè scriptum est*; Si Spiritus Christi in vobis est. *Nec tamen Augustini dictum, & similia* (corpus Christi est in certo loco) *pugnant cum his dictis*, Christus est ad dexteram Patris, Christus est ubique. *Quia illa arcana exaltatio in regno & sacerdotio non est physica localitas: de qua physica localitate Augustinus loquitur, & benè dicunt veteres*: Christus est ubique personaliter. *Sed declarationes sententiariorum frigidiores sunt. Cùm sit una persona Christus, & sit unum ὑφεστὸς, liberrimè in sanctis habitat, juxta illam arcanam exaltationem, qua est ad dexteram Patris. De his tantis materiis oro, ut tuas cogitationes nobis impertias. Vellem à te declarari propositionem*: sedet ad dexteram Patris.

Essentiali justitia Christi sumus justi, quomodo accipiendum.

Cum dicis, Essentiali justitia Christi sumus justi, *procedis in declaratione ad effectionem*: Essentiali Christi justitia efficitur in nobis novitas, *ut si dicas*, essentiali vita Christi vivificamur. *At nostræ ecclesiæ non tantum de effectione loquuntur, sed ubiq; vox divina clamitat*, sanguine & morte filii Dei placatam esse iram Dei. *Et Paulus inquit*: Quem posuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius. *Quare propter hoc meritum dicimus, nos habere remissionem peccatorum, & reputari justos, & simul essentialem justitiam in nobis efficacem esse.*

De eadem inhabitatione Dei in sanctis, Philippus hæc scripsit manu sua in pagella.

Præsentia universalis cum creaturis, quæ est conservatio subsistantiarum, non nominanda est inhabitatio. Sed inhabitatio intelligatur proprie de Ecclesia in hac vita, & post hanc vitam, ut Paulus loquitur Ephes. 3. κατοικῆσαι τὸν χριστὸν διὰ τῆς πίστεως ἐν ταῖς καρδίαις ὑμῶν. *Et fatendum est, Deum habitare in cordibus, non tantum sic, quod ibi sit efficax, & non adsit sua ipsius essentia, sed quòd adsit, & sit efficax. Nec tamen sit unio personalis in nobis, sed Deus separabiliter adest nobis ut in domicilio separabili. Velim & ordine exponi, quomodo personæ sint in nobis. Duæ personæ missæ sunt, Filius λόγος, & Spiritus sanctus. Filius proferens verbum ostendit Patrem in mente, ut scias hanc esse voluntatem æterni Patris, juxta dictum*: nemo novit Patrem, nisi Filius, & cui Filius volet revelare. *Cum hac notitia intus adest λόγος Filius: & tunc Pater per Filium dat Spiritum sanctum, qui immediatè efficit lætitiam, qua cor lætatur in Deo. Sic λόγος ad Adam loquitur immediate, & foris sonat verbum vocale, intus accendit notitiam, & monstrat Patrem, & per λόγον datur Spiritus sanctus in cor Adæ, quo lætificatur, & revivisc̃ere se sentit, & scit se ex morte liberatum esse, & confirmatur, ut sequentis vitæ miserias perferre possit.* Hoc exemplum est illustre.

Et hæc sufficiant de Osiandro. *Chytræus in Saxonia: Crusius in annalibus: Thuanus in historia Augusta: Consilia Theologica Melanchthonis: Camerarius in vitâ Melanchth. Funccius in Chronologia.*

CASPARUS HEDIO.

OPpidum est Marchionatus Badensis *Etlinga*, aliis *Posidonopolis*, à Neptuno, cui *Phorcys* Trojanus ut volunt * delubrum in vertice montis adsiti condidit: quemque incolæ olim inter alios deastros coluerunt. Idolum sanè Neptuni, lapideæ tabulæ insculptum, superiori seculo per eluvionem Rheni erutum constat: quod supra oppidi portam collocatum, cum epigrammate hujus *Hedionis*, publicè fuit visum; postea de voluntate *Maximiliani* Imperatoris ablatum. Hoc oppidum præter *Franciscum Irenicum* & alios protulit *Casparum Hedionem* honestis natum parentibus, ac primum *Friburgi* Brisgoiæ, postea *Basileæ* Rauracorum, literis humanioribus excultum. Et *Friburgi* quidem Philosophiæ Magister: *Basileæ* autem Theologiæ Doctor renunciatus est; idque sub annum *vicesimum, seculi decimi quinti.*

Sub idem tempus, vix dum renatâ in Germaniâ evangelii luce, qua & ipse jam erat collustratus: summo apud Moguntinos templo est præfectus. Sed cùm teneris ibi & delicatis quorundam auribus minus placeret, gravesque sustineret à clero persecutiones, *Argentoratum* abiit, anno vicesimo tertio, ubi cum *Wolffgango Fabricio Capitone*, & *Martino Bucero*, evangelii rem mirifice juvit, frustra frendentibus & ringentibus Pontificiis. Ita enim Nicolaus * Gerbelius: *Evangelio mirificè prodest Hedio. Nam sinceritate vitæ, & gravitate docendi, reliquorum sententias corroborat. Neq; hactenus atrocio-*

Etlinga Hedionis patria.

* *Irenic. exeg. Get. c. 4. & 12.*

Neptuni simulatrũ.

Fit Philos. & Theol. Doctor.

Præficitur summo templo Mogunt.

Abiit Argentorat. ibi docet.

* *Epist. 21. ad Joh. Schwebel. p. 39.*

ribus

ribus odiis res acta: sive quòd acceſſerit Hedio, ſive quòd actum eſſe de rebus ſuis timeant, neſcio. Certè acerrimè ferunt; ſcorta, quæ adeò delicatè amant, tantâ invidiâ degravari, utpote cùm tantopere pro concionibus commendetur conjugii ſanctitudo, contrà nihil deteſtabilius eſſe omnis generis depravatiſſimâ libidinandi conſuetudine. Statim igitur eodem anno ad exitum vergente, ſenatus mandavit concionatoribus, ut Evangelium liberè & publicè docerent, & auditoribus Dei ac proximi amorem inſtillarent, omiſſis tamen ſcommatis, & quæ vel ſcandalo, vel commovendo populo eſſe poſſent. Eodem anno trigeſimo tertio uxorem duxit Hedio & publicè nuptias tricesimâ Maji celebravit, de quibus ita idem Nicolaus Gerbelius †: *Proxima die Lunæ Hedio publicè ante horam octavam nuptias ſuas celebravit, vidiſſes innumeras turbas per omnia compita ſtantes, cùm ingrederentur & egrederentur ad nuptias invitati.*

Religio Argent. mutata.

Duxit uxorem Hedio

† Epiſt. 25. p. 68.

Quamvis autem non ſolùm Moguntiæ, ſed & Argentinæ, acerrimas à Papæ mancipiis ſuſtinuit perſecutiones, infracto tamen ipſe animo perſtitit, palàm Evangelii veritatem, contra miſſas, indulgentias & alias Monachorum cauponationes confeſſus. Idque non ſolum voce, ſed & ſcriptis fecit. Nam cum anno *viceſimo quarto*, Theologi Argentinenſis cauſas * ſuſceptæ à ſe mutationis, ex ſacris literis, libro edito, reddidiſſent: Hedio non ſolùm ei cum ſuis ſymmyſtis ſubſcripſit, ſed & Theſes aliquot *Conradi Tregeri* paradoxis oppoſuit, & doctrinam, immoto cœleſtium literarum fundamento nixam, fortiter defendit.

Perſecutiones patitur.

* Vide ſupra vit. Bucer.

Anno *quadrageſimo tertio*, cùm Archiepiſcopus Colonienſis reformationem animo agitaret, præter Bucerum etiam Hedionem accerſivit, ut qui vir eſſet & ingenii valdè ſedati, & ad docendum populum inprimis idoneus. Sed cum Cæſar ſecundo flumine Bonnam veniſſet, non in nullo diſcrimine ambo fuerunt, maximè præſentibus Hiſpanis, & tandem, ſic urgente Cæſare, dimiſſi.

Scribit contra Pontificios.

Sleid. l. 15. comm.

Evocatur à Colon. Hedio.

Nec verò tantum in templo ſacra Hedio docuit, aut in ſchola explicuit, ſed & quicquid otii ſubſecivis horis ſuffurari potuit, commentationibus piis, ac hiſtoriarum monumentis illuſtrandis impendit, quorum bona pars foras data, uti mox dicemus. Præclarè itaque de Eccleſia Chriſti meritus, Argentorati finem vivendi fecit, anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſecundo*, die *decimo ſeptimo* Octobris, non ſolùm præcipuus tunc Eccleſiæ illius Paſtor fidelis juxta ac diligens, ſed egregius etiam philiſtor & polyhiſtor.

Moritur.

Teſtamentum manu ejus ſcriptum, repertum eſt tale: GOTT hat mich ohn meine Sorg leben laſſen / biß uff dieſe Stunde / dazu mir ſeinen lieben Sohn Jeſum Chriſtum zum gewiſſen theuren Pfand deß ewigen Lebens geſchencket. Darumb fahre nun hin meine liebe Seele / du haſt einen treuen Heyland / der dich zu ſeinen Händen auffgenommen hat.

Teſtamentum Hedionis.

Succeſſit ei in profeſſione *Hieronymus* * *Zanchius* Italus: *Ludovicus* autem *Rabus* in curatione pauperum ſtudioſorum, quorum *quadraginta* ampliùs, piâ ſenatus munificentia in Wilhelmitarum Collegio Argentorati aluntur. Notum eſt epigramma in Hedionem *Nicolai Reuſneri*, quod exſtat ejusmodi:

* De quo in Theologis extraneis.

Beneficentia Senat. Argent.

Seu vis hiſtoricus, fidei ſeu Doctor haberi,
Magne Hedio, rectè nomen utrumq; geris:
Te fidei ſanctæ vocat Argentina fidelem
Myſten; & vocem laudat amatq; tuam.
Te legit Hiſtoricum Germania tota fidelem:
Quam legit hiſtoriâ laudat amatq; tuam.
Mortuus ut ſis ergo, ſuperſtes vivis in orbe,
In doctis, hæres atheris ipſe, libris.

Epigramma Reuſneri in Hedionem.

Amicitiam, quæ *vitæ condimentum* eſt *unicum*, coluit ſincerè, cum ſinceris ejus ætatis doctoribus doctisve; inprimis cum collegis, & præter eos cum *Joh. Oecolampadio*, uti epiſtolæ teſtantur, & cum *Nicolao Gerbelio* JC. quod ipſe de ſe hiſce confirmat *: *Mira mihi eſt cum Hedione familiaritas, Hebraica & Græca ſtudia communia, ingeniorum rara quædam æqualitas. Deus faxit, ne malus aliquis diſcordiam interſerat. Scis enim nihil iniquius ferre Dæmonem, quàm ſinceras amicitias.*

Amici Hedionis.

* Epiſt. 21. ad Joh. Schvebel.

Scripta Hedionis partim *Theologica* ſunt, partim *Philologica*.

Scripta Theologica

Ex illorum numero ſunt, quæ aut ipſe ſcripſit, aut ab aliis ſcripta emendavit; ut

Sermo de decimis, Moguntiæ habitus:

Smaragdi Abbatis commentarii in evangelia & epiſtolas per totum annum, ex Patribus collecti, quos Hedio è M. S. reſtituit.

Hiſtorica ab eodem edita ſunt:

Hiſtorica.

Hiſtoricæ ſynopſis, qua Sabellici inſtitutum proſequitur, ab anno 1504, quo Sabellicus pervenit, ad annum uſque 1538.

Chronicon Abbatis Urſpergenſis correctum:

Paralipomena illi addita rerum memorabilium, ab anno 1230. ad annum 1537.

Chronicon Germanicum.

Tranſtulit præterea in Germanicam linguam libros hiſtoricos & alios: ut

Translata in Germanicam.

Euſebii, Egeſippi, Joſephi:

Chronicon Abbatis Urſpergenſis:

Cuſpiniani Cæſares:

Chryſoſtomi Homil. in Matthæum & Joannem.

Auguſtini quædam opuſcula:

Ambroſii libros officiorum:

Smaragdi Abbatis Poſtillam:

Demogorias Oecolampadii in Epiſtolam Joannis:

Ludovici Vivis de eleemoſynâ:

Philippi Cominæi hiſtorias:

Eraſmi Roterodami, de præparatione ad mortem:

Hermanni Bodii unionem diſſidentium:

Lutheri Commentarios in Pſalmos graduum, & ſi quæ alia.

Pantal. Candidi epigramma.

Ex his autem breviter ità repetitis apparet, fuisse virum bonum, ac memoriâ posteritatis dignum, uti & *Candidi* illius verè candidi Christi servi, epigramma monet:

Argentina, tuis Hedio, pia dogmata templis,
Sincerâ docuit, religione Dei.
Cumq; tibi pietas sit, priscaq; gloria cordi:
Non poteris tanti non meminisse viri.

Suggesserunt nobis hæc de Casparo Hedione *Pantal. l. 3. Prosopogr. Chytræus in Saxonia: Crusius in annalibus Suevicis: Sleidanus in Comment. Epistolæ ad Joh. Schvvebelium: Pantaleonis Candidi epitaphia.*

JOANNES ÆPINUS.

Ⓞ 1551. d. 13. Maji ætat. 54. Hamburga.

JOannem *Æpinum* nobile Germaniæ in litore Baltico emporium *Hamburga* edidit, sub annum Christi *millesimum, quadringentesimum, nonagesimum nonum*, atque ab iis, quibus ætas prima imbui debet, sic satis instructum, *Wittembergam* extrusit: ubi *Luthero* inprimis præceptore usus, ad Theologiam omni animi conatu incubuit, linguarum atque humaniorum literarum studio minimè neglecto. Hæc enim πρὸ ὁδοῦ καὶ ἔργα sunt, quodcunque doctrinæ genus capessas.

Wittembergam missus Æpinus.

Anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo secundo*, cùm J. *Bugenhagius* Wittembergâ evocatus, doctrinæ, rituum, & vocationis ministrorum Ecclesiæ Hamburgensis formam descripsisset, & scholam in cœnobio S. *Jo-*

Fit Pastor Hamburg.

annis constituisset: *Æpinus* Pastor ad D. *Petri*, ac biennio pòst, totius Ecclesiæ Hamburgensis Superintendens, ut appellamus, pridie Pentecostes est constitutus.

Deinde anno *trigesimo* idem Æpinus, ut testimonium etiam ab exteris haberet, una cum *Casparo Crucigero*, & de quo modò diximus, *Bugenhagio*, primus ex Evangelicis sanctæ Theologiæ Doctor salutatus est; panegyrin Academicam ipso Electore illustrante.

Doctor renunciatur Wittembergæ.

Vide vitam I. Bugenhagii.

Anno quarto post cùm *Henricus VIII.* Angliæ rex, Papatu abdicato, conjunctionem & auxilia ab urbibus maritimis, quæ Pontificis Romani tyrannidem abjecerant, interque eas ab Hamburgensibus quoque petiisset, miserunt isti in Angliam cum Senatoribus, etiam *Æpinum*, ita rege petente.

In Angliã mittitur.

Oppugnat Interim.

Domum reversus ecclesiam suæ fidei concreditam docuit, & cum à fatali illa Germaniæ clade, *liber Cæsarianus* in publicum exiisset, quo nova doctrinæ atque rituum forma sanciebatur: Æpinus & scriptum ipsum refutavit, & Lipsensium atque Wittembergensium dissimulationem animique mollitiem apertè, Συμμάχῳ Flacio Illyrico, notavit. Sed hoc dissidium alibi attigimus.

Moritur.

Ad cœlestem triumphantis ecclesiæ consuetudinem abit Æpinus, anno Christi *millesimo, quingentesimo quinquagesimo tertio, decimo tertio* Maji; cum militasset in terris annos quinquaginta quatuor, & ecclesiæ præfuisset annos circiter viginti. Fuit & hic vir ingenio, variis linguarum, artium & rerum Theologicarum scientiâ magnus, quamvis eruditio ejus, ipso vivente, latuit ferè, & demum innotuit sub interreligionis forma. Itaque cùm Melanchthon vidisset, quæ Æpinus contra illam formulam scripserat, hujus pluris, quàm suas solutiones fecisse perhibetur, autore Chemnitio in locis communibus. Idem *Melanchthon* amicum epigrammate ejusmodi ornavit, ad effigiem Æpini apposito:

Epigramma Melanchthonis Æpinum.

Hæc est Æpini Doctoris imago Joannis,
Qui docuit castè dogmata pura DEI.
Saxonicoq; pios cœtus in littore rexit,
Fulsit & exemplis integra vita bonis.
Urbis ubi Hamburgæ stant ardua mœnia claræ,
Massiliæ veteris quæ decus omne tenet.
Et superat meliore bono: quod præbet honestum,
Et fidum hospitium, maxime Christe, tibi.
Inde etiam Æpinus, vigilans & pectore firmo
Errorum sucos depulit atq; dolos.
Ergò Deo grates tanto pro munere dico:
Utq; regat semper pectora nostra peto.
Et faciat semper nos unum ut simus in ipso,
Æterni gnatus quod petit ipse Patris.

Eruditio Æpini.

Plurimis in religionis negotio libris scriptis optimè de Republ. Christiana meritus est, quorum è censu sunt, *Commentarius in Psalmum quendam Davidis*, in quo de justificatione, de vita Christiani hominis, de votis & juramentis, de consuetudine impiorum vitanda, de usuris, de contractibus, de reditibus, de corruptelis in judicio agitur, aliique nonnulli loci diligenter explicantur. Præterea *libellus de sacru concionibus* formandis, cum aliis ejusdem argumenti: Liber *de justificatione hominis, de operibus legis, de fidei justitia, & origine, de fidei discrimine & virtute*: De *notis & signis justificationis fidei* & hominum justificatorum, de *imbecillitate & peccatis Sanctorum, de discrimine peccatorum*: De *præmiis fidei & bonorum operum*: cum confutationibus argumentorum, quæ ab adversariis adduci possunt. Ejusdem est *enarratio in Psalmum sexagesimum nonum*, in qua hæc continentur: *Descriptio Messiæ & regni ejus, quibus armis mundus Christiano expugnandus & subjiciendus sit: quomodo colligenda catholica Christi ecclesia, quod ejus regimen, & quæ ejus defensio ac propagatio, quæ virtus & efficacia ministerii*: Brevis explicatio articuli, *De descensu CHRISTI ad inferna*: Item *cur afflictionibus Ecclesia DEI exerceatur: congressus ecclesiasticos sedulo custodiendos & tuendos* esse: *Epitome historiæ de excidio Judaici regni: Prophetia de Judæorum* abjectione, & *Gentium* electione.

Scriptâ Æpini.

Pantal. l. 3. Prosop. Chytræus in Saxonia: Gesnerus.

GEOR-

GEORGIUS PRINCEPS ANHALTINUS.

9. 1553. d. Octobr. ætat. 47.

* Præpositus Magdeburgensis & Misnensis. canonicus Mersburgensis. Albertus Vrsus.

CUm *Lotharius* Saxo, Imperator* sapiens & magnanimus, exercitum in Italiam mitteret, ad inteſtinas ſeditiones opprimendas, & ad expellendos Sarracenos, præfecit exercitui *Albertum*, cognomento *Vrſum*, natum in familiâ *Comitum de Balkenſtet atq; Aſcania*. *Aſcania* autem arx fuit dicta haud procul Halberſtadio ad ſylvam Hercyniam, ideò quòd petræ tota inciſa ſine materiæ adminiculo, quaſi ohn holt / Saxonum idiomate. Illius Alberti Aſcanii tanta fuit ſapientia & virtus: ut in Italia partim conſiliis dandis, partim præliando, & domeſticos tumultus ſedarit, & Sarracenos repreſſerit.

Aſcania.

Poſtea ſecutus *Lotharius*, in Italia expulſis Sarracenis, pacem legibus, judiciis, & præſidiis ſapienter munivit. Cum autem tunc, circa annum *milleſimum, centeſimum, quadrageſimum ſecundum* vetus familia *Marchionum Brandenburgenſium* Electorum extincta eſſet; *Lotharius* Imperator tantum tribuit virtuti *Alberti Aſcanii*: ut & Marchiam & pulcerrimum ἄξιωμα Electorum ei traderet. Nec aliud honorificentius judicium de *Alberto* ab Imperatore, cujus fuit excellens ſapientia, fieri potuit: quàm quod auxit ejus potentiam ditione tanta, & ornavit dignitate, qua non alia pulchrior eſt in genere humano.

Familia Marchionum Brandeburg. extincta.

Dignitas electoralis Alberto Aſcanio collata, una cum Marchia.

Huic *Alberto Aſcanio* filii fuerunt cùm alii tùm & *Bernardus*; qui duxit exercitum *Friderici Barbaroſſæ* in Italia. Cum autem *Henricus Guelfus* cognomento ſuperbus, Dux *Saxoniæ* & *Bavariæ* Imperatorem in Italiâ ſeditioſo conſilio deſeruiſſet, & Dux *Henricus* poſtea proſcriptus in Angliam fugiſſet, in tanto Germaniæ periculo, prudentiam, virtutem, & fidem tantam eſſe in *Bernardo Aſcanio* Fridericus judicavit; ut ei & ditionem *Saxonicam ad Albim*, & Electoris ἄξιωμα tradiderit. Ita attributæ ſunt duæ præcipuæ ditiones ad Albim, & quarum ſumma eſt dignitas & autoritas, Aſcaniæ & Anhaltinæ familiæ, quas quidem ampliùs *ducentis annis* magna cum gloria retinuit; ac poſteri *Alberti* & *Bernardi* magna virtute defenderunt illam Germaniæ oram adverſus *Henetos*, *Bohemos*, *Polonos* & *Tartaros*. Aliqui etiam in Syriam duxerunt *Friderici* ſecundi exercitus.

Bernadus Aſcanius. Henricus Guelfus.

Certum eſt autem continuâ ſerie ab *Alberto Aſcanio*, & à *Bernardo* Duce Saxoniæ, Alberti filio, ortos eſſe principes Anhaltinos, qui veterem patriam DEI beneficio adhuc poſſident. Fuitque patrum memoria præcipue clarus natus in ea familia *Rudolphus Anhaltinus*; qui Imperatoris *Maximiliani* primi exercitus in Italiam duxit, & ſæpè feliciter cum Venetis & Julii Pontificis copiis dimicavit. Veteſtam nobilitatem, & nomen veteſtiſſimæ arcis & familiæ Aſcaniæ indicat. *Taiſcones* enim ab Aſcane dictos, multorum ſcriptorum opinio eſt: qui vocabuli vicinitate moventur; ac delectatus Melanchthon eſt nomine *Aſcanis*, quia à religione exiſtimavit inditam eſſe appellationem illi nepoti Japhet. Nam *Eſch Cohen* ſignificat ſacerdotem ignis. Fuit igitur ille nepos Japhet cuſtos ſacri ignis, videlicet religionis & doctrinæ. Sed hæc vetera mittimus. Extat in hiſtoriis non ſolùm continua ſeries principum Anhaltinorum ſeu Aſcaniorum: ſed etiam rerum honeſtiſſimarum commemoratio, quas geſſerunt; quam hoc loco recitare nimis longum eſſet.

Anhaltini Principes à quibus orti.

Rudolphus Princeps Anhaltin.

Taiſcones unde.

Aſcanio nomen unde.

In hac nobiliſſima familia natus eſt hic Princeps *Georgius*, anno ſalutis humanæ *milleſimo quingenteſimo ſeptimo* die *decimo quarto* Auguſti, patre principe *Erneſto* & matre .... nata in familia Ducum Munſterbergenſium. Fuerunt autem in parentibus cùm aliæ virtutes, tùm verò ſtudium magnum cognoſcendæ doctrinæ de DEO, & vera invocatio DEI. Quare & filios ipſi domi ad agnitionem DEI & ad omnia honeſta officia aduefecerunt; & doctores eis idoneos quæſiverunt. Erat tunc in Academiâ Lipſica *Georgius Heltus Forchemius*, cujus fuit in formandis ingeniis fides & felicitas eximia, & laudabatur integritas & gravitas in moribus. Hic enim initio erudivit *Joachimum Camerarium*, *Caſparum Crucigerum*, & alios: qui poſtea propter eruditionem in Eccleſia & in gubernatione utiliter vitæ communi ſervierunt. Huic *Georgio Forchemio* commendatus eſt adoleſcens Princeps *Georgius Anhaltinus*, apud quem cum natura eſſet & doctrinæ avida, & capax, celeriter *Grammaticen*, *linguam Latinam*, *Dialecticen* & *Catecheſin* doctrinæ Chriſtianæ didicit, & ad exercitia invocationis ſtudioſè adſuefactus eſt.

Parentes Georgii Anhaltini

Georg. Helius Forchemius.

Præceptor deſignatur Georgii Anhaltini

Poſtea de conſilio graviſſimi ſenis, Epiſcopi Mersburgenſis, *Adolphi Principis Anhaltini*, juſſus eſt initia doctrinæ juris conſultorum diſcere, quo in genere tantam præſtitit aſſiduitatem, ut fontes rectè cognoſceret. Atque hîc adjuvabatur non ſolùm à doctoribus, ſed etiam naturæ generoſitate, quæ amabat veritatem, & erat fugitans cavillationum. Videbat, ut in arte, exordia, progreſſiones, & metas, & intelligebat veritatem lucem divinam eſſe, monſtratam generi humano: ut teneatur diſcrimen inter honeſta & turpia, inter bona & mala, & agnoſcatur Deus, & ſciatur qualis ſit, videlicet ſapiens, verax, bonus, juſtus, beneficus, caſtus, vindex ſcelerum. Dicebat DEUM velle nos ſibi adſentiri agnita veritate, præſtigias cavillationum & ſophiſmatum illudere Deo. Et ſæpè illud Salomonis repetebat: *Non decet Principem labium mendax*. Fontes igitur juris quærebat, ac præcipuè *Panormitanum* legebat.

Adolphus Princeps Anhaltin.

Diſcit jurisprudentiam Georg. Anhaltinus.

Veritati adſentiendum.

In hoc tyrocinio cum annos aliquot præparaſſet ingenium, & jam egreſſus eſſet annum *viceſimum ſecundum*, Cardinalis *Albertus* Elector

Elector Moguntinus, & episcopus Magdeburgensis, natus in familia Marchionum Brandenburgensium, adjungit eum consiliariis in aula, ubi jam non in umbrâ, ut in Academia, sed in judiciis, & in deliberationibus gubernationis, usum doctrinæ juris consideravit. Et cum natura esset facundus, sæpè jussit ejus voce Cardinalis exponi causas, quæ erant in deliberatione aut judiciis proponendæ. Ita & industria augebatur & confirmabatur judicium. Jam autem certamina de doctrina Ecclesiæ mota erant, & *Tecelius*, qui scurrili impudentia venales indulgentias pontificias circumtulerat, & ejus satellites *Eccius* & alii, Lutherum assiduis scriptis & fulminibus Pontificiis cogebant, de fontibus doctrinæ Christianæ multa dicere. Extabant etiam Lutheri explicationes, *de discrimine legis & evangelii, de vera pœnitentia, de gratia, de fide, de vera invocatione, de usu Sacramentorum, de discrimine legum divinarum & humanarum, de discrimine ministerii Evangelici, & politicæ potestatis.* Hæc scripta erant in manibus doctorum & indoctorum, ac studia accendebantur, quia superstitiosi canones diu fuerant conscientiarum carnificinæ: & Pontifices & Monachi regno suo immoderatè abusi fuerant. Desiderabatur etiam Theologia pura & perspicua, quia labyrinthi Scotistarum, & similium, erant inextricabiles. Multi igitur docti & pii adsentiebantur Luthero; & gratulabantur Ecclesiæ illucescentem veritatem, alii profani lætabantur laxatione vinculorum quorundam, ut fieri solet.

Adjungitur Consiliariis Moguntini Elect. Georg. Anhalt.

Certamina religionis orta.

Etsi autem legebat & Princeps *Georgius* hæc scripta, qui Deum rectè colere cupiebat, & multis piis sententiis adsentiebatur, tamen, quia verebatur, ne ætatis infirmitate alicubi laberetur, non statim de toto genere doctrinæ pronunciavit. Interea verò simul ardentibus ac adsiduis votis à Deo petivit, flecti pectus suum ad veritatem, ac lachrymans sæpè hæc verba repetivit: *Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam, & justificationes tuas doce me*, & studiosè legit scripta Prophetica & Apostolica, & his adjunxit historiam veteris Ecclesiæ, scripta *Augustini, Hieronymi & Petri Longobardi*, ac laboris hujus hortatorem & socium habebat *Georgium Forchemium*. Et quia fontes in scriptis Propheticis & Apostolicis cognoscere cupiebat, addidit linguæ *Græcæ* & *Hebreæ* studium, tantumq; in Hebræâ profecit, ut par esset in ea doctis interpretibus. Sæpè etiam de omnibus controversiis cum eruditis & sapientibus differebat.

Legit scripta Luth. Anhaltinus.

Preces Georgii Anhaltini.

Studium ejus cognoscendi veritatem doctrinæ.

Linguas discit.

Tandem igitur diu cogitatis omnium sententiis, cum judicaret ecclesiarum Evangelicarum confessionem, consensum esse veteris Ecclesiæ Catholicæ Dei, traditum in Propheticis & Apostolicis scriptis, etsi odia & pericula prospiciebat, tamen ostendit palàm se amplecti reformatarum Ecclesiarum confessionem, & ab adversariorum consiliis & sacrificiis discessit, seque totum dedidit precationi & lectioni, & fratres, optimos Principes, cum quibus in tota vita sic vixit, ut nulla res unquam eorum concordiam labefactaverit, in laboribus gubernationis sedulò adjuvit. Ac primum communi consilio cum fratribus instauravit Ecclesias in patria, præfecit idoneos pastores, jussit rectè doceri populum, abolevit ritus vitiosos, constituit scholas, attribuit stipendia. Ita facta est emendatio sine dissensionibus, & sine ullo tumultu. Et judiciis ac exemplis piorum Principum, multi ad agnitionem veritatis invitati sunt, multi confirmati. Posteà & in aliis partibus gubernationis fideliter & utiliter patriæ servivit. Deinde vocatus est ad ecclesias regendas in *Mersburgensi Diœcesi* anno Christi *millesimo quingentesimo, quadragesimo quinto*, cujus ordinationis testimonium operæ pretium facturi videmur si adscribamus. Id vero est tale nomine omnium in Ecclesiis vicinis Inspectorum à Melanchthone conscriptum.

Amplectitur doctrinam ecclesiarum Evangelicarum.

Instaurat suæ ditionis ecclesias.

Præficitur Eccles. Mersburg. Diœceseos.

Gratias agimus Deo, æterno Patri Domini nostri Jesu Christi, quòd immensâ bonitate, & instituit inde usq; a conditione & restitutione generis humani, & servat omnibus seculis usq; ad resurrectionem mortuorum, ministerium Evangelii, & excitat subindè idoneos Doctores, ac mandata dedit Ecclesiæ suæ, ut vocet idoneos ministros, & promittit se per eorum vocem daturum remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, vitam, & justitiam æternam: & oramus eum, ut lucem Evangelii sui non sinat extingui, sed nunc quoq; excitet puræ & salutaris doctrinæ Evangelii propugnatores & fideles custodes, & colligat sibi etiam nunc in his regionibus Ecclesiam, à qua in omni æternitate celebretur. Cum autem ad hoc ministerium Evangelii Reverendiss. & Illustriss. Princeps Dominus Georgius, Princeps in Anhalt, Comes Ascaniæ, & Dominus in Bernburg &c. Præpositus Ecclesiæ Magdeburgensis, ritè ac piè vocatus fuisset ad functionem muneris Ecclesiastici adjuvandum in Episcopatu Mersburgensi, accersiti sunt veteri primarum Ecclesiarum more, viri docti & graves, qui vicinas Ecclesias gubernant, quorum nomina infrà adscripta sunt, ut in ipsa Ecclesia Mersburgensi ad hanc vocationem adderetur publicum testimonium ordinationis. Nos igitur convocati, quia certè sciebamus, hunc Illustriss. Principem Georgium rectè intelligere, & constanter amplecti puram Evangelii doctrinam, quam Ecclesiæ harum regionum una voce, & uno spiritu cum catholica Ecclesia Dei profitentur, & eximiam ejus esse virtutem & sanctitatem: Testimonium nostrum de eo, ritu Apostolico, impositione manuum, declaravimus. Cumq; Paulus Tito præceperit, ut Presbyteros ad docendas & gubernandas Ecclesias passim constitueret, sciat hic ordinatus, voce Apostolicâ sibi præcipi in hac functione; ut sacerdotes ad docendas, & regendas Ecclesias ordinet, & eorum doctrinam & mores inspiciat, & meminerit sibi quoq; præcipi à Filio Dei: Et tu conversus confirma fratres tuos. Et cùm Filius Dei sedeat ad dexteram æterni Patris, ut sit efficax per hoc ministerium: precamur, ut in totâ gubernatione regat, & adjuvet hunc ordinatum, sicut promisit inquiens: Si quis diligit

Testimonium ordinationis Georgii Anhaltini.

diligit me, sermones meos servabit, & Pater meus diligit eum, & veniemus ad eum & mansionem apud eum faciemus. *Et ut hac se consolatione Justentet ordinatus ipse, hortamur. Etsi enim multa & magna sunt in gubernatione pericula: nec ulla est sapientia humana par tanto oneri, tamen sciat, Deum verè adesse, & in Ecclesiâ habitare, ubi vox Evangelii sonat, eamque defendi & servari à Deo. Hac fiducia suscipiendi & perferendi sunt tanti ministerii labores. Datæ die tertia Augusti, anno* 1545. *in oppido Mersburg.*

Castitas Georg. Anhaltini

In ista igitur episcope quoque rectè doceri populum curavit, & præfuit Ecclesiis universæ regionis Mysorum, fuitque hic ei vitæ cursus; donec ex hac mortali vita ad cœlestis ecclesiæ societatem vocatus est. Vixit castè in vita cœlibe, sine ulla contaminatione; cubiculum ejus erat templum, Academia, & curia. Nam ibi hæc fiebant quotidiè, precatio, lectio, scriptio, & deliberationes de gubernatione. Ac ut *Esdras*, utraque in re patriæ profuit, docuit & confirmavit multos concionibus & editis scriptis: & rexit consilia gubernationis. Neminem sciens unquam læsit: benefecit privatim & publicè multis: fuit suasor pacis inter Principes; multorum diremit controversias: abhorruit ab omnibus seditiosis, turbulentis, *Alcibiadæis* consiliis: ab ambitione alienissimus fuit. Nunquam ita, vel odium, vel vindictæ cupiditas eum impulit; ut contra justitiam faceret; aut tranquillitatem communem turbaret. Injurias multas & magnas excelso animo condonavit tranquillitati communi; dolores etiam alios ea animi moderatione tulit; ut satis intelligi posset, eum sustentari invocatione Dei, & acquiescere in Deo. Norat, ut vir doctus, discrimina consolationum humanarum & divinarum; & sæpè hæc dicta repetebat: *Subditus esto Deo, & ora eum; prope est Dominus his, qui tribulato sunt corde, & humiles spiritu salvabit.* Studia, dolores, assiduitas in gubernatione, precatio, abducebant eum ab omnibus voluptatibus corporis. Ac post consolationes, quas ei cogitatio divinarum promissionum, & invocatio adferebant, dicebat: *se non habere aliam levationem mœstitiæ, nisi colloquia optimorum fratrum, & aliorum honestorum ac doctissimorum virorum, ac delectabatur hoc versu:*

Docet & scribit publice. Virtutes ejus.

Usus ei usitata.

ἡδὺγε φίλε λόγε ἐςὶ τοῖς λυπεμένοις.

Colloquia de forensibus controversiis. De physicis & medicis. De theologicis.

De forensibus controversiis disserebat cum viris clarissimis JCtis, sapientia & virtute præstantibus, *Hieronymo Schurfio*, & *Ludovico Fachio*. De corporis humani naturâ, de morborum causis, & remediis, cum peritissimis medicis, *Sebastiano Aurbachio*, *Augustino Schurfio*, & *Jacobo Miltchio*. De doctrina Ecclesiæ cum *Luthero*, *Justo Iona*, & *Ioanne Bugenhagio Pomerano*: ac multæ eorum disputationes, plenæ eruditionis & pietatis, auditæ sunt. Interrogavit aliquando Lutherum; *quomodo invocatio in Ecclesiâ discernenda sit ab Ethnica invocatione, cum & Ethnici non furiosi cogitarint esse mentem architectatricem mundi?* Ibi Lutherus respondit: *semper in invocatione cogitandum esse, quid alloquamur, & sejungendam esse nostram invocationem ab Ethnica, ac præcipua esse duo discrimina*; alterum *de essentia Dei*, alterum *de voluntate*; ac de utroque discrimine, mente intuendas esse patefactiones divinas in Baptismo Filii & alias, ac promissiones divinitus traditas. Hanc ipsam ob causam prodiisse Deum ex arcana sede; ut in his patefactionibus agnoscatur, & à commenticiis numinibus procul sejungatur. Ac *in cogitatione essentiæ* hunc Deum, qui Pater est æternus Domini nostri Jesu Christi, & cum Filio & Spiritu Sancto omnia condidit, & promissionem reconciliationis tradidit, eamque sanguine & resurrectione Filii obsignavit, compellandum esse; sicut inquit Christus: *qui me videt, videt patrem. De voluntate* etiam cogitare oportere Mediatorem & promissiones. Huic veræ invocationi dissimillima est Ethnica seu Turcica; quæ negat hunc verè Deum, conditorem rerum esse, qui est Pater Domini nostri Jesu Christi, & ignorat Mediatorem & promissiones: sed dubitat, an & cur nos indignos Deus exaudiat. Taxabat & doctrinam Monachorum, quæ jubet adferre dubitationem ad Deum, sicut adferunt Ethnici. Jubebat sæpe recitare, & semper in invocatione cogitare promissiones, quia earum cogitatione fides accendenda sit, & damnabat Enthusiastarum furores; qui abducunt homines à cogitatione scriptæ promissionis. Dicebat autem hanc doctrinam quotidiè in ardenti invocatione exercendam esse. Hic cum rursus interrogaret Ascanius *de discrimine personarum, cur Filius λόγος nominetur, tertia persona Spiritus?* graviter ingemiscens Lutherus deplorare calamitates Ecclesiæ cœpit, veteres controversias repetivit, & execratus est diabolicos furores Samosateni, Arii, & similium, ex quibus orta est deinde blasphemia Mahometica. Deinde & querelam addidit, de negligentiâ scriptorum recentium, in quorum disputationibus verè hoc accidit: ut plura sint παράδοξα quam ἔργα. Est, inquit, Filius integra imago æterni patris & ὑφιστάμενη. Λόγος autem dicitur *non solum*, quia *Patris sese intuentis cogitatione genitus est; sed etiam quia per eum decretum, de toto ordine creationis, & restitutionis humani generis dictum est.* Hic est angelus magni consilii, proferens admirandum & arcanum decretum, de humana salute, ex sinu æterni Patris; sonat vocem Evangelii ad Adamum & Evam: servat nunc quoque ministerium Evangelii; dicit consolationem in cordibus; monstrat Patrem; reddit nobis vitam: & dat Spiritum Sanctum; qui in cordibus lætitiam, invocationem, & alios tales motus accendit: qualis est ipse; unde & *Spiritus* appellatio est, quia tertia persona hic nobis patefacta est; quòd divinos motus in corde accendit.

Discrimen personarum in Deitate.

Cur Filium DEI λόγος dicatur.

Cur tertia persona Spiritus dicatur.

Invocatio nostra & ethnicorum discernenda.

Dictum Salomonis de Filio Dei.

In hanc commemorationem ingressus Lutherus multa dicta enarravit: ἡ ἀρχὴν ὅτι ἐγὼ λαλῶ ὑμῖν. Et in Salomone de Sapientia; *Fui cum eo artifex, ludens in orbe terræ suæ, & delectationes meæ cum filiis hominum.* Quid dulcius est, inquit, hac sententia? de Filio enim dicitur, in quo fulget idea opificii mundi, & qui se patefecit generi humano editâ voce: ludit mirandis operibus in creatione & in colligenda Ecclesiâ. Quale enim spectaculum est hominis formatio? qualia spectacula sunt adsumtio naturæ humanæ? liberatio Nohæ in diluvio? populi in Ægypto? resurrectionis mortuorum, & alia miranda facta? Jam hoc dulcissimum est, quod ait: se hominum consuetudine delectari. Nobiscum adest, colligit, & servat ecclesiam voce Evangelii.

Talia erant argumenta familiarium sermonum; quoties hi viri conveniebant, quorum erat Ascanius tanquam ἀγωνοθέτης; nec erat κωφὸν πρόσωπον; sed suum judicium eruditè de controversiis & de enarrationibus addebat; miscebat & pia vota; ac Deo gratias agebat cum pro aliis beneficiis, tùm etiam pro hoc: quod depulsis tenebris Papisticis, quæ sunt Ethnicarum similes, reddidit nobis Evangelii lucem. *Jonæ*, viro erudito in doctrina Ecclesiæ & in jure, dixerat; videri sibi ταυτολογίαν esse in latina interpretatione inconcinnam & obscuram; in prima epistola Joannis, in capite tertio. *Peccatum est iniquitas.* Respondit Jonas interpretis negligentia eruditissimam definitionem obscuratam esse. Ut enim privationes definiuntur collatione, ut cum dicimus; *tenebras esse privationem lucis*: ita Joannem rectissimè definire; *peccatum esse, quicquid est contrarium legi*, ἡ ἁμαρτία ἐστὶν ἡ ἀνομία. Norma est justitiæ, lex Dei; quæ est sapientia in Deo æterna & immota, cujus radii transfusi sunt in rationales creaturas, & quæ in promulgatione Decalogi repetita est. Contraria huic normæ & sapientiæ suæ Deus damnat, & peccata nominat, ac propterea sontibus irascitur, & eos destruit. Ac apparet Joannem motum esse licentia eorum; qui ex gentibus ad ecclesiam conversi erant, quibus ostendenda fuit norma: unde judicarent, quæ mala sint à Deo damnata. Deducit igitur nos ad legem; quam rectè vult intelligi. Delectabatur & similitudine, quam recitabat D. Pomeranus. *Ut annulus magno æstimatur, & amatur propter gemmam, adamantem, aut smaragdum, non propter aurum: sic dicitur, fide justificari homines propter gemmam Filium Dei.* Hanc autem gemmam fide amplectimur. Cum *Joachimo Camerario* differebat de omnium ætatum historiis, de Imperiorum mutationibus & periodis, & earum causis, de motibus cœlestibus, & de siderum effectione.

De loco Ioannis: Peccatum est iniquitas.

Lex Dei.

Pomerani dictum de fide justificante.

Colloquiū cum Camerar.

Sophron liber Platoni charus.

Multa & de phrasi in libris Apostolicis scisitabatur. Ac ut ajunt Platonem sic amasse γνωμολογικὸν scriptum, cui titulus fuit *Sophron*; ut sub culcitram collocarit, ut ille lecto etiam ad manum esset: sic Ascanius amabat Salomonem & Syracidem; & sæpè dicebat, *gnomas esse eximium ἐφόδιον in vita, & utiles commonefactiones in multis deliberationibus.* Quia verò Syracidæ lectio passim corrupta est; fuit hortator Camerario: ut ederet emendatam. Sæpè & de sententiis obscuris cùm eo disputabat: ut, cùm in capite quadragesimo primo dicitur, φύλαξον δοτὸ σκορισμὸν λήψεως ἢ πόσεως, æniginata inquit lego, & petebat enarrationem. Hic Camerarius ait; factum esse verbum ab adagio εἰς κόρακας; & jubere cavendam esse expulsionem seu delectionem dati & accepti; id est, justæ compensationis in contractibus, & in referenda gratia: velle Deum hanc compensationem non aboleri; quæ & ordo est sapientiæ & justitiæ in Deo, & nervus humanæ consociationis, & significat Deo nos gratitudinem debere. Etsi alii alias interpretationes quærebant; tamen Ascanius, amans justitiam & gratitudinem, hanc Camerarii anteferebat.

Gnomæ Salomonis & Syracidæ.

Proverbia εἰς κόρακας.

Postremus etiam actus vitæ Principis Georgii, pietatem ejus & Dei præsentiam ostendit. Cùm totò semestri conflictaretur cum morbo molestissimo: tamen quotidiè piis precibus sese, ecclesiam, optimum fratrem, & cæteros Principes Anhaltinos, Patriam & Germaniam Deo commendavit, deinde lectionem audivit ex Propheticis & Apostolicis libris; quantum potuit etiam consilia gubernationis adhuc rexit. Testamentum piè condidit, in quo & confessionem suam repetivit, & ecclesiarum defensionem fratri commendavit. Addidit etiam singulis pastoribus ecclesiarum suæ ditionis ad annuos reditus frumenti medimnos duodenos. Tandem languefactam naturam superante morbo mensis Octobris die decimo septimo, anima ejus ex hac mortali vita ad cœlestis ecclesiæ societatem evocata est; cum quidem sese vivens quotidiè Filio Dei commendasset; & assiduè commemorasset divinas promissiones: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium unigenitum dederit, ut omnis qui credit in eum, non pereat:* item, *Nemo rapiet oves meas ex manibus meis: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos.* Et tantum tunc animi in eo robur fuit; ut satis appareret: in eo lucere fidem ac fiduciam Filii Dei, divinitus accensam. Quotidiè enim cum fratre & aliis de beneficiis Filii Dei, de spe vitæ æternæ, & miranda collectione Ecclesiæ ex genere humano, dulcissimè collocatus est. Obiit ita piè Dessaviæ anno Christi *millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio*, die *decimo septimo* Octobris, cum incoaluisset annum ætatis *quadragesimum septimum.* Celebrarunt mortuum Principem & Ecclesiæ antistitem optimum, clarissimi Germaniæ Poëtæ, de quibus & Melanchthon his Epigrammatis:

Morbus Georgii Principis Anhaltini.

Testamentum ejus.

Augetur stipendia pastorum.

Epigramma Melanchth. in Principem hunc.

Synodi à Geor. Anh. habitæ.

Prin-

Principis Aſcaniâ nati de ſtirpe Georgii
Quem cernis, tumulus proximus oſſa tegit.
Huic fuit Erneſtus genitor; qui pacis amore
Promeruit patriæ totius eſſe pater.
Matris erat caſtæ Monſterbergenſis origo,
Sincera coluit quæ pietate Deum.
Aſcaniæ gentis virtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum:
Sed fuit huic fontes doctrinæ diſcere cura;
Quam nobis Gnatus tradidit ipſe Dei.
Hoc ad majorum decus addidit inclyta facta;
Præbuit & Patriæ commoda magna ſuæ.
Eſdras ceu quondam populo jus dixit, & idem
Interpres Solyma legis in urbe fuit.
Principis hic munus ſimul & Paſtoris obivit,
Ipſius & mentem rexit & ora Deus:
Juſtificaque fide capiens tua munera Chriſte,
Solius eſt cujus parta cruore ſalus,
Verâ luce Deum agnovit, precibuſq; vocavit,
Numinibus victis mens inimica fuit,
Nec virtutum umbras habuit, ſed pectora rexit,
Ipſa Dei vivens adſimilata λόγῳ.
Urbibus in multis, flavus quas alluit Albis,
Et quas cœrulei præterit unda Salæ,
Agmina collegit Chriſtum celebrantia: ſpargens
Pura Evangelii ſemina voce ſuâ.
Fidus & ætati venienti teſtis ut eſſet
De Chriſto: patriæ publica ſcripta dedit.
Hæc frater lacrymans Joachimus condidit oſſa,
Vivit in aſpectu mens, fruiturque Dei.
O Deus, Aſcaniam ſtirpem rege, numine ſerva,
Nulla venit nobis, te niſi dante, ſalus.

Aliud ejusdem Melanchthonis.

Aſcaniæ ſtirpis virtus eſt clara triumphis,
Ordine quos numerant ſecula longa patrum.
Cæſar in Adriaco quum geſſit littore bellum,
Et fregit Venetas Maximilianus opes,
Duxerat Aſcaniâ natus de ſtirpe Rodolphus,
Fixit & in Veneto multa trophæa ſolo.
Nunc ad majorum decora, hæc laus magna, Georgi,
Accedit, vere Principe digna viro:
Quod ſic doctrinam reliquis virtutibus addis,
Ut verum celebres pectore & ore Deum:
Et Chriſti illuſtres ingentia munera ſcriptis:
Juſtificâ ſupplex quæ capis ipſe fide,
Exemploq; Eſdræ populum dum jure gubernas,
Doctrinæ ſpargis ſemina pura ſimul.
Summe Deus, ſolus qui das felicia regna,
Aſcanios fratres, te precor, ipſe regas!

Fuit hic Princeps rariſſimum à multis ſeculis exemplum, & verè ὀπαῖος ut Apoſtolus nominat, miſericordiæ, & organum Deo placens, in quo præſentia Dei tùm in ipſius confeſſione & virtutibus, tùm verò in gubernatione conſpecta eſt: quam Deus evidenter adjuvit. Inter cæteras eccleſiaſticæ adminiſtrationis partes, ſingulis annis ſynodos paſtorum ſuæ diœceſeos binas, & in illis latinas orationes graves & utiles habuit à *Melanchthone* præſcriptas, quæ in ipſius Anhaltini & Melanchthonis operibus, omnium piorum lectione digniſſimæ, exſtant. Commendata autem ipſi eccleſiarum illarum cura & inſpectio fuit, ab *Auguſto* duce Saxoniæ, *Mauritii* fratre, cum adoleſcens octodecim annorum Mersburgenſem diœceſin poſt *Sigismundi Lindenaji* obitum adminiſtrandum ſuſcepiſſet anno *quadrageſimo quarto* ſupra *mille quingentos:* ita ut *Auguſtus* in politica, *Anhaltinus* in Eccleſiaſticâ gubernatione conjunctis operis præeſſent.

Synodi à Geor. Anh. habitæ.

Scripta ipſius Anhaltini quæ extant, & eruditionem ipſius & confeſſionem oſtendunt, cum communi eccleſiarum Evangelicarum confeſſione congruentem; quam pio & graviſſimo judicio amplexus, nunquam ab ea diſceſſit, & fanaticis dogmatibus pugnantibus cum ea confeſſione acerrimè adverſatus eſt. Laudanda eſt & hæc ejus prudentia & diligentia: quod genere ſermonis proprio & perſpicuo uſus eſt, ne ambiguitas, ut ſæpè fit, gigneret diverſas opiniones & diſſidia. Erat autem conſtantiæ vitæ & morum talis: ut verè de eo dici poſſit, quod de integerrimo Imperatore *Marco Antonino* ſcripſit *Dion:* ὅμοιος ἦν πάντων ἐν ἑνὶ, καὶ ἐν οὐδενὶ ἀλλοιώθη, ἀγαθὸς δὲ ἦν, καὶ οὐδὲν μεσοποίητον εἶχεν: *In omni vitâ ſui ſimilis, nec ullâ unquam in re mutatus fuit. Itaque verè fuit vir bonus, nec fictum aut ſimulatum quicquam habuit.* Hæc ſumma eſſe bona tum in viris principibus, tum in privatis, ſani omnes intelligunt. Elenchus autem librorum eſt hic: *Oratio conſolatoria de dicto Chriſti:* Nemo rapiet oves meas ex manibus meis, in ſynodo diœceſeos ſuæ recitata: *concio ἐπιθαλάμιος Torgæ habita* in nuptiis Auguſti ducis Saxoniæ, & Annæ filiæ Regis Daniæ. *Conciones quatuor de utraque ſpecie Sacramenti:* in quibus graviſſimis argumentis adverſariorum objecta diluuntur: *Conſolatio ad Wolfgangum fratrem* in morbo: *Conciones duæ de falſis prophetis*, & vero uſu doctrinæ Chriſtianæ, in quibus errores Mersburgenſis Epiſcopi *Sidonii* refellit. *Conciones ejusdem & ſcripta omnia*, complectentia ſummam veræ doctrinæ, quæ traditur in eccleſiis reformatis, è Germanico in Latinum converſa, & utilibus ſcriptis ante non editis aucta: *Tractatus de ritu Apoſtolico ordinationis uſitato in eccleſiis purioribus*, additus ad confeſſionem Auguſtanam. *Sententiæ ejusdem de controverſis articulis* editæ operâ Selnecceri. Hoc etiam fortè non omittendum, cùm verè ſit ex rarò contingentibus. Cùm anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo octavo*, menſis Octob. d. XIV. *Auguſtus* Saxoniæ Elector, ſacra nuptialia pararet, cum *Annâ* filia *Chriſtiani* Regis Daniæ: ipſe hic Anhaltinus Princeps, & præpoſitus Magdeburgenſis, matrimonii vinculo Principes copulavit, atque concionem illam ἐπιθαλάμιον, cujus modò meminimus, habuit. Hoc nihil viſum eſt multis magnificentius, in totâ illâ pompâ nuptiali: & regina mater ſponſæ, filiæ ſuæ mirificè de eo fortuna gratulata.

Scripta Principis Anhaltini.

M. Anton. elogium.

Scripta Principis Georgii.

Princeps Principes conjuges copulat.

Ex præfatione Melanchthonis in V. tomum Lutheri, Chytræi Saxoniâ, epigrammatis Melanchthonis.

AMBROSIUS MOIBANUS.

Natalis Moibani. U*Ratislaviæ Ambrosius Moibanus* nascitur sub annum Christi *millesimum quadringentesimum nonagesimum quartum.* Patrem habuit calcearium, civem Uratislaviensem. *Pater calcearius.* Puer cùm esset ingenio hebetiori; nihilominus indefesso studio atque improbo labore, eruditionem sibi comparavit non proletariam: adeò ut etiam facultate extemporali fundendi carmen valeret.

Ingenii defectum studio supplet. Industria ejus & lucubrationes. *Cracoviæ* quidem, quo se uberioris ingenii cultus causa contulerat, lucubrationes quotidiè in multam noctem produxit: ita ut famulo lucernam observare jusso, ipse à libris non surrexerit, sed ad eos obdormierit. Itaque cùm in omni disciplinarum genere esset exercitatus; *Viennæ* Austriæ artium magister, *Wittembergæ* postea, ubi & Philosophiæ Professorem aliquantisper egisse dicitur, S. Theologiæ Doctor est renunciatus, anno supra *millesimum quingentesimum vicesimo quinto:* id quod *Lutherus* epistola quadam ad *Joannem Hessum* hisce * innuit: *Vivit, & redit ad vos D. Moibanus, mi Hesse, à nobis creatus gentilis cum gentibus, in obsequium fratrum & Evangelii.* Eodem anno, *Uratislaviæ* templum *Elisabethanum*, operâ *Moibani*, qui *Hessi* consilio *Wittembergâ* ad ministerium Uratislaviam avocatus erat, à fermento Pontificio repurgatum est, subiitque munus docendi *Moibanus* Senatus populique Uratislaviensis voluntate; licet ab episcopo nondum initiatus, anno ætatis suæ *trigesimo primo.* Cum autem Episcopo Uratislaviensi *Jacobo à Salza* se sisteret, audiit ab eo hæc verba; *ito, & doceto Evangelium Domini nostri JESU Christi, in nomine Patris, Filii, & Spiritus Sancti.* *Moibanus* itaque cum *Joanne Hesso*, una mente operaque conjunctâ, primus ibi ecclesiæ doctrinam emendavit, abusus sustulit, idololatriam & superstitionem abrogavit, atque ordinem ecclesiasticum utilem instituit. Hanc verò ad rem moderatione magna opus fuit, ne vel doctrinæ novitate animi populi offenderentur, vel rituum ecclesiasticorum mutatione Pontificii exasperentur vel regem *Ludovicum* juvenem in semetipsi concitarent. Quocirca ante omnia doctrinæ fundamenta ex verbo Dei ambo illi, *Moibanus & Hessius*, jecerunt: Evangelii ac politicæ potestatis discrimen inculcarunt, & quæcunque ceremoniæ Ecclesiasticæ, inviolatâ religione, servari poterant, eas retinuerunt.

Moderatio Episcopi Vratisl. Adjuvit emendationis opus Episcopi quoque moderatio, qui, tametsi sacerdotum voculis ad vim faciendam solicitaretur, à violentia tamen abstinuit; ne motus majores suscitarentur. *Ferdinandi* etiam regis, qui *Ludovico* in prælio miserè * interemto, successit, mentem Deus sic flexit: ut contra multorum incitationes, incoatam emendationem non solùm non impediret: sed usum ejus ad legitimam usque dijudicationem permitteret. Demandata est etiam Moibano una cum *Joanne Morenbergio*, scholarum cura & inspectio, quam cum fide & industria obivit, & ipse in schola docuit.

Uxorem duxit anno *vicesimo quinto*, quo & *Hessius*, ut dictum, proxima die Lunæ post Cantate, quæ tunc *dies decima quinta* Maji, & nuptias celebravit *Suidnicii* cum *Anna* virgine ex *Bonicorum* familia oriunda. Ex hac filium natu maximum *Joannem* medicum doctissimum, pictorem etiam peritum, reliquit: qui multos Galeni locos dextrè emendavit, & eruditè explicavit. Augustæ, cum magna rei literariæ jacturâ, mors immatura eum eripuit; ut * alib. dicemus.

Vixit Moibanus eo in officio annis *undetriginta*, cum fide, ac diligentiæ & industriæ famâ, obiitque diem suum *Uratislaviæ*, anno Christi, *millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto*, die *decimo sexto* Januarii, ætatis suæ anno *sexagesimo*, ibidem in æde *Elisabethana* honorificè sepultus: cum effigie sua ad parietem & insignibus. Orationem de ipso habuit *M. Ioann. Scultetus*, qui ei successit. Fuit vir insignis pietate, doctrinâ, & ingenii moderatione: charus *Luthero*, *Melanchthoni*, *Camerario*, & aliis ejus ætatis viris piis ac doctis. Conciones ejus Dialecticæ fuerunt & methodicæ, cùm *Hessi* magis essent Rhetoricæ & oratoriæ. De his est *Carchesii* epigramma tale:

Moibani cum Hesso comparatio.

Nascitur in lingua Graiis facundia: quidam
Dixerat; ast itali corda diserta gerunt.
Sic mihi judicium si fas est edere nostrum:
Hessum lingua juvat: cor Moibanus habet.

Cum aliquando in convivio (licet ipse conviviis rarissimè interesset) *Georgius Logus* Canonicus Uratislaviensis, genere nobilis, genus suum ab ipso Achille deduceret: *Moibanus*, hominis absurda arrogantia offensus, cum alioqui mordere alios non soleret: *Est sanè*, inquit, *ut dicis, Logorum familia vetusta, nam & Terentio logi noti sunt.*

Exstant ab eo elucubrata hæc, liber Germanicus, *an communio infantum, quæ apud quosdam servatur, probetur ecclesiæ:* adjunctus ei est libellus *Melanchthonis de officio Principis*, cui *Moibanus* hos præscripsit versiculos, ad pium lectorem:

Principis officium depingere nemo Philippi
Crede potest melius, quam benè docta manus.
Principis est verum cultum defendere Christi,
Et servare scholas, atque alere ingenia.

Catechismi capita decem, primùm quibusdam *thematis*, deinde etiam *colloquiis* puerilibus illustrata ad *Ioannem F.* una cum oratiuncula

Latina

* *A. 1526. d. 29. Aug. ætat. 20.*

Inspect. scholæ Moibani.

Matrimonium ejus.

Ioan. Moibani filius.

* *In vitis med. Germ.*

Obitus Moib.

Ioan. Scultetus Elogium Moibani.

Conciones Moibani quales.

Hessi & Moib. comparatio.

Georgii Logi jactantia reprehensa. Locus Moibani.

Scripta.

Moibani carmen.

Latina puellæ cujusdam, de *nativitate Jesu Christi* publicè dicta: cui præfationem Melanchthon præfixit. *Epistola gratulatoria ad Balthasarum à Promnitz* Episcopum Uratisl. cum epistola *Melanchthonis* ad eundem. *Enarratio Germanica Psalmi vicesimi noni* de voce Dei, cum præfatione * Lutheri anno *trigesimo sexto*. Inserta est illi concioni historia ruinæ tecti turris Elisabethanæ, & adjecta alia de horrenda tempestate Olsnensi, anno *trigesimo quinto*. Cæterùm ut hoc παρέργως adamus, fastigium illud turris, altum cubitos *centum & novendecim*, corruit in vigilia *Matthiæ* Apostoli, hora secunda noctis citra damnum civium circumcirca habitantium, anno Christi *millesimo quingentesimo vicesimo nono*. Depicta visitur historia in illa æde cum hac subscriptione:

Balthasar à Promnitz.

* Tom. 6. operum Luth. Ien.

Ruina fastigii turris Elisab. Vratisl.

Mirabilis in altis Dominus.
Collapsa est turris Syloë madefacta cruore,
Pyramide hac nostra, nemo, cadente, perit.
Nam jussu Domini exceptam, cui gloria soli,
Angelicæ molem deposuere manus.

Scripta est etiam à *Moibano* explicatio mandati Christi Marci 16. *Ite in mundum universum:* cui itidem præfationem Lutherus præmisit. Atque hæc de Moibano ex *Dresseri chron. Curæi annalibus: D. Scultetі decade 1. annal. ecclesiasticorum, Mel. Laubani M. S. collect. Gesneri bibliotheca, aliis.*

JUSTUS JONAS.

NOrthusa*, imperiali *Cheruscorum* oppido, *Justus Jonas* in lucem editus est, anno Christi, *millesimo quadringentes. nonagesimo tertio*, die *quinto* Junii, triente horæ post quintam matutinam. Pater ei fuit vir honestus, consul ejus oppidi, qui cùm peste esset correptus; & cepe abscessui impositum * removisset; idque in scamno deposuisset, supervenit huic Justus filiolus, admodum puer, & cepe totum avidè devoravit; citra tamen ullam contagionem. Ita servatus primis literarum elementis in patriæ ludo imbutus est, exinde ad scholam publicam missus juri civili se dedidit, in quo & progressus fecit non pœnitendos. Verùm consilio postea mutato, ex consulto humani juris, factus est sacræ Theologiæ, quæ divini juris magistra, doctor clarissimus.

* Chytr. l. 18. Sax. Mühlhusianum facit. Natalis Jona. * Georg. Weinrich. Scultetus & Sleidan. Snopff. l. 5. Mutat genius studiorum. Juri civili se dedit.

Incidерunt autem studia ejus Theologica in ipsa initia mutatæ religionis: fuitque Jonas hic non tantùm auditor & spectator; sed etiam actor approbatorve eorum, quæ in religionis negocio tunc gesta. Sub annum Christi *millesimum quingentesimum vicesimum primum*, mortuo *Hennigo Gœden* JCto celeberrimo, reique ecclesiasticæ in collegio omnium sanctorum *Wittembergæ* præposito, *Jonas*, in locum ejus est surrogatus, doctorque Theologiæ die decimo quarto Octobris ejusdem anni renunciatus. Ubi, cùm variæ exorirentur quæstiones, præsertim super *missâ privatâ*, & ejus abrogatione, ac Princeps Elector Saxoniæ, ne ea res motus excitaret majores, metueret, ipse cum collegis ac delectis Electori rationem ejus rei reddidit, utque in ipsorum facto, quamvis tunc insolenti & periculoso, Princeps acquiesceret, effecit.

Buce edit Hennigo Gœden Wittemb.

Interfuit etiam postea plerisque omnibus, qui religionis causa instituti, conventibus, suoque loco, & veritatem tueri, & pacem stabilire, si qua posset, prudenter annisus est. Nam cum sacrarum literarum petitus, & juris etiam civilis non planè hospes esset, negocia ecclesiastica, quibus politica sæpè immixta, dexterius aliis administravit. Itaque anno *undetrigesimo*, cum *Luthero* & *Melanchthone* ad colloquium *Marpurgi* indictum venit, & anno sequenti in celeberrimis illis comitiis Augustæ celebratis cum eodem Melanchthone adfuit, & negocium religionis adjuvit.

Interest conventib. Theologor.

Cæterum cum non solum Wittembergæ ecclesiæ pastor; sed in Academia ibidem professor esset ordinatus, sacras literas publicè docuit, ac magistratus scholasticos, ut moris, gessit. Itaque ipso Decano ac promotore anno *trigesimo tertio*, supra *millesimum quingentesimum*, die *decimo octavo Junii* Doctoratus Theologæ honores contulit celeberrimis viris, & benè de ecclesia meritis, *Caspаro Crucigero* Academiæ tunc Rectori, *Joanni Bugenhagio* Pomerano, & *Ioanni Æpino* Ecclesiæ Hamburgensis Pastori. Fuit panegyris ista verè augusta, quam & ipse Elector Saxoniæ *Ioannes Fridericus*, præsentiâ sua ornavit, & non sine voluptate *Justum Ionam** perorantem audivit. Anno deinde *millesimo quingentesimo trigesimo nono*, cùm *Henricus* Dux Saxoniæ; qui puriorem Evangelii doctrinam amplexus, & in fœdus Smalcaldicum receptus erat; gubernationem ditionum Georgii in Misnia & Thuringiâ adiisset: statim Ecclesias de Lutheri & collegarum ipsius consilio emendavit. Ac initium quidem emendationis Lutherus ipse, habita die Pentecostes Lipsiæ concione prima, fecit: visitationem autem ecclesiarum, theologis, à *I. Friderico* Electore missis, *Georgio Spalatino*, *Justo Iona*, *Nicolao Amsdorfio* commendavit: qui doctrinæ normam esse librum verbi divini, & inde deductos Augustanæ confessionis articulos voluerunt. Ritus verò veteres omnes, qui sine manifesta impietate tolerari potuerunt, ac in his usitatas ecclesiæ in missâ cantiones, Introitus, *Kyria*, *gloria in excelsis collectas*, lectiones epistolarum & Evangeliorum, Symbolum, præfationem, sanctus, solo canone excepto, elevationem etiam & ceteros, vestitum etiam sacerdotum retinuerunt.

Promovet Doctores Theol.

* *Oratio exstat t. 1. Declam. Melancht.*

Henricus Dux Sax.

Reformat ecclesias opera Iona.

Ritus qui relicti.

Eodem anno *Albertus*, Archiepiscopus Magdeburgensis, subditis, civitatibus, & nobilitati, publicum veræ Evangelii doctrinæ exercitium in Magdenburg. & Halberstadiensi

Albertus, Archiepis. Magdeb.

dicœcesi liberè permisit, collegiis tamen canonicorum & cœnobiis in pristino statu relictis. *Evocatur Halam Saxonum Ionas.* Archiepiscopo autem Moguntiam migrante, senatus in salinis Saxonicis, ubi aulæ sedem hactenus habuerat: Justum Jonam Ecclesiarum urbis suæ inspectioni præfecit. Wittembergâ itaque relicta Halæ Saxonum Evangelii doctrinam adseruit ac propagavit.

Ibi dum agit, non solùm illi Ecclesiæ præfuit profuitque, sed etiam in consilium adhibitus ab aliis est, quibus vir publici commodi amantissimus nunquam defuit. *Ejus hospitio usus Lutherus. Adi Lutheri vitam.* Usus est etiam Jonæ ibi hospitio Lutherus, & tum aliàs, tum postremo suo itinere, anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo sexto* ad eum divertit, & comitem Islebium usque sibi Jonam adscivit non sine periculo in flumine. *Adest Luthero morienti.* Tandem Deo ad exitum vitæ Lutherum Islebii vocante, Lutherus in Jonæ veluti sinu animam Deo commendatam reddidit. *Agit in aulâ Ducum Saxon.* Postea aliquantisper etiam in aula Ducum Saxoniæ commoratus est, atque in acerrimis tempestatibus comes constantissimus fuit filiorum, magni illius Principis, electoris *Ioannis Friderici.* *Præficitur ecclesiæ Eisfeld. Ubi moritur.* Præfectus denique Ecclesiæ in oppido Eisfeldiæ, in Thuringiæ & Franconiæ finibus, Francicarum ecclesiarum in Principatu Coburgensi inspector constitutus: curriculum ibi vitæ suæ placidè absolvit, anno Christi *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto*, die *nono* Octobris, cùm annos haberet *sexaginta tres.* Mortem ejus graviter tulerunt viri docti ac pii, de quibus *Philippus Melanchthon*, amicus ejus præcipuus, *Ioannes Stigelius*, *Camerarius*, *Adamus Sibertus*, qui tale ei monumentum posuit: *Epitaphiũ à Sibero.*

Sepulcri venerare marmor hujus,
Quo Ionas cubat ille Justus: ingens
Musarum decus: eruditioris
Sincerus pietatis & magister.
Hunc Northusa dedit, docentis ora
Est miratus & approbavit ipse
Lutherus: dolet ac gemit paterque
Albis, Sala paterque: flent ademtum
Omnes judicii elegantioris,
Et bonique viri, piique: cœlo
Ille, colloquio Dei, receptus,
Et Christi fruitur beatus ore.

Tom. 2. ep. Luther. p. 246. *Ionas vir is est: quem oportuit multo precio emtum & servatum in terra.* Vir hic fuit summi ingenii, summæ industriæ, summa cum pietate vitæque innocentia: Lutheri, dum vixit, ἀδιάστατος καὶ συνεργὸς fidelissimus eique carissimus. *Tentatio ejus in agone.* In agone accidit eloquentissimo & piissimo viro, ut animo esset admodum pusillo, & solatii fere nullius capaci. Itaque famulus partim consolando partim increpando eum erexit & animavit. Atque ita in luctâ istâ tandem vicit Spiritus sancti auxilio.

Amici Ionæ. Amicos habuit viros suâ ætate claros plerosque omnes: & extant ad ipsum aliquot *Erasmi Roterodami* epistolæ, nomine *Iodoci Coci* & *Iodoci Ionæ*, inprimis autem intima ei cum Luthero intercessit familiaritas. Itaque ut diximus, hospitio ejus usus est Lutherus, quoties Halæ Saxonum transiret. Aliquando ergo, cum eo venisset, & hospitio à Jona exceptus esset: Lutherus sub mensam ex eleganti vitro ei propinavit, addito hoc ex tempore distichо: *Lutheri distichon ad Ionam.*

Dat vitrum vitreo Ionæ vitrum ipse Lutherus:
Ut vitro fragili similem se noscat uterque.

Edita à Justo Jona sunt hæc: *Defensio pro conjugio sacerdotali*, adversus *Ioannem Fabrum*, scortationis patronum: *Oratio de studiis Theologicis*: Annotationes *in acta Apostolorum*: De *missa privata* & *unctione sacerdotum* Martini Lutheri libellus ab ipso è Germanico in Latinum translatus: *Enarrationes* item *Lutheri in Ionam Prophetam* ab eodem translatæ. Sic Lutheri librum *de Iudæis* & eorum mendaciis Latinum fecit: *De morte Lutheri* etiam scripsit contra Wicelium. *Scripta Ionæ.*

Curriculum denique vitæ ejus *Ioannes Steigelius* hisce elegis circumscriptè delineavit: *Ioann. Stigelii epigramma delend.*

Nomen erat Justo: cognomen nobile Ionæ:
Cura evangelium grata docere mihi.
Urbs Hieræ primùm musas me fovit amantem,
Mox clarum eloquii viribus Albis amat.
Addictum celebri dum me videt ille Luthero,
Ingenio merui nomen habere meo.
Hinc justa ad celebres egit me causa Salinas,
Doctorem excepit Francia læta senem.
Et docui, & vixi, monuit velut ante Lutherus:
Pectore salvificam fassus & ore fidem.
Grata meos legit cineres Esveldia: mortem
Ante homines obii: vivo sed ante Deum.

Atque hæc de Justo Jona collecta ex *Sleidani commentariis*: *Chytræi Saxonia*, *vita Melanchthonis à Camerario descripta*, *consiliis Theologicis Melanchthonis*, *Reusneri iconibus.*

CONRADVS PELLICANVS.

Ob. 1556. d. 5. April. ipso Paschæ atat. 78.

Pliis & honestis parentibus *Rubeaci*, natus est *Conradus Pellicanus*, anno *Christi millesimo, quadringentesimo, septuagesimo octavo*, die Januarii *octavo*, aut circiter. *Conrad. Kürsiner pater Pellicani.* Pater ei fuit *Conradus Kürsiner*, oriundus ex oppido Sueviæ imperiali, ad Hercyniam aut nigram, ut vocant, sylvam, *Wyl* dicto: mater *Elisabetha Galla*, civis *Rubeacensis*, municipii ecclesiæ & episcopatus Argentinensis, in superiori Mundato. *Ioan. Gallus avus maternus.* Avus paternus etiam fuit dictus *Conradus Kürsiner*, ab opificio & gente. Avus maternus *Ioannes Gallus*, plurium liberorum parens; qui ad unum omnes peste exstincti, præter filiam *Elisabetham*, matrem Pellicani, & *Iodocum* Gallum ejusdem avunculum. *Iodocus Gallus avunculus.*

Istum *Iodocum* sub annum *millesimum, quadringentesimum, quinquagesimum nonum*, natum, circa annum ætatis suæ *decimum tertium*, cum magnæ spei esset, *Minores*, in suo monasterio *Rubeaci* custodierunt pestilenti à lue. *Præceptores Iodoci Galli.* Post discipulus *Wimphelingi* & *Ludovici Frisii*, sub

Basileam missus.

sub iis *Seleſtadii* non parum profecit, poſtea miſſus eſt à Franciſcanis *Baſileam*: ut ſtudia ſua proſequeretur; ſequentibus annis *Haidelbergam* promotus per eosdem, & commendatus eſt honeſto & opulento viro *Regenſpurgero*, Franciſcanorum procuratori. Ibi ſic profecit ſtudio liberalium diſciplinarum deditus, ut una cum duobus filiis hoſpitis ſui æqualibus magiſterii laurea fuerit ornatus. Mox cooptatus in collegium Univerſitatis, præfectus eſt officio regendi *Burſam*, ut vocabant *novam*. Homo laborioſus, diligens, eloquentiæ dedit operam ſub *Rodolpho Agricola*, qui tunc Haidelbergæ agebat, ubi & mortuus apud Minoritas ſepultus viſitur. Promotus eſt iſte *Gallus* ſucceſſu temporis in *Theologiæ Baccalaureum* & *Licentiatum*: atque aliquoties Rector Univerſitatis creatus. Cauſa verò cognominis *Pellicani* mutati hæc fuit. Cùm eo tempore, quo matriculæ, Academiæ Haidelbergenſis, à Doctore *Fallante* Rectore inſcribendus cognomen adjicere deberet familiæ *Kürſiner*, adfuit *Iodocus* ille *Gallus* avunculus, ac dixit, *tu non pellio es; neque pellionis filius; non igitur pellio cognominaberis, ſed potius Pellicanus*: atque ſic inſcriptum invenitur illic, anno *milleſimo, quadringenteſimo primo*, in Principio Maij. Hic Doctor *Pallas*, in exſequiis *D. Margarethæ* uxoris *Philippi* Palatini, orationem habuit funebrem, poſtea typis mandatam, cum carmine quodam ejusdem ducisſæ, matris multorum Ducum, compoſito à fratre Pellicani *Leonhardo*. Cujus tetraſtichon etiam extat inter *Wimphelingii* diſcipulos, in libello *de inſtituenda juventute*, aliquoties excuſo. Doctor *Pallas Spangel* obiit anno *milleſimo, quingenteſimo duodecimo*, die *decimo ſeptimo* Julii, ad Spiritus ſancti ſepultus, cum tali epitaphio Latino & Germanico:

Regit Burſam novã Gallus.

Theol. Baccalaur. & Licentiatus creatur.

Cognomen Pellicani unde.

Leonhard. Pellicanus.

Obitus Pallantis Spangel.

Epitaphium ejus.

Conſilio pollens, largus rerum, ore diſertus,
Doctor erat Pallas, hac tumulatus humo.

Du Pallas waſt geſchickt und wert/
Treu/ fromm/ gerecht/ und hoch gelehrt/
Aigener Nutz dich nye hat genehrt/
Die Kirch und Hochſchul haſt gemehrt/
Dyn hab und gut all dran gekehrt/
Sie wahren beyd din wohll geehrt/
O Herr hilff daß er ſey gewert/
Vnd ihm miltiglichen wert beſchert/
Dyn Reich/ daß er hertzlich begert.

Leonhardi Pellicani obitus.

Leonhardus autem ille *Pellicanus*, natu minor, anno *milleſimo, quingenteſimo primo*, cum patre, & aliis fratribus, & ſororibus ejus, peſte exſtinctus eſt. Mater vidua vixit *viginti ſeptem* annis, cum unica filia, ſorore ejusdem *Eliſabetha*, quæ nupſit *Theobaldo Wolffharto*, qui conſul & quæſtor multis annis *Rubeaci* fuit, & ex ea duos filios ſuſtulit, *Conradum Lycoſthenem* ex ſcriptis notum, & *Theobaldum*.

Stephanus Kleger primus præceptor Pellicani.

Conradus autem *Pellicanus* anno *milleſimo quadringenteſimo octuageſimo quarto* cepit ſcholam frequentare, ſub modeſto & fideli magiſtro *Stephano Klegero* Tigurino, qui primus ei præceptor obvenit, humaniter eum tractavit, & fecit ut amaret literas & ſtudia. Sed cum paucos poſt annos *Baſileam* vocaretur, ſucceſſit ei *Michael Klet* Suevus, Baccalaureus Tubingenſis, ex primis ibidem poſt inſtitutum Gymnaſium promotus, homo avarus, iracundus, moroſus: ſed in inſtituendis pueris valdè diligens. Sub eo dedit operam *Donato*, *Alexandro Gallo* & *Petro Hiſpano* in primo & quarto tractatu, & in *ſuppoſitionibus* & *appellationibus Marſilianis*, in quibus præ aliis quidem ſupparibus profecit; ſed magnis laboribus & terroribus. Cogebatur ſcribere omnia quæ audiebat, codices enim illi, nondum typis evulgati extabant. Eodem anno peſte decubuit aliquot ſeptimanis, quo & eclipſis ſolis fuit totalis: quam pauci quidam præſciverant ex Calendario *Ioannis de monte Regio*, & quosdam præmonuerant, alii verò vehementer perturbati ſunt, exiſtimantes mundi finem adveniſſe, quia ſimile nihil antea viderant. Illo ipſo tempore milites ex Flandria reverſi, multa nova introduxerunt, nempè variegatas caligas, obtuſos calceos, qui antea acuti geſtabantur, à viris & mulieribus, ſimul quoque novum ſandaliorum genus obtuſum, quod vocabant Pantofflen/ quibus ſuos etiam parentes uti conſpexit, omiſſis paulatim calopodiis, Holtzſchuh dictis: quæ quidem novitates interim immenſum creverunt. Nemo antea viderat picturatas & teſſellatas veſtes, ſarctores tum artem ſarciendi hujusmodi diſcere fuerunt coacti.

Studia pueritiæ.

Peſte corripitur Pellicanus Eclipſis ſolis anno 1484. totalis.

Veſtitus novus in German. invectus.

Anno Domini *milleſimo quadringenteſimo nonageſimo primo*, cum peſtis remiſiſſet, quæ Haidelbergæ graſſata ſtudioſos Burſæ novæ ad oppidum Heidesheim ejecerat, cum jam annos *tredecim* compleviſſet, vocatus à *Iodoco Gallo* avunculo, venit *Haidelbergam*, comitante ipſum patre. Ibi præter ordinarias lectiones, etiam audivit à Doctore *Ioanne Vigilio*, dicto wackher/ *Rhetoricam* ad *Herennium*, ab *Adamo Wernero* Themarenſi poëta, *Iuvenalem*, *Horatium*, *Statii Achilleidem*, & *Ovidium* de *nuce*, à Magiſtro *Ioanne Stocker*, Joannem *de Magiſtris in Ariſtotelis Logicam*, & Verſorem in *Petrum Hiſpanum* in Burſa cum aliis audivit, idque ad menſes ſedecim: quibus finitis, avunculus forſitan ob expenſas, quas tum non paucas ſuſtinebat, remiſit eum in patriam menſe Septembri, anno *milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo ſecundo*. Spiram ibi tum tranſiens, aliquot diebus *Iacobi Wimphelingi* hoſpitio uſus fuit.

Venit Haidelb. Pellicanus.

Domum reverſus apud pauperes parentes vixit, & Ludimagiſtro dudum ſuo, in ſchola gratis auxilio fuit: ſæpenumero monaſterium ingreſſus commodatò libros accepit. Agens jam annum *decimum quintum* ſolicitatus eſt à fratribus, ut ordinem aſſumeret, quibus tandem anno *decimo ſexto* ætatis eſt aſſenſus, parentibus ignorantibus, vel diſſimulantibus, vel inſtitutum non audentibus improbare, ob ſuperſtitionem, quæ tum erat maxima, & quia non habebant, unde ipſum alerent.

Vita monaſtica ſe mancipat.

Ineunte igitur anno *milleſimo, quadringenteſimo*

teſimo nonageſimo tertio, aſſumtus in ordinem *Minorum*, volens quidem, quia aliud vivendi genus non offerebatur, ob parentum pauperiem; ipſo die converſionis Pauli, habitu eſt indutus cum magnâ fratrum lætitia, qui eum humaniter tractarunt, & religiosè inſtituerunt, pro more religionis ſuæ, in his quæ ceremonias & diſciplinam monaſticam attinebant. Hoc anno *Iodocus Gallus* Heidelbergâ *Ruheacum* venit, ægrè ferens *Pellicanum* monachum factum, cujus ſe ſciebat fuiſſe occaſionem, rogabat, ut ſi non valdè placeret hoc inſtitutum, exiret denuò, adhuc novitius, id recuſavit ille, eò quod erubeſceret famam exuti monachiſmi. *Velle ſe*, dicebat, *Deo ſervire in eo ſtatu, quem arbitraretur ipſi placere, in quo & ipſe ſperaret ſalvari.* Reſpondit avunculus; *permitto lubens pro me monachus ut ſis, ſed non ut pro me beatificeris in cœlis.* Poſtea rediens *Haidelbergam*, translatus *Steinacum* oppidum, parochus ibi fuit & delectus à conſiliis *Philippo* Palatino, & nobilibus ibidem.

Id agre fert avunculus.

Circa finem anni probationis, correptus eſt peſte, quod cum *Gardianus* intellexiſſet, ſtatim ei ſanguinem minuendum curavit, ita præter omnium ſpem ex morbo recreatus, profeſſionem fecit in manus honeſtiſſimi patris *Caſparis Bruni* pro more ordinis. Anno *milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo quarto* contigit ei ſtatim novus Præceptor, *Ioannes Alzingerus* Landshutenſis, qui ipſi & condiſcipulis prælegit textum *tertii ſententiarum P. Lombardi*, & *centilogium Bonaventuræ*. Eodem anno ordinatus eſt *Acoluthus Baſileæ* menſe Septembri, à ſuffraganeo ſeniore Tripolitano: poſt *Luciæ* angariam itidem *ſubdiaconus* ſalutatus ab eodem. Anno *nonageſimo quinto* ſupra *milleſimum quadringenteſimum* congregatio *Vlmæ* celebrata eſt, cui *Caſpar Walerus* provincialis vicarius præfuit. Is *Haidelbergæ* multis annis præco eximius fuit, ſingularis *Iodoci Galli* amicus, à quo rogatus eſt: ut *Pellicanum* ſuum ad Tübingenſem Academiam transferret, quæ celebris erat, id quod ille ſe prima occaſione facturum promiſit.

Ordines ſuſcipit Pellicanus

Proinde anno *milleſimo, quadringenteſimo nonageſimo ſexto* menſe Martio, *Tubingam* eum ſtudiorum cauſa miſit, Guardiano, & lectori viro doctiſſimo probiſſimoque *Paulo Scriptoris* commendavit, qui *Wilæ* Suevorum & ipſe natus fuit. Hic ſuo Marte didicerat artes liberales omnes, ut eas quoque prælegeret doctioribus de Univerſitate, quibus erat miraculo ob ingenium. Erat acutiſſimus *Scotiſta*, auditor olim *Stephani Bruliferi* Pariſienſis Doctoris. Habebat quotidiè auditores, non ſolùm ex ſecularibus magiſtris multos, inter quos ingenioſiſſimus erat *Thomas Vuitenbach* Helvetius Bielenſis, poſtea Doctor, & Evangelii præco, tunc *Suicerus* dictus, & *Paulus Woſſius* monachus *Schütteranus*, qui exuto cucullo, *Argentorati* Evangelium docuit; *Ioannes Mantel* Auguſtinianus, mox Doctor plurima paſſus, tandem Evangelicus prædicator in ditione Tigurina obiit *Elgovviæ* anno *milleſimo quingenteſimo trigeſimo*. Quin & totius monaſterii Auguſtiniani fratres docti, quotidie *Tubingæ* veniebant ad audiendum Scotum à *Paulo*, quibus præerat prior *Ioannes Stupitius*, poſteà Doctor, & Lutheri Mœcenas. Sed & Coſmographiam *Ptolomæi* prælegens, omnes ferè doctores & cæteros magiſtros habuit auditores, & fratres doctos multos, cum quibus non parum *Pellicanus* profecit. Docuit quoque Mónachos *Bebenhuſii* compoſitionem Aſtrolabii, Pellicano ſocio aſſumto, ut ipſe quoque præ aliis hac in parte profecerit. Poſteà tamen Magiſtros & Fratres omnes, uſum illius Aſtrolabii docuit. Anno *milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſeptimo* prælegit quoque familiariter quatuor vel quinque libros *Euclidis*. Scripſit tùm quoque *explicationem Scoti* in primum ſententiarum, quæ poſteà impreſſa fuit: exempla ſcripſit Pellicanus ſua manu, ipſo dictante. Erat is vir dextro ingenio & liberali, & ſatis audaci ad veritatis confeſſionem, eximius prædicator non tamen ordinatus, quia Guardianus: verùm evocabatur crebrò à doctis ſacerdotibus, qui tunc erant in *Rütlingen*, ubi in magnis ſolennitatibus prædicabat, ſic quoque in oppido *Horvva*; ubi vehementer pro iſtis temporibus prædicans, quosdam articulos aſſeverabat, & ſcripturis firmiter probabat, veluti *de ſacramentis, indulgentiis, votis*, & aliis, qui poſteà dicti ſunt *Lutherani*, propter quod & fama perveniens ad Theologos Tübingenſes, tam inviſum eum reddidit Univerſitati, ut deliberarent de inquiſitore hæreticæ pravitatis accerſendo contra eum, unde & accuſatus apud provincialem, & fratribus ſubditis exoſus, tandem ab officio remotus eſt Lectoratus & Guardionatus. Dum hæc geruntur per annos ferè ſex, contigit, ut anno *milleſimo quadringenteſimo nonageſimo nono*, *Paulus* ille evocaretur ad generalem Vicarium ordinis, *Franciſcum Sagarram*, Hiſpanum, virum doctum, in *Alſatiam*. Aſſumto igitur more ſuo comite *Pellicano*, qui erat laborum tolerans & in victu frugalis, menſe Auguſto perluſtratis aliquam multis monaſteriis, ad *Tabernas* deſcenderunt. Inde non invento ibi generali illo ordinis, *Baſileam* abierunt: ubi intellexerunt ipſum *Friburgum* Briſgoiæ contendiſſe ad Imperatorem *Maximilianum*, tractantem de pace firmanda cum Helvetiis, quibus bellum intulerat. Indixerat ille generalis *Oppenheimii* quorundam patrum conventum, inter quos *Paulus Scriptoris*, quoque evocatus erat. Igitur cum Gardiano Baſilienſi deſcendentes pervenerunt *Wyſſenburgum*, & in alia oppida. Comitum autem in itinere permutatione, quia multi erant, factum eſt; ut jungeretur ipſe comes cuidam patri *Paulo Pfedersheimero* inſigni prædicatori, qui ex Judæis converſus *Moguntiæ* dudum & Magiſter in artibus promotus, Minorita poſtea factus, & celebris erat, vocatus & ipſe ad conventum Oppenheimenſem: illi in itinere ſignificavit, *flagraſſe ſe à puero deſiderio diſcendæ Hebraicæ lingua*,

Tubingam mittitur Pellican. Paulus Scriptoris. Is ſuo Marte artes didicit.

Ioan. Stupicius.

Prælegit Euclidem Scriptor.

Vocatur ad generalem vicarium.

Paulus Pfedersheimer. Pellicanus à puero Hebræa lingua amans, & cur.

lingua, idque hac occasione: cum puer undecim annorum inter pueros audisset quendam Doctorem Theologum disputantem cum Judæo de Christiana fide, confusum fuisse respondendo, non solum à Judæo: sed & à Judæâ, vehementer obstupuisse & doluisse, non sine quodam conscientiæ scandalo, quod fides Christiana non solidioribus argumentis fulciretur, sed talibus, quæ possent à Judæis contra doctos Theologos convelli. Minoritam factum, cum quotidiè audiret & legeres sacra in choro & mensa, conjungens interpretationem Lyranam, didicisse non tam clara esse mysteria scripturæ, nec omnibus tam certa: quin multi super ea multa inferrent & varia: quando Lyranum audisset alicubi dissentire à divo Hieronymo, probare alicubi expositionem R. Salomonis contra Augustinum & Paulum Burgensem Neophytum improbare Lyranum. Hæc audientem & Prophetarum oracula nondum intelligentem & sapiùs allegatam Hebraicam veritatem, contra translationem vulgatam, alicubi quoque translationem Chaldaicam Onkeli vel Jonathæ, intelligentem nostrati consentire, vel ab ea discrepare, simul quoque legentem Pauli Burgensis scrutinium contra Judæos, *& Petrum Nigrum plurima adducentem ex Hebræorum scriptis, in libro* quem stellam Messiæ inscripsit: *hæc, inquam, omnia audita, visa, lecta, puerum se & deinde adolescentem ad discenda Hebræa solicitasse, si quæ occurissent vel membranæ, quibus codices compingebantur. Nec tamen sibi usque in eum diem occurrisse aliquam opportunitatem discendi Hebræa, ex quibus desumenda tamen esset dubiorum in veteri Testamento intelligentia, sicut ex Græcis in novo.* Tale eorum fuit colloquium, cùm iter facerent, inter Dürcken & Wormatiam. Ad quæ *Paulus* ille respondit: *jam nunc accedimus Moguntiam, ubi olim codices Hebraicos patri meo sublatos, cum Christianus fierem relictos, tibi transmittam, si volueris desiderio tuo tam sancto satisfacere; & huic studio te consecrare:* cui Pellicanus, *si mihi*, inquit, *libros illos sacros tradideris, scio ego modum, quo meo Marte ut spero, eos legere & interpretari possim.* Cogitavit enim de libro, qui *stella Messiæ* inscribitur, quem in Bibliotheca Rubeaquensi viderat. Promisit ergo vir bonus librum ubi Moguntiam perveniissent traditurum.

Scrutinium contra Judæos. Stella Messiæ.

Primum autem *Oppenheimium* ingressi, ubi coacti fuerunt præcipui provinciæ patres in tractu Rhenano & Sueviæ: consilio habito Prælati inter se, *Moguntiam* descenderunt, inter quos Pellicani Gardianus & Præceptor *Paulus Scriptoris*, cum altero illo Paulo converso Judæo. Cæteri fratres illorum comites, aliquot diebus substiterunt *Oppenheimii* & retrogressi bini ad loca propinqua, ne gravaretur conventus, se contulerunt. Sic ergo cum comite quodam ipse *Haidelberga* rediit *Pfortzhemium*, ibi expectaturus suum præceptorem: qui subsecuturus erat expeditis rebus *Moguntiæ* cum Gardiano Pfortzensi. Commendarat autem diligenter abeunti *Moguntiam* illi patri; ut commonefaceret Paulum Neophytum, de transmittendo libro Hebraico. Post aliquot dies venit *Paulus Scriptoris* afferens magnum codicem, quem gestarat humeris *Moguntiâ Pforzhemium* usque; ut studiis ejus gratificaretur, quæ valdè probabat. Nam ipse quoque jam ante rudimenta linguæ Græcæ didicerat à *Reuchlino*; tantosque in illa progressus fecerat: ut epistolam Græcam mediocriter scriberet. Nihil in eum usque diem Pellicano acciderat gratius; quàm ubi illum codicem satis grandem Hebraicum accepit. Fuit autem volumen membrana perscriptum, elegantissimo charactere, cum *Mossoreth* tantæ magnitudinis; ut pelli vitulinæ par esset: habuitque ternas columnas à facie una, non tantum duas; ut vulgò scribuntur libri. Inscriptus autem *textus Jesaiæ Prophetæ, Ezechielis* quoque, & *duodecim prophetarum minorum*; additus ab initio fuerat & *Jeremias*, more occidentalium codicum, sed direptus à manu infideli. Ideo autem præmissus fuerat Germanorum more, Jesaiæ Prophetæ, quod stylo facilior esset, quàm Jesaias. Illum ergo codicem suis humeris etiam *Tubingam* usque bonus ille vir bajulavit; ut eum in via expeditius sequi *Pellicanus* posset. Reversus *Tubingam* sub initium Septembris, statim adiit *Conradum Sumerhartum*, Academiæ Tubingensis tunc Rectorem, principem Doctorum, ordinarium Theologorum, eumque rogavit: ut Petri Nigri stellam Messiæ commodatò daret; quod cum facilè ab illo impetrasset, cepit conferre primum & secundum caput Jesaiæ, quod præmisit totius libri disputationi. Ibi legens Hebraica verba Latinis literis expressa, *Hazon Jeschaejahu ben Amotz*; cum haberent singulæ dictiones subscriptam interpretationem Latinam, puta, *visio Jesaiæ, filii Amotz*: intellexit Hebraico codice applicato & collato, in dictione *Hazon* primam literam esse H. subjectum punctum esse *a*, sequentem literam *Z*, vel *S*, tertiam *o*, ultimam *n*, & sic deinceps. Accedebat etiam usui & votis ejus in fine adjectus *modus legendi Hebræa, cum literis & punctis, earumque potestatibus.* Hoc ergo modo profecit in lectione Hebraica nonnihil: statimque processit ad intelligentiæ studium hoc modo; assignavit in charta Hebraicorum nominum interpretationes, nempe *Hazon* significare visionem, *ben* filium, *hasa* vidit: deinde nominum & verborum characteres depinxit; simul asscribendo significationem. Absolutis duobus capitibus, aliqua cum interpretatione Hieronymi contulit: Postea idem fecit in aliis prophetis.

Redit Pforzheimium.

Liber Hebraus Pellicano Moguntiâ allatus.

Paul. Scrip Græcè doctus.

Conradus Sumerhar.

Pellicanus quomodo suo marte Hebræa didicerit.

Interea oblata ei est *tertia pars Psalterii*, à

Dictionarium Hebraicum conficit Pellic.

primo usque ad quinquagesimi primi fragmentum, ereptum Judæis. Ibi *dictionarium* conficere cœpit, conferendo ad Hebraicam veritatem interpretationem Hieronymi ad Sophronium. Ad *Aleph* scripsit *aschre*, beatus, *Haisch*, ad *he*, quam literam arbitratus tunc fuit ad thema pertinere, *Ascher*, qui ad *Aleph*, & sic deinceps per totum primum Psalmum. Et quidem in nominibus & adverbiis facilis fuit opera; sed valdè ei doluit: non inveniri in verbis, nisi rarò, primam personam præsentis indicativi: ut est apud Latinos thema, *amo*, *docco*, *lego*, *audio*; tamen perrexit nocturno maximè tempore: interdiu enim erant ei audiendæ lectiones in *Scoto*, *Occam*, *Tartareto*; talia enim legebantur, & disputationes ejusmodi habebantur. Interim nihil remissum alicui fuit, nisi prælectori de choro frequentando, die noctuque per *septem horas* diurnas aliquando, rarò sex. Erant & alia ipsis agenda; *legendum & serviendum ad mensam: scutellæ lavandæ*, binis semper, ut eos ordo tangebat, ut non nisi suffuratus aliquid temporis, suo privato studio vacare posset. Quanto autem minus temporis ei suppetiit: tantò diligentius cavit, ne vel tantillum temporis ei frustra elaberetur. Et sic satis feliciter quidem, sed improbo labore profecit per hyemem illam, & partem æstatis sequentis, millesimi quingentesimi anni.

Labores Pellic. in Anustre.

J. Capnio Pellicanū in Hebraicis juvat.

Tunc circa medium Julii *Capnio*, qui hactenus judicem egerat in Camera imperiali *Wormatiensi*, *Tubingam* venit, vocatus à duce Würtembergico. Exceptus est hospitio à Doctore *Sommerharto*, qui id Pellicano significavit; ut si Capnionem cuperet alloqui, veniret ocyus. Et sanè nullus ei optabilior tunc nuncius afferri potuisset: cùm aqua ipsi hæreret in verbis Hebræis, & quo modo ea adnotaret, eò usque ignorasset. Proinde venit interrogavitque D. Reuchlinum, qui subridens dixit: *apud Hebræos thema verborum non esse primam personam, nec indicativi nec imperativi: sed tertiam singularem præteriti perfecti.* Hac regula accepta, exultavit animo Pellicanus, sciens hujusmodi verbis plena esse Biblia. Siquidem in Psalmi primi primo versu occurrerant, *abiit*, *stetit*, *sedit*, & alia. Hoc ergo unum oraculo Capnionis didicit: cætera omnia ex mutis magistris, & collatione interpretum, perpetuo labore est assecutus.

Ulmam abit. Joann. Beham. Hebraicè docuit.

Contigit eodem anno mense Augusto, ut ascenderet cum Paulo præceptore *Ulmam*, ubi audierat esse sacerdotem virum bonum. *Joannem Beham* cantorem, qui à Judæis Ulmensibus antequam expellerentur, didicerat Hebræa, & multa habebat multo ære redemta, à paupere quodam Judæo elegantissimo scriptore, inter alia *fragmentum Grammaticæ de conjugationibus verborum, & literarum transmutationibus*, incerti autoris, & aliud quoddam. Utrumque curaverat ille multo ære transferendum in Germanicam linguam à Judæo, nihil prorsus de Hebraica Grammatica intelligente. Nec enim Pellicanus eo usque invenerat inter omnes Judæos quenquam, nec in *Alsatia*, nec *Wormatiæ*, nec *Francofurdi*, nec *Ratisbonæ* vel alibi, qui vel unam ei Grammaticalem quæstionem solvere potuisset Optimus ergò ille vir rogatus, copiam ei fecit describendi utramque Grammaticam, cum interpretatione Germanica. Is ergo plurimum ei profuit, & præceptoris locum apud eum meruit. Quin & postero tempore, videns ejus studium indefessum, alia quoque permisit describenda. Eodem anno providentia DEI, Bibliopola Tubingensis attulit *Biblia Hebraica* integra, minima forma impressa *Pisauri* in Italia, quæ nemo curabat. Pellicanus id audiens, rogavit virum, sineret opus aliquot diebus inspicere: concessit librarius, dicens *floreno cum dimidio* posse emi. Audito tam parvo posse comparari; exultavit Pellicanus: adiit suum Gardianum Paulum, orans pro se fide-juberet. Quod ubi fecisset; Crœsi divitias se adeptum putavit, statimque Spiram ad avunculum scripsit, orans ut *duorum florenorum munere* vel eleëmosyna dignaretur, quibus pro libris comparandis pauper egeret. Statim misit ea conditione, *ne se emacem ed alienam crumenam exhiberet.* Satis ergo tunc ditatus, postea nil unquam ab eo petivit. Reuchlinus verò iterum reversus, cùm inaudiisset, eum perlegendis Bibliis *Dictionarium* concinnare, & semel annotatis postea non nisi capitis numerum adscribere, si ex concordantia translationis intelligeret, certum esse vocabuli adnotati significatum: retulit, se quoque idem opus moliri, & perfeciste ferè verba incipientia ab *Aleph*: hortatus Pellicenum, ut strenuè pergeret, se quoque idem facturum: id factum medio Julii mensis. Ad finem Octobris tota Biblia hoc modo perlegit, colligens radices, & loca adsignans plurima, verbis rarioribus, & non prorsus communibus. Ad initium Novembris *Stutgardiam* descendens, attulit Capnioni specimen laborum: ubi videns ille diligentiam, & admiratus celeris tanti tam breve tempus, quo fuerat exantlatum, dixit, *se nondum absolvisse partem incipientium à Beth.* Videns autem Pellicanum singulis dictionibus adjecisse capitum numeros; rogabat sibi commodaret librum, quo in suo sublevari posset: ne cogeretur propter unicum vocabulum totum semper volume evolvere. Pellicanus libenter illi gratificatus est: contrà ille eidem commodato dedit exemplar manuscriptum *Grammatica R. Mose Kimhi*, quod ab eodem Judæo Germanicè translatum habebat, qui Ulmensi sacerdoti alia fragmenta transtulerat. Rogabat etiam Pellicanum: ut quæ jam scripserat tumultuariè, de dictionibus ab *Aleph* incipientibus, transcriberet, ut aliquando Typographis posset tradi.

Rediit itaque latissimus Pellicans *Tubingam*, & intra mensem omnia descripsit.

Nemo

Judæi Grammaticen ignarus.

Biblia Hebraica in Germaniâ allata.

Ea emit Pellicanus.

Dictionarium Hebraicum à Pellicano concinnatum. Ide à Capnione fallum.

Communicant opera Capnionis & Pellicani.

Nemo enim tum inveniebatur, qui cum Latinis & Hebraicis, Græca quoque scribere pariter posset. Eodem quoque anno *sesquimillesimo primo* confecit *Hebraicam Grammaticam* ex tribus illis fragmentis, de quibus diximus in Germanicam linguam translatis, multo labore & meditatione: Dictionario suo adjecit ex Græco, Græcas Hebraicorum verborum interpretationes. Occasionem scribendæ Grammaticæ ipsi præbuit *Martinus Obermüller*; quem *Gregorius Ressius* autor *margaritæ Philosophicæ* Carthusianus Friburgensis, vir doctissimus, Friburgo ad ipsum miserat: ut eum Hebræa doceret, Grammaticam verò suam aliis non concessit, quòd sentiret dubia multa: quorum nullam inveniebat apud alios tunc resolutionem. Exspectabat autem eam, quam Capnio Dictionario addendam promiserat; quod tardius factum est, anno *quingentesimo sexto*. Sub idem tempus profectus erat cum Præceptore suo ad *Justingensem villam*; ubi tunc parœcianum agebat *Joannes Justingen*, doctissimus Astronomus, qui in manibus tunc habebat opus egregium *Sphæræ signorum*, quod moliebatur elegantissimo artificio Episcopo Wormatiensi *Joanni Dalburgio*, aureis insertis stellis & circulis faberrimè exaratis, ut erat homo ingenio, industria & manibus subtilissimus. Similem jam ante confecerat suffraganeo Episcopo Constantiensi *Danieli Tigurino*, qui Pellicanum ordinaverat, quæ fuit asservata Constantiæ, tanquam thesaurus in ipsorum bibliotheca. Sub idem tempus primo ejusdem authoris *Ephemerides* prodierunt Ulmæ, quas tunc primum ibidem vidit.

Hebraica Grammatica Pellic.

Gregor. Ressius.

Joan. Justing. astronomus.

Ephemerides Justing.

Anno *millesimo quingentesimo primo* celebratum fuit capitulum Minoritarum provinciale *Pforzemii*, ubi *Oliverus Maylardi* generalis, ordinavit eum, natum annos *viginti tres*, sacerdotem. Provincialis verò ad consolationem parentum adhuc superstitum, transtulit eum in monasterium *Rubeacense*, ut ibi caneret primitias: simulque *Paulus Scriptoris* absolutus à Gardinatu Tubingensi, translatus est ad Basiliensem conventum; *ut scriberet, non legeret vel prædicaret*: prætextus esse videbatur, ut amicis destitueretur, quos habebat in Suevia. Sic itaque in autumnali angaria ordinatus sacerdos, à *Telamonio Episcopo Tripolitano* Suffraganeo Basilienſi, missam primam cecinit in die Sanct. Francisci, cui solennitati aderat Senatus & Pater cum fratre Leonardo adhuc viventibus & sanis. Aderat etiam honoris ergò *Paulus Scriptoris*, qui concionatus sub missa præsente Senatu, tractabatque quinque *mures Palæstinorum aureos*, allegoria nescio qua, ad ipsius studia commendanda. Consueverat enim aliàs quoque dicere, „ instare tempus mutandæ „ Theologiæ, & deserendæ scholasticæ di- „ sputationis. Resumendo quoque pri- „ scos sanctos doctores omissis Parisiensibus: item tempus appetere mutandarum legum „ plurimarum. „

Paul. Scrip. deponitur.

Primam missam cecinit Pellic.

Concio de muribus aureis Palæstinorum

Prædicit mutationē religionis Paul. Scr.

Hic vir anno sequenti, qui erat post quingentesimum secundus, dum carcerem ab aliis submonitus timeret, ob dogmata, quæ nunc Lutherana dicuntur, vocatus Tabernas *Argentoratum* pervenit, ubi prænonitus ne illuc pergeret, abiit *Viennam Pannoniæ*, in aliam provinciam tutiorem, deinde *Romam* profectus, triennio elapso rediit, *Heilbrunnam* sine pœna. Sed à generali vicario Galli, qui virum norat & diligebat, vocatus est: ut doceret Theologiam Tolosæ: ad quod se præparans, cum *Basileam* venisset, vocatus à Basilienſi Episcopo Christophoro, rogatusque est: ut antè abitum in Galliam, legatus suo nomine iret ad Abbatem *Schutteranum* pro Monachis honestioribus transferendis in monasterium S. *Albini*, reformandum aliquantisper. Cum in viâ morbo correptus esset; divertit ad *Keisersbergensem* conventum & ad Alenspacenses moniales, quarum quædam negocia quoque tractarat, cum Episcopo: ibidem nescio quo morbo invalescente, diem obiit, sepultus in ambitu monasterii Keisersbergensis. Rumor tamen falsus per Sueviam a suis fautoribus disseminatus est: quasi *Monachi eum*, verbum est Pellicani, *sacrificaverint*.

Fugit carcerem.

Vocatur in Galliam.

Moritur.

Itaque Reuchlinus fraudatus est Pellicani auxilio, Sueviam eo petente: quo factum; ut opus rudimentorum tardius fuerit absolutum. Anno *millesimo quingentesimo primo*, cepit pestis grassari Rubeaci & alibi, quæ, ut diximus patrem Pellicani unà cum liberis sustulit, ipso & unica sorore superstite. Tunc ut mortis metum excuteret, conscripsit *septem Psalmos pœnitentiales*, quos vocant, tribus columnis *Hebraicè, Græcè & Latinè*, versibus sibi respondentibus, additis aliis Psalmis laudatoriis, & precationibus quibusdam, quotidie dicendis ad Dominum, & ad patronos; qui erant, *Paulus*, *Agnes*, *Franciscus*, & *Hieronymus*, divi.

Pater Pellicani moritur cum liberis.

Patroni Pellicani qui divi & diva.

Anno *millesimo quingentesimo secundo* ordinatus est lector Theologiæ pro fratribus studiosis, in conventu *Basilienſi*, quò pervenit in fine Augusti. Prælegit autem in Theologia scriptum quoddam *Guilermi Vorilong.* in sententias recens impressum multo labore ob impeditissimum & affectatum stylum, curiosi magis, quam docti viri scholastici Scotistæ. In Philosophia *Nicolaum de Orbellis*. His absolutis, *Breviloquium Bonaventuræ* ferè biennio prælegit & *Margaritam Philosophicam*. Item *tertium & quartum sententiarum Scoti*, cum compositione & usu *Astrolabii*: quale confici curavit manu cujusdam fratris *Friderici Kraffi* Nerobergensis, ingeniosissimi artificis, qui post Astrolabium elevationum omnium, etiam opus motuum omnium planetarum confecit. Eodem anno cepit *Ioannes Amerbachius* senior imprimere omnia opera D. Augustini, ad

Fit Basileæ lector Theologiæ.

Augustini opera excusa ab Amerbachio.

Augusti. Dodo.

quam editionem contulit operam suam *Augustinus Dodo* Canonicus ad D. Leonardum. Cœperat enim scribere argumenta in singulos D. *Augustini* libros: sed cum peste decessisset: Typographus opera *Francisci Wyler* Basiliensis Minoritæ usus est; qui multos libros in capita distinxit, & singulis argumentis præmisit. Hic cum sequenti anno loco esset motus, *Pellicanus* rogatu fidelissimi typographi, residuos *centum quinquaginta* libros absolvit. Ex eo tempore summus ei amicus fuit vir ille; & cum eo *Joannes Frobenius*, qui fratribus Minoritis ob ipsius labores, plurima beneficia contulerunt; & ipsium Pellicanum nullo libro utili carere passi sunt.

Pellicani opera in Augustini operib. Charus Typographus, quos juvat.

Aliis quoque Typographis *toto sexennio* pro virili fuit subsidio; maximè *Jacobo à Pforzen*, qui primus Basileæ impressit *opera Chrysostomi & Stephanum Brulifer.*

Raymundus Cardinalis.

Anno *millesimo quingentesimo quarto* circa Majum advenit *Raymundus Gallus Xantonensis* patria, *Cardinalis* S. Mariæ novæ, legatus à latere *Alexandri* Papæ VI. Is voluit honoratiores reddere Minoritas de observantiâ dictos, qui doctos quidē haberent fratres, sed nulla graduum prærogativa celebres; jamque in conventibus tractus Rhenani, aliquos titulo *doctoratus* ornaverat. Hic instigatus à *Jodoco Gallo* avunculo, sæpius nominato, cum *Basileam* veniisset; Pellicanum examinavit aliquot horis per duos doctores Theologos; quos in comitatu suo habebat, *Joannem Ammanum* Argentinensem prædicatorii ordinis & *Joann. Capet* Minoritam Gallum. Interim legatus incumbit translationi sanctarum Virginum trium in *Eichsel*, & sanctæ Christianæ. Erat enim ut alter *Ambrosius*, in his rebus superstitiosior: & reliquiarum corrasor per totam Germaniam ex monasteriis; ut particulas ad Gallias transferret, & hujusmodi rebus, & bullis indulgentiarum, Academiam Parisiensem ornaret. Abitum parans Romam versus, iterum Pellicanum vocavit legatus, convocataque doctorum suorum familia titulo eum doctoratus ornare voluit. Adfuit vir doctus & magnæ autoritatis ex familia Cardinalis, qui dixit: *Reverendissime Domine, ægrè fert Gardianus ipsum doctorem creari, consentit in Baccalaureatum: inveniatur medium, ut Licentiatus creetur.* Cardinalis respondit: *placet illud, hac conditione, ut nunc fiat Licentiatus, ubi autem annum trigesimum ætatis expleverit, sine alia promotione Doctor sit & habeatur.* Consentiebant omnes. Pellicanus eâdem horâ juramentum præstitit: & mox Bulla fuit expedita super his. Verùm Pellicanus annis *quadraginta amplius* nunquam vel Licentiati vel Doctoris titulo est usus. Abiturus postea Cardinalis *Raymundus* rogavit provinciæ Patres; ut *Pellicanum* sibi familiarem permitterent loco Capetis secum Romam proficisci cum socio. Quibus annuentibus ipse desiderio videndi Italiam & Romam, non invitè sese illi adjunxit: jam annos *viginti sex* natus. Pedibus ergo, de more illorum, iter facientes *Pellicanus* & *Jacobus Schenck* nobilis gener frater, per Zofingam *Lucernam* pervenerunt, ubi quatuordecim diebus manserunt. Aderant legati, proceres Helvetiorum ex quinque pagis, qui navigio, Cardinalem usque ad Brunn comitati sunt, decimo octavo die Julii. Deinde in vicum *Suiz*, qui Kirchgassen vocatur ingressi; mox ad diem *Julii trigesimum* convocati sunt omnes ex tota valle, ad Cardinalis missam solennem. Inter missaram solennia, concionatus est Episcopus *Tripolitanus* ad populum confertissimum. Cardinalis instituit; ut *quotannis eodem die populus conveniens, omnibus futuris temporibus haberet remissionem peccatorum septem annorum*; quæ post plenariam, dicta est fuisse maxima; quam pontifex dat & legatus à latere dare potest. Sequenti die navigio pervenerunt *Uranium*. In *Altorff* aliquot diebus commorati, Pellicanus & alter quidam, *Helvetiorum historiam*, è Germanico in Latinam linguam transtulerunt: ut à Cardinali intelligi posset. Ibidem ipse Cardinalis multas epistolas Romam perferendas diversi argumenti, pariter multis dictavit; ita erat ingeniosus senex jam tum major sexagenerario. Triduo vel quatriduo post, Episcopus *Tripolitanus*, & alii Basilienses atque Helvetii, domum impetrata venia redierunt, cum jam ascendendus esset *mons S. Gothardi*. Voluisset etiam Pellicanus cum suo fratre redire propter tarditatem itineris Cardinalis; sed cum illo vallem ingressi pulcram inter horridissimos mentes sub vesperam pervenerunt *Wassenium:* ibi pernoctantes in media crepidine montium in horrendis montanis, mane altius ascendendo pervenerunt in pulcerrimam planitiem; ubi cacumen montis è longinquo cernebatur & villæ erant aliquot, nempe Urselen, & remotiùs adhuc in pede montis Gothardi, villa non parva, Hospital dicta: ibi pransi ascenderunt multo labore ad verticem montis publico itinere, utrinque montibus altioribus surgentibus, tandem venerunt ad Capellam & *hospitium S. Gothardi:* ubi aliquandiu in magnis & inconsuetis frigoribus consistentes, monte descendere ceperunt per semitam pedites, equites verò per viam regiam. Verum Cardinalis lectica est deportatus ab decim robustis Helvetiis, pro non parva mercede. Unde pervenientes ad villam *Orsenz* Mediolanensis diœcesis, iterum scribendis epistolis fuerunt occupati, de pecunia legato transmittenda. Eo peracto descenderunt juxta vallem pulcram & præcipitem, usque ad locum *Closterlin* dictum, sequenti die Bellizonam pervenerunt. Postea iter facientes per planitiem, versus lacum majorem, & lacus initia transfretarunt ad oppidum *Lucarnum* ornatum munitissima arce, invento illic monasterio irreformato: ibi octiduum substiterunt.

Cardinalis missa solennis.

Et indulgentia.

Helvetiorum historia translata in Latin.

Mons Gothard.

Pellicanus Licent. & Doctor creatur.

Sed titulis illis non usus.

Pellicanus in comitatu Cardin. Rom. abit.

Inde

Febri in itinere corripitur Pellicanus.

Inde ad monasterium reformatum Sancti Bernhardi contenderunt: ubi cum febris Pellicanum corripuisset, & medici Cardinalis opera frustra uteretur: bona venia Cardinalis Germaniam repetiit, dixit enim ad Pellicanum: *volui deducere te mecum Romam, & tua operâ studiisque oblectari, sed quia video aërem tibi adversum, malo ego scire te Basileæ vivum, quàm cernere Romæ mortuum:* moxque illis assignato doctore Lucernano, redierunt magno & difficili labore ad Altorff. Hic conducta navi, coacti sunt ipsorum quinque viri, natuâ uti fœminâ. Corripuit tum Pellicanum iterum febris, & ventus impetuosus insurrexit contrarius; ut compellerentur divertere in Sisicken villulam, mediam inter *Altorff* & *Brunn*.

Redit ad suos.

Mox coacti ascendere montem altissimum, reptando per prata manibus & pedibus, per magnum milliare: Pellicanus propter febrilem paroxysmum post alios tardior ascendebat. Delati autem sunt ad planitiem jucundissimam, ubi villa pulcra, prata pinguissima, & fontes lympidissimi: nomen villæ est *Morse*, antiquissimam habens parochiam. Ut autem multo labore ascenderunt: sic graviore incommodo tibiarum descendere altissimum montem fuêre coacti. Excedit altitudo illius villæ omnes montes Basileam versus: adeò ut viderint tunc montes Alsatiæ, adeoque eos qui sunt prope Rapolsteinium. Igitur descendentes magnum milliare, pervenerunt ad villam Brunn, ubi pernoctarunt. Postero die *Lucernam* perlatus est, tandem Basileam, febri diu multumque vexatus.

Morse.

Redit Basileam Pellican. Ludovicus Berus.

Basileam reversus, auditores suos in Theologia & liberalibus disciplinis exercere perrexit. Illo tempore *Ludovicus Berus* Parisiis adeptus Doctoratum in Theologia, in patriam suam Basileam venit, & prima fundamenta linguæ Hebrææ satis feliciter aliquot septimanis Pellicano Præceptore, didicit.

Scribit summam Catholicæ doctrinæ.

Rogatus autem ab Episcopo Basilienſi *Christophoro ab Utenheim*, *summam* brevem ei descripsit *Catholicæ doctrinæ*, quæ populo sibi commisso, ad salutem necessaria esset. In hoc opere alicubi secutus est non tàm suam conscientiam, quàm, scholasticos quosdam doctores mendicantium ordinum, unde „ *non omnia ibi scripta, solidæ fuerunt veri-* „ *tatis, sed ejus, quæ tunc veritas habebatur.* Quæ verò de *indulgentiis, purgatorio, confessione, eucharistia, & Papistica potestate* scripta invenit: jam ceperat suspecta habere, ex lectionibus antiquorum, maximè *Augustini* & *Originis*: in quibus talia dogmata non invenerat. Deprehenderat enim librum *de vera & falsa pœnitentia*, non esse *Augustini*, sicut nec librum *de Sacramentis Ambrosii*, & *Hieronymo* quædam de talibus loquentia, falsò fuisse ascripta id quod postea Eras. quoque Roterod. confirmavit, & probavit luculentiùs. Et placuit quidem tunc labor ille Pellicani Episcopo, qui propediem synodum provincialem se coacturum promisit: in qua liber sua authoritate, parochis suis commendaretur, ut secundum illum docerent: sed postea id non est factum. Causas ipse retulit, quod Sacerdotes Austriaci dominii & Helvetii, impatientes disciplinæ, nollent à se quoquo modo reformari, & Canonici Ecclesiæ suæ majoris, exemti essent à sua authoritate, immediatè sub Papa & suo decano, quibus non reformatis, primis scilicet, nihil de minori clero posset tentari per se, quamvis multa displicerent. Cum hoc opus Episcopo offerret Pellicanus, nova ei per horam & amplius retulit, de *quatuor prædicatoribus* monachis Bernensibus; idque Latinè, & eleganter: qui anno *millesimo quingentesimo nono*, ultimo die Maji cremati sunt. Historiam de gestis ipsorum scripserunt *Sebastianus Franck*, *Thomas Mürner*, & multi alii. Ipsi quoque monachi prædicatores eam describere ceperant, sed non potuerunt absolvere.

Sacerdotes impatientes reformationis.

Monachi Bernæ exusti.

Quadam habet suspecta.

Notha scripta Patrum.

Postquam sex annis Basileæ studiosis legerat *Pellicanus*, vocatus est Basileâ *Rubeacum*, cum quibusdam junioribus fratribus: alii quoque illuc ad ipsum missi sunt aliunde, inter quos *Sebastianus Münsterus* Ingelheimiensis, octodecim tunc annorum adolescens, homo laboriosus & probus. Ceperat Pellicanus in operibus D. Hieronymi adjicere Hebraicis literis, quicquid ex sacris Bibliis citat, rogatu Amerbachii, quem laborem absolvit Rubeaci. Librariorum enim insciti omnia fuerunt corruptissima.

Vocatur Rubeacum Pellicanus. Sebastian. Münster. discipulus ejus.

Ab anno itaque *millesimo quingentesimo octavo* usque ad *undecimum*, prælegit denuò suis auditoribus *Margaritam Philosophicam* totam, *Nicolaum de Orbellis*, super libros sententiarum, & libros *Aristotelis*; communicavit cum Münstero, quæcunque habebat, *Hebraica & Astronomica*, quibus multa adjecit sua quoque diligentia: ut in istis disciplinis doctissimus evaserit. Ursit cum *Pellicanus* pro virili ad philosophiam divinam & humanam, quam esset aliquando fratribus quoque aliis prælecturus, id quod contigit tandem, tam Basileæ, quàm Tubingæ, ubi reliquum quod in astronomia deerat, *Joanne Justingensi* præceptore, didicit.

Lectiones Pellicani Rubeaci.

Anno domini *millesimo quingentesimo septimo*, dum adhuc lector Basileæ esset, de voluntate patrum in Capitulo Provinciali *Rubeacensi*, pro more concionem Latinam memoriter in honorem Patriæ de charitate habuit. An. *millesimo quingentesimo decimo* jussus præparare se ad orationem Latinam coram doctis Academiæ Tubingensis habendam, ubi etat celebrandum Capitulum Provinciale Minoritarum post pascha. Argumentum fuit *de studiis emendandis*; sed metuens Poëtarum dentes: impetravit, ut jam mandatam memoriæ non recitaret. Fuit autem à multis illa oratio transscripta. Anno *undecimo* supra mille quingentos celebrandum erat capitulum Provinciale *Basileæ*; in quo *Sebastian. Münsterus* jussus declamare Latinè, obtinuit à Pellicano ut conscriberet illam, quam postea

Oratio de studiis emendandis.

feliciter habuit, sumto themate ad Patres: *Quando misi vos sine sacculo, pera, & calceamentis, nunquid defuit vobis aliquid? dicunt ei, nihil.*

Pellicanus Gardianus Pfortzensis ordinatur.

In eodem capitulo vel conventu ordinatus est Gardianus Pfortzensis, à fratribusque electus dum aliquod mensibus *Bartholomæo Wyer* provinciali socius Secretatius adjunctus fuisset. Postquam igitur non integris annis *sex Rubeaci* prælegisset, comitatus socio & charo discipulo *Munstero*, nondum sacerdote, pervenit ad Pfortzemium Cal. Septembris, ubi concertatio inchoata fuerat inter plebanum & Medicantes, fratres prædicatores & minores. Itaque concordiæ conciliandæ causa missus est ab Episcopo Spirensi *Philippo à Rosenberg D. Iodocus Gallus*, qui conciliavit partes & literis confirmavit in conventu Pfortzensi, decimo quarto die Novembris. Idem Gallus Pellicanum Episcopo commendavit, à quo multis postea beneficiis est affectus. Initio hujus anni, obiit amicus Pellicani singularis, *Conradus Leontorius* Mülbrunnensis Monachus in arcta valle propè Basileam septimo Januarii.

Dissidium ubi inter plebanum & monachos. Ad id componendum Iod. Gallus missus.

Anno *millesimo quingentesimo duodecimo*, Octobris undecimo, *Spiram* descendens in causa conventus, *Bruxellæ* eum hospitio excepit *Wolfgangus Capito*, Baccalaureus Theologiæ, & concionator. Is eum seorsum abductum secretò interrogavit: *quid sentiret de eucharistiæ Sacramento, & de corpore Christi?* Respondit ingenue Pellicanus, *invitum se de doctorum opinionibus circa hoc versari argumentum; offensum à Ioanne Scoto in 4. sent. ob tres opiniones recitatas. Ego, inquit, priori libentius quam tertiæ inhærerem, intelligens panem & vinum esse sacra rei, id est, crucifixi corporis & effusi sanguinis sacramentum, id est, sacrum signum, & esse nutrimentum animæ spirituale per fidem, & non æquivocè dici nomen sacramenti de Eucharistia, & aliis sex Sacramentis, id quod Scotus concedit, ut puto invitus.* Audiens hæc Capito, respondit, *nihil aliud sibi videri, vel se posse intelligere.* Ex quo intelligitur, quàmdiu de hoc Papistico articulo dubitare coactus sit, contra conscientiam, quam Papa tenebat captam, in eo & in aliis quoque huic similibus articulis, ut erat *de confessione auriculari omnium peccatorum necessaria ad salutem*, quia in patribus sanctis, *Augustino, Hieronymo, & Chrysostomo*, quos legerat omnes, nil tale invenerat, cum meritò haberentur catholicæ doctrinæ antesignani, contra quos & *Berengarium*, illis consentientem, Romani & Parisienses Theologi tantoperè militarunt.

Wolg. Capit. hospitio Pellic. excipit. Colloquia inter eos.

Papa conscientiæ tenuit captivus.

Iisdem diebus descendit *Wormatiam*; & Judaicam Synagogam præceptoremque suum *Ioannem Vigilium* invisit. In Principio Martii translatus est M. *Wolphangus Bruxellâ Basileam*: ut esset prædicator in cathedrali Ecclesia Basiliensi. Pellicanus eo anno prælegit Pfortzhemii fratribus junioribus, scriptum breve super sententias *Nicolai de Nysa*, utilius & brevius reliquis omnibus super sententias. Legit magnam partem *historiæ Hirsgavienſis Ioannis Trithemii*, olim abbatis Spanheimensis, quem antea viderat; virum, ut scribit, eximiæ staturæ, & valdè humanum.

Capnio Basileam translatus

Nicolai de Nysa super sententias.

Ioann. Trithem.

Anno *millesimo, quingentesimo decimo tertio*, interfuit *Haidelbergæ* die S. Matthiæ, revocationi *Wigandi* prædicatorii doctoris, Apostolica authoritate coacti ad hoc, ad instantiam Minoritarum; qui eandem Romæ quoque anno præterito vicesimo secundo Octobris fecerat. Decimo quinto die Decemb. in angaria, fuit Spiræ cum ordinandis, cùm *Psalterium Chaldaicum*, h. e. Indianum, Romæ impressum commodatò accepisset, noctu in domo avunculi, didicit legere illam linguam & sic intelligere, ut duos primos Psalmos antequam dormiret interpretatus sit, de quo obstupefacti avunculus & decanus Spirensis, ipsum illo libro donarunt.

Psalterii Chaldaicum.

Eam linguam puer Marte discit.

Reversus autem *Pfortzemium* per Bruxellam, invitatus est à novo Episcopo Spirensi, *Georgio* fratre Palatini, qui ipsum humanissimè tractavit.

Georg. Pal. lat. epis. Spirensis. Causa Reuchlini disceptata

Anno *millesimo, quingentesimo, decimo quarto* causa *Ioann. Reuchlini* & prædicatorum, tractata fuit Spiræ per commissarios Papæ. Octavo die Febr. obiit archiepiscopus *Vriel Moguntinus*, in cujus locum successit Martii nono die *Albertus Marchio Brandenburg.* Mense Augusto celebratum capitulum Minorum in conventu Haidelbergensi: ubi electus est in provincialem *Casparus Sangerus* Landshutensis, doctus Theologus, is rogavit Pellicanum, ut omisso Gardianatu Pfortzensi, suus esset Secretatius. Dispositis itaque rebus suis, illum Ulmam secutus est. Ibi per otium Hebraica quædam descripsit, communicata à *Ioan. Beham*, nempè *vocabularium Hebraicum* abbreviatum, ex libro radicum *R. Davidis Kimhi*, & fragmentum Grammaticæ cujusdam elegantis, de artificiosa verborum conjugatione, & alium quoque libellum, *carmen disciplinæ* pro moribus 130. versuum, *R. Ioseph. Esopei*, provincialis Judæi, quem jam antè Capnio Latinum fecerat, *Pfortzæ* impressum, quem vocavit *Scutellam auream.* Rescripsit etiam *parabolas quinquagima* sententiarum moralium, juxta quinquaginta discipulos. Alium quoque tractatum de *decem muneratio-nibus.* De *animâ* quoque philosophicum, omnia Hebræa. Perlustratis multis monasteriis, pervenerunt in Otterbüren monasterium egregium S. Benedicti, in quo *Nicolaus Ellenbogen* Hebraicè doctus, vivebat. Transiverunt deinde Füssen, id est, fauces Alpium, ubi Lycus erumpit; Deinde versus Oenipontem progressi ac humaniter fuerunt excepti à Cæsaris *Maximiliani* thesaurario. Pòst monte Brennero, ut vocant, superato pervenerunt Stetzingum & secundum flumen Isaar *Brixinam.* Ibi familiaritate operaque doctoris *Sebastiani Stamlert* Augustani Canonici adeptus est *portam lucis R. Iosephi Castilienſis*, interprete *Paulo Ritio*; quem tractatum satis prolixum descripsit: posteà à Ritio est editus. Ibi quoque legendum accepit *Paulum de Heredia*

Varia de-scribit Pellicanus.

Sebastian. Stamlet.

redia Hiſpanum, *de myſteriis Cabaliſticis*, librum egregium, dudum in Hiſpania impreſſum: ſed anteà & poſteà ipſi nunquam viſum. Perfectis negotiis redierunt per eandem viam Matram uſque: deinde venerunt *Suazium*, unde proxima via per Alpes juxta lacum S. Petri, & per *Stubam ſibi fornace*, qui locus eſt horribilis deſerti, ſic dictus, venerunt ad Tegrenſe Monaſterium Benedictinorum, hinc *Monacum* urbem elegantiſſimam. Quatuor ibi ferè hebdomadibus tranſactis prolixè ſunt excepti, à D. *Künegunde* ſorore Maximiliani, vidua ſancta, matre Principum trium. Tandem publicis negotiis expeditis deſcenderunt *Ratisbonam*, ubi audierat Hebraicam Bibliothecam apud prædicatores haberi. Vidit ibi non ſolùm Hebraica Biblia, ſed & totum *Thalmud* in ſex partes diſtinctum, una cum *dictionario Thalmudico*, omnia manu ſcripta. Rogavit ut tranſcribendum dictionarium darent, fide-jubente Gardiano Chalemenſi; ſed recuſarunt Monachi, quorum ne unus quidem callebat linguam Hebraicam. Poſt *Ingolſtadii*, aliquot diebus hærentibus, *Ioannes Eccius*, à multis annis Pellicano familiaris, *Dictionarium Hebraicum* quotidianæ loquutionis deſcribendum lubenter dedit. *Bambergæ* virum invenit Hebraicè ſtudioſum *Cæſarem* cognominatum, cui erat egregia quædam Grammatica, ex qua quædam excerpſit: inde ad novam civitatem juxta flumen *Eiſch* conceſſerunt, ibi tùm vivebat adhuc *Elias Levita* Judæus non dum Grammaticus, ideoque ipſi ignotus, qui tùm cum aliis Judæis poſt mortem Marchioniſſæ Brandenburgenſis ibi reſidentis, per filium ſucceſſorem *Caſimirum* vel *Georgium* expulſus, in Italiam venit, ubi Hebræam Grammaticam didicit primum, deinde ibidem quoque expulſus, *Romæ* eandem docuit Chriſtianos; donec exinde quoque expulſus eſt, non modico urbis & ſui damno. In illa viſitatione monaſteriorum deſcendit etiam *Francofordiam* à Judæis aliquid inquiſiturus, ſed omnes indoctos invenit, quamvis duos Rabinos convenisſet.

In reditu venit ad Abbatem Spanheimenſem, ſucceſſorem *Ioannis Trithemii*, qui jam Wirtzburgam translatus erat ad Scotos abbas: ibi vidit Spanhemii Bibliothecam, literis antiquis, optimis, rariſſimisque in omni literatura, nobiliſſimè decoratam, ſed non datum eſt diu ibi hærere. Contenderunt inde *Baſileam*, ubi tunc imprimebatur *Eraſmi Novum Teſtamentum*, cum annotationibus, novum tunc & utiliſſimum opus. *Friburgi Briſgoiæ* juſſu Papæ & Imperatoris *Maximiliani* conventum minorum reformavit. Redeuntes per ſylvam Herciniam, *Tubingam* & *Pfullingen* Alpibusque ſuperatis *Vimam* pervenerunt, ſicque primum curſum viſitationis abſolverunt.

In ſecunda viſitatione tranſeuntes monaſterium *Ebersbergenſe* à *Nicolao* Monacho Hebraicæ linguæ ſtudioſo accepit deſcribenda argumenta in libros duos perplexorum R. *Rambam* 75. & 38. capitum, cum dictionario explicante difficilia verba ejusdem libri. Secundo *Ratisbonam* deſcendens per avunculum ſuum, Epiſcopi Spirenſis *Georgii* Palatini commendationem adeptus eſt, ad fratrem ejus *Ioannem* Epiſcopum Ratisbonenſem; ut Dominicani Ratisbonenſes, *Thalmudici dictionarii* exemplar ei deſcribendum concederent, id quod nihilominus difficulter ab eis impetravit. *Noribergam* cum veniſſent, proſtabat *Pentateuchus* cum megillis Hebraicè, adjuncta Chaldaica translatione *Onkeli*, & Commentario R. *Salomonis*, eodem anno *milleſimo quingenteſimo decimo quinto*, impreſſis. Eum illi codicem emit *Charitas Abbatiſſa* ad S. Claram, ſoror Birckeimeri, qui ei fuit theſauri maximi loco. Ad illud enim tempus præter nuda parva Biblia Hebraica nihil habebat.

Anno *decimo ſexto* ſupra ſeſquimilleſimum ad Dominicam Jubilate celebratum fuit capitulum provinciale ad *S. Vdaricum*, in quo ipſe totius provinciæ nomine electus fuit ad capitulum generale, quod in urbe Rotomagenſi in Normandia celebrandum erat ad feſtum Pentecoſtes. Aſſumto fratre interprete Gallico, *Philippo Novovillenſi* intrarunt Gallias, per vallem Keiſersbergenſem, ſuperatisque montibus pervenerunt ad oppidum S. Adeodati. Sabbato ante dominicam poſt adſcenſionem Domini *Lutetiam* pervenerunt, ubi *Iacobum Stapulenſem*, cujus lucubrationes legerat, vidit & ſalutavit. Is de *Beato Rhenano* & *Amerbachio* diſcipulis ſuis quæſivit. Illo tempore Pariſiis ſub inſigni Baſilienſi invenêre Novum Teſtamentum Eraſmi recens allatum. Poſtridie *Pantizaram* uſque iverunt. Deinde ad *Caſtrum Gallion* ad Sequanam, quod habebat ampliſſimum hortum trium leucarum in circuitu; quod conſtruxerat Cardinalis Rotomagenſis, legatus Apoſtolicus, ædificium inſigne usque ad expenſas *viginti quatuor tonnarum auri*; nondum tamen omnia in illo erant abſoluta.

Rotomagi duodecim diebus capitulum celebraverunt numero fratres *ſeptingenti*, Hiſpanis etiam fratribus præſentibus, ex novis inſulis, ad quas vocabantur fratres, adituri eam provinciam S. crucis, & inventi ſunt volones quatuordecim fratres, qui cum aliis navibus impoſiti *Vlysbonam* devecti ſunt, inde commodo tempore adituri inſulas. Eadem navi qua illi fratres venerant ad iſtum cœtum, Rex Portugaliæ transmiſerat *Eleemoſynam*, nempe aromata, quæ primitias eſſe dixit novæ cujusdam terræ inventæ, & per ſingulos conventus omnium provinciarum Cismontanarum voluit diſtribui, qui ſoli tunc convenerant, nempe *Hiſpani, Galli, Germani, Angli, Scoti, Dani*.

Soluto capitulo iterum abierunt in Lotharingiam ab oppido Nanſi divertentes per Auſtraſiam verſus Zaberniam per Salinas & Witterſtorſiam, ubi idolum S. *Anaſtaſii* viderunt,

Monacum.

Thalmud. Iudaicum.

L. Eccius.

Elias Levita.

Trithemii bibliotheca.

Secunda viſitatio.

Pentateuchus cum Chaldaica translatione.

Mittitur in Galliam Pellicanus

Salutat Stapulenſem.

Caſtrum hortus Cardinalis Rot.

Capitulũ Rotomagi.

Eleemoſynam à Rege Portugal. monachis miſſa.

Idolum Anaſtaſii.

derunt, horendo vultu, etiam dæmonibus qui illic execrationibus ejiciebantur.

Reversus Basleam, omnia opera D. *Hieronymi* impressa erant, usque ad tomum octavum, vel ultimum. *Ioannes* ergò *Frobenius* cupiens *quadruplex Psalterium* imprimere, opus in Germania non tentatum, exoravit *Casparum Sazgerum* provincialem Pellicani, ut tres menses pateretur ipsum *Basileæ* commorari, quo correctius opus ederetur. Divina providentia in Italia Januæ per *Augustinum Iustinianum* Nebriensem Episcopum eodem tempore *quintuplex Psalterium* typis excusum est. In Hispania integra *Biblia* in quatuor linguis *Compluti*, opera, studio, & impensis *Francisci Cisnerii Cardinalis Toletani*. Hinc oboriri cœpit diligentior utriusque Testamenti tractatio, sic Domino ordinante progressum Ecclesiæ prodeuntibus passim in Theologia, maximè verò in Germania, optimis libris.

Biblia Complutensia.

Generaliss. capitulum Romæ.

Finito opere ad calendas Septembris sequutus est iterum provincialem per *Sueviam* inferiorem, quem Ulmæ convenit. Ibi denunciatur ex urbe Româ; ut ad sequentem annum festo Pentecostes conveniant ad generalissimum capitulum à *Leone* Papa celebrandum, non solum totius Christianitatis, Minores reformari, sed etiam conventuales (sic enim nominantur, qui non sunt de observantia) Id quidem factu difficile erat, sed declinari non poterat. Indicta igitur est congregatio provincialis Pfortzemii; ut deliberaretur, quisnam eorum nomine mittendus esset Romam, delectusque est *Ioannes Machysen* Gardianus Noribergensis, qui olim provincialis fuerat, cui alii cum Pellicano adjuncti altera paschæ iter Romam versus ingressi sunt.

Ibi cum aliis Pellicanus.

Iodoci Gall. obitus.

Interea Pellicano nunciatur *Iodocum Gallum* Spiræ hoc anno *millesimo quingentesimo decimo septimo*, Martii *vigesimo primo* podagra obiisse, & testamento Bibliothecam suam ad usum Minorum *Rubeaci* legasse, donec filii sororis Pellicani adolescerent, & illis uti possent: qui tamen peste obierant. Româ reversus curavit libros utiliores Rubeacum transferri. Hic vir de quo supra diximus, Postquam in *doctorem artium* promotus fuit *Haidelbergæ*, in contubernio novo prælegit *Logica Aristotelis* & *Physica*, magno cum fructu suorum discipulorum. Exigebat enim suas lectiones ab eis. In munere concionandi magnam diligentiam adhibuit. Nemo Magistrorum plures orationes Latinas habuit ad universitatem & clerum, quàm ipse. Cùm parochiam nactus esset *Steinachii* supra Haidelbergam, & postea *Spiræ* in Cathedrali Ecclesia pastor & prædicator, familiam alere cogeretur, ancillas honestas habuit. Tolerabilius judicabat extra domum concubinam habere; quia facilius se continere posset, quàm domi, quod impœnitentiæ signum esset. Aliàs vitæ inculpabilis, & Episcopis à consiliis fuit. Quanquam autem suas opes legarat Ecclesiæ S. Germani, noluit tamen

Legat Bibliothec. Rubeac. Monachis. Pericope vitæ illius Galli.

Epitaphium sibi poni. Cavit enim testamento, ne aliter sepeliretur, quàm simplex alius Christianus, nolens, ut moris erat, veste sepeliri. Petivit tantum apud amicum quendam paulùm antè mortuum, sibi sepulcrum fodi, cum quo speraret, *resurrecturum se ad judicium, non ut sacerdotem & doctorem, sed ut humilem Christianum.* Hæc breviter de ejus avunculo, nunc ad iter Romanum.

Sepultura ejus.

Egressi *Campidona*, superatis Alpibus diverterunt ad Monasterium *Stams Cistercience*: ubi sepultura est Ducum Austriæ & Tyrolis, pernoctaverunt etiam in castro *Cyrlen* pulcerrimo, non longè ab Oeniponte, ubi icones viderunt totius genealogiæ, cum socio interprete, *Ioanne Gengero*, qui tredecim annis Romæ egerat, cujus illi opera omninò indigebant: Itali enim fratres Latinè cum ipsis colloqui non poterant. *Brixina* solventes pervenerunt Bozen, *Tridentum*, inde paulum procedentes versus *Roveritum Athesin* transgressi, diverterunt *Salonam* civitatem, in qua est conventus minoritarum ordinis. Ibi offendit *Franciscum Lechetum* doctissimum Scotistam, provincialem provinciæ Brixiensis: qui eos duxit ad generale suum studium Scotticum, in insula pulcerrima lacus prope Salonam, ubi fratres *quadraginta* commorabantur studiosi Scoti, cujus ibi expositio & commentaria tunc imprimebantur, autore Lechetto ipso, qui post aliquot annos factus est generalis totius ordinis Minorum, mortuus est tandem in Hungaria. Inde *Mantuam* venerunt atque ibi transmisso Pado *Mirandulam* oppidum celebre propter doctissimos comites *Ioannem Picum* & *Ioannem Franciscum Picum* filium ejus fratris. Inde multa oppida transeuntes, *Bononiam* ingressi urbem amplissimam ad Minoritarum monasterium novum, in colle humili extra muros situm diverterunt. Ibi fratres provinciæ Bononiensis celebrabant capitulum, & numerabant pecunias, quas corraserant præcedente quadragesima ex indulgentiis, ut eas Romam Pontifici perferrent pro æde D. Petri extruenda. Postero die solo non habuerunt monasterium, montem *Apenninum* ascendentes & descendentes per oppidum *Florenzola*. Sequente die pervenerunt *Scarpariam*; ibi in eremo sui ordinis monasterium adiverunt, non via regia usi, propter victum. Deerat enim omnibus toto itinere pecunia: sed nec victus necessarius, quantumvis tenuis. *Florentiam* postea pervenientes transiverunt, quia novum observantium monasterium ad Astrum urbis in submisso colle erat, unde urbs pulcerrima conspici potest. Biduo post *Senas* profecti sunt, ubi extra urbem in monte situm elegantissimum monasterium, ad cujus latera amplissimus hortus & sylva erant juncta: Elegantiorem cathedralem Ecclesiam negat Pellicanus se vidisse, ex picturis & imaginibus in parietibus & pavimento, opere tessellato, & omnium Paparum nominibus & imaginibus. Senis deflexerunt per Montana Thusciæ, donec *Petilanum* perventum. Inde

Iter Romanum Pellicani.

Itali monachi nescunt Latinè.

Franc. Lechetus Scotista.

Mirandula comites.

Pecunia ex indulgentiis corrasa.

Templum Senense pulcherrimum.

por

per comitatum *Farneſienſem* venerunt ad lacum Fulſinum igne facto, ex inſula, quæ monaſterium fratrum erat, navigio deduxerunt fratres Germanos in Inſulam: ubi biduo manſerunt. Nave quoque ipſorum aliquot ad oſtia lacus deducti, viderunt *ſex milla anguillarum*, quæ machinis quibusdam captæ evadere non poterant: donati aliquot anguillis in Inſulam reverſi ſunt. Tandem *Viterbium* verſus iter fecerunt, per campum fœtidum, piceis balneis repletum, in monaſterium ad ortum urbis extra muros. Hinc poſtero die decedentes montana conſcenderunt: pertranſeuntes aliquot oppida, noctu pervenerunt in monaſterium ſui ordinis, iter diei diſtans *Roma*, ubi una illa nocte *trecenti hoſpites*, benè fuerunt accepti: Poſtridie, quæ erat quarta feria ante Pentecoſten, meridie ad hoſpitium diverterunt, ubi germanos obviam *Curtiſanos* habuerunt, repetentes patriam, qui ita pontifici *Leoni* oblocuti, ut animus horreret.

Anguillarum multitudo.

Exinde ceperunt videre turres & colles Romanos elegantiſſimo ſitu: non ſine pulcra majeſtate antiquæ Romanæ gloriæ. Pervenerunt ad *pontem Milvium*; ibi Tiberim tranſiverunt verſus portam Tiberinam, quæ *Mariæ* dicitur *de populo*: ubi pulcra eſt eccleſia ad ſiniſtram, cum eximio *Auguſtinianorum Cœnobio*, ibi indulgentias primas in eccleſia illa plenarias impetrarunt. Poſteà longo itinere per vacuam urbem verſus montem Capitolinum, ubi olim fuit templum *Jovis Feretrii*, nunc eccleſia magna *Ara Cœli* dicta, & Minoritarum monaſterium cernitur. Aſcendentes ad aram cœli per *centum & decem gradus* marmoreos, circumſpicere potuerunt, ex meditullio urbis circumquaque. Manſerunt ex toto terrarum orbe congregati numero circiter *mille fratrum*. Proceſſiones aliquot habitæ, una ad S. *Joannem Lateranum*, ubi oſtendebantur reliquiæ corporum ſanctorum *Petri & Pauli*, mira & ridicula pompa. Alia proceſſio in *ædem S. Petri*, & ad palatium Papæ, qui collectos videbat, in *Bell videre*, aſtantibus quibusdam Cardinalibus. Ipſe cruce facta manibus benedixit filiis ſuis, & plenaria indulgentia donavit obſequentiſſimos filios ſanctæ ſedis. Viciſſim fratres mille qui aſtabant in curia cantabant antiphonam: *Sacerdos & pontifex, & virtutum opifex, paſtor bone in populo, ora pro nobis Dominum.* Pontificis juſſu deducti in templum *S. Petri*: oſtenſa ipſis fuit *Veronica* illa toto orbe celebrata: idque multis ceremoniis, ab invitis Epiſcopis quibusdam, non ſperantibus pecuniam. Poſtea in proceſſione bini & bini ad *Aram cœli* redierunt usque in diem corporis Chriſti; quando iterum omnes cum toto clero & Monachatu multiplicium ordinum varii coloris & habitus: in qua proceſſione tranſiverunt per Hoſpitale *S. Spiritus*, abſente Papâ, & incluſo in mole *Adriani* ob metum; quia ceperat quosdam Cardinales magni nominis. Primum ibant *Minores*, deinde *Auguſtiniani & prædicatores*, cum reliquis, quos numerare non refert.

Romam ingreditur Pelican.

Ara cœli templum Roma.

Monachorum ibi ſui ord. numerus.

Reliquiæ Petri & Pauli.

Papa benedicit monach.

Monachorum antiphona.

Veronicæ Roma in templo Petri.

Papa in mole Adriani ſe continet.

Proceſſio Roma ſolennis.

Tandem Epiſcopi plures, quos ſequebantur *Cardinales*, poſteà cuſtodes corporis Papæ, *Helvetii ducenti*, elegantiſſimi viri, eâdem formâ induti, pro facibus geſtantes halabardas, circumdantes Cardinalem, geſtantem corpus Chriſti in *monſtrantia*, ut vocant, parvula. Benedictione accepta, quique redierunt ad ſua. Pellicanus & ſocii in *quartam hebdomadam* ibi manſerunt. Primò quidem paſti eleemoſyna Papæ, qui obtulerat *ducentos ducatos* pro victu fratrum. Supervenientes autem Portugalenſes fratres, literas ſui regis attulerunt, quibus cavebatur: ut rebus agendis utiliter & religiosè inſtarent fratres, obtulitque *quinque millia ducatorum* pro fratrum victu, & amplius, neceſſitate poſtulante. Commendavit fratrum orationibus viciſſim animam defunctæ reginæ Portugaliæ, pro cujus ſalute exequias agere deberent, tota illa fratrum concio, & totus ordo in ſuis monaſteriis paſſim.

Satellites Papæ.

Eleemoſyna regis Portugaliæ pro monachis.

Nihil autem ibi actum eſt, niſi quod magiſterium ordinis generalatus officium & regimen translatum eſt à conventualibus minoritis, ad eos, qui dicti ſunt *de obſervantiâ*, invitis & recalcitrantibus illis, & de præſcriptione contendentibus, famamque diſſeminarunt per urbem, obſervantinos emiſſe à Papa hujusmodi prærogativam, *octo millibus ducatorum*, de quo verba ſunt Pellicani; *quid factum ſit neſcio. Hæc duo ſcio, quod ex totâ Germaniâ ne obulum quidem ab obſervantinis Papa acceperit: alterum, quod minoritæ illi de obſervantia, commiſſarii fuerunt in Italia paſſim, unde collegerunt tredecim millia ducatorum, quæ in capitulo repræſentârunt, ſatis tamen incircumſpectè & impurè juxta illorum regulam & ordinem. Quid autem minoritæ lucrati ſint poſterum, per indulgentias prædicatas: in Archiepiſcopatu Moguntino & in Helvetiis quoque*; *docuit negotium Lutheranum & Zvvinglianum.*

Roma quid actum.

Tandem dimittendi, provincialis *Saxoniæ* & *Argentinæ* cum ſuis ſociis & comitibus viſitarunt, indulgentiarum loca, per *ſtationes ſeptem* Eccleſiarum principalium ſummo quodam mane diluculo aram cæli exeuntes, primum ante portam adiverunt eccleſiam S. *Pauli* amplam & vetuſtam adjunctam egregio monaſterio Benedictinenſium. Ibi oſtenſa eis fuit ara, ſub qua aliquot annis commorata eſſet ſancta *Brigitta*, Regina Succiæ, cum qua loquuta fuerat imago lignea crucifixi, ad dexteram altaris, non multum remota in altum, id quod non credidit aſſerenti Pellicanus. Proceſſerunt inde ad S. *Anaſtaſiam*, Eccleſiam Cœnobii *Ciſtertienſis ordinis*, juxta quam minor quædam Eccleſia *ad tres fontes* dicta, qui dicebantur erupiſſe, dum ter caput D. *Pauli* amputatum ſubſiliſſet. Scribit *Pellicanus* conſideraſſe ſe ter, ſcaturiginem ejusdem eſſe aquæ, ex inæquali altitudine defluentis. Adfuerunt eadem hora iisdem fontibus duodecim prædicatorii veſtitus fratres *Mauri* ex

Loca indulgentiarum Romæ

Brigittæ fabula.

Tres fontes orti, ubi Pauli caput plexus.

India, qui ejusdem Ecclesiæ indulgentias ambierunt. Postea pervenerunt ad *Capellam* satis amplam, quæ dicebatur *Annunciata*, sine omnibus ornamentis, quibus etiam alia templa carebant, præter unicum crucifixi signum ligneum, sic fabrefactum, ut faciem verteret ad latus dextrum. Deinde ad Ecclesiam sancti *Sebastiani* amplam satis, in qua crypta aperta quidem superius; ut descenderetur per gradus; & altare erat unum, in quo poterant missam celebrare duo versis ad se vultibus, sed aspectum tabula quadam impediente. Ibi duo provincialiter missificarunt ad redimendas animas singulas de purgatorio; alii volentes missare, qui secum panem & vinum non attulerant, à Monachis Cistertiensibus ea impetrare non potuerunt: ideò & ipsi coacti sese exuere sacris denuo: & miseras animas per missam ex purgatorio liberandas, per avaritiam Monachorum diutius excruciari oportuit.

Anima per monach. avaritiam non possunt liberari.

Sacellum, Domine quo vadis.

Inde regressi in urbem per viam *Appiam*, ubi in quodam bivio ostensum sacellum, quod dicitur, *Domine quo vadis*, cum pictura *S. Petri* Româ fugientis, cui eo loci Christus dicitur occurisse, qem Petrus interrogavit, *domine quo vadis?* Christum contrà Petro respondisse: *Romam vado iterum crucifigi.* Id audiens Petrus admonitus rediit Romam, & ibi est crucifixus. Postea ad *S. Joannis Lateranensis* amplam & magnam ecclesiam pervenerunt, juxta quam ambitus fuit, in cujus latere appendix, ecclesia parva S. Joannis Baptistæ dicta: & *gradus circiter viginti*, qui dicebantur fuisse olim Hierosolymis ante prætorium *Pilati*. Eos gradns vetulæ & peregrini jussi sunt genibus ascendere, pro redemtione unius animæ de purgatorio. Deinde ad *S. crucis Ecclesiam*, circa quam monasterium Carthusianorum; sed non sic inclusorum, ut nostrates sunt. Post prandium indulgentias petierunt ad *D. Petrum*, & ad *Minervam*, ad *Mariam majorem*, & ad *D. Laurentium*; ubi etiam tumbæ erant sub terra, prolixi & tenebrosi meatus; ut luminibus opus esset, non sine periculo erroris, nisi præeuntes & gnaros locorum habuissent. Dicebantur fuisse *crypta martyrum.* Tandem ad aram cœli egressi sunt. Voluisset ruinas antiquissimorum ædificiorum & thermarum videre Pellicanus: sed non data est copia discurrendi, nec carebat latronum periculo.

Gradus ante prætorium Pilati nunc Romæ.

Crypta martyrum

Redit Roma Pellic.

Circa medium Junii, Româ dimissi, iter fecerunt versus veterem urbem *Aretium*, quam non fuerunt ingressi, habentes extra mœnia monasterium, statimque cœperunt ascendere montana Apennini montis, ad montem qui dicitur *Alvernæ* Minoritis, ubi *S. Francisc*us dicitur stigmata Christi quinque vulnerum accepisse. Altissimus est mons, & per totam ferè Italiam conspicuus, sylva pulcerrima, procerisque arboribus tectus, cum pulcris planiciebus tribus, in latere orientali, australi & occidentali: in quibus tria fratrum templa non parva, & unum egregium monasterium, in quo *quadraginta* tunc fratres, rigidè viventes, quo ad victum. Nostrates nihil cibi biduo habuerunt, nisi *calidam aquam cum paucis pisis*, *fabas crudas de* agro allatas, *panem* verò & *vinum* commodè sufficientia. A monte Alvernæ descendentes, per anfractus montium pervenerunt ad loca planiora versus *Forolinum.* Deinde transiverunt *Romandiolam* ipsam; urbes multas ordine, ut est *Forolinum*, *Faventia*, *Forum Cornelii*: quæ *Imola* dicitur, *Bononia*, *Mutina*, *Regium*: inde deflexerunt iterum versus *Mantuam*: inde *Veronam*, hinc versus *Clusam*; ut tandem redirent Rofertium, hinc per *Tridentum* ad Bozen: tandem ad domum suam in Brixinensi Clarissarum monasterio. Ibi aliquot diebus idoneis cibis recreati: Pellicanus in febrim incidit, & magno labore Alpes superavit venitque in *Suaz.* Provincialis cum sociis eum ibi relinquentes donec melius haberet, navigio abierunt.

Alverna mons S. Francisci stigmata.

Rigidi monachorum victus.

Monacum æger pervenit: ubi capitulum provinciale ab mense Augusto fuit celebratum. Paulatim ex morbo recreatus, *rogavit provinciales; ne se Guardianum cum patribus capituli ordinaret, in aliquo loco: malle docere fratres, ut multis annis fecerat.* Patres eâ lege assentiebantur; ut officium *visitatoris sororum tertii ordinis* susciperet, per terminos Suevia superioris & inferioris, quæ est *Algoia* & Wirtembergensis, domos scilicet circiter sexaginta. Tali ipsum officio honorandum censentibus, quod aliis gratum erat; respondit, *se malle tres Gardianatus fratrum subire quàm id oneris sibi importabilis & periculosissimi.* Patres id audientes, eum ordinarunt Gardianum in conventu *Rubeacensi*, quo pervenit circa Cal. Septembris, anno *millesimo quingentesimo decimo septimo.* Isto tempore statim ab initio anni *decimi octavi* circumferri ceperunt sermones quidam *Lutheri* de *pœnitentia.* Pellicanus Basileam petiturus casu devenit *Mulhusium* ad mensam commendatoris; ubi plebanus doctus, ordinis Teutonicorum, *articulos* erat nactus *centum* impressos. Hos cùm legendos Pellicano in mensa exhibuisset, & legisset: obstupuit, quod illa palàm proferrentur. Dixit tamen, *se non esse certum de primis viginti sex articulis, qui de purgatorio, de quo dubitaret an esset, quando in antiquis Patribus Augustino, & cum præcedentibus, & in sacris literis nullum tale inveniretur purgatorium: de indulgentiarum autem materia, de confessionibus, de primatu Pontificis, quæ sequerentur in reliquis septuaginta articulis, prorsus nihil dubitare: sed habere pro verissimis. Verum necessarium fore: ut Lutherus de hac re clare adhuc, & clarius disserat, id quod facturum speret, si vivat.* Id tunc dixit in mensa coram multis doctis. Itaque mansit in Gardianatu Rubeacensi usque ad annum *decimum nonum* post Pascha. Illis it dem diebus *Erasmi lucubrationes* celebrari ceperant, prodeuntibus tunc *paraphrasibus* ejus in *epistolam Pauli ad Romanos*;

Monachi venit ægre. Deprætur Gardianatui.

Visitator sororum ordinatur.

Recusat.

Fit Gardianus Rubeacensis.

Libri Lutheri.

Articuli ejus centum.

Dubitat Pellicanus de tit. Purgatorium.

Erasmi lucubrationes.

quarum

quarum exemplaria à Frobenio cum accepisset Pellicanus, prælegit junioribus fratribus: ut pariter Paulinam imbiberent Theologiam, & Latinam linguam puriorem discerent. Placuit adeò fratribus; ut in aliis quoque conventibus passim *Erasmica* legerentur avidè. Eodem anno celebratum fuit secundum generale capitulum totius ordinis *Lugduni in Galliâ*; ubi successor electus est generalis minister *Franciscus* minister *Lecheti* Cardinali creato Christophoro Forolivienſi, qui Romæ generalis electus de observantinis, statim creatus à Papâ fuerat cum aliis triginta Cardinalibus, dum Romæ Pellicanus fuit; commissarius jam antè fuerat ille in indulgentiis generalis per aliquot Archiepiscopatus in Italia, & collectas pecunias Papæ obtulerat.

Eodem anno *comitia* sunt *Augustæ* celebrata; in quibus legatus apostolicus *Thomas Cardinalis* tituli S. *Sixti*, qui *Lutherum* ob articulos illos centum citaverat Augustam, cujus negotii acta extant publicè. Interea passim etiam *Basileæ* impressa & lecta sunt multa Lutheri opuscula, quæ magno applausu passim in Germania excipiebantur. *Eccius* tamen reclamavit, instituta *Lipsica* disputatione ad annum sequentem. *Lovanienses*, *Parisienses & Romani* Lutherana omnia damnabant, & excommunicabant; pauci verò id curabant. Anno decimo nono post pascha Pellicanus descendit ad capitulum generale *Oppenheimii* indictum: in quo ordinatus fuit *Gardianus* conventus *Basilienſis*. Jam enim ibi à fratribus erat electus & in capitulo confirmatus, pro consuetudine ordinis. Itaque ad festum Pentecostes pervenit Basileam. Quo tempore multi libri Lutheri impressi sunt Basileæ, opera *Beati Rhenani*, primum quidem à *Joanne Frobenio*: sed *Eras. Rotevodamo* instante epistolis, postea nihil Lutheranum impressit. Id quod vehementer profuit *Adamo Petri*, qui libellos ferè omnes, qui Wittembergâ allati, Pellicano annotationes addente, magno suo commodo impressit, usque ad annum 25. Anno 20. impressa fuerunt omnia, quæ tunc extabant opuscula *Mart. Luth.* in unum codicem ab *Adamo Petri*, Pellicano colligente & ordinante. Eodem anno celebratum fuit capitulum provinciale *Ambergæ*, propè sylvam Bohemicam, quod accedere coactus transivit Constantia, ubi apud Minoritas muneribus & præsentia suâ honoravit ipsum *Joannes Fabri*, & *Urbanus Regius*, qui tunc erat in Spiritualibus vicarius Episcopi Constantienſis. Posteà Ulmam profecti inde navi conductâ multi Gardiani cum sociis descenderunt Danubio *Lavingam* usque: ubi hospitio exceptus est à *Casparo Ammonio* Augustiniano, Hebraicè docto, olim Provinciali ordinis per Germaniam. Deinde venerunt Ingolstadio Ratisbonam, ubi *Idolum* erectum *speciosæ virginis Mariæ*, in loco, ubi fuerat Judæorum Synagoga, viderunt: qui anno præterito ejecti fuerant ex urbe. Fuit concursus mirabilis omnis generis hominum ad illam imaginem, quam viderunt & unà adoraverunt, ut reliqui.

Postridiè ingressi sunt *Ambergam*, numero *centum & viginti* amplius. In illo capitulo iterum electus est in ministrum Provinciæ *Caspar Sazgerus*, qui fuerat Gardianus Noribergenſis triennio. Rediit Pellicanus Basileam. Post hoc verò capitulum cepit prædicator exponere *Evangelium secundum Matthæum*, quod & finivit infra annum cum dimidio, sequutus vetustos Patres, idque cum fructu & approbatione frequentissimi auditorii etiam doctorum: verbum verò Evangelii erexit conscientias: irritavit autem hypocritas, posteà perrexit: hic multi commoti sunt.

Explicat Evangel. Matth.

Post coronationem *Caroli V. Aquisgrani* celebratam, ceperunt *comitia Wormatienſia*, ad quæ Lutherus quoque vocatus suæ doctrinæ rationem reddidit: attamen instigantibus Romanis, libri ipsius horrendo edicto à Cæsare damnati fuerunt: sed non est id observatum, neque Wormatiæ, neque alibi: quin impressi, venditi & lecti sunt, & ejus & assectarum tantò ardentius. In fine anni ex comitiis Basileam venit Pater *Franciscus de Angelis*, Hispanus, provincialis Provinciæ, quam *Angelorum* vocabant, per totam Hispaniam diffusam. Is Cæsaris legatus festinabat in Hispaniam, ad sedandum quendam tumultum, & cum Pellicano integro biduo manens, multa est locutus de causa Lutherana, quæ magna ex parte arrisit viro bono, & docto; de ordinis quidem constitutionibus multa fuerunt collocuti; in quibusdam immutandis, quæ posteà in conventu generali Carpenſi (ad quem Pellicanus quoque à tota Provincia in capitulo nuncius futurus electus quidem fuit; sed adesse non potuit) omnia proposuit: at non eodem tempore determinata; sed in sequenti tandem generali congregatione fuerant ordinata. Et erat is annus Domini *millesimus quingentesimus vicesimus primus*, in quo non fuit celebratum capitulum fratrum provinciale; sed *comitia Noribergæ* indicta quorundam Principum; ubi decretum Cæsaris contra Lutheranos magna parte remissum fuit in imperio: sed non in Principatu ducum Austriæ. Eodem anno *Marsilii Patavini* liber contra Papatum tempore *Ludovici* IV. scriptus, opera *Beati Rhenani*, qui in eum mutato suo nomine prætatus est, in lucem prodiit. Item historia *Henricorum Cæsarum* IV. & V. Anno *millesimo quingentesimo vicesimo secundo* post Pascha, celebratum est capitulum *Leonbergenſe* in Suevia: in quo cum comparuisset Pellicanus cum reliquis, primum locum habiturus inter omnes, ob honorem conventus, & loci Basilienſis, accusatus fuit à quibusdam publicè Lutheranismi: & jam ut excommunicatus, & indignus, qui adesset capitularibus actionibus, præsedit Sazgerus. Respondit inter alia Pellicanus:

Comitia Wormat.

Francis. de Angelis Hispan.

Comitia Noriberga.

Marsilii Patavini liber contra Papatum.

Hist. Henr. Cæsarum.

Accusatur Lutheran. Pellic.

nihil sibi constare de aliqua excommunicatione lata contra se, qui decretum Papæ nullum vidisset; sed postquam audisset passim jactari, cessasse à promotione librorum Lutheri, præter quorundam, qui nondum essent damnati: ut erat opus Psalmorum aliquot, quibus adjecit quosdam Hebraicos characteres, rogatus à Luthero per Epistolam. Atque sic fuit decreto patrum admissus. Et cum communis esset consultatio, de prohibendis fratribus omnibus à lectione librorum Lutheri; consilio ejus & patris ministri provincialis decreto, ordinatum est: ut simplicioribus fratribus prohiberetur; sed docti fratres & prædicatorum officium exercentes, diligenter legerent Lutherana; ut de iis judicare possent, & privatim atque publicè redarguere errores, contra scripturas canonicas, & veritatem. Sic illi capitulo ultimo interfuit, in via autem invenit in thermis *Cellensibus*, propè Hirsgaugiam, lavantem infirmum *D. Joannem Reuchlinum*, cum quo aliquot horis de multis collocutus eum ultimò vidit. Sequenti enim Majo obiit, *Stutgardiæ* sepultus vir doctiss. & justo zelo succensus pro veritate asserendâ, & sacrarum literarum studio promovendo.

Libris Lutheri interdictum monachis junioribus.

Reuchlinū ultimò videt Pellic.

Reversus Pellicanus Basileam, Erasmo narravit de obitu, & suo colloquio, occasionemque præbuit dialogo illi de *apotheosi Reuchlini*. Sicut & eidem, quod de *Franciscano Conrado* & *Bernhardino* lusit, suâ facundiâ illustrans historiam veram quidem; sed humiliorem, quam quæ legatur. Anno *vicesimo tertio* tempore quadragesimali, provincialis *Sazgerus* Basileam profectus, audivit à Doctoribus Universitatis Basilienſis, & à Canonicis quibusdam Ecclesiæ majoris, querelas graves contra ipsum Pellicanum Gardianum, contra Vicegardianum *Joannem Kreis*, & contra prædicatorem *Joann. Luthart*, & alios, quòd Lutherani essent, & promotores librorum Lutheri; quibus permotus, decrevit cum suis consiliariis istos tres loco movendos; tamen cum honore & citra contumeliam, substituendosque alios in eorum locum. Id cum innotuisset senatui Basilienſi, communicato inter se consilio, miserunt ad provincialem duos Senatores ex primoribus, denunciantes eidem, ut accusationem, contra illos tres latam indicaret, quam Senatus omninò scire & audire vellet. Negavit primum provincialis, nolens prodere accusatores dominos & magistros: mox audivit sententiam Senatus esse; ut tres è monasterio mittat, statim reliquos fratres omnes ejiciendos esse, qui tum numero erant supra *quadraginta*. Verum provincialis existimans Senatores hos Lutheranos, & alteri parti addictos esse, provocavit ad Senatum utrumque colligendum. Id illi concessum est ad Sabbathum imminens hebdomadæ Paschali, eâ ratione; ut prædicator, & Pellicanus pariter comparerent in senatu, rationem daturi actionum suarum, & responsuri ad accusationes proponendas provincialis.

Apotheosis Capnionis.

Sazgeri tragœdia cum Pellic.

Senatus suam autoritatem interponit.

Comparuit cum suo socio *Joan. Wintzler* & confessore, Pellicani adversariis, & longo sermone exposuit negotium totum, & causas, ob quas cogeretur amovere illos tres ad alios conventus, & ipsorum conventus melius providere. Accusavit eos Lutheranismi, & quod hujusmodi librorum editionem promovissent. Statim à prandio iterum vocati sunt ad Senatores quosdam, audituri sententiam Senatus; quæ fuit, *ut festinarent urbe egredi, re infectâ, quam molirentur. Quin si illos tres volentes nolentes urgerent egredi urbe; decretum esse, omnes reliquos Minoritas ex urbe statim ejicere.* Sic provincialis abiit cum sociis suis, & confessore monialium S. Claræ *in Gnadental Gregorio Heilman*, doctore, ubi consilium suum cum doctoribus & canonicis habuerant. Sed & eodem decreto denunciatum est quatuor ordinariis lectoribus; duobus in Theologia magistris, M. *Mauritio Augustiniano*, & D. *Joanni Gebwvilero* Doctori in canonicis, *Joanni Mernach* & *Joanni Wonecker* Medico; qui stipendia habebant à Senatu, ne posthac exspectarent stipendium pro lecturis; sed ab illis cessarent. Porrò abeunte provinciali, non amplius redituro, *Pellicanus* dimissus; in officio cum sociis ordinarius lector in Theologia statim ordinatus est Doctor *Joannes Oecolampadius*, qui etiam antea Jesaiam Germanicè, omnibus audire cupientibus, legerat. Sed ex illo tempore cœpit prælegere *epistolam ad Romanos*: & *Pellicanus* in locum *Augustiniani* Doctoris surrogatus est, lector Theologus, qui in amplo satis auditorio, prælegit *Genesin* integro anno: deinde *vicesimo quarto* anno, prælegit *Proverbia Salomonis*, posteà *Ecclesiasten* usque ad Februarii finem ferè, anni *vicesimi sexti*. Cum eodem vicesimo sexto anno celebraretur capitulum provinciale in conventu *Landshutensi*, Senatus Basileam misit nuncium cum suis literis ad cœtum illum, & exposuit quid actum esset; & quid fieri vellet de conventu fratrum, & Sororum S. Claræ in *Gnadental*; scripsit etiam Pellicanus, 3. Calend. Augusti, non ad Provincialem *Sazgerum* (qui ei ante semper amicus, hoc verò tempore offensus videbatur) sed ad *Alexandrum Molitoris* tùm Gardianum Moguntinensem, qui in illo capitulo Provincialis electus est, veterem amicum, de causa sua, & ad illum se excusavit rogans; ut aliis quoque suam epistolam ostenderet, quia sciebat se passim malè audire.

Sententia Senatus.

Doctores exautorati Basileæ.

Ioann. Oecolampad. lector. Theol. Basileæ. Item Pellican.

Capitulū Landshutense.

In illo Capitulo *Sazgerus*, ut ex amicis intellexit, ipsi *testimonium dedit integræ famæ & vitæ, hortatusque est fratres; ut à calumniis, quibus eum impetebant, sibi temperarent.* In eodem submotus est ab officio regendi fratres, & ei subrogatus est Romanus quidam, qui annis multis *Basileæ* confessor primorum civium & matronarum fuerat, homo indoctus, nec integræ famæ: ille benignè ipsum

Sazgeri testimonium de Pellic. Submovetur Pellic.

ipsum tractavit. Nam stipendium, quod lectori Theologico dabatur, concessit, ad victum & necessitatem fratrum conventus: verum occultè cives ipsi infestos reddidit; ut ipsum & *Luthardum* urbe expellerent: sed ante finem anni, cum scorto deprehensus, anno *millesimo quingentesimo vicesimo quarto*, successorem habuit virum bonum & doctum, *Matthiam Meisenbachium*. Is in mandatis accepit, ne Pellicano & prædicatori molestus esset, quod & fecit. Veniebat quotannis pro more principalis minister qui erat *Alexander Molitoris*: hic paternè Pellicanum, prædicatorem, & tertium eorum fratrem tractavit.

Perrexit prædicator Evangelium annuncians, Pellicanus in sua lectura cum *Oecolampadio* alternis legentes in schola Theologica, quæ cœperant: tertius frater *Ioannes Kreis*, qui invitis parentibus monasterium ingressus fuerat, ab illis revocatus, *Argentinæ* Magister ludi factus, domino fideliter inservivit; Pellicano filius & frater charissimus.

Fratribus exosus Pellicanus

Etsi verò Gardianus ei faveret, tamen fratres quidam ipsum odio habuerunt, maximè coquus & cellarius. Viri igitur boni, inprimis *Adamus Petri*, ultimo anno, quotidiè ferè ipsi cibum & potum miserunt, timentes ne illi vitæ ipsius insidiarentur.

Civium Basilien. sum petitio.

Mense Februario, plures quam *septuaginta* opulenti & pii cives, suo & aliorum amicorum civium nomine rogarunt: ut *in sua Ecclesia, quæ ampla esset & in urbis meditullio sita, pro tot horarum cantionibus, & tot missis, per horam dimidiam quotidie sermonem ex novo Testamento haberent*: aliquot eorum, libenter id se facturos promiserunt, quod regulæ Francisci conforme videatur, reliqui verò noluerunt, dicentes: *Lutheranum esse, diebus profanis prædicare*. Offenderunt igitur suos patronos; Pellicanus dixit pecunias, quæ pro laboribus suis sibi darentur, ad suæ vitæ sustentationem usurpaturum.

Capitulum Crucinense.

Anno *millesimo quingentesimo vicesimo quinto*, ad capitulum provinciale *Crucenaci*, oppido Palatinatus, quod celebratum fuit circa Dominicam *Iubilate*, ad fratres ultimam epistolam misit, in qua exposuit, quid hactenus pestum sit in illorum conventu, & se excusavit. Rediens Gardianus animo fuit erga ipsum benevolo, aliis dicens, *commissum sibi à patribus, ut sineret Pellicanum agere, quæ ageret*. Isto anno, *Frobenio* rogante, confecit indicem in *Plinium*, & in opera D. *Hieronymi*: quia *Oecolampadii* index non amplius ad hanc editionem quadrabat, idque maximis laboribus.

Tigurum vocatur Pellic.

Anno *vicesimo sexto* die S. Stephani, *Zvvinglius* nomine Senatus Tigurini & deputatorum Pellicanum Tigurum vocavit, ut succederet *Iacobo Ceporino*, qui Hebræa, in lectione Biblica recens instituta, prælegerat. Etsi verò triennium jam sacra propoluerat suis auditoribus; tamen se non satis idoneum existimans illi oneri, neque Zvvinglii votis posse respondere, consilio amicorum, & inprimis *Iacobi Meyeri* consulis, qui Pellicanum plurimum amavit, usus est: qui omnes suaserunt, ne honestam hanc vocationem detrectaret, quia adhuc tardius proficeret Basileæ reformationis institutum, & ipse inter fratres dissentientes tutus non esset. Missione igitur à senatu impetrata, compositis suis rebus, vicesimo Februarii, comitatus *Petro Fleckio*, qui Monachus etiam fuerat, & *Heinrico Billingo*, iter ingressus est. *Eò abit.*

Iac. Meyer conf. Basil.

Tigurum ut venit *Zvvinglii* hospitio usus est, donec domus sua instrueretur. Magna verò lætitia fratrum, *Zvvinglii*, *Leonis*, *Myconii*, *Ammiani*, *Collini*, *Megandri* & aliorum exceptus est, qui postea amici ejus perpetuò fuerunt. Priusquam libri ei afferrentur, in lectione Theologica, Leo Judæ Hebræa prælegebat, & interpretabatur. Is primus fuit, quem Hebræa legentem audivit. Calendis autem Martii non casu contigit, ut prima lectio ei prælegenda occurreret capite *decimo quinto Exodi*. Eam in hanc exorsus est sententiam: *Gratia Deo meo, qui me ereptum ex Ægypto & ab Ægyptiaca ac Papistica captivitate, fecit transire mare rubrum, ut nunc mihi cum sanctis liceat canere canticum illud sororis Moysi, & dicere cum gaudio: Cantemus Domino, gloriose enim honorificatus est*. Decimo septimo Martii supervenerunt libri, & vestes paratæ impensis Frobenii duplices, ad necessitatem, pro diebus festis & profestis. Ibi deposuit cucullum, & communibus illis vestibus usus est, *annos quadraginta octo* natus. Oblati ipsi erant aliquot *coronati*, inter quos duplex, in quo *imago erat S. Francisci*, cum inscriptione, *miraculum amoris*, moneta Mirandulana, quæ ei vice ominis suscepta, quod non abhorreret pius Franciscus à se propter mutatum habitum: qui & ipse jam aurum non sperneret, quantumvis Deo charus & beatus. Coactus fuit tunc valores monetarum discere, qui à *triginta tribus* annis nihil tale vel semel tetigerat, vel habuerat.

Amice excipitur.

Prima lectio Pellic. Tigur.

Cucullum deponit.

Moneta Francisci imagine insignita.

Ignarus pecuniæ valoris.

Amici deinde suaserunt, ut exemplo aliorum sacerdotum, uxorem duceret, ne scandalo esset Ecclesiæ. Mense igitur Augusto duxit *Annam Frisiam, Ioannis Frisii*, Ludimagistri sororem, egregiam fœminam. Hoc ejus institutum omnes probarunt, solus Zvvinglius miratus fuit, solicitus de ejus ætate, timebat, ne conjugium ei infelix obveniret. Ibi tùm ergo Dei gratia domestica cura exoneratus, majorem incumbendi literis quàm unquam occasionem habuit. Statim etiam docti homines advenæ, contubernium ejus expetiverunt, adeò ut rarò sine hospitibus esset. Multi enim persecutionis tempore Tigurum amore Evangelii discendi, docendi, & servandi confugiebant. Anno *vicesimo septimo* sustulit filium ex suâ uxore, quem *Samuelem* vocari voluit, quia tunc historia Samuelis pueri, in scholis Theologicis prælegebatur, & mater *Anna* dicebatur, & ipsius quoque nomen ad Elcanæ alludebat. Uxor illa obiit anno *trigesimo sexto*, mense Octobri. Hortatu autem amicorum, mense Januario sequentis anni alteram

Ducit uxorem.

Alteram ea mortuâ.

alteram duxit *Elisabetham*, ex qua nullos liberos habuit.

Edit Biblia Hebraicè. Eodem anno disputatio Badenæ fuit habita: Pellicanus opera *Damiani Irmi* Basiliensis mercatoris, secundam editionem Bibliorum Hebraicorum cum comment. Judæorum R. *Abraam Abenezra*, & R. *Salomonis* in Prophetas sibi comparavit. Item *librum radicum* & *Michlol* Constantinopoli impressos.

Disputatio Bernensis. Anno *vicesimo octavo* in Januario celebrata fuit disputatio *Bernensis* integro ferè mense, cui cum aliis multis Pellicanus interfuit, & conciones, quæ ibi à peregrinis habitæ sunt, in unum volumen collectas, in lucem dedit.

Prælegit Genesin cum Ammiana. Anno *vicesimo nono* quinta Septembris abiit *Zvvinglius Marpurgum*, ut de cœna Domini cum Luthero colloqueretur. Absente illo, *Ioannes Ammianus* & *Pellicanus* prælegerunt *Genesin* usque ad decimum sextum caput. Cum audisset tum monasterium Minoritarum Basileæ evacuatum, veritus ne libri, quos laboribus suis diuturnis & magnis compararat à chalcographis distraherentur, acceptis literis à Senatu Tigurino ad Basilienſem, illos obtinuit, & meliores ex illis Tigurum misit. Eadem æstate *Synodus* celebrata est in *Frovvenfeld* celebris, cui interfuit cum Zvvinglio. Finito autem cursu viginti quatuor librorum Biblicorum à Zvvinglio, aliud jam quod ageret non habebat, videns autem non sufficere studiosis Theologiæ, tractationem Grammaticam & brevem indicationem rerum; utile fore judicavit, ut ex singulis capitibus & versibus, doctrina fidei & morum ad ecclesiæ ædificationem excerperetur, qua studiosi sacræ scripturæ postea commode possent uti. Rogarat doctos quosdam, ut id facerent, viderat etiam à *Luthero* in Deuteronomio, à *Pomerano* in libris Samuelis, à *Melanchthone* in parabolis Salomonis, tale quid tentatum, doluit ergo eos non pergere, ut poterant. Quare cum otium suppeteret, ipse id aggressus est: ut alios exemplo excitaret. Non quidem mens ei fuit, ut illi libri in publicum prodirent, nisi ab aliis fuissent antea expoliti. In *Exodo* primum periculum fecit Cal. Aprilis, breviter annotando, quæ in quolibet capite cum fructu doceri possent. Interea Grammaticæ Hebreæ præcepta discipulis suis tradidit. Cum autem mense Augusto *Pentateuchum* absolvisset; Prophetas priores explicandos sibi desumsit, quibus finitis libros *Paralipomenon*, *Esdram*, *Nehemiam*, *Esthera* exposuit, ut gesta majorum tam sanctorum, quam impiorum, non essent scandalo, sed eruditioni. Usus autem est in illa explicatione sacrarum literarum veteribus & recentioribus, Latinis & Hebræis scriptoribus. De Prophetis posterioribus interpretandis, non fuit solicitus, quod *Oecolampadius* omnes ferè exposuisset, quibus nihil putabat se posse addere. Aliquid tamen in *Cantico canticorum*, quod Basileæ publicè legerat, tentandum existimavit. Videns autem difficilimum hunc libellum sibi satis feliciter pro sua conscientia explicatum, cœpit nescio quo spiritu impelli, ut quæ ab aliis pluribus libris explicata essent, brevius traderet, additis Judæorum Rabinis. Reliquos igitur libros veteris Testamenti interpretatus est. *Psalterium*, quod dudum Basileæ exposuerat, furtim ipsi sublatum fuerat, & Argentinæ impressum, id sub incudem revocavit.

Synodus in Frovvenfeld.

Dum hæc agerentur, quidam Typographo *Froschovero* indicarunt, talia Pellicanum molitum, is rogavit, ut aliquem ex libris illis sibi edendum concederet, & ut specimen daret futuri operis. Pellicanus qui hujusmodi nihil cogitaret, libellum Ruth emendatum ei tradidit, quem ad nundinas autumnales vænum exponeret. Innotuit hoc Zvvinglio, qui miratus est, & quia erat brevissimum opusculum, permisit edendum. Sed judicio Domini volentis erudire, exercere & castigare Tigurinam Ecclesiam Zvvinglius Octobri mense, una cum aliis præstantibus viris cæsus est anno trigesimo primo. Zvvinglio successit in Theologica lectione *Theodorus Bibliander*, vir linguarum peritus, & in omni genere doctrinarum exercitatus, eloquens quoque atque pius. Pro secundo & principaliori officio Zvvinglii, datus est Dei gratia *Henricus Bullinger* vir pius, eruditus, fidelis, concionator incomparabilis. Undecima Januarii *Bibliander* cursum exorsus est ab *Iesaia*, magna cum admiratione auditorum, quippe, vix annorum viginti trium fuit. Anno trigesimo nono primum cursum confecit, hoc est, omnes libros Biblicos Veteris Testamenti absolvit. Secundum cursum rursus cepit non à Genesi, sed sicut cœperat ab Jesaia, quem 11. die Augusti anno *trigesimo nono* feliciter auspicatus est. Postquam verò Pellicanus finierat commentarios qualescunque, cepit instare Typographus, ut eos correctos in lucem daret. Se enim à studiosis & bibliopolis urgeri, ut eos prælo committeret. Pellicanus videns mediocria & simplicia scripta, mediocriter doctis placitura, & quòd illorum major sit copia quàm eximiè doctorum, gratificari petentibus volens, *primum tomum* in lucem edidit: adhæc cogitabat se à triginta annis & amplius, in hunc finem, ut sacras literas intelligeret, operam Hebraicæ linguæ dedisse, & immensos labores sustinuisse. Suum igitur officium postulare, ut suas etiam cogitationes sive meditationes in lucem proferat. Cumque ipsum urgeret, ut alterum quoque, qui historias continet, evulgaret, *secundum tomum* edendum curavit, postea *tertium* & *quartum*. Doctis autem quibusdam instantibus, ut in Ecclesiasticos quoque libros, ut vocant, annotationes scriberet, illis etiam gratificatus est, pro virili sua eos exponens. Cui operi successit index totius sacræ bibliothecæ, in illorum gratiam, qui in Pellicani commentariis querebantur omissas allegationes & concordantias, quod brevitatis causa fecerat. Tardius autem evulgatus est; quia ipsum urgere Typographus non destitit, ut in novum quoque Testamentum scribens, totum Biblicum opus absolveret. A multis igitur dicta, qua melio-

Zvvinglius succumbit.

Ei succedit Bibliander, in profess.

Bullinger in offic. Pastoris.

Libri à Pellicano editi & cur.

Novum quoq; Testamentū explicat.

meliora videbantur, in unum librum redegit. Apocalypsin non fuit animus explicare. Dedit igitur operam, ut *Sebastiani Meyeri* commentarii, qui valde placebant, in lucem editi, suis operibus conjungerentur. Interim dum hæc egit Pellicanus, cepit diligentius versari in prælectionibus *Bibliandri*. Nam ex quo librum Josuæ auspicatus erat, excepit, quæ potuit, & posteâ domi diligentius descripsit, idem fecit in omnibus ferè libris Biblicis. Textum quoque receptæ translationis, multis in locis emendavit. Adhæc *tota Biblia* sacra transtulit è *Chaldaico in Latinum*, *Mosen* scilicet, *Prophetas* priores & posteriores, cum *Hagiographis* nempe *Onkelum* & *Ionathan*, cùm reliquis etiam in *Canticum*, *Ecclesiasten*, *Lamenationes* & *utrumque Targum* super libro *Hester*, de quo sibi Judæi mirè placent. Quin & *Targum Hierosolymitanum* in quinque libros Mosis; præter hæc transtulit quædam Thalmudica opuscula, librum *Massoreth*, quem Hebraicum edidit Elias grammaticus, varia item Hebræorum commentaria. Scripsit præterea Germanicam expositionem, in *Pentateuchum*, *Iosuæ*, *Iudicum*, *Ruth*, *Samuel*, *Melachim*, denique in *Iesaiam* & *Ieremiam* Prophetas, ad convincendum Judæos, quam ob causam transtulit etiam *Ludovici Vivis* disputationem cum Judæis, elegantissimum librum in linguam Germanicam. Multos quoque libros *Aristotelis* & *Ciceronis* in Germanicam convertit, idque hanc ob causam, ut Philosophia Aristotelis & Ciceronis, brevi spatio temporis, ab ingeniosis hominibus, ex populari quoque lingua disci posset, sicut olim in Græciâ factum est, & apud Romanos, qui illa, quæ in lingua Græca utiliter scripta esse animadverterunt, amore patriæ curarunt in suam linguam transferri. Nec enim putavit obstare, quo minus Philosophia tradi & intelligi nostra lingua æquè possit, atque aliis: utile etiam duxit, neotericorum methodos Philosophiæ, in Germanicam linguam transfundi. Adhæc utilius existimavit Turcicam linguam discere, quam aliis in disciplinis versari: quando Turcæ nobis vicini esse incipiunt, ut tandem eos ad catholicam veritatem, verbis doctrinæ adducere possimus, & humaniores reddere. Post illos labores confecit indices in multos libros maximo labore, priusquam veram rationem eos conficiendi teneret. *Biblia Munsteri Tiguri* edita, contulit ad verbum cum Hebraica veritate. Biblia quoque *Leonis Iudæ* & *Theodori Bibliandri* similiter ad verbum contulit cum Hebræo, ne quid omitteretur. *Paraphrases* quoque *Erasmi* in totum novum Testamentum à *Leone Iuda* conversas in linguam Germanicam, distinxit, & *expositionem Germanicam Apocalypsis* in fine adjecit, ne manca esset explicatio. *Dictionarium Chaldaicum Santis Pagnini* Romæ impressum, Munstero tradidit cum Thalmudico suo olim descripto, ut ex duobus illis unum conficeret, quod tandem fecit, & Basileæ typis excudi curavit. Egit quoque per *Marcum Heylandum*, ut conficerentur *concordantiæ Hebræa*, addita translatione vulgata, opus magnæ utilitatis, utque daret Frobenio, sed neglectum est opus, quia *Sebastianus Gryphius*, eum antevertit, evulgando *thesaurum Pagnini*. Theodorus etiam Bibliander absolutiorem promisit.

Excurrit Basileam & Argentor.

Anno *trigesimo sexto* circa festum Joann. Baptistæ Zurzacum profectus, inde navigio *Basileam*, postea *Argentoratum* descendens, honestissimè ibi est tractatus. Rediit per *Rubeacum* Basileam, multo honore à chalcographis affectus, & fratribus, qui olim ei subjecti in monasterio fuerant. Anno *trigesimo octavo* Tigurum venit *Michaël Adam* neophytus ex Judæis, qui Pellicano consulente cepit cum Leone Juda emendare Germanica Biblia, & per aliquot menses hospitium gratis ei præbuit. Anno *quadragesimo* æstas erat calidissima, vinum crevit ubique optimum. Anno sequenti mense Januario *comitia Wormatiæ* habita fuerunt, acta illorum scripta ad Tigurinos misit Grynæus. Acta quoque concilii Constantiensis per *Ioannem Stumpsium* eo anno sunt conscripta, Tigurique Germanicè evulgata. Eodem anno, *vicesimo primo* die Septembris jus civitatis Tigurinæ consequutus est. Anno *quadragesimo secundo* calendis Januarii *Bonifacius Amerbachius*, à juventute Pellicano dilectus, ipsi dono misit omnia *opera Erasmi Roterodami*, munus longè gratissimum.

Æstas calidissima.

Comitia Wormat. 1541.

Acta concilii Constantiens. Fit civis Tigur. Pellican.

Erasmi opera Pellic. donata.

Ipse opus Erasmi Roterodami paraphrasticum, quod à *Leone Iuda* in linguam Germanicam conversum recens prodierat, dono misit novo Episcopo Argentinensi, domino suo & patriæ suæ, una cum epistola, qua petiit; ut non tantum grato animo acciperet munus Erasmi, qui & ipse Erasmus diceretur, sed & curaret legi per diœcesin suam, ab iis sacerdotibus, qui non satis Latina intelligerent, & tamen populum verbo Dei pascere desiderarent, pro suo officio. Hoc donum Episcopo gratissimum fuit, utque suam erga Pellicanum benevolentiam declararet, argenteo poculo eum donavit, quod remisit. *Astricti* enim *sunt, quotquot Tiguri cives & inquilini, bis singulis annis solenni juramento, ne quis eorum ullum munus ab ullo Principe accipiat.* Quanquam non ignorarit, ingens discrimen esse, inter munera honoraria & illa corrumpentia, neque dubitarit de æquitate Senatus Tigurini; noluit tamen Principum muneribus inhiantibus occasionem dare contemnendi eam legem. Princeps, lectis literis Pellicani, laudavit Tigurinæ Reip. institutum, & illius quoque obedientiam, & poculum illud sorori Pellicani unicæ, Rubeaci dono dari curavit.

Tigurini juramento dona se non accepturos promittunt.

Anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo tertio*, Decemb. decimo die, *Theodorus Bibliander* præter rationem Tigurinæ scholæ, tempori servire cupiens, prælegere cœpit *Apocalypsin Ioannis*. Pellicanus autem inter varia monumenta quæ tunc legit, evolvit & *Waldensium* sanctissima *scripta* ad Regem Hungriæ, & historiam *Wesaliæ*, olim Moguntiæ conscriptam à *Iacobo Wimpfelingo* qui adfuit, cujus tamen nomen non est adscriptum.

Waldensium scripta.

Legit

Epist. Oecol. & Zvvinglii

Legit etiam *Epistolas Oecolampadii & Zvvinglii*, librum optimum & virorum illustrissimorum & dignissimorum æterna sanctorum memoria: cum prologo verissimo, doctissimoque *Bibliandri*. Hospitem tunc temporis habuit nobilem, & doctum virum *Iosephum Vngarum* Budensem, cujus parentes Pesta se transtulerant *Cassoviam*, priusquam Turca Budam caperet. Is quinque annis operam dederat bonis literis & Theologiæ *Wittembergæ*, voluitque ante reditum suum ad parentes, invisere Ecclesias Germaniæ, & doctos audire. Venitque Spira, ubi Cæsar comitia celebrabat, *Argentinam*, ibi aliquot diebus cum fratribus colloquutus est, præcipuè autem cum *Bucero de causa sacramentaria*, à quo impetravit sententiam scriptam de cœnâ Domini. Audivit à Tigurinis quoque de ea re sententiam & fidem; legit epistolas, & alia quædam Zvvinglii & Oecolampadii; ædificatusque abiit, præ aliis *Argentinensem* & *Tigurinam* Ecclesiam commendans, in doctrina, moribus, & ceremoniis. *Bibliander*, *Gualterus*, junior *Zvvinglius* & *Froschoverus* Constantiam eum deduxerunt: Pellicanus *Vitodurum* usque.

Ioseph. Budensis Vngarus.

Invisit suos Pellic.

Exeunte Julio Basileam cum uxore descendit, hinc *Rubeacum*: ut salutaret sororem. Ibi à patritiis in prætorio, & D. *Willelmo Böcklin*, præfecto Episcopi Argentinensis, in arce peramanter & honorificè exceptus est. Incidit autem *Rubeaci*, in annosam matronam *Barbaram Häslerin*, oriandam ex valle Gregoriana, familiarem sorori; quæ veram religionem divinitus edocta, fidem simpliciter & sanctè confessa est, & recitavit, quòd olim multa à magistratu ob illam passa, eamque animosè defendendo manus lictoris evasisset. Redeuntem *Basileam* invitavit *Senatus*, *Vniversitas & Chalcographi*, & prandio honorarunt: Adsederunt *Adelbertus Meier*, & *Theodorus Brand*. Coss. *Marcus Heidelin*, magister civium, & *Blasius Schollius* senior magister civium, cum multis consulibus, simulq; *Myconius*, *Wolphgangus Amerbachius*, *Osvvaldus*, *Cellarius*, *Sebastianus* doctoresque reliqui & impressores; accurrentes alios locus non capiebat, finito convivio Coss. decreverunt, ut in Tigurinorum & Pellicani honorem ex ærario omnia expenderentur.

Basileæ prolixè excipitur.

Absoluta apocalypsi Joannis cepit *Theodorus Bibliander Genesin* magna diligentia interpretari: ubi diligenter Pellicanus excepit omnia. Mense Decemb. descripsit scripta *Ioan. à Lasco* Baronis Poloni, veteris amici, de sacramentis, & Magistri *Regneri* Scholarchæ Gruningensis in Frisia, optimorum & doctissimorum virorum monumenta, Trigurinorum omnia conformia, & consonantia doctrinæ. Anno *quadragesimo quinto*, mense Aprili *Ioannes Frisius* cum Grebeliis nobilibus in Italiam profectus, *Bononia* & *Venetiis* totum *Thalmud* & *Majamonem*, atque alios multos libros attulit, quos *centum viginti florenis* emtos, omnes ferè Pellicanus convertit. Nihil attinet singulorum librorum titulos hoc loco recitare.

Ioann. Frisii peregrinatio literaria. Adfert Hebræa, quæ vertit Pellicanus

Anno *quadragesimo octavo D. Ioanni Hoppero Anglo*, optimo viro, prælegit commentaria R. *Davidis Kimhi* in omnes Prophetas Minores. Principio Decembris anni *quadragesimi noni* fuit cum Pellicano octo diebus R. *Stephanus*, qui videns, quæ hactenus transtulerat ex commentariis *Rabinorum* in sacros libros: rogavit obnixè, ut in reliquis omnibus pergeret, idque non ad sensum tantum, sed ad literam quoque pro Hebraismis discendis. Statim igitur cæteros quoque interpretes, qui partim Prophetas, partim omnes libros Biblicos interpretati sunt, in Latinam linguam translatos, *Genevam*, illi transmisit, ut insigniora ex illis excerpens, in lucem emitteret.

Rob. Stephan.

Anno *quinquagesimo sexto* tandem Pellicanus sacrarum literarum in schola Tigurina Professor Hebræus, per annos triginta non tam propter doctrinam excellentem, quam morum suavitatem & vitæ integritatem, omnibus charus & acceptus, postquam calculo & aliis morbis diu vexatus esset, ex hac vitâ, ipso die resurrectionis Domini nostri *Iesu Christi*, ab ipso evocatus, & in cœmiterio majoris templi sepultus est, anno ætatis suæ *septuagesimo octavo*. Filius ipsius *Samuel*, pædagogus inferioris Collegii postea anno *sexagesimo quarto* peste obiit, relictis tribus filiis, quorum duo Ministri Ecclesiæ, & unica filia. Id locum verò senioris Pellicani successit *Petrus Martyr Vermilius*, Argentorato à Senatu Trigurino accersitus.

Obitus Pellican.

Samuel Pellic.

P. Martyr successor Pellic.

Est in Pellicanum à *Pantaleone Candido*, Theologo Bipontino, epigramma scriptum ejusmodi:

Epigramma in Pellican.

Quâ superum quondam cœlesti ex æthere linguâ
Affatus sanctos est Pater ipse patres:
Exactum callens hanc Pellicanus ad unguem,
Cumque Deo potuit, cum superisque loqui.
Macte vir ingenio: te sacri interprete libri,
Sunt facti illustres jam magis atq; magis.

Atque hæc de *Pellicano ex Chronico vitæ ipsius, ab ipsomet in usum filii & nepotum suorum fusè conscripto*: unde videmus quàm crassæ fuerint tenebræ illæ, in quibus majores nostri vixerunt: quam multa doctis viris fuerint dediscenda, quæ maximis laboribus didicerant: quam inutilibus studiis, temporum injuria fuerint occupati, quanto zelo, quàm improbis laboribus linguas, artes, & veram religionem in lucem revocarint, è diverso, quam felices sint nostro seculo, quantumvis calamitoso, omnes, qui in tam clarâ luce versantur: qui doctissimis præceptoribus, in linguis, artibus, Philosophia, Jurisprudentia, Medicina & inprimis Theologia abundant: qui tot bonos codices, parva pecunia sibi comparare possunt. Scribit *Ludovicus Lavaterus*; ex sene *Pellicano* non semel audiisse: quòd *nullum Græcum testamentum per Germaniam reperiri* potuerit (primum enim ex Italia allatum fuisse) *quantumvis quis magnam vim auri pro unico exemplari voluisset exponere. Nunc eam esse temporum felicitatem, ut quisq; scholasticus exemplar habeat.* Vir fuit candidus, sincerus, integer, à mendacio, ob ostentatione omni alienissimus.

Tenebræ superiorum seculorum.

Felicitas nostri seculi.

Novum Testamentum Græcum totum exemplar in Germania. Virtutes Pellic.

MAR-

MARTINUS FRECHTUS.

Martinum hunc *Frechtum* à Sueviâ prodiisse annales testantur; jactisque literarum & linguarum primis rudimentis, ad publica accessisse Germaniæ nostræ Gymnasia, è quibus Haidelbergense, etiamnum celebre ac florens. Ibi cum Theologico studio operam navasset egregiam, *Licentiatus* divinæ scientiæ, more Academiarum, est renunciatus. Mox in professorum publicorum ordinem cooptatus, literas sacras publicè docere cepit: idque circa annum Christi, ut ex epistola quadam Oecolampadii colligimus, *millesimum quingentesimum vigesimum sextum*. Collegam tunc Haidelbergæ inter alios habuit, virum piissimum & doctissimum, popularem suum *Simonem Grynæum*, de quo alibi.

Cùm autem *Frechtus* religioni & pietati sine hypocrysi aut fuco esset deditissimus: magnaque facundia polleret: statim fama de eo ad vicinos & finitimos est disseminata. Itaque Ulmensis reipub. statim post Ecclesiæ suæ reformationem, quæ facta sub annum *millesimum quingentesimum vicesimum octavum* auctore potissimum *Conrado Somio*, Frechtum ad se invitavit, & ea in urbe ut primarium Ecclesiastem ageret, petivit. Adsensus est Frechtus, eamque provinciam magna cum laude & fide diu procuravit, & omnibus gratissimus fuit. Cum autem sub id tempus, in cœnæ negocio, contentio quædam inter Evangelicos incidisset: Frechtus, cum Bucero & Musculo, in Saxoniam ad Lutherum profectus, anno *millesimo quingentesimo trigesimo sexto*, ejus sententiæ ferè subscripsis, de quo alibi dictum.

Anno *quadragesimo*, cùm colloquium in Vangionibus indictum esset, ab Ulmensibus eò & Frechtus missus est: qui tunc temporis Ulmæ in magno illo templo populari linguâ; & Latinè in choro ejusdem, solitus conciones habere: & ad Latinas quidem tum concionatores, tum docti cives, convenerunt: deinde scholastici * quoque, qui intelligere putabantur, fuerunt admissi.

Postea anno *quadragesimo sexto*, in colloquio Ratisbonæ habito, idem Frechtus fuit, & cum adversariis pro sua eruditione disputavit. Cùm autem Cæsar paulo post bello Smalkaldico victor esset, & Augustæ Vindelicorum religionis causa comitia celebrasset; Augusta profectus, relicto ibi præsidio, reipublicæ & mutatæ causa religionis, cum reliquis copiis Ulmam petit. Eò ubi venisset, senatum abrogat, & novum instituit; & ecclesiæ ministros, in quibus hic Frechtus, eo quod *religionis decretum* repudiarent, custodiæ mandari jubet. Senatus, per omnia Cæsari devotus, decretum recepit. Durante comitio, rogatu *Granvellani*, petierant à Frechto: ut Augustam profectus, negocium religionis adjutaret, & ad *Pflugium* aut *Sidonium*, aut *Issebium*, diverteret, ille, quod & suspectam rem haberet, & quod è reliquis civitatibus nemo sui ordinis ibi esset, recusavit. Jussus demde quid de facto decreto, seu nova religionis formâ, quam *Interim* dixerunt, sentiat & quousque probet, scripto complectitur, atque errores & superstitiones eo in libro probatas, refutat. Ubi verò Cæsar Ulmam venit, novus magistratus Frechtum ac cæteros Ecclesiæ ministros evocat, & per homines delectos eorum sententiam exquirit; respondent illi, ut antea, & quid in decreto probent, quid improbent, ostendunt. Rogati, cùm *Augustani doctores illud receperint per Jusjurandum, ac nihilo secius Evangelium doceant: cur non idem ipsi faciant? non sibi constare dicunt, quid illi fecerint: neque suum esse alieni facti rationem reddere: se quidem initio, cùm ad Ecclesiæ ministerium adhiberentur, fide ipsis data promisisse, doctrinam Evangelii purè ac incorrupte annunciaturos; sine traditionibus hominum: si nunc senatus eam rationem non probet, petere ut jusjurandum sibi remittat.*

Jussi domum abire, post meridiem revocantur, ibi delecti quidam senatus, *captivos*, inquiunt, *hodie vos Cæsar sistit, ad ejusque jam traducemini palatium: Deus vos spiritu suo gubernet*. Illi, quoniam ita sit visum Deo, non se recusare dicunt ullum periculum, & ipsis invicem benè precantur. Sic egressi, statim per apparitores ad prætorium deducuntur, fore putantes, ut sisterentur Cæsari. Post multam expectationem, confluente jam illuc multitudine, traducuntur in *Georgii Besserer* domum, viri consularis, in qua *Granvellanus* & *Atrebatensis* diversabantur. Tandem intromissi, post multam disceptationem, cum Granvellanus urgeret, uti Cæsaris edicto parerent: illi verò, quamobrem non possent, explicarent; acerbis fuerunt excepti conviciis, deinde, reliquis egredi jussis, & paulum divertere, Frechtum humanioribus verbis pertentant, & cùm is in sententiâ persisteret, reliquos etiam sigillatim appellant; ex iis quatuor fuere constantes, duo defecerunt. Granvellano & Atrebatensi aderant *Hasius* & *Seldius*.

Mox impediti catenis, in carcerem publicum ducuntur, Hispanorum & Germanorum præsidio, quibus præerat *Joannes Comes Nassovius*: cumque domum Frechti præterirent; frater *Georgius* fortè prospicit fenestra, & appellatus ab eo; ut uxorem ac familiam curaret, salutem ei sociisque precatur, ac simul bono animo esse jubet.

Ob hanc vocem & ipse ducitur in carcerem, fuit hoc Augusti die *decimo sexto*. Detenti per quatriduum in urbe, quintò die, cùm Cæsar illinc abiret, revincti catenis, uti diximus, & impositi currui, devehuntur *Kirchemum*, stipati circiter ducentis Hispanis. Ibi cùm dies octo fuissent, in potestate Germanorum ducis Alteſtegii, dati sunt in custodiam Hispanorum centurioni Madronio *. Factum hoc anno quadragesimo octavo.

Exponit suam sententiam de libro Interim.

Actio senatus Vlmensis. cum ministris receptum.

Ad Granvellanum ducuntur ministri Vlmenses.

Duo deficiunt.

Cæteri in carcerem ducuntur.

Etiam frater Frechti

Abducuntur cum custodib. Hispanis.

* Vel Ledronio.

Dimittuntur. Deinde anno sequenti *undequinquagesimo* Martii die tertio, Frechtus & reliqui ministri, in religionis negocio constantes; postquam pro victu solvissent, liberi sine mulcta dimissi sunt. Cùmque Ulmæ nova religionis formula recepta esset: Frechtus sub regimine pii ducis Christophori Tubingam vocatus est: ut sacram ibi Theologiam doceret: & illustri stipendio ephorus esset. Ea in Academia Pentateuchum Mosis, & Judæ epistolam, inter alios doctissimè est interpretatus.

Tubingam vocatur Frechtus.

Vbi docet.

Et moritur Tandem veneranda canitie conspicuus, die *decimo quarto* Septembris, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto*, Tubingæ obiit, & in S. Georgii templo honestè sepultus est.

Scripta ejus. Scripsit præter alia Theologica in Witekindi Saxonis, rerum ab Henrico & Othone Imperatoribus gestarum, libros tres. Plura in Bibliothecis. *J. Sleidanus: Crusius in Suevicis annalibus: Thuanus in historiâ Augusta.*

JOANNES FORSTERUS.

O. 1556. d. 8. Dec. ætat. 61.

Augusta Vindelicorum descriptio.

URbs est Germaniæ *Augusta*, ab Augusto Cæsare; *Vindelicorum* autem à Vindæ & Lyci amnium confluente, nomen nacta: templorum & ædificiorum copiâ ac splendore ornatissima: mercibus importandis & exportandis oportunissima: opesque & honores tantos consecuta: ut Germaniæ urbium hodie nulli cedat, plerasque superet, Reip. constitutione, civium frequentiâ, scholâ, bibliothecâ, aliis. Hac in urbe natus est honestis parentibus *Joannes Forsterus* sub annum Christi *millesimum quadringentesimum nonagesimum quintum.* A puero ad bonas literas adhibitus, expertus est Horatianum illud: ut multa tulerit, multa fecerit, sudarit & alserit.

Capnioni audit Ingolstadii. E patria schola ad exteras sese contulit; atque in Bavarica Academiâ *Joannis Capnionis* auditor fuit: qui cùm in senectâ illâ & supremo vitæ actu, cùm attigisset annum *septuagesimum*, diu antè sponte relictis aulis, non ut Laërtes se in agro abdidisset, sed in Academiam, invitatus à Duce Bavarico, secessisset: maximopere delectabatur studiis juniorum. Ut igitur quisque maximè cupidus erat discendi: & plurima sciscitabatur; ita illi maxima comitate respondebat, & libros dabat utendos. Fuit igitur tum Capnioni inter auditores familiarissimus *Forsterus*, quia major erat ejus studium, quàm aliorum. Ac retinuit hunc erga Forsterum affectum optimus senex, etiam post ejus discessum; cui argumento esse potest hæc ad Forsterum epistola:

Cui ex familiaris.

Epistola Capnionis ad Forsterum.

Dn. Joanni Forstero Augustano, Philosophiæ Magistro S. P. D. Joann. Reuchlin.

Quàm molesta mihi res est, dilectissime vir, à tua & aliorum studiosissimorum auditorum meorum præsentia recedere! Cum enim in tanta tàm Hebraicæ, quàm Græcæ linguæ discipulorum frequentia, assiduo indefessas mihi aures præbueris, tùm unus omnium in lingua Hebraica plurimum Judaïsti; ut dignus mihi visus fueris, cui publici auditorii pulpitum concesserim. Quare perge incumbendo bonis & doctrinæ à me prælectæ: sic enim in virum literatissimum & linguarum ornatissimum interpretem, DEO aspirante, cæteris commodo & utilitati, evades. Vale feliciter. Angelopoli dabantur III. Idus Aprilis, anno Domini M D XXI. Hactenus Capnio.

Audit Sellanum Lipsiæ. Docet alios. *Lipsiam* deinde progressus audivit *Petrum Mosellanum:* cujus oratio verè Xenophonteam referebat suavitatem. Adolescentiam egressus, docuit aliàs linguam Hebræam; aliàs ecclesiæ doctrinam in Academiis & templis. Fundamentis istis linguarum felicissimè superstruxit, Theologiæ sedulam navans operam, ad summum pervenit culmen. Nam & Doctoralia ipsi sunt collata insignia, & publica sanctæ linguæ professio Wittenbergæ, ubi confederat, commendata.

Doctor Theol. renunciatur.

Conventus Naopurgicus. Adeunt & Forsterus.

Anno Christi *millesimo quingentesimo quinquagesimo quarto*, placuit, ut quidam maximè propter Borussiacas rixas, Naopurgi in Thuringia convenirent. Eò accessit, cum *Philippo Melanchthone*, optimus vir & doctissimus Theologus *Forsterus*, magni illius *Camerarii* * judicio. Posteà, cum *annos octo* in Academiâ Wittenbengensi multum profuisset discentibus, interpretatione Prophetarum & linguæ Hebreæ propagatione & Ecclesiis, in judiciis & in inspectione: morbo diuturno est correptus. Eum auxit, ut est ἐτεζγὴ paterna, filiæ obitus, quam ipse postridie placidâ morte est subsecutus, cùm & sese, & ecclesiam domesticam ac publicam, ardentissimis votis Filio Dei commendasset; die nempe *octavo* Decemb. anno Christi *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo sexto*, æt. suæ 61. Elatus est funere frequenti, sepultusque in Templo Parochiali Wittemberg. ad tumulum *Matthiæ à Schulenburg.* Virtutem viri, de scholis & ecclesiâ Christi benè meriti, Carminibus Epitaphiis tum alii, tum *Henricus Mollerus Hessus* hoc elegiaco celebravit:

* *In vita Melanchth.*

Morbo corripitur.

Ex quo moritur.

Epicedium ejus ab Henrico Molleto.

Hæc tegit exuvias Forsteri tumba Joannis:
Qui celebris sacra doctor in arte fuit.
Ediderunt ipsum clari virtute parentes,
Quà Lycus Augustæ mœnia celsa rigat.
Quorum consiliis Musisq; Deoque dicatus,
Ad tantum summo crevit honore virum.
Sed disciplinas quamvis raperetur ad omnes;
Cum puer inciperet Musica castra sequi:
Divino tamen ipsius mens numine tracta est,
Ut veri cuperet dogmata nosse Dei.
Ergò Palestinæ decus & mysteria linguæ,
Ipsi, præ reliquis discere, cura fuit.
Huic & Bojorum vigil in ditione vocavit,
Instructus monitis Capnio docte tuis.
Mox etiam, studiis aliquo progressus & annis,
Distribuit partas ipse decenter opes.
Et fido monstrans Ebræos indice fontes,
Ingenii laudem judiciique tulit:

Ut

Ut quoque teutonico vertens sermone Lutherus
Biblia, Forsteri sæpè sit usus ope.
Ipsum præterea cœlestia verba docentem,
Viderunt multis templa scholæque locis.
Quattuor & totidem confecit Cynthius annos,
Dum docet Albinæ clara lycæa scholæ.
Explicuit nitida sacros gravitate Prophetas;
Interpres linguæ gens Solymæa tuæ.
Et procul inspiciens mores operasq; docentum,
Et spargi in populum dira venena cavens.
Sæpius externas legatus abivit ad oras;
Multa ferens operæ tædia, multa viæ.
Quid loquar, arbitrio quàm disceptaverit æquo;
Si qua fuit sacro lis dirimenda foro?
Non auræ studio popularis bella movebat,
Purus & in niveo pectore candor erat.
Et casti mores semper sine labe fuerunt;
Castorum norat vota placere Deo.
Cum præstans igitur Doctores vixerit inter,
Ingenii propter judiciique decus:
Officiisque bonis vitamque fidemque probârit,
Insigni cedens à pietate nihil:
Tradideritq; suam linguaq; & mente salutem,
In Christi moriens agnitione, DEI:
Ergò favore Dei superas evectus in arces,
Doctorum sanctis assidet ipse choris.
Quodq; piis semper votis, & mente cupivit,
Conspectu fruitur lætitiaque DEI.

Est & hoc *Georgii Fabricii* * in hunc Forsterum Epigramma:

Sic loqueris, Forstere, velut de semine natus
Isacidum: sancta est lingua paterna tibi.
Sic scripta exponis, meritum testantia Christi:
Ut manet libris cælica vena tuis.
Ornetur tumulus sertis: cedroque linantur,
Commendant docti quæ monumenta viri.

Fuit & hic Theologus utilis studiis ecclesiæ; atque omnibus, propter candorem & pietatem carissimus. Cum enim rectè sentiret de doctrinæ Christianæ capitibus; & abhorreret ab omnibus seditiosis ac fanaticis opinionibus: verâ fide Deum invocavit, in agnitione & fiduciâ Filii Mediatoris, & animi pietatem omnibus honestis officiis declaravit. Vita ejus casta & sobria fuit. Pacem publicam & ecclesiarum Evangelicarum conjunctionem tueri summâ curâ semper studuit. Privatas ærumnas placidè tulit, & in ultimo morbo leniit sibi dolores eruditis atque piis amicorum colloquiis.

Cùm *D. Martinus Lutherus* Wittembergæ meditaretur interpretationem scripturæ Propheticæ & Apostolicæ: adhibitus sæpe est & ipse Forsterus: & in tam utili opere sæpè ejus judicium D. Lutherus cæteris prætulit; ut in sententia dulcissima, in Hosea: *Non faciam furorem iræ meæ: Non prorsus delebo Ephraim: quia Deus ego sum, non homo; in medio tui Sanctus: Nec tamen intrabo in civitatem.* Hîc cùm alia multa monebat, tùm verò hac phrasi: *Non intrabo in civitatem:* hoc propriè significari dicebat: *Non servabo regnum politicum Ephraim, seu Samariæ:* Et hanc emphasin esse in verbo *Intrandi*, ex aliis locis ostendebat.

Scripsit *Dictionarium Hebraicum novum*, non ex Rabinorum commentis; sed ex ipsis thesauris Bibliorum, & accurata eorundem locorum collatione depromtum, cum phrasibus scripturæ veteris & novi Testamenti diligenter annotatis. Ut autem in ipsis rebus, sic etiam in ipsis vocibus non rarò cæcutivisse Grammaticos Hebræos contendit: qua in re ut non omnes habebat adstipulatores; sic tamen ad linguam sacram accuratius cognoscendam doctorum ingenia magnoperè exacuit. *Scripta Forst.*

Pantal l. 3. Prosop. tom. 3. scriptorum Wittembergæ propositorum: Camerarius in vitâ Melanchthonis: Gesnerus in bibliothecâ.

HENRICUS STOLO.

O. 1557. d. 28. Sept. ætat. 68.

IN Palatinatu inferiori oppidum est *Dibachium*, Baccharaco adsitum, vino melioris notæ, quod vulgò *Fürstenbergicum* vocant, notum. Hoc in oppido vivendi initium fecit *Henricus Stolo* anno Christi *millesimo quadringentesimo octuagesimo nono*, mense Aprili. Parentes habuit mediocris fortunæ: homines alioqui vitæ & famæ integræ. Ab his admodum puer probis moribus artiumque principiis, maturè est imbutus. *Dibachiū oppid. patria Stolonis.* *Parentes.*

Jactis puerilium literarum fundamentis, cùm mater, ut fit, indulgentior esset: *Monasterium* Westphaliæ est missus ad amicum quendam. Ibi ita ad literarum incubuit studia, ut æquales facilè anteiret. Morum etiam suavitate, & seniorum observantiâ, quæque illam ætatem inprimis decet, modestia, effecit, ut hospes eum filii instar diligeret. *Mittitur Monasterium.*

Domum revocatus, quòd mater desiderium filii difficilius ferret; non diu substitit; sed cum aliquot commilitonibus *Oppenheimium* abiit, ubi cùm diutiùs sustinere se, ob mendicantium scholasticorum multitudinem, non posset: *Daventriam*, ubi & literæ magis florebant, & commodior vivendi ratio pauperibus ostendebatur, profectus est. Hoc in loco, literarum amore inductus, aliquammultos annos, cum magnâ egestate conflictatus, exegit. Nam, quod sæpe senex in hemicyclo sedens solitus fuit referre, & frigore corpus vehementer læsit, & fame maximè debilitavit: adeò quidem, ut nisi pane mucido sitique obducto latrantem stomachum placasset, sæpe incœnato cubitum eundum fuisset. *Oppenheim. abit.* *Inde Daventriam.* *Egestas ibi ejus.*

Habuit ibidem commilitonem, quendam popularem, se doctiorem. Hic veritus Stolo, ne ille domum reversus palmam sibi præriperet; summa contentione id egit: ut si non superior, par certè illi esset. Sæpe itaque de nocte, altero stertente, ipse ad lunam sublustrem, non sine valetudinis jactura, libros legit, & pensa proposita didicit. Hac contentione & *Hesiodæa eride*, facilè id consecutus Stolo est: ut multis illum alterum parasangis post se relinqueret. *Æmulatio*

Redit ad suos.

Liberaliter igitur iis artibus, quæ in scholis trivialibus juventuti proponi solent, excultus, ad parentes rediit: quibus visum, ut cepta cum laude absolveret. *Erphordiam* itaque Thuringiæ caput, profectus; ita in literis versatus est: ut brevi pòst suprema Philosophiæ laurea, annos natus *viginti*, fuerit ornatus. Cumque parentes sumtibus diutiùs suppeditandis non essent: publicum docendi munus suscepit. Itaque *artem Horatii poëticam, & Terentii comœdias* explicavit, *quadriennio* ea in re consumto. Erphordiæ cùm *septennium* egisset: Dibachii stipendium ecclesiasticum vacare cepit. Id patris & amicorum, benè de ejus studiis sperantium opera adeptus, calcar ei fuit ad majorem diligentiam, non autem luxûs incitamentum. Obtulit ei tunc mercator quidam prædives, non parvâ cum dote filiam: sed Stolo, gratiis actis, modestè abnuit, immaturitatem ætatis & studiorum excusans.

Erphord. petit.

Renunciatur ibi magister Phil. Anno 1509. Docet ibidem.

Stipendiii ecclesiasticum adipiscitur.

Matrimonium oblatü recusat.

Peregrinatur.

Cùm *quadriennium*, ut diximus, Erphordiæ qua publicè, qua privatim docuisset, & pecuniæ nonnihil comparsisset: nactus comites idoneos, partem magnam *Boëmiæ*, *Borussiæ*, & totius oræ maritimæ perlustravit. Erant illorum, qui una iter faciebant, omninò tres. Hos cùm pecunia deficere cepisset: nec conditio uspiam commoda offerretur; coacti sunt domum cogitare. Hyeme ergo valde aspera, cùm nix tres ferè pedes alta cecidisset: Erphordiam versus iter instituunt. Tridui jam pedibus iter emensi, (equos enim divendere necesse habuerant) Stolo in diversorio diutius substitit: comitesque præire est passus.

Viatico destituitur.

Aberrat à rectâ via.

Sed quid fit? Ignarus locorum & viarum totum diem ita est vagatus! ut sub noctem eò, unde manè exierat, fuerit reversus. Postridie iterum se in viam dat: sylvamque densam ingreditur. Ibi ex improviso duo ursi errabundo occurrunt. Hic verò quid faceret? Inclamare alios, temerarium erat: fugam arripere, prorsus ineptum. Salutis ibi planè incerto incidit, quod sæpe audierat; sed anili fabulæ simile duxerat: morticinum nullum ab ejusmodi belluâ tangi. Commendavit ergo se Deo, & in faciem procidens, anhelitum, quantum potuit, attraxit. Accedunt ursi, explorant: cadaverque existimantes, abeunt. Hoc periculo liberatus totam noctem in sylva oberravit, tandemque mane facto, algore, timore & via tantùm non confectus, ad suos pervenit: cumque iis salvus Erphordiam appulit.

In ursos incidit.

Vrsi cadavera non tangunt.

Evadit periculum.

Redit in patriam.

Octennium ita cùm domo abfuisset: placuit prius salutatis parentibus, vel Lipsiam, vel aliam in vicinam Academiam concedere. Venit ergo ad suos, qui læti duo non visum excipiunt; inprimis mater, ut est istius sexus φιλοστοργία, simulac filium vidit; DEO & cœlitibus, ut tunc erat crebra sanctorum invocatio, tanta pro felicitate gratias egit. Pater autem de studiis percontatus, unà cum cognatis, à jure civili, cui antea se dederat, ad sacra eum traducere conatus est: utque sacerdotium susciperet, persuadere. Erant tunc in summa apud omnes ordines existimatione sacrificuli: & in cœlum expeditiorem sibi aditum esse putabant parentes: si filiis, ut sacrificuli fierent, persuasissent. Etsi autem Stolo primùm languidiùs adsentiretur: tandem tamen precibus victus, æquum esse duxit: ut qui aliquot annis ecclesiastico stipendio usus esset, rursus pro suo talento aliquid operæ in ecclesia poneret.

Sacrificulorum existimatio.

Relicto ergo juris studio, ut & parentum voluntati pareret: sibique aditum ad cœlum pareret: primam, uti vocant, missam, in pago quodam, non procul patriâ sua, ut omnem pompam tunc receptam declinaret, celebravit: studioque Theologiæ totum se dedidit: præsertim cùm *juris disciplina* etiam displicere cepisset: plerisque eam deformantibus, *tanquam ad calumniam, ad vindictæ cupiditatem, ad turpem denique quæstum comparatam:* quanquam haud verè.

Relinquit studium juris. Fit sacrificus.

Vituperat jurisprudentiæ.

Summa tunc apud omnes Pontificis Romani erat auctoritas: summa missæ, condonationis item peccatorum, quam illi indulgentias vocant, aliarumque ineptiarum admiratio. *Thomæ Aquinatis*, Magistri sententiarum, & id genus alia scripta, etiamsi cum sacris literis & Patrum decretis, non consentirent, vulgò regnabant: *sacram* imò *scripturam accipere vim omnem & auctoritatem à Pontifice Romano* docebatur. Contra hæc qui mutiret sentiretve: aut ecclesiæ Romanæ elevaret potestatem: illum talem hæreticum esse flammis exurendum, clamabant omnes.

Dogmata olim usitata.

Auctoritas sacræ scripturæ.

Tali tempestate Stolo sacris initiatus sacra peregit, nec solùm in missatico sacrificio fuit occupatus: sed & pro concione populum docuit. Et primò quidem in patria Evangelia, & capita Christianæ Religionis enarravit, postea *Wormatiam* à clero vocatus, aliquot annis ibi pastorem egit. Sub id tempus *Leo X.* Papa, missis per omnia regna diplomatis, omnium delictorum expiationem, ac salutem æternam interventu pecuniæ promisit. Id negocii *Tecelio*, in Germania fuit commissum, cujus conciones immoderatas, ut notum, Lutherus oppugnavit. Cum igitur Lutheri libri etiam ad Stolonem venissent: factâ sententiarum collatione, ubi diligenter omnia, præsertim caput de justificatione, expendit, veritati cessit. Populum itaque erudiens, Christi beneficia ei diligenter inculcavit, quæque opera Deo placerent, ex verbo DEI monstravit. Ibi Pontificii, qui antea in vitia eorum acriter in vehentem, æquo audierant animo, vehementer irritati, cum apertè nihil auderent, ex insidiis rem aggressi sunt. Blandis enim verbis & pollicitationibus eum à nova, ut audiebat tunc, doctrinâ avocare conati sunt, quibus ipse: *cùm Deus*, inquit, *pro sua misericordiâ verbi sui cognitione me illustrarit: non*

Missificat & conmunicatur.

Wormatiam vocatur.

Mercet indulgentiarum adversus.

Lutheri doctrinam amplectitur.

Pontificiorum odium incurrit.

Avocatur ab Evangelio doctrina.

licet

licet mihi ab agnita veritate discedere, nisi sempiternum exitum subire velim. Itaque si vobis adsentirem, quorum doctrina multis in locis gravissimè à sacra scriptura dissidet, damnarem Iesu Christi doctrinam, & verbis probarem, quod falsum esse ac impium scio: quo sane nihil à me fieri posset flagitiosius. Nam hoc illud est, de quo Christus tam diligenter nos monet, peccatum in Spiritum sanctum: quod nullo unquam tempore condonatur. Quod vero antehac doctrinam vestram, ut piam defendi, errore communi accidit, cum & veram illam esse putarem, & neminem, qui me melius doceret, haberem. Nunc verò cùm Deus per Lutherum lucis suæ radiis me illustrarit, non possum non obtemperare. Quicquid enim hic facio, salutis meæ causa facio: ut post hanc œrumnosam vitam sempiternæ vitæ ac lætitiæ particeps fiam. Quare à vobis peto, ut religionem meam mihi permittatis liberam, sin minus, locum mihi commodiorem quæram. Pollicitationes autem, quibus eum tentabant erant hæ: *ut singulis festis diebus concionem in summo templo haberet, ut missæ, quando vellet, interesset: ut preces vespertinas matutinasve pro lubitu visitaret, pecuniæ insuper addebant summam egregiam.* His propositis, negavit idoneum se muneri illi, diserteque abnuit.

Cùm ergo apud Wormatienses Pontificios neque vellet, neque posset manere: *Neapolim* Palatinatus oppidum, meliora sperans, se contulit. Verùm idem Neapoli, quod Wormatiæ est expertus. Itaque cùm nec illi Stolonis doctrinam vitamque ferre possent: ad patrem abiit, ibique aliquantisper in otio vixit. Tandem à nobili viro *Fleckenstenio*, Haidelbergæ tum curiæ præfecto, *Ludovico* electore Palatino rerum potiente, anno Christi, *millesimo, quingentesimo, vicesimo sexto*, accersitus; multos ibidem annos cum laude exegit. Vigebat tunc in Palatinatu quoque Papatus, sed cùm ingenium Stoloni mite ac placidum esset, ita ut ad humanitatem fictum diceres, multum eo in loco profuit. Erat cum Haidelbergensibus spiritu lenitatis omninò adhuc agendum. Itaque summa industria curabat, ne quenquam offenderet & ne quid duriùs à se aut asperiùs fieret vel diceretur. Interim tamen nihil intermittebat pro concione, quod ad impios abusus tollendos, & populum in verâ doctrinâ instituendum faceret. Et quemadmodum de instauratoribus Hierosolymorum scribitur, eos alterâ manu ædificasse, gladium altera tenuisse; ita & ipse simul populum rectè docebat, atque hostes fortiter convincebat.

Quare cum spectata ejus esset pietas ac eruditio, summa Academiæ Haidelbergensis ipsi ter est delata; & munus interpretandi Prophetica atq; Apostolica scripta in schola demandatum. Quo in officio qualem se præstiterit, res est ipsa testata. *Wolfgangus* equidem *Calixtus*, Ecclesiæ Haidelbergensis pastor, Lutheriq; juxta & Stolonis auditor, non dubitavit affirmare: *Stolonem in docendo proximè accedere ad Lutherum.* Non lusit ambitiosè fingendis peregrinis interpretationibus, non offudit caliginem auditoribus ambiguo & improprio sermone, sed proprio ac perspicuo sermone genuinam sententiam evolutam illustravit, & custos fuit incorruptæ doctrinæ, in libris Propheticis & Apostolicis traditæ, procul ab omni φιλοτεχνίᾳ, κενοδοξίᾳ & πολυπραγμοσύνῃ. Testimonium harum virtutum ei perhibent auctores gravissimi, de quibus ipse *Melanchthon*, qui ita ad Lutherum ex conventu Wormatiensi *: *jam Palatini* (Principis) *concionatorem adversarii audierant: qui & constantiæ & eruditionis laudem adeptus est. Scotus erat avidus ejus certaminis. Sed post primum congressum cum Palatini concionatore, postea hæ disputationes omissæ sunt.* Hæc ille.

Triginta ipsos annos ejusmodi labores docendi ac regendi sustinuit: doctrinæque Evangelicæ puritatem singulari animi constantiâ defendit, non sine vitæ discrimine. Nam cùm anno *quadragesimo octavo* in conventu Augustano, Principibus Protestantium liber ille emendationis Ecclesiasticæ ad tempus in doctrinâ & ceremoniis observandus offerretur: Stolo apertè dixit; *eum se non probare, nec per conscientiam probare posse: imò malle se cum aliis piis doctisque viris solum vertere; quàm tali libro subscribere.* Ivit & tum & aliàs Principum Palatinorum jussu ad multos religionis causa indictos conventus, ut ad *Haganoënsem*, ad *Ratisbonensem*, ad *Wormatiensem*, * sub Electoribus Palatinis *Ludovico*, *Friderico II* ac tandem senio confectus, sub *Othone Henrico* iterum *Wormatiam* missus, cum *Melanchthone*, *Brentio*, *Pistorio*, aliis: quibuscum omnes ei fuere necessitudines.

Tandem laboribus exhaustus valetudine cepit uti infirmiore. Eo toto tempore nihil est ab eo auditum homine Christiano alienum. Sed morbo in dies magis magisque invalescente, cum sibi ex hac vitâ migrandum præsentisceret, nec lingua officium sat rectè faceret, nutu ac gestibus suam erga Christum fidem, ut potuit, declaravit. Paucis ante obitum horis, cùm aliquot amici, officii causa convenissent; manibus complicatis divinam misericordiam, non sine gemitu, cum viderunt implorantem. Aderat tum & *Ioannes Flinnerus* pastor ibi primarius, qui cùm inter alia, consolandi gratia, dictum illud ei recitaret: *Euge serve bone & fidelis, super pauca fuisti fidelis: super multa te constituam, intra in gaudium Domini tui:* sublatis in cœlum oculis, inter vota placidè decessit, die *vicesimo octavo* Septembris, anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo*, cùm vixitiet annos *sexaginta octo*. Sepultus est cum Academiæ & reipubl. luctu in templo Spiritus sancti, ubi cippo incisum epitaphium legitur ejusmodi:

Stolo in docendo qualis.

* *Conf. Theol. Melancht. t. 1. p. 401. Vide & Cam. in vita Melancht. p. 209.*

Improbat Interim.

Interest conventibus.

* *An. 1541.*

Morbus ejus fatalis.

Ioann. Flinner.

Obitus Stolon.

Funus. Epitaphium.

REVERENDO VIRO Dn. HENRICO STOLONI à DIERBACH, ECCLESIÆ ATQUE SCHOLÆ HAIDELB. CONCIONATORI AC PROFESSORI ORDINARIO CONSTANTISS. ET DOCTISS. QUI VIXIT ANNOS LXVIII. MENSES VI. OBIIT VERO ANNO SALUTIS HUMANÆ MDLVII. MENSE SEPTEMBRI, DIE XXVIII. ANNA UXOR, JACOBUS, BERNHARDUS, ET CHRISTOPHORUS FILII SUPERSTITES, HOC MONUMENTUM POSUERUNT.

Distichon continens annum ætatis & obitus ejusdem:

BIs seX Vt LVstrIs StoLo IaM ConIVnXerat annos
BIs qVatVor, LætVs CœLICa regna petIt.

Elogium. Fuit vir humanitate præditus singulari, suavitate in congressibus familiaribus gravi, in actionibus cunctis memor præcepti Paulini, quo monet, ut *Doctores typi sint fidelium in conversatione, in dilectione, in spiritu, in fide, in castitate.* *Conjugii.* Cælebs ad annum ferè quinquagesimum vixit, post maritus factus ex conjuge susceptos liberos vera pietate, virtute, & optimarum artium studiis erudivit. Ut igitur piè vitam finiit, memoriâ dignus bonorum. *Et tantum de Stolone ex M. S. parentatione, & monument. Haidelberg.*

IOANNES BVGENHAGIVS.

Ⓞ 1558. d. 20. Apr. æt. 73.

IN litore Germanico ad Oceanum Arctoum, inde usque à flumine *Vistula*, occasum versus ad oppidum *Sundium*, longa est regio, hodie *Pomerania* dicta. *Pomerania descriptio.* Mediam ferè transit *Viadrus*, rebusque ad vitam necessariis abundat ita, ut aliis populis frumenta, pecudes, piscesque divendat. Urbibus ornata est magnis & opulentis, in quibus multitudo hominum tranquilla, & commercia cum exteris luculenta conservantur, ut & Ecclesiæ & literarum studia. Inter alia oppida haud procul *Stetino* est *Julinum*: *Julinum patria Bugenhagii.* ubi *Viadrus* in lacum influit, qui in *Oceanum* effunditur, & portus est commodissimus. Hoc in oppido *Ioannes Bugenhagius* familia senatoria natus est, anno Christi *millesimo, quadringentesimo, octogesimo quinto*, die *vicesimo quarto* Junii. Naturæ in eo robur, si quid his tribuendum, significavit conjunctio *Saturni* & *Iovis* in Scorpio.

Educatio. In pueritia & domestica disciplina & scholæ informatione ad Catechesin adsuefactus est, cumque *Grammaticen* ac *Musicen* didicisset, *Mittitur in Acad. patria.* in *Academiam Gryphiswaldensem* missus, ibi & tyrocinium Latinæ linguæ melius habuit, & *Dialecticen* cum elementis *Physicæ* cognovit.

Erat in ipso non solum ingenium doctrinæ capax, sed etiam avidum, ac stimulos addebant scripta *Hegii*, *Rodolphi Agricolæ*, *Hermanni Buschii*, quibus superiorum temporum solœca corrigebantur, & juventus ad diligentiam rectius loquendi revocabatur. Græcæ insuper linguæ initia tradebantur: eratque velut aurora doctrinarum. *Studia ipsius.* Cupidè ergò legit tum recentiores illos, tum veteres Latinæ linguæ auctores, seque tam in soluta, quàm ligata oratione exercuit.

Postea *vigesimum* ætatis ingressus annum, *Poeta Trepta in ludo.* *Treptæ* oppido docere juventutem cepit, ubi cum linguæ Latinæ exercitia urgeret meliùs, quàm aliis in scholis tum fiebat; fama frequentiam scholæ ipsius auxit. *Studium pietatis eo.* Legit etiam adsiduè sacras literas, precesque adjunxit, quibus divinitus se regi ac doceri petivit. *Erasmi scripta.* Accedebant *Erasmi* lucubrationes, quæ monachorum taxant histrionicam, & statuarum adorationes, ethnicis similes. *Cultus verus quis.* Regulam igitur hanc tenuit: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies*, & intellexit, Deum nolle coli histrionica externorum gestuum, sed virtutibus & operibus, quæ præcepit, sicut inquit: *In præceptis meis ambulate.* *Explicat sacra.* Ut igitur alios etiam ad veram pietatem flecteret, enarravit in schola *Matthæum*, *epistolam ad Timoth.* utramque & *psalmos*, adjuncta *catechesi*, in qua *symboli* & *decem præceptorum* erat explicatio, ac verus Dei cultus monstrabatur rejectis falsis. Hæc docendi ratio tam accidit gratà illis temporibus, ut ad eum audiendum confluerent & cives, & sacrificuli, & monachi, qui non erant ἄθεοι.

Quanquam autem scholæ tunc præerat nondum sacris initiatus, autores tamen ei amici fuerunt, ut in templo concionaretur, eoque fine collegio presbyterorum fuit adjunctus. *Collegio presbyterorum jungitur.* Placuerunt piis ejus conciones, & multum profuerunt, ac magis magisque fama doctrinæ ipsius disseminabatur. Habebat inter auditores multos adolescentes, equestri natos ordine, & expetebatur à nobilibus, præsertim eruditis, ejus consuetudo, quibuscum jam *de Ecclesia, jam de literis, jam de patriæ rebus* fuit collocutus. *Patriæ historiam colligere jubet.* Hi ergo hortati eum sunt, *patriæ* colligeret *historiam.* Hanc ad rem cùm & sumtus & Principis mandatum requireretur, aulici ad *Bogislaum* Principem deferunt: qui, audita eruditione & virtute viri, præsertim cùm & *Spalatinus*, *Chronicon* Ducum Saxoniæ *Chytræi l. 8. Saxoniæ p. 239.* colligere jussus, per *Bogislai* filium *Barnimum* studiorum causa tum Wittembergæ agentem, genealogiam & res gestas Ducum Pomeraniæ peteret, benignè annuit, mandavitque, ut monumenta vetera in aula conquirerentur, ipsum autem *Bugenhagium* jussit in collegiis & monasteriis scrutari historias, inspicere literas; ac sumtibus instruxit. Hoc in labore cum *biennium* consumsisset: *seriem Principum, bella, res gestas, ecclesiarum constitutiones*, & alia, ordine prudenterque descripsit. Liber adhuc in aula dicitur adservari, & tum à Principibus, tum à consiliariis frequenter legi, inque eo non solum diligentia & fides ejus probata est iis qui legerunt, sed etiam operis forma atque oratio.

Occasio qua Evangelii veritatem agnovit. Cetertùm purior Evangelii veritas ei hac occasione illuxit. Anno *millesimo, quingentesimo*, & *vicesimo* exeunte, *Otho Slutovius*, patriciâ illius oppidi familia natus, Inspector Ecclesiæ

cleſiæ Treptovienſis, cùm *Bugenhagium* rectorem ſcholæ, & collegas illius convictores aleret; Librum *de captivitate Babylonica*, recens ab amico *Lipſia* miſſum, ad menſam attulit, ac *Bugenhagio*, cujus præ cæteris ingenium & judicium doctrinaque in lectionibus & concionibus probabatur, perlegendum tradidit. Hic mox paginis aliquot inter cœnandum perluſtratis, præcipitata ſententia: *multos à paſſo Chriſto Salvatore hæreticos Eccleſiam infeſtaſſe ac duriter exercuiſſe, ſed nullum ejus libri autore peſtilentiorem unquam exſtitiſſe*, pronunciat: commemorans, quæ adverſus recepta Eccleſiæ dogmata ab eo adſererentur. Poſt aliquot dies, libro attentius lecto ac relecto, ſingulisque accuratiùs penſitatis, reverſus ad collegii ſodales, & palinodiam canens: *Quid ego vobis*, inquit, *multa dicam? Univerſus mundus cæcutit, & in Cimmeriis tenebris verſatur, hic vir unus & ſolus verum videt.* Ac ſingulis libri illius capitibus diligenter diſputatis & defenſis, plerosque in ſuam adduxit ſententiam: adeò ut collegæ paſtoris *Ioannes Kyrichius* & *Ioann. Lorichius* (qui ad extremam ſenectã Eccleſiæ illi deinceps ſervivit) cum diacono, qui vicini cœnobii Belbugenſis frater vel monachus erat, *Chriſtiano Ketelhut*, nec non Abbas ipſe *Ioannes Baldevvinus*, publicè Papatus præſtigias detegere, & à ſuperſtitionibus atque abuſibus traditionum humanarum, ad unicum Chriſti meritum auditores traducere magno zelo inſtituerent. Legit ergo attentius ſcripta *Lutheri Bugenhagius*, & vidit ibi perſpicuum diſcrimen *Legis & Evangelii*, vidit *juſtitiam fidei* meliùs exponi, quàm ab *Origene* vel à *Thomâ*: vidit congruere *Auguſtini* & *Lutheri* ſententias, ac enarrationem ejus probavit, hancque conſolationem populo copioſiùs declaravit, deliramentis monachorum liberiùs refutatis.

Sed artificio quorundam hypocritarum, Principis animus factus eſt ab eo alienior, & Epiſcopus Caminenſis *Eraſmus Manduuel*, cui in *Pomerania* orientali ſacrorum cura incumbebat, perſecutionem in multos *Treptoæ* ſacerdotes, cives, & ſcholaſticos, propter ſacrificulos in publico læſos, & ſtatuas de nocte ex æde *Spiritus ſancti* ablatas, movit, atque in vincula conjecit. Ibi aliis aliò diffugientibus, & ipſe de migratione ex patria deliberavit, idque eò impenſius, quòd Lutherum coràm audire, & conferre cum ipſo diſcuperet. Invitabatur etiam literis *Petri Suavenii*, eruditi excellenter viri: qui multum ei profuturam *Lutheri* conſuetudinem judicabat. Venit ergò *Wittembergam*, anno *milleſimo, quingenteſimo, viceſimo primo*, ætatis ſuæ *trigeſimo ſexto*, paulò ante iter *Lutheri* ad comitia *Wormatiæ* indicta, cum quo contulit, & *Pſalterium* privatim legendo ſcholæ innotuit.

Interea abſente *Luthero* uxorem duxit primus *Bartholomæus Bernhardus Feldkirchius* paſtor *Kembergenſis*. Hic juſſus cauſas exponere, cur nec Pontificia lege, nec voto impediantur conjugia divinitus probata, occaſionem magnis diſputationibus præbuit: *an tantum Pontificia lege conjugium ſacerdotibus ademptum ſit, an accedat votum: an votum monachorum ſit majus vinculum?* *Lutherus* conſultus mox *propoſitiones de votis*, & librum qui exſtat, mittit: in quo, ut *Alexander Gordium* nodum, ita laqueos legum & impiorum votorum una machæra diſcidit. Erant convictores tunc *Melanchthonis Suavenius* & *Bugenhagius*, cumque ad *Melanchthonem* illæ propoſitiones ſuper cœnam allatæ eſſent, legit eas attentè *Bugenhagius*, ac cùm aliquamdiu tacitus magnitudinem rei conſideraſſet, tandem, *Hæres*, inquit, *mutationem publici ſtatus adferet: doctrina, ante has propoſitiones tradita, non mutaſſet publicum ſtatum.*

Lutheri propoſitiones de votis.

Motum eſt etiam à *Caroloſtadio* tunc certamen, *de legibus Moſis in forum recipiendis, & ſtatuis è templis exturbandis.* Hic cum aliis *Bugenhagius* ſe oppoſuit: *ſtatuarum everſiones ſeditioſas improbavit*, & *Chriſtianorum politias non oportere transformari in Iudaicam*, eruditè oſtendit. Reverſo ex Pathmo Luthero, ſuffragiis & Academici & oppidani ſenatus ſuffectus eſt in locum *Simonis* * *Benckii*: ac Paſtor Eccleſiæ Wittembergenſis deſignatus: quam Deo juvante piè & feliciter, in magna temporum varietate annos *ſex & triginta* gubernavit.

Caroloſtadii certamen.

Opponit ſe ei Bugenh.

Fit Paſtor Eccleſiæ Wittemb.

**Vel Heinſii, de quo antea.*

Manet in officio.

Ab iſta ſua ſtatione diſceſſit nunquam vel propter luem vel bella, & cùm ad magnas opes, ac Epiſcopi ſplendorem in *Daniam* & *Pomeraniam*, & quidem ab optimo rege ac Principe vocaretur, nunquam voluit tenuem illum *Wittembergæ* ſtructum nidulum relinquere. Ac ſæpè dixit; ſe intelligere, „ quantum onus ſit quælibet Academia: „ ſed tamen ſe ab Academia non diſceſſurum, „ nec amare tyrannidem, ſed æquabilem „ Ariſtocratiam: præſertim in qua „ poſſit fieri collatio judiciorum cum bonis „ & doctis viris. „ Nec tamen interea defuit aliis gentibus.

Dictum ejus de Academiis

Nam anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, viceſimo ſecundo*, *Wittemberga* evocatus, formam doctrinæ & rituum, & vocationis miniſtrorum Eccleſiæ *Hamburgenſis* deſcripſit, *ſcholam* itidem in *cœnobio D. Ioannis* conſtituit, quæ hactenus floruit, & reip. ſalutaris fuit. Deinde anno *triceſimo* ſupra *milleſimum, quingenteſimum, Lubecam* urbem *Saxoniæ* emporio celebrem, accerſitus, ordinem concionum ac rituum in templis ſcripto complexus eſt, fuitque ſenatui auctor, communis ſcholæ in cœnobio *D. Catharinæ* aperiundæ: cujus primus rector *Hermannus Buſcoducenſis*, conrector *Eraſmus Sarcerius*, *Roſtochio* vocatus fuit.

Conſtituit Eccleſiam Hamburg.

Item Lubecæ.

Anno *triceſimo ſeptimo*, à *Chriſtiano Daniæ* rege, Duce Holſatiæ, evocatus eſt ad piam doctrinæ religionis, rituum Eccleſiaſticorum, & ſcholarum conſtitutionem, quo tempore *ordinationem Eccleſiaſticam* libello Latino complexus eſt, quem optant multi ut pluribus eſſet notus: ut qualem Eccleſiarum & totius adminiſtrationis Eccleſiaſticæ formam

Evocatur in Daniam Ordinationem Eccleſiaſticã conſcribit.

Lutherus

Lutherus & collegæ ipsius probarint, plures cognoscerent. Tunc etiam *Bugenhagius* preces & ritus sacros adhibuit: cùm *Christianus*, præsente *Alberto I.* Borussiæ Duce, cum conjuge *Dorothea*, Christiani sorore, *Hafniæ* metropoli rex coronaretur, die suo natali *duodecimo* Augusti. Eodem anno die *decimo quarto* post Regis coronationem, in locum *septem Episcoporum* regni *Daniæ*, *septem Superintendentes*, qui Episcoporum deinceps officium obirent, & totius ordinationis Ecclesiasticæ custodes & executores essent, à *Bugenhagio* præsente Rege & Regni Senatu, Hafniæ in summo templo ordinati sunt. Præscripsit etiam tunc Academiæ Hafnienſi lectiones, & ecclesiarum, in utroque *Daniæ atque Norvvegiæ* Regno, ministros constituit, quorum fuerunt *viginti quatuor millia*.

Coronat Regem Daniæ.

Ordinat Superintendentes.

Reformat ducat. Brunsuicensem.

Anno *quadragesimo secundo*, pulso *Henrico* Brunsuicensi, elector Saxoniæ, & fœderati Principes, ecclesias & cœnobia ejus Ducatus, per *Bugenhagium*, *Anton. Corvinum*, & *Martin. Gorlicium*, adjunctis quibusdam ex nobilitate, inspici & emendari mense Octobri curarunt: qua visitatione absoluta *ordinatio ecclesiarum* illius *Ducatus* est conscripta. Sequenti anno, senatus *Hildesiæ Bugenhagium*, cum *Corvino*, & *Henrico Winckelio*, qui in ditione *Henrici* Ducis Brunsuicensis ecclesias inspiciebant, in urbem accersivit, à quibus *ordinatio ecclesiæ Hildesiensis*, conscripta, & in sex templis pastores & ministri collocati, quorum inspectio *Iodoco Isermanno*, qui *Gottingæ* & *Einbeccæ* anteà ecclesias rexerat, commendata: Canonicorum autem templum clausum est.

Ordinat ecclesiam Hildesiæ.

Doctoris autem Theologi gradum vir modestus, hac occasione * accepit. Cum juxta Academiæ *Wittembergicæ* consuetudinem testimonium istud petendum esset *Casparo Crucigero*, & *Hamburgensis* Senatus ejusdem rei causa Wittembergam misisset *Ioannem Æpinum*, voluit elector Saxoniæ *Ioann. Fridericus* qui sub id tempus cum conjuge aderat, ut *Bugenhagius* adjungeretur: addiditque, se & disputationem & renunciationem auditurum, ac sumtu eos levaturum. *Bugenhagius* etsi ætatem excusaret, tamen quia verecundius erat tali in re non diu refragari, obtemperaturum se dixit. Venit postridiè ad disputationem Princeps cum præcipuis consiliariis, & attentè audit *Lutheri*, *Crucigeri*, *Bugenhagii* & *Æpini* responsiones, de justitia, de ecclesia, de discrimine ministerii evangelici & potestatis Politicæ. *Fuitque ei pergrata* Bugenhagii *oratio*: *qui dixit*, armatam esse potestatem Politicam auctoritate condendi leges, non pugnantes cum Decalogo, & de his traditum severissimum præceptum: *Necesse est obedire propter conscientiam*, sed pastoribus expressè prohiberi condere proprias leges, cùm dicatur: *Nemo vos arguat in cibo, in potu*: nec posse hanc libertatem ullius creaturæ auctoritate tolli. *Addita fuit & querela* citò in ecclesiam irrepsisse superstitiones, quæ finxerint, humana exercitia esse eximios cultus: „ quæ tunc quoque à senioribus taxatæ sint. Ita enim *Athanasium* reprehendisse superstitiones: καλὸν ἡ ἄσκησις μετ' ἀληθοῦς γνώσεως καὶ συμμετρίας. Hæc cùm essent exposita, Princeps ipse gravissimè dixit: *se Deo gratias agere, quòd hæc discrimina perspicuè in ecclesiis illustrata extent, & Dei præsentia in utroque gradu à piis agnoscatur ac celebretur.* Et hactenus de cursu *Bugenhagii* feliciore.

* An. 1533. d. 18. Iun. prom. Iusto Iona.

Renunciatur D. Theol.

Elect. Saxoniæ interest disputationi.

Discrimen politicæ & ecclesiasticæ potest.

Superstitiones cito irrepserunt in ecclesiam.

Secutæ sunt postmodum multæ confusiones & Principum & Theologorum bellis. In illis captivitas Principum: *Wittembergæ* obsidio, & cætera belli mala, ingentem dolorem optimo viro in senectâ attulerunt, ut Jeremiæ Prophetæ clades & mors optimi Regis Josiæ. Nec tamen ita animum despondit, ut aut fugeret, aut aliquid mutaret, sed erexit se adsidua precatione, & ea consolatione mæstitiam lenivit, quod vidit, tantos inter fluctus cymbam Christi mirabiliter servari. Nihil etiam *Mauritius*, Elector surrogatus, quicquam in religione, quod alii metuebant, alii sperabant, innovavit, sed *Wittembergâ Lipsiam* evocatis *Melanchthoni*, ipsi *Bugenhagio*, & *Crucigero*, ecclesiam ad scholam commendavit, & liberaliter donatos dimisit.

Dolor bello

Mauritius nihil mutat in religione.

Deinde, moto dissidio *Flacico*, fuit in dolore non tam suâ, quàm ecclesiæ causa. Ipse enim, ut notum, nec in bello, nec postea, vel doctrinæ genus, vel ritus Ecclesiæ ullos mutavit, ac sæpè tum dixit: *Date Deo, quæ Dei sunt, & Cæsari, quæ Cæsaris.* Utrumque constanter præstitit, fuit alienissimus à seditiosis consiliis, & in retinenda doctrinæ veritate firmus. Itaque ut de *Severo* Imperatore scriptum est: ἐπιμελὴς ἦν τῶν πραχτέων, ἀμελὴς τῶν περὶ αὐτὸν λεγομένων, hoc est, *intentus erat in ea, quæ agenda; populi autem de se fabellas nihil curabat*, ita & *Bugenhagius* propter sycophantias sparsas necessarios officii labores non omisit. Ecclesiæ causa doluit accendi odia & discordias, quos tamen dolores leniebat ipsi precatio & bona spes; sicut sæpe dictum Psalmi repetebat: *Commenda Domino viam tuam, & spera in eum; Ipse faciet.*

Dissidium Flacianum.

Severus Imperator Neglectus calumniis.

Postremus etiam vitæ ejus actus fuit Dei beneficio placidus. Cùm ita languefactæ essent vires postremo anno, ut concionandi laborem sustinere non posset, venit tamen quotidie in templum, & pia precatione ecclesiam & se Deo commendavit, ivit etiam ad necessarias deliberationes. Tandem mense *Aprili* sine magno cruciatu decumbens, quotidie precationes repetivit. Sæpè etiam suaviter cùm amicis de spe salutis æternæ, & de posteritate collocutus est. Vigor mentis quidem adeò fuit integer: ut *octiduo* ante mortem *Tilemannum Heshusium* Haidelbergâ redeuntem statim agnosceret, lætus ei reditum gratularetur, ac sciscitaretur, *num Haidelbergensem in Academiam migraturus esset*: fusitaque omnia precaretur. Die *vicesimo* Aprilis, anni *quinquagesimi octavi*, cùm

postrema vitæ

Morbus ultimus.

Vigor mentis in eo.

cùm se quotidie Filio DEI Domino nostro Jesu Christo ardenter commendasset; & sæpè hoc dictum repetiisset: *Hæc est vita æterna; ut agnoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*, placidè ex hac vita decessit, cùm vixisset annos *septuaginta tres*, exceptis duobus mensibus. Inter alios encomiastas *Melanchthon*, amicum desideratissimum, hisce elegiacis, ad imaginem ejus appositis, est prosecutus:

Conjugis ut senio confecti corpus aquatum
Ipsa suis humeris Halcyo grata gerit:
Sic benè promeritum doctorem ecclesia curet:
Et levet ætatis pondera dura seni.
Sic tua canities, Doctor Pomerane, fidesque
Sincera, est cunctis tam veneranda piis.
Qui procul externis sparsisti fidus in oris
Pura Evangelii semina voce tua.
Ac ceu Baptistes agnum monstrare solebat,
Æterno Christum de genitore satum:
Tu quoque justifica docuisti agnoscere Christum;
Æternique Patris sumere dona, fide.
Fictiliumque alias formas tua lingua deorum
Evertit, Papæ quas voluere coli.
Et, velut in scopulis celsos locat Halcyonidos
Hyberni circum quos fremit unda maris:
Sic medio in pelago felix jam Dania nidos
Exstruxit Christo, te fabricante, pios.
Te DEUS hos inter texit juvitque labores;
Nunc vitâ functus vivis in arce poli.

Fuit doctor fidelis, justus, beneficus erga omnes: in objurgationibus severus & intrepidus; acer in defensione veræ doctrinæ: ardens fide & spe in precatione: castus & severus hostis turpitudinum: ac verè Germaniæ Evangelista. Quemadmodum enim olim Evangelistæ dicebantur, qui subinde ad diversas ecclesias mittebantur, aut vocabantur: ut Evangelium ibi docerent, ita & *Bugenhagius* frequenter, uti dictum, evocatus fuit, ad informandas & constituendas diversis in locis Ecclesias. Cumque, de Apostoli sententia, *magnus quæstus sit Pietas, cum animo sua sorte contento:* egregium utriusque virtutis exemplum ipse reliquit. Nam pietatem erga DEUM luculentè, ut ex præcedentibus intelligi potuit, tum doctrina, tum vita ipsa expressit. In capite de justificatione hominis peccatoris coram DEO, usus frequenter perhibetur ejusmodi similitudine: *Sicut annulus, cujus palæ gemma preciosa est inclusa, amatur & magni fit, non propter massam auri, ex qua constat annulus; sed propter gemmam: ita homines fide justificantur, propter Filium Dei, quem fides, tanquam annulus gemmam, comprehendit.* Et quemadmodum *Lutherus* de suis scriptis sæpè affirmavit: *nihil se eorum præcipue probare, præter Catechesin, ac de servo arbitrio librum:* ita & *Bugenhagius* epitomen illam religionis Christianæ unicè in deliciis habuit, secum circumgestavit, & ministerii candidatis gravissimè commendavit.

Cumque Lutherus συνεργοῖς usus, inque his *Bugenhagio*, translationem *Bibliorum* è fontibus *Hebraicis* & *Græcis* in Germanicam linguam absolvisset: *Bugenhagius* singulis annis eo die, quo absolutum opus fuerat, amicos solenni convivio excipere; & quasi natalem translationis Bibliorum, solitus fuit celebrare. *Festum* id *Translationis Bibliorum* vocarunt. Contentus denique suo loco & conditione, in qua primùm *Wittembergæ* fuit constitutus, semper vixit: cùm ad amplissimos honores, potentiam, & opes tantùm non pertraheretur. In officio omni summa cum fide, mirabili adsiduitate, & laborum tolerantia est versatus. In concionibus fuit modestus ac placidus, tantaque cum devotione: ut quandoque quasi sui oblitus aliquot horas peroraret. Extremâ in senectâ aliquot ante obitum annis, tàm animi, quam corporis viribus sensim defecit, adeò ut simulacrum prioris viri, in rebus omnibus olim alacris, intuens *Melanchthon*, non leviter fuerit perturbatus, ac sæpè, ne sibi talis senectus contingeret, deprecatus, id quod ex voto ipsius accidit. De *Bugenhagio** refertur & hoc. Aliquoties ei uxor fuerat conquesta: butyrum sibi è vase, in quo liquatur, veneficio surripi. Itaque ipse in contemtum Diaboli, in vas illud alvum dejecit, additis hisce: *egregium verò te Angelum præstas, qui amasiæ tuæ veneficæ famularis! en tibi, hoc affer tuæ veneficæ!* Factum deinde, ut nihil fuerit ablatum.

Celebrat festum translationis Bibliorum.

Prolixus in concionibus.

Senecta ei gravis.

* *Sebast. Fronschel conc. 2. de angelis.*

Pellit veneficium contemtu.

Scriptis Ecclesiæ etiam prodesse studuit *Bugenhagius*, de quibus palmam obtinet explicatio *Psalmorum:* quam *Lutherus* hisce commendavit*: *Benedictus DEUS & Pater Domini nostri JESU Christi, qui nos hoc seculo rursum benedixit omni benedictione spirituali cœlestium rerum, & abundantia frumenti & vini electorum suorum nos satiat, missoque verbo suo liquefacit cristallum, pruinam & nebulam, ante quorum frigus hactenus nemo potuit subsistere. Ex eorum numero est & hic Joannes Pomeranus Episcopus Ecclesiæ Wittembergensis, voluntate Dei & Patris nostri, per cujus ministerium tibi, charissime lector, donatur hoc Psalterium Spiritu Christi, qui est clavis David, resignatum. Quod ut multis verbis ornem, non est operæ pretium, quod abunde satis tibi (scio) commendatum erit, non meo testimonio, sed suo ipsius argumento, quo te coget (si legeris) testificari, Spiritum esse, qui loquitur mysteria hæc, à tot seculis abscondita. Nam ut conferri possit tam priscorum, quàm recentiorum commentariis, etsi odiosum est statuere, audeo tamen dicere, à nomine (cujus extent libri) esse Psalterium David explicatum, esseque hunc Pomeranum primum in orbe, qui Psalterii interpres dici mereatur. Adeò cæteri ferè omnes tantum opinionem quisque suam eamque incertam in hunc pulcherrimum librum congessit. Hic verò judicium Spiritus certum te docebit* mirabilia.*

Scripta Bugenhagii.

* *Tom. 2. epist. Luth. p. 241. Judicium Lutheri de Bugenhagii Psalt.*

* *Forte & addend.*

Scripsit & *annotationes* in epistolas *Pauli* ad *Galatas*, *Ephesios*, *Philippenses*, *Colossenses*, utamque ad *Thessalonicenses*, utramque ad *Timotheum*, ad *Titum*, ad *Philemonem*, ad *Hebræos*, item confessionem publicam de sacramento corporis & sanguinis Christi, *epistolam* ad fideles in Anglia: *epistolam* contra novum errorem corporis & sanguinis Christi: annotationes in *Samuelem* & *Jonam*: *historiam passi Christi & glorificati*, ex Evangelistis conciliatam cum annotationibus: in *Deuteronomium* annotationes, & si quæ alia.

* Forte & addend. *Et hæc de Pomerano ex oratione Petri Vincentii, quæ exstat Tom. 3. Declam. Melanchthonis: Chytræi Saxonia: Pantal. lib. 3. Prosopographiæ: vita Melanchthonis à Camerario descripta.*

JUSTUS MENIUS.

✠. 1558. d. 11. Aug. ætat. 59.

Fuldæ oppidi Buchoniâ, regiunculâ ad *Hassiæ*, *Franconiæ* & *Thuringiæ* fines, monasterio seu schola jam olim celebri, natus est *Justus Menius*; circa annum Christi, *millesimum quadringentesimum nonagesimum quartum*, vel ut Eberianæ ephemerides, *nonagesimum nonum*, die *decimo tertio* Decemb. minutis *triginta* septem, post decimam à meridie. *Wittemberg.* primùm literis Philosophicis & Theologicis excultus: posteà multis annis fidelem & utilem operam navavit Ecclesiæ *Gothanæ* in Thuringiâ, commendatus illius oppidi Senatui à Melanchthone.

Fuldæ oppidum.

Natalis Menii.

Discit Wittemb.

Docet Gothæ.

Anno *quinquagesimo septimo*, post nonnullas cum Flacianis coram principibus habitas disputationes, cessit malevolentiæ & odio Flacianæ illius factionis; Lipsiamque profugus venit, sedem quærens ætate jam ingravescente quietiorem. Acceptus est ibi benignè atque humaniter: & diutius anno integro sacras conciones habuit, cum auditorum fructu & admiratione. Mortalitatem exuit Lipsiæ anno *quinquagesimo octavo*, die Augusti *undecimo*, ætatis suæ *undesexagesimo*. Varia & multiplex hujus viri fuit fortuna: exagitatus ipse est miserè turbulentis quorundam Demagogorum clamoribus. Rectè itaque sejunxit se à rixis & contentionibus. *Honorificum* enim *viro est supersedere à lite*, ut sapiens ait. Ut autem malis invisus; ita bonis jucundus gratusque fuit: quicunque illa ætate eruditionis & doctrinæ fama celebres fuere: cum iis universis, quorum princeps Melanchthon, notitia ipsi & consuetudo intercessit: & hi illum carum habuerunt ac magnificerunt. Verum enim illud est Comici: *Sat habet favitorum semper qui rectè agit.*

Lipsiam concedit.

Moritur ibi.

Monumenta ingenii quæ posteritati reliquit, hæc sunt: *commentarius in Samuelem*: libellus Germanicus *de exorcismo*, qui in Baptismo usurpatur: tractatus *de vi repellendâ*, seu de defensione sui necessariâ. Post obitum prodierunt & *conciones* ejus Lipsiæ habitæ. Inchoarat etiam, de *Melanchthonis* voluntate *versionem Chronici* illius in vernaculam: sed affectam illam filius *Eusebius*, Professor aliquando Philosophicus, Wittembergæ perfecit. *Tantum de Justo Menio, ex vita Melanchth. à Camerario descripta: Matth. Dresseri chronico.*

Scripta.

Eusebius Menius.

ERHARDUS SNEPFIUS.

✠. 1558. d. 1. Nov. ætat. 69.

Imperii in Sueviâ, ad Neccarum flumen urbs est, *Heilbrunna*; sic à fontium salubritate ac soli fertilitate appellata: ibi *Erhardus Snepfius* honestâ familiâ, anno Christi *millesimo quadringentesimo nonagesimo quinto*, lucem hanc primùm adspexit. Pater ei fuit vir consularis; qui multum illi Reipubl. profuit: nec solum ipse, sed & filius, Erhardi frater, *Matthias*: itidem consularis.

Heilbrunna urbs.

Mater Snepfii, matrona, ut apparet, pia, filium suum primogenitum, tanquam Hanna illa Samuelem, Deo & Theologiæ consecravit. Quare ut primum per ætatem literarum capax fuit; in ludum literarium patriæ suæ puerum misit: in quo, cùm esset φιλομαθὴς & ingeniosus avidè perceptis primis artium rudimentis, vere tunc temporis rudibus atque impolitis, Erphordianam in Academiam est ablegatus. Ibi offendit inter alios *Justum Jonam*, *Eobanum Hessum*, & his juniorem, *Joachimum Camerarium*. Mediocri ergo, ut tempora ferebant, artium dicendi & linguarum cognitione comparatâ: *Erphordia Heidelbergam* profectus est, ubi brevi tantum in jurisprudentiæ studio profecit: ut cum laude Doctoris ea in disciplinâ honores petere, & petitos consequi potuisset. Habuit ibidem συμφοιτητὴν *Ivonem Strigelium*, patrem Victorini illius, Theologi celebris, cui Snepfius posteà filiam suam *Blandinam* elocavit.

Deo dicitur Snepfius.

Mittitur Erphordiam.

Inde Heidelbergam. Dat operam juri civili. Ivo Strigelius.

Cæterum cùm mater crebris interpellationibus eum voti, quod de nato ipso fecerat, admoneret, & à studio juris ad Theologiam quasi conviciis avocaret: victus illius cohortationibus, è schola juridica in Theologicam transiit, itaque se confirmavit: ut nullis ab ea impedimentis abduci se passus sit.

Transit ad Theol. studium.

Sexennium autem ipsum cum in laboriosis Papisticarum opinum Labyrinthis summo cum sudore exegisset: Luthero ceu Lucifero præeunte, veramque de justificatione hominis peccatoris coram Deo, doctrinam è sacris fontibus proferente, recta meritorum opinione: in ipsius quoque animo lux veræ doctrinæ est accensa, tanto quidem cum incremento: ut in arenam & ipse prodire non dubitarit: & docendi initium primum *Weinspergæ*, mox apud nobilem à *Gemmingen* fecerit. Fuit enim eo loco tunc familia *Gemmingorum* inprimis ampla & potens: habuitque præcipuum decus *Theodoricum*: qui, qua fuit virtute Heroica, primus in illa Sueviæ

Subscribit sententiis Luth.

Docet publice.

Familia Gemmingorum.

Theodor. à Gemming.

parte

parte Evangelii doctrinam inter varias iras & minas imò & insidias hostium amplexus, ad eam propagandam Snepsium, Weinsperga jam pulsum, accersivit, & biennium bengnè fovit.

Primus ergo omnium Snepfius in *Greichgoa* & oppido *Guttenberga*, sub ditione & patrocinio prædicti à Gemmingen, idola Pontificiorum voce Evangelii taxare, & sanæ doctrinæ semina spargere cœpit. Exacto ibi biennio *Wimpinam* vocatus ad officium docendi, abiit: collegas nactus in eodem munere, *M. Bernhardum Grüblerum* Gemmingæ: *M. Martinum Germanum* Feuerfeldæ, & *Joannem Gallum* Solisfeldiæ. Hi quatuor Evangelii Ministri circa *vigesimum secundum* & *tertium* annum Domini, prima sinceriores religionis eodem ferè tempore, illa in regione, fundamenta jecerunt. Exarsit paulo pòst anno *millesimo quingentesimo vicisimo quinto*, funestum in Germania rusticanæ seditionis incendium: quod cum horribiliter passim grassaretur; & inauditæ immanitatis exemplum *Weinspergæ* rusticana rabies edidisset: *Wimpinam* quoque, ubi Snepfius agebat, appetivit. Cum autem insani homines ingressu arcerentur; audita Snepfii facundia, eum sibi solum placere, ut qui & cœlebs esset, ostenderunt, ac concionatorem militiæ suæ dari petiverunt: idque iterum iterumque cum & Evangelii prætextu causam suam pingerent serio, postularunt: verùm frustra. Reclamantibus enim civibus & renitentibus, Snepfius quoque, ut honestius se excusaret: & periculum tam à se, quàm civibus suis commodiùs amoliretur: initum jam à se matrimonium asseveravit. Itaque ut hoc firmaret: cum convictu hactenus pistoris cujusdam usus esset; confestim sibi conjugem elegit virginem bonam bono loco natam, *Margaretham Wurcelmanni*, consularis ibidem viri, filiam; cujus frater Syndicus *Halæ Suevorum* fuit. In conjugio isto vixit tranquillè, aliquot susceptis liberis, inter quos *Theodoricus Snepfius* Theologus, quo de postea erit dicendi locus. Wimpinæ ergò cum biennium quoque Evangelicæ doctrinæ viam aperiendo transmisisset: à *Philippo Comite Nassovico Saræpontano*, ad flumen Hassiæ Lanum, sexto à Marpurgo milliari, evocatus, fidelem itidem in Evangelii doctrina propaganda operam navavit. Verùm magni viri virtus angustiori ditione contineri non diu potuit. Nam simul ac nominis ejus fama ad Hassiæ Landgravium *Philippum* emanasset: in Academiam, Marpurgi recens tunc apertam, cum accersivit: ut & ordinarium scholæ Professorem & Ecclesiæ Pastorem ageret. Hoc in loco cum luculenta & pietatis & doctrinæ dedisset argumenta; tantam est adeptus auctoritatem: ut Princeps eum & amaret plurimum; & in colloquiis atque comitiis consilio ipsius uteretur.

Celebrati sub id tempus sunt duo conventus: *Spiræ* primus, anno *millesimo quingentesimo vicesimo nono*, alter *Augustæ* Vindelicorum anno sequenti: ubi in frequentissimis Imperii comitiis confessio Protestantium *Carolo Augusto* est exhibita. In utroque autem illustris fuit Landgravii virtus; quem Snepfii constantia plurimum animavit; ut qui cum *Joanne Brentio* fidum se Luthero ἀγωνιστὴν præbuit, atque adversariis masculè restitit. Sed nec hoc loco, illustri satis & amplo, Snepfius majoribus rebus gerendis natus, fixam habere perpetuo sedem potuit. Cùm enim *Ulricus* Würtembergicus Dux, avitum ducatum militari fortitudine recuperasset: ecclesias suæ ditionis à Pontificio cœno purgaturus, à Landgravio, cujus ope restitutus, & suasu istud opus erat aggressus, petiit: ut Snepfii per eum, opera sibi uti liceret; quem Marpurgi sæpè docentem audivisset, & cujus excellentem doctrinam exploratam haberet. Marpurgo itaque, ubi *sexennium* vixerat, Snepfius *Stutgardiam*, annuente Landgravio commigravit, anno Christi *millesimo quingentesimo trigesimo quinto*. Primum *Stutgardiæ* Pastor Evangelium Christi docuit: atque ecclesias in illo ducatu reformavit, conventui etiam, quem Haganoæ Rex *Ferdinand.* religionis causa egit, interfuit: qui *Wormatiam* translatus ibidem, anno *quadragesimo primo*, re infecta fuit disruptus, & ad Ratisbonenſia comitia eodem anno rejectus, neque tum finem suum adeptus. Deinde *Paulo Constantino Phrygione* ad meliorem vitam vocato, anno *millesimo quingentesimo quadragesimo tertio*, calendis Augusti, successor illi consilio sapienti delectus est Snepfius. *Stutgardia* itaque *Tubingam* familia translata, & Ecclesiæ illius Pastor & Academiæ in Theologia Professor usque ad mutatam Caroli V. Augusti jussù religionem, fuit. Ibidem, anno *quadragesimo quarto* die nono Februarii, in æde Tubingensis aulæ vicinâ, pro temporis illius more, solenniter Theologiæ Doctor renunciatus est. Etsi enim jam ante in Marpurg. Acad. Theol. quoque publicè docuerat: tamen gradu illo caruit, qui Tubingæ, ex statutorum Academ. requisitis, ipsi petendus fuit. Collatus est cum Snepfio summus item in Jurisprudentia honor, viro Consultissimo *Nicolao* * *Varenbulero* JCto: qui ad senectam honestissimam pervenit.

Erant autem tempora illa comitiorum, conventuum, colloquiorum & consiliorum plena. Itaque cùm Cæsar colloquium indixisset Ratisbonæ: Snepfius ibidem cùm *Brentio* & aliis Protestantium Theologis comparuit: atque *Bucero* ἀγωνιστὴς, cum *Malvanda* disputans, partes suas acriter defendit. Sed & hinc re infecta domum est reversus.

Exorto deinde bello Germanico, cùm Carolus victor novam religionis formam illam, quam *Interim* appellarunt, Duci quo-

Primus Evangelii doctor in Greichgoa. Wimpinæ dein. Collega.

Bellum rusticanum.

Snepfius à rusticis vocationem postulat.

Remittitur. Ducit uxorem.

Vocatur à Philippo Hassiæ.

Marpurgæ docet primus.

Ordinarius Landgrav.

Interest conventibus.

Vocatur ab Ulrico Wirtemb.

Commigrat Stutgardiam.

Conventui Haganoensi.

Succedit Phrygioni. Migrat Tubingam. Doctor Theol. renunciatur.

* V. vitas IC. Germ.

Interest Ratisbon. conventui.

Obinterim pellitur. que Wirtembergico obtrusisset: ac Snepfius approbare aut docere ex ejus præscripto recusaret: loco cedere & solum vertere coactus est; quod ei commune cum multis Ecclesiarum ministris fuit. Ultimam concionem Tubingæ habuit, anno *millesimo quingentesimo quadragesimo octavo* die undecimo Novemb. postea præmissâ familia discessit, oves suæ fidei commissas invitus relinquens. Virum bonum, constantem pastorem, veneranda canicie senem insignem, ingens civium multitudo lacrymis votisque est prosecuta. Exul itaque in Saxoniam venit, hospitium quærens, ubi à *Iohanne Friderico* Electore, æternâ memoria digno, clementer receptus, Theologiæ in Jenensi Academia non ita tunc pridem constituta, docendæ est præfectus. Id munus cum dignitate & laude obivit *decennium*. Tandem, cum variis vitæ exantlatis laboribus, Evangelii doctrinam fideliter *triginta quatuor* annis, pluribus in oppidis, propagasset: Calendis Novembribus anni *millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi*, ætatis suæ *sexagesimo tertio* tridui morbo fractus, ex his terris in cœlestem Ecclesiam translatus est *Jenæ* Thuringorum, ibidemque honorificè sepultus, funus indicente magnifico tunc rectore illustri juvene *Philippo*, Comite Nassovico, filio illius Philippi: cujus olim in Hassia Weilburgi Snepfius fuerat Ecclesiæ reformator & doctor.

Venit in Saxoniam.

Jenæ Professor constituitur.

Moritur.

Elogium Erh. Snepfii.

Fuit vir pius, doctus, & variis donis, præcipuè facundia mirandâ præditus, adeò ut verba faciens, omnium in se oculos & animos converterit: auditores quasi attonitos reddiderit, ac plerumque satis prolixas habens conciones, auditorium tamen sine tædio detinuerit attentissimum.

Scripta.

Reliquit & documenta ingenii sui, inter quæ *Confessio de præcipuis fidei articulis*, anno quadragesimo in conventu Smalcaldico prælecta, Melanchthonis judicio approbata, & cum ejus epistola, confessione præfationis loco præfixa, in publicum emissa: *Confessio* præterea *de Cœna Domini*, & multi alii commentarii, nec dum foras dati. *Sed hæc satis de Erhardo Snepfio, ex Saxon. Chytræi; Crusii annalibus Suevicis: oratione in obitum Theodorici Snepfii filii, ab Erhardo Cellio habita.*

NICOLAUS GALLUS.

Flor. sub, ann. 1558. Patria.

NIcolaus Gallus *Cotæ* in Saxoniâ sub ipsum Evangelii, in Germaniâ instaurati initium, annum nempe *millesimum quingentesimum decimum sextum* natus, cum ex ephebis excessisset, elementaque literarum prima percepisset; *Wittembergæ* ad Lutheri præcipuè ac Melanchthonis, communium eâ ætate præceptorum, cathedram, Theologiam cum Philosophiâ condidicit: ipsumque adeò *decennium*, Aristoteléo more, audiendis illis consumsit.

Audit Luther. & Melanchr.

Cùm autem artes omnes ideò discantur, ut exerceantur, ipse easdem ad usum transferre conatus est: ac ludo literario apud *Mansfeldenses* præfectus, adolescentiam bonis literis ac moribus aliquantisper informavit. Postea cum *Ratisbonensis* Respub. Evangelii doctrinam amplexa esset; atque à Wittembergensib. idoneos ecclesiæ ministros petiisset: Gallus hic, Lutheri consilio instructus cum *Hieronymo Nopo*, sub annum *quadragesimum secundum* eò missus, populum in religionis Christianæ capitibus erudivit, & ecclesiam ad aliarum ecclesiarum, ut illo tempore, modum conformavit.

Præficitur ludo Mansfeld.

Hier. Nopus. Docet Ratisbonæ.

Sed Cæsare in bello Smalcaldico victoria potito, cum passim nova illa & famosa religionis Chimæra urbibus Imperii obtruderetur, ejectis qui recipere eam nollent, ministris; Gallus quoque *Ratisbona* pulsus, aut periculum declinans, *Wittembergam* profugit; ubi in Templo arci contiguo *Casp. Crucigeri* Pastoris vices aliquamdiù supplevit. Conjunxit tunc cum Gallo sese statim *Flacius* ille *Illyricus:* quorum uterque postea non parum negocii exhibuit placidissimi ingenii viro *Philippo Melanchthoni*; ut alibi à nobis declaratum. Ita & olim & etiamnum impletur illud: ἡ ἐχθρὸς τῷ ἀνθρώπῳ οἰκιακοὶ αὐτοῦ.

Inde Wittemb. profugit. Conjungit se cum Flacio.

Oppugnat Melanch. Matth. 36.

Anno autem *quinquagesimo* cùm *Nicolaus Glossenus*, Theol. Licentiatus, *Magdeburgo* discessisset: Gallum hunc successorem habuit. Venit eodem & *Flacius*, qui turbulentissimo illius Reipubl. statu factiosè declamitarunt, libellis etiam atque picturis divulgatis, in personas eorum; qui intempestivam utriusque vehementiam improbarent, contumeliosis. Duraruntibi periculoso obsidionis tempore; sed cum res ad triarios rediisset, alio digressi sunt.

Nic Glossenus, Magdeb. docet Gallus. Cum Flacio.

Restituta enim *Mauricii*, Saxoniæ Electoris opera religionis pace, quæ *Passaviensis* nominatur: Gallus *Ratisbonam* anno *quinquagesimo secundo* revocatus, non illius solum urbis, sed totius viciniæ, *Austriæ* ac *Styriæ* ecclesias emendatas, doctrina & consiliis suis erudiit & gubernavit.

Redit Ratisb.

Scripsit & edidit *duas conciones contra usuram* ex Psalmo 15. *annotationes in epistolam Pauli ad Galatas: disputationem de adiaphoris, & mutatione status ecclesiarum: Catechismum* homiliis Germanicè explicatum. *Chytræus in Saxoniæ chronico: Thuanus lib. 4. histor. Sleidan. lib. 21. Camer. in vita Melancht. Gesner. in Bibliotheca.*

Scripta Galli.

ERASMUS SARCERIUS.

O. 1516. d. 28. Nov. ætat. 59.

MIsniæ est oppidum, fodinis metallicis celebre, quæ ibi apertæ circa annum Christi, *millesimum quadringentesimum nonagesimum, Annæberga:* sic à Diva tutelari S. Anna, appellatum, cùm antea loco illi nomen esset Schreckenberg: unde & moneta nobis familiaris eodem vernaculo nomine, Latinis *Angelicus*, ab imagine angeli impressa. Hoc in oppido

Annæberga oppidum Misniæ. Moneta Schreckenbergica de dicta.

oppido recens tunc condito, primùm hujus cœli ſpiritum hauſit *Eraſmus* hic *Sarcerius*, ſub annum *milleſimum quingenteſimum primum*. Patrem habuit è re metallicâ, ut annales Miſnici docent, in lautâ & benè aucta parte conſtitutum. Hic filium primum in patriæ ludo literario, poſtea & *Friburgi* humanioribus diſciplinis ac linguis inficiendum curavit.

Wittemb. Theolog. numbit.

Inde *Lipſiam* venit atque *Wittembergam*, Evangelicas illas Germaniæ Athenas: ibique ſacrarum literarum ſtudium amplexus; inter primos exſtitit: qui Evangelii doctrinam voce ſcriptisque propagarunt. *Lubecam* deinde evocatus, ludoque literario præfectus, non ſine fructu diſcentum, bonas literas & religionis Chriſtianæ fundamenta tradidit: cujus rei argumento ſunt *exercitia Dialectices ac Rhetorices*, ibidem conſcripta; quæ typis evulgata exſtant. Sed cum tutò ibi, propter religionem, vivere non poſſet; *Roſtochium* ſeceſſit, & in ſchola docuit. Exinde *Viennæ* Auſtriæ, & *Græciæ* in Stiriâ, ſcholas rexit atque erudivit. E Stiriâ *Lubecam* ſecundum profectus, ludo literario iterum præfuit. Poſtea ab illuſtri comite Naſſovio *Guilielmo* invitatus, in Naſſovienſi ditione ad Rhenum Eccleſias rexit, ad annum uſque *milleſimum quingenteſimum quadrageſimum octavum*. Interimiſticis enim temporibus invaleſcentibus, Guilielmus, Imperatore ſic mandante, diſcedere cum eſt paſſus.

Lubecam vocatur.

Roſtochii docet.

Inde Viennam, & Græciam. Redit Lubecam.

A Naſſovio vocatur.

Dimittitur.

In patriam itaque reverſus, *Lipſiæ*, ad D. *Thomam* aliquantiſper poſteà, & *Islebiæ*, in comitatu Mansfeldico Evangelium docuit: cumque anno *quinquageſimo ſeptimo*, Wormatiæ, colloquium in religionis cauſa, indictum eſſet: eodem Sarcerius cum *Erhardo Snepſio*, *Victorino Strigelio*, *Joanne Stoſſelio*, & *Joachimo Morlino*, juniorum Principum Saxoniæ legatis, venit. Hic cum præſes colloquii, *Julius Pflugius* petiiſſet: ut Auguſtanæ confeſſionis ſocii ſe à *Zvvinglianis*, *Oſiandriſtis*, *Adiaphoriſtis*, *Synergiſtis*, ſejungerent: Sarcerius cum collegis, prolatis mandatis, ſe ab illorum erroribus ſuam confeſſionem ſejungere profeſſus eſt. Verum *Melanchthon* ante cognitionem cauſæ *Zvvinglianos*, *Adiaphoriſtas & Synergiſtas*; *Brentius* itidem *Oſiandrum*, damnari minimè oportere contendit. Hac occaſione arreptâ procedere Pontificii in colloquio noluerunt. Itaque re infectâ domum eſt diſceſſum.

Docet Lipſiæ & Islebiæ.

Mittitur ad colloquium Wormat.

Id dirimitur.

Anno *quinquageſimo nono* Sarcerius, Islebia *Magdeburgum* evocatus, ad eccleſiæ gubernationem ſuſcipiendam abiit. Verùm *quatuor* duntaxat ibi *concionibus* habitis, calculi doloribus confectus, ad triumphantis Eccleſiæ ſocietatem migravit, die *viceſimo octavo* Novembris, ætatis ſuæ anno *quinquageſimo nono*. Elatus eſt cum luctu civium concionem funebrem habente *Joanne Wigando*: quæ & typis exſcripta exſtat.

Magdeburgam abit Sarcerius.

Ibi paulò poſt obiit.

Hic quantus qualisve fuerit ex elogio duplici apparet, altero ſoluta, altero ligata oratione perhibito. Prius eſt ejusmodi: *Lucebat in hoc viro* (inquit non nemo doctorum) *commemorabilis gravitas & conſtantia, non minas, non exilia, non ullam ullius hominis potentiam aut vim pertimeſcebat. Penè dixerim, ſolem facilius de curſu dimoveri potuiſſe, quam Eraſmum à veritatis profeſſione. Vitam agebat caſtè & integrè, oderat luxum, tempeſtivè de convivio domum redibat, amabat ſimplicitatem, execrabatur ſophiſticam, & laborum erat tolerantiſſimus. Eccleſias viginti quatuor Comitatuum conſtituerat, & juxta reformatam religionem ordinaverat. Concionator erat diſeritus, copioſus, & gravis, verè aculeos in animis auditorum relinquens.* Epigramma autem poſterius elogium in effigiem Sarcerii ita habet:

Elogium ejus.

Epigramma in Sarceri effigiem.

Sunt, hæc ora, genæ, facies & pectus Eraſmi
Sarcerii: Hæc potuit pingere docta manus.
Verum nemo poteſt, quæ ſit conſtantia mentis,
Pingere: quin hoc non eſſet Apellis opus.
Impia qui nunquam deliramenta ſecutus,
Sincero fidei dogmate paſcit oves.
Quas non concinnas fraudesq́; minasq́; potentum
Suſtinuit: forti pectore dura ferens?
Neſtoris eloquio ſimilis facundia linguæ,
Illius tantâ cum gravitate fluit:
Ut meritò, ſibi quem ſtudiis quæſivit honorem,
Ingenio & celebris fama per aſtra volet:
Fortiter & tulerit quam tàm mala multa ferendo:
Exilii fuerit pœna timenda licet.

Ingenii ſui monimenta reliquit & multa & haud vulgaria, quæ in bibliothecis enumerantur.

David Chytræus in Chronico Saxoniæ: Sleidan. in commentar. l. 20. Chronicon Miſniæ: alii.

PHILIPPUS MELANCHTHON.

Ob. 1560. d. 19. April. ætat. 63. comp.

COmmuni bono *Philippus* Schwartzerd / Græcè *Melanchthon*, *Brettæ*, inferioris Palatinatus oppido, naſcitur, anno, menſe & die, quem epigraphe ædium avitarum hodie his indicat:

DEI PIETATE NATUS EST IN HAC DOMO DOCTISSIMUS DN. PHILIPPUS MELANCHTHON, D. XVI. FEBR. A. M. CCCC. XCVII.

Natalis Melanchth.

Genethliacum ejus ſchema ex hiſce *P. Lotichii* carminibus exſtrui poteſt: quibus ita Melanchthonem * affatur:

Genesis Mel.

Cum Jove Mars primo fulſit tibi mitis in ortu,
Theſſalus hoſpitio fovit utrumque ſenex.
Inventoſq́; lyræ fauſtos tibi præbuit ignes,
Humida qua liquidas urna refundit aquas.

** Elegia in obitum Melanch. l. 4. eleg. 4. p. 114.*

Falciferumq́, senem, quamvis nil triste minantem,
Mollìit in quinta candida sede Venus.
Cynthia per felix, in culmine, virginis astrum,
Oppositos fratris currere vidit equos.
Inde tot egregiæ culto sub pectore dotes;
Dona tot, ignorat quæ rude vulgus, erant.

Parentes. Georgius. Schwartzerd qui O. 1508. d. 29. Sept.

Parentes habuit pios & honestos, inque re mediocri constitutos, patrem *Georgium* **Schwartzerd** / magistrum armorum, sub principibus Palatinis *Philippo* & *Ruperto*: matrem verò *Barbaram* *, fœminam honestam, prudentem & gravem: cujus hi fuerunt rhythmi:

Wer mehr wil verzehren /
Denn sein Pflug kan ereren /
Der wird zu letzt verderben /
Und vielleicht am Galgen sterben: h.e.

* *Quam amisit An. 1529. d. 6 Iunii. Fuit Reuterina.*

Rhythmi illius. In Epigrammat. Philipp. I. Hung. Præcept. Melancht. Et Georg. Siml.

Si quis de parvis vult plura absumere rebus:
Quærere quàm vigili sedulitate potest:
Is mendicando victum petet, ostia pulsans;
Aut feret huic tristem crux laqueusq́, necem.

Grammaticam Latinam didicit à *Joanne Hungaro* Phorcensi, viro docto & honesto: Græcam à *Georgio Simlero*, qui postea jus civile cum laude professus. De illo, ut putamus, accipienda sunt, quæ alicubi ipse * reliquit: „ Ego, inquit, habui præceptorem, „ qui fuit excellens Grammaticus. ille adegit me ad grammaticam, & ita adegit: ut „ constructiones facerem. Cogebat reddere „ regulas constructionis per versus Mantuani „ viginti aut triginta. Nihil patiebatur me „ omittere: quoties errabam, dabat plagas „ mihi; & tamen eâ moderatione, quæ erat „ conveniens. Ita me fecit Grammaticum. „ Erat vir optimus: dilexit me ut filium, & „ ego eum ut patrem: & brevi conveniemus, spero, in vitâ æternâ. Ita amabatur „ à me: quamvis utebatur istâ severitate: „ quanquam non erat severitas, sed castigatio paterna, commonefaciens me de diligentia. Cogebar vesperi quærere regulas, „ ut possem recitare. Videtis fuisse disciplinam strictiorem, quam jam est. Postquam ergo utcunque Grammatica percepisset: puer adhuc missus est in Academiam primum *Haidelbergensem* anno seculi *decimi quinti nono*, ætatis suæ *duodecimo*, inscriptus, die *decimo tertio* Octobris. Ibi cum adolescentibus nihil publicè traderetur, præter illam garrulam Dialecticen, & Particulam Physices; & didicisset jam connectere versiculos, aviditate quadam puerili cœpit legere Poëtas: cui lectioni, ut res postulat, adjunxit historiarum & fabularum cognitionem. Hæc consuetudo paulatim ipsum ad auctores veteres deduxit. Sed nemo erat, qui rectam, orationis formam ostenderet. Itaque cùm in *Politianum* & *Plinium* posteriorem incidisset subtilibus argutisque sententiolis delectatus quidem est, sed & aridior factus, & ipsas illas argutiolas inanes abjiciendas sibi postmodùm intellexit.

* *Tom. 3. exp. Evan. p. 804. Melanchth. quomodo Grammat. doctus.*

Mittitur in Acad. Haidelb.

Legit Poëtas.

Politianũ item & Plin. junior.

Quamvis autem necdum ephebus esset, tamen & erudivit filios Comitis *Leonstenii*; & orationes aliis præscripsit, & testimonium profectus, Baccalaurei titulum vocant, omnium calculo probante, est adeptus anno *millesimo quingentesimo undecimo*, ætatis suæ *decimo quarto*, Convictu usus est Haidelbergæ *Pallantis Spangeli* Neostadiani Theol. Doctoris, viri boni & sapientis, cujus Epitaphium geminum in chori ambitu ad S. Sancti hodieque visitur, albi * annotatum. Familiares habuit ibidem *Wimphelingum*, *Petrum Sturmium* Argentoratensem, *Güntherum*, thetorem, & *Sorbillum* quendam poëtam. Triennio *Haidelbergæ* exacto, cùm & cœlum minus ei esset amicum, & repulsam à philosophurum quibusdam in supremi gradus Philosophici petitione, ob ætatis defectum, tulisset; *Tubingam* concessit, nomenque Rectori Doctori *Joanni Schemero* ex *Offerdingen* dedit, anno *duodecimo* supra *millesimum quingentesimum*, die decimo septimo Septembris. Audiit ibi *Brassicanum* & *Bebelium* Poëtas laureatos; *Joannem Stöslerum* Mathematicum per triennium; M. *Franciscum Stadianum*, Aristotelis interpretem, tunc celebres. In Theologia *D. Lempum*, qui tum præcipuus habebatur, de quo hoc sæpe retulit, solitum eum auditoribus depingere in tabula monstrum illud, quod vocant, Transsubstantiationis, & insulsitatem hominis tum quoque se miratum. Biblia etiam puer, aut admodum adolescens, semper secum circumtulit, avideque legit in templo & alibi; adeò ut profanum quiddam ab eo legi existimatum fuerit, quanquam falso. Errores tamen ejus seculi cum aliis erravit; unde ipse, *cohorresco*, inquit *, *quando cogito, quomodo ipse accesserim ad statuas in Papatu.* Audivit tunc & Simlerum, quo antea usus erat, jura profitentem, nec parum in eo studio profecit, ut scripta testantur; quin & Tubingæ leges privatim docuit. Medicam quoque artem non neglexit, sed & docentes eam audivit, & *Galeni* libros ita legit, ut sententiam intellexerit, & pleraque memoriter recitare potuerit. Tantus fuit in ipso ardor discendi, rudi illo seculo. Narrat * ipse, se admodum adolescentem, cum *Oecolampadio* legisse *Hesiodum*: & cum in eo tum cæteros locos, de ortu & occasu stellarum; tum verò versiculos eos, quibus ait; *quadraginta diebus latere Plejades*, intelligere cuperet, neminem fuisse in magna frequentia, præter unum *Stöslerum*; qui juvare utrumque potuisset. Diu etiam ignoravit consilium Aristotelis *, & accommodationem *Geometricæ proportionis ad justitiam distributivam*, donec vidit eandem à Platone illustrius aliquanto traditam *. Ex *Agricolæ* etiam Dialecticis, tunc primùm editis, atque ab *Oecolampadio*, quem magni fecit, sibi donatis, fatetur, didicisse intelligere orationes Ciceronis ac Demosthenis.

Adolescentulus docet alios. Baccalaureus renunciatur.

* *In vit. Pellicani. Familiares Melch. Haidelb. Tubingæ habit.*

Præceptor Melanch. Tubingæ. D. Lempus pingit Transsubst.

Biblia legit.

* *Explic. Evangel. Part. 2. p. 592. Audit Simlerum. Et Medicos.*

* *Tom. 1. Melanch. p. 359.*

* *Lib. 5. Eth.*

* *Lib. 5. de legibus.*

Iatque

Itaque artibus, linguis, & Philosophia feliciter hauſtis, magiſter vel Doctor Philoſophiæ Tubingæ, anno *milleſimo, quingenteſimo decimo tertio*, ætatis ſuæ *decimo ſeptimo*, die converſionis Pauli, decano Philoſophico *M. Ioanne Kreſs*, renunciatus eſt. Manſit deinde ibi quadriennium, & docere cepit in Academia Tubingenſi *Virgilium* primùm & *Terentium*. Fuerunt autem exempla Terentianarum comœdiarum tunc, propter ſummam hominum imperitiam, inſtar orationis proſæ excuſa. Reſtituit ergò optimum auctorem, monſtrato carminis genere, & ea in ſchola quinque ejus comœdias enarravit. Poſtea oratoria ei lectio eſt demandata, in qua *Ciceronis* quædam juventuti propoſuit, deinde *Livii* etiam ſex libros abſolvit. Interea tamen & alios, ut diximus, docentes audivit, & Typographicis operis præfuit, & multùm cum *I. Capnione* fuit, ut alibi * dictum.

Interea in Saxonia à *Luthero* certamina de religione mota ſunt, cui [illegible] fidus in Evangelio promovendo Melanchthon Dei providentia, & *Friderici* Saxoniæ electoris vocatione, adjunctus eſt. Venit Melanchthon de Capnionis conſilio *Wittembergam*, anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, decimo octavo*, ætatis ſuæ *viceſimo ſecundo* die *viceſimo quinto* Auguſti, decennio poſt Lutheri in eandem ſcholam adventum.

Diſcedente eo Tubinga *Simlerus* ille Præceptor, *deplorandum eſſe toti civitati ejus abitum* dixit, & ſubjecit; *Quotquot ibi eſſent docti homines, non eſſe tam doctos, ut intelligerent, quanta eſſet doctrina ejus, qui inde evocatus diſcederet.* Nec fallus eſt ſuo judicio.

Quarto die poſtea quàm *Wittembergam* appulit, auſpicatus eſt lectiones ſuas ab oratione, ut moris, publicè dicta, de qua ſic Lutherus * ad Spalatinum: „ Habuit Phi- „ lippus orationem quarto die poſtquam ve- „ nerat, planè eruditiſſimam & terſiſſimam, „ tantâ gratiâ & admiratione omnium; ut „ jam non tibi id cogitandum ſit, quâ ratione „ eum nobis commendes. Abſtraximus citò „ opinionem & viſionem ſtaturæ * & perſo- „ næ, & rem ipſam in eo gratulamur & mira- mur. „ Cepit hoc anno explicare publico de pulpito *Homerum*, & epiſtolam *Pauli ad Titum* Græcè, magnâ cum auditorum admiratione & frequentia, de qua idem Lutherus ad „ Spalatinum *: Philippum Græciſſimum, „ eruditiſſimum, humaniſſimum, habe com- „ mendatiſſimum. Auditorium habet refer- „ tum auditoribus: inprimis omnes Theolo- „ gos ſummos, cum mediis & infimis, ſtudio- „ ſos facit Græcitatis. *Et alibi* * *ad Joann. „ Langum*: Eruditiſſimus, & Græcaniciſſi- „ mus Philippus Melanchthon apud nos Græ- „ ca profitetur, puer & adoleſcentulus, ſi æta- „ tem conſideres, cæterùm noſter aliquis, ſi „ varietatem, & omnium ferè librorum noti- „ tiam ſpectes, tantum valet non ſolum in u- „ traq; linguâ; ſed utriusq; linguæ eruditione, „ Ebræas quoq; non incognitas habet literas.

Ut primùm ergò docere cepit, vidit præcepta artium & diſciplinarum vel falſâ, vel obſcura, & inordinata inculcari. Derivavit itaque in ſe hunc laborem, ac omni um fermè doctrinarum ſyſtemata eruditè confecit; falſa recidit, obſcura illuſtravit; inordinata, dextrè collocavit, & quod caput, ad uſum quomodo omnia transferenda eſſent, primus, vel ſaltem unus non de multis primis eruditè monſtravit. Anno *decimo nono* evulgavit *Rhethoricam*, ſequenti *Dialecticam*, viceſimo quarto *Grammaticam*, aliis deinde annis alia, ſed nobis hic propoſitum inprimis quid in Theologia præſtiterit, quantumque Evangelii curſum cum Lutheri promoverit, indicare. *Conſcribit ſyſtemata artium.*

Anno itaque *decimo nono* adfuit Luthero Lipſiæ in diſputatione cum *Eccio*: ubi cum quædam interloqueretur, dixit ad eum Eccius: *Tace tu Philippe, ac tua ſtudia cura, ne me perturba*, & cum in ſchedula quiddam Lutheri porrexiſſet, Eccius idem ad Lutherum, *amove*, inquit, *à te iſtum ſaccum diſtinctionem*: imò per convitium *Grammaticum* appellavit, *: *Auſus eſt*, inquit, *Grammaticus Wittembergenſis Philippus, Græcè & Latinè ſanè non indoctus, epiſtolam edere, me laceſſere, & pluribus nominibus cauſam non meam, ſed fidei obſcurare.* Oppoſuit ei *Melanchthon* aliam epiſtolam * qua ſe defendit. Et hoc primum fuit in controverſiis Theologicis ſpecimen. *Et edit.* *Tom. 1. op. Lat. Luth. p. 338

Anno ſequenti epiſtolã ad Romanos, clavem illam ſcripturæ, atq; confeſſionem Evangelicarum Eccleſiarum explicavit. Commentarium eum Lutherus poſtea *, inſcio Melanchthone, Typographis tradidit divulgandum, ut infra dicemus, in præfatione autem idem Lutherus ita ad Melanchthonem: *Ego, quod impii Thomiſtæ ſuo Thomæ mendaciter arrogant, ſcilicet neminem ſcripſiſſe melius in Sanct. Paulum, tibi verè tribuo.* Eodem anno Melanchthon *adhortationem* * ſcripſit, *ad Chriſtianæ doctrinæ, per Paulum proditæ, ſtudium. Viceſimo primo* anno, cùm Theologi Pariſienſes Lutheri libros & doctrinam, evulgato publicè ſcripto, damnaſſent: Melanchthon oppoſuit aliud ſcriptum *: *adverſus furioſum*, (ita appellat ipſe) *Pariſienſium Theologaſtrorum decretum pro Luthero apologiam.* Prodiit eodem anno liber à Melanchthone ſcriptus titulo: *Didymi Faventini, quo reſpondit Thomæ Placentino, hoc eſt, Emſero.* Sub idem tempus actum eſt, de abrogatione miſſæ privatæ, in Eccleſia *Wittembergenſi* per delectos: de quibus & Melanchthon, qui & *reſponſionem* ſcripſit * *ad inſtructionem ex aula Saxonica*, & *propoſitiones de Miſſa*, ut tum loquebantur, *ac vero uſu Cœnæ Dominicæ.* Lucem viderunt item tunc primum *Loci communes Melanchthonis*: qui annò *viceſimo ſecundo* nomine *Hypotheſium Theologicarum* iterum prodierunt, ut & annotationes in epiſtolam ad Romanos, & utramque ad Corinthios. Conſlixit etiam ea tempeſtate cum hominibus fanaticis, de quibus alibi *. *Exſtat. t. 1. op. Lat. p. 336. *Explicat ep. Pauli ad Rom. *An. 25. *Mel. opt. Pauli Interpr. *T. 1. decl. Philoſ. *Scribit adverſ. Pariſ. Mel. pro Luthero. *T. 2. op. Lat. Luth. Wittemb. pap. 202. *Et t. 2. op. Mel. p. 82. *Actio ſuper miſſa privata abrog. Sleid. l. 3. *Conſ. Theol. An 1522. L. C.

Aggreſſus deinde *Geneſeos* librum, omnium Propheticorum ſcriptorum eruditiſſimum, *In vit. Luth. An. 1523.

simum, enarrationes in aliquot saltem ejus capita foras dedit, paucas, ut ipse loquitur * & exiguas pagellas, cùm liber multò copiosiorem enarrationem flagitaret. Sub annum etiam *vicesimum tertium*, edidit *interpretationem monstri Papaselli* *, *Romæ tunc in Tyberi inventi*, *& Amen* à Luthero ei interpretationi subjectum. Anno postea *vicesimo quarto* ad suos invisendos, comite inter alios *Ioach. Camerario*, abiit: inde domum reversus, de voluntate jussuve Hessorum Principis *Philippi*, qui in reditu Melanchthonem, ipse Haidelbergam ad ludos proficiscens, forte offenderat, scripsit inter alia *epitomen* * *renovatæ ecclesiasticæ doctrinæ*, aliud item, *quid inter mundi & Christi justitiam intersit*. Præfationem quoque addidit *in threnos Ieremiæ, in Psalterium Pomerani*: vertitque Latinè *proverbia Salomonis*, adjuncta præfatione ad *Ioann. Fridericum* Saxoniæ Principem.

*Ep. Mel. t. 1. p. 357.

* Papasellus monst. in Tybri repert. An. 1496.

An. 1524. Camer. vita Mel. p. 101. 102. seq.

* T. 2. op. Mel. p. 1.

An. 1525. * Tom. 2. op. Luth. German. Wittemb. p. 97. & consil. Ger. Phil.

Bello à seditiosa per Germaniam plebe moto, *refutavit* * *articulos rusticorum:* quibus illi excusare suam rebellionem nitebantur. Ea de re ipse * ita ad Joach. Camerarium: *Ego à Principe Palatino vocatus fui in patriam, ut ibi de rusticorum articulis pronunciarem. Sed detulerat conditionem, ut scripto responderem, si mihi venire integrum non esset. Itaque misi confutationem articulorum rusticanorum, & consilium adjeci, quod fortunet Christus.* Eodem anno in autumno *Norimbergam* venit, accersitus à Senatu urbis ad deliberationem de ludo literario apud se instituendo. Proximo anno eodem rediit iterùm evocatus ad deliberationem, cùm de Ecclesiarum, tum de novæ scholæ constitutione. Ita nunquam ullum defugit laborem, qui ad Ecclesiæ aut rei literariæ incrementum faceret.

* Ep. Cam. p. 28. & cons. Th. Evocatur Norinberg. Melancht. An. 1526.

An. 1527.

Anno *vicesimo septimo*, post *millesimum quingentesimum*, præfectus est cum aliis primæ visitationi ecclesiarum in ditionibus electoris Saxoniæ *Ioannis*. Fuit ea res plena laboris, plena obtrectationis & invidiæ, cùm multa inordinatè multa perperam, ne dicã impiè, fierent in rei Ecclesiasticæ gubernatione. Complexus * Germanicè tunc est Melanchthon doctrinæ summam perspicua brevitate, ut scirent docentes in ecclesiis regionum illarum, quid sequendum esset; neve diversa & dissentanea traderentur. Nec facit ullius libri abs se editi toties mentionem Melanchthon: quàm hujus, quo se initiatum quasi Theologicis studiis innuit. Hinc in epistola quadam ad „ Hardebergium: Cùm esset magna dissi- „ militudo opinionum ante annos ferè tri- „ ginta; inspectio ecclesiarum præbuit mihi „ occasionem edendi summam doctrinæ, ita „ recitatam, ut multæ controversiæ dijudi- „ carentur, & monstraretur forma orationis „ propria in multis. Eam rem profuisse ad „ conjunctionem qualemcunque Ecclesia- „ rum existimo.

* In libello visitationis Sax.

Ad eam se refert tanquam ad explicatam doctrinæ formam.

An. 1528. Belli incend. in Sax.

Annus *vicesimus octavus* consultationes Melanchthoni attulit de rebus gravissimis & periculosissimis. Fama * enim sparsa erat conspirationis cujusdam *Vratislaviæ* per legatos initæ, ad coërcendos eos: qui à Papatu decessissent. Itaque animi exasperati, & exercitus à Saxone atque Landgravio Hassiæ contractus. Verùm cùm Pontifici Principes & Episcopi singuli se purgarent, intercessione Treviri ac Palatini Electorum, & sapientia atque virtute Saxonis, incendium exstinctum; Germania periculo; omnes metu liberati sunt. Quod autem fuerit consilium * Theologorum eo in apparatu bellico, explicat Melanchthon epistola ad Camerarium. Scripsit & tunc ad Erasmum super dissidio inter ipsum ac Lutherum, optatque nunquam ortum, judicat utrinque peccatum, tandem his concludit: *Plus profutura erant ecclesiæ utriusque vestrum studia, si ad sananda hæc dissidia conferrentur. Et faciat Christus, ut confiteatur hæc inter vos contentio:* ὡς ἔδει ἀγωνοθετας εἶναι, ἢ τῶν διχοστασιῶν, ἀλλὰ τῆς καλλίστων ὑπομνημάτων: *h. e. quos oportebat eos esse, qui certamina instituerent non dissidiorum, sed honestissimorum studiorum.*

Sleid. l. 6. p. 152. Cam. in vita Mel. Auct. rer. mort. sui temp. Othe Pfalcium mob. & conf. Geor. Sab. v. vit Luth. * In conf. Thom. Melanch. t. 1. p. 75. Et epist. Cam. p. 8 seqq. Epist. Melanchth. super dissidio inter Luth. & Erasm. An. 1527. convent. Spirae. Ad eum cum elect. Saxon. Melanch.

Vicesimus nonus annus mirificè eum exercuit, propter actiones conventus Spirensis: quò cùm Electore Saxoniæ, suo Principe erat profectus. Res enim variis modis erant exulceratæ, & malorum incrementa undique impendebant. Varia itaque coactus tum fuit considerare, & in futurum vereri. Eo tempore accidit id, quod notum, & à nobis alibi. * relatum verbosè de *Grynæo*, memoria dignum. Vidit eodem tempore postremùm Melanchthon matrem suam, ad quam Spira excurrit. Ab ea cùm interrogatus esset, *quid sibi in ejusmodi controversiis credendum*? respondit, auditis illius precibus, quæ nihil superstitionis habebant, ut *pergeret hoc credere & orare, quod credidisset & orasset hactenus, nec pateretur se turbari conflictibus disputationum.* Ex eodem conventu *epistolam ad Oecolampadium* scripsit *: cui opposuit Oecolampadius epistolam apologeticam; eamque Melanchthoni coram in conventu Marpurgensi de quo mox, reddidit; tandem etiam publicam fecit, cum emisisset *Melanchthon Patrum de cœna Domini sententias*, à se collectas. Contra quas Oecolampadius edidit *dialogum:* quem Melanchthon affirmavit, *primum sibi causam attulisse, antiquitatis purioris de hac controversia sententiam accuratiùs investigandi.*

* In vit. ipsius Grynæi & Melanch. inter Epist. Germ.

Scribit ad Oecol. * Tom. 2. declam. Mel. & ep. Oecol. p. 602. Edit sept. Pat. de cœn. Cui dialog. opp. ut Oecol.

Et constat Melanchthonem etiam antea solicitum ea de controversia fuisse, quando ita „ ad Camerarium *: De negotio ἐυχαειρίας „ non aliud adhuc susceptum video; nisi ut „ hac occasione in intricatas, obscuras & „ profanas quæstiones ac rixas, conjecti a- „ nimi, à conspectu doctrinæ necessariæ, „ tanquam turbine quodam, auferantur. „ Ego rem committo Christo, ut gloriæ suæ „ pro sua sapientia consulat. Et spero adhuc „ constanter, eum ὑποκαλύψειν ἡμῖν ἢ περὶ „ τούτου τοῦ πράγματος ἢ ἀλήθειαν pate fa- „ cturum esse etiam ista de re veritatem: Nec spe frustratus est optimus Melanchthon.

* In epist. pag. 6. An. 1534.

Hoc

Hoc etiam anno Melanchthon *Marpurgi* fuit, in colloquio Theologorum, quæque pacis erant, suo loco fideliter tuasit, de quo etiam ante * hac.

Qui secutus est annus verè eum virum ostendit. Ibi enim in comitatu Electoris Saxonis cùm ipse esset vel primus è nostratibus, in ipsum etiam præcipuè omnia Theologicarum rerum negotia incubuerunt. De voluntate principum Protestantium informata est summa quædam doctrinæ: è qua post diligentem considerationem compositum est scriptum, comprehendens aliquot capitibus doctrinam illam universam, opera, cura, & immenso labore Melanchthonis. Eo in scripto quæstiones variæ, disputationum contentionibus agitatæ, & ordine dispositæ, & adsertione simplici apertaque ita illustratæ ac definitæ sunt, ut ab eo tempore certa & explicata ratio doctrinæ cœlestis, uno scripto exposita, ceperit exstare. Oblatum est id scriptum *Carolo* Imperatori *titulo Confessionis:* cùm Melanchthon maluisset, *non principum* & eis adjunctorum; sed *docentium*, qui Theologi vocantur, nomine edi. Sed, subscriptis principum nominibus actionem illam splendidiorem fore, judicatum est: aliis quoque de causis, visum melius. Prolatum etiam & recitatum coram Imperatore fuit responsum quoddam, quo confessio illa refelleretur. Ejus exemplum cum haberi non posset, Melanchthon *Apologiam* scripsit, ex præcipuis capitibus & argumentis inter prælegendum exceptis, in qua copiosiùs quædam explicavit, & vehementiùs adversarios ursit, sicut & postea operam dedit, ut omnia essent dilucidiora ac planiora. Verè enim & præclarè dicitur, *multa dies monet, & posteriores cogitationes sunt prioribus meliores.* Nihil tamen in re ipsa & dogmatibus est immutatum.

Fuit eo in conventu valdè solicitus Melanchthon, ne vel conscientiam vulneraret, vel existimationem suam læderet, vel Reipub. Christianæ incommodaret. Itaque non dubitavit quoscunque, etiam adversarios, accedere, & quid de rebus controversis sentirent, cognoscere: quod ejus factum variis fuit obnoxium judiciis & calumniis, præsertim cum Episcopis suam * potestatem, modò & ipsi evangelio locum, reliquisset. Id quod Luthero non modò adstipulatore, sed auctore fecit. Nihilominus tamen hæ voculæ à non nemine auditæ fuerunt: *si ingente pecunia à Romanensi factione Melanchthon conductus esset, ad statum ipsorum defendendum, non potuisse meliore & ipsis utiliore ratione causam eorum agere.* Et *Eccii* vox iisdem in comitiis ad Melanchthonem fuit †: *Tua, Philippe, ἐπιείκεια, & Pontani* ἀρητολογία *plurimum adjuverunt causam vestram.* Sed hæc contemsit Melanchthon conscientiæ suæ testimonio fretus. Adjuncti illi quidem fuerunt & alii, sed non omnes ejusdem judicii in re tanti momenti. Ferunt à Melanchthone rerum meritò satagente quendam interrogatum: *Putaretne particulam gratis retineri posse? cum fatemur; hominem fide sola justificari, idq; gratis:* respondisse alterum illum, *quidni? addatur etiam frustra.* Itaque passim in epistolis ad Flacium & alios hoc repetit: *Scripsi Augustanam confessionem tunc, cum haberem reprehensores multos, adjutorem neminem.* Imò alibi, *si nunc mihi*, inquit, *adornanda esset confessio illa, accuratiùs omnia complecterer, quàm eo tempore licebat.* Post longam disceptationem & tentatam aliquoties compositionem, discessum est, ut potuit, non ut expetitum fuit.

Exitus comitior. August.

Postea aliquot annis, Pontifice de synodo pollicente, deliberationes Theologorum susceptæ sunt, & sententia eorum exquisita. Melanchthon sane simulati à Pontificiis omnia, & hoc agi, ut conditionibus ferendis nostrates à synodo deterrerentur, non vidit, non persuasum habuit. Simplici animo igitur non improbavit, indici synodum à Pontifice, & præsidem eundem in ea non recusabat. Hoc tamen nou admisit, quod imprudenter postulabatur; *ut promitteremus jam tum universi, synodi decretis se stare velle.* Dixit enim *in concilio & accusationes, & defensiones, & sententias liberas esse oportere, & ineptum de eventu pacisci antè, quàm cognitio sit suscepta.* Hac in sententia mansit, & de synodo res fuit facilis, quam *Cæsar cogere non poterat: Pontifex* autem *nolebat.* Tribus etiam tunc annis continuis cometæ sunt conspecti, de quorum consideratione mu ta eruditè ad amicos Melanchthon.

Synodus à Pontif. promissa, sed simulate.

Melanchr. quid admiserit & quid non.

Cometæ conspecti

Anno *trigesimo quarto* vocatus est à Landgravio Hassiæ ad colloquium cum *Bucero* de quo ipse ita ad Joachimum Camerarium: *Heri primùm, hoc est, die nono Januarii domum reversus sum ex Cattis, quò me & Bucerum vocarat ὁ μακεδὼν Philipp Landgravius, ut ego nostrorum, ille suorum sententias afferret, περὶ τῆς διαλλαγῆς in illa pervulgata causa. Meam sententiam noli nunc requirere. Fui enim nuncius alienæ, etsi profectò non dissimulabo, quid sentiam, ubi audiero, quid respondeant nostri. Ac de hac re tota aut coram, aut cum habebo certiores tabellarios. Ipsius principis Cattorum summa fuit erga me comitas. Familiarissimè mecum de multis gravissimis rebus locutus est. Quo in sermone nihil animadverti, quod indignum esset aut bono viro, aut bono Principe.* Trigesimo verò quinto anno expetitus etiam est ab Angliæ Rege *Henrico:* & Galliæ rex missis literis clementissimè eum ad se invitavit, quarum hoc est exemplum:

An. 1534. Vocat. à Landgr. Melanchr. ad colloq. cum Buc.

Part. 1. consil. 76. pag. 238.

An. 1535. Expetitur à Rege Angliæ & Galliæ.

Franciscus Dei gratia Francorum Rex, dilecto nostro Philippo Melanchthoni. S.

Litera Regis Galliæ ad Melanchr.

Singulare tuum ad sedandas eas, quæ in doctrinam Ecclesiasticam invectæ sunt altercationes studium intellexeram antea quidem ex Guilielmo Bellajo Langæo cubiculario atq; consiliario nostro, quo ego præcipuè sum usus ad eam rem administro & interprete. Nunc verò ex literis ad eum tuis, & sermone redeun-

Guilielm. Bellaius Langæus.

Barnabas Vreus Fossa.

redeuntis à te Barnabæ Vorei Fossæ, intellexi etiam, te hoc laboris perlubenti animo suscepturum, uti ad nos primo quoq; tempore te conferas, deq; unione doctrinarum cum selectis aliquot nostratibus Doctoribus hic apud nos coram disseras, atq; rationes ineas; quò resarciri possit pulcherrima illa Ecclesiasticæ politiæ harmonia, qua una etiam quum ego mihi nihil usquam unquam majore cura, studio, solicitudine animi amplexandum esse duxerim, committere nolui: quin hunc statim Voreum Fossam ad te dimitterem, cum his veluti publicæ fidei obsidibus literis, obtestarer etiam, abduci te ullius persuasione ut ne sinas ab hoc pio, sanctoq; instituto. Venies omninò mihi gratissimus, seu privato tuo, seu publico vestratium nomine adveneris, meq; re ipsa experieris & privatim Germaniæ vestræ dignitatis, & publicæ in universum quietis ante omnia esse (atq; adhuc semper fui) studiosissimum. Vale ex cppido Guyse, die 28. mensis Junii, Anno Domini millesimo, quingentesimo, tricesimo quinto.

Hac de vocatione & quid eam consecutum sit, ipse Melanchthon indicat epistola * quadam ad *Conradum Heresbachium: Rex Galliæ non obscurè significavit sibi meum consilium probari. Misit Romam, meq; vocavit: ut de iisdem rebus mè audiret, sed Dux Saxoniæ noluit me dimittere. Nolunt privatum quenquam pacisci cum illo de Republ. Sic enim loquuntur: ἄλοκεῖ ἢ καινότις τῆς ἀπαιδεύτων τυραννὶς καθιερώθη ἐᾶσιν μέτριον, ἢ κοινωνικὸν, ἢ πολιτικὸν φρονόντων Cedamus igitur fatis. Nunc Anglus me vocat. Sed aliis de rebus, ἐγὼ μᾶλλον θέλομαι εἶναι ξύμμαχος τῆς σπουδαζόντων κοινὴν ὁμόνοιαν ποιεῖν τῆς ἐκκλησίας.*

* Consil. Theolog. pag. 238. Melancht. non dimittitur ad Gallum.

Ad ipsum etiam regem Galliæ literas dedit, quibus ejus studium ac voluntatem sanandæ ecclesiæ commendavit: oravitque ne id deponeret, simul veniam suæ emansionis precatus.

An. 1536. Invisit suos Melanchthon De scalis labitur.

Anno *tricesimo sexto*, ad suos Melanchthon excurrit, invisendorum amicorum ac valetudinis causa, quod in suspicionem vanissimam quidam rapuerunt. De scalis etiam lapsus, os sacrum dorsi graviter afflixit, & aliquot diebus cruciatus gravissimos pertulit, postea tamen feliciter restitutus. Anno subsecuto conventus Theologorum fuit indictus *Schmalcaldiæ* duabus de causis. Primum ut collatio fieret accurata de doctrina, & tollerentur dissidia. Deinde ut deliberaretur, qui articuli ad extremum defendendi & anteponendi essent omnibus rebus humanis: qui verò concedendi Pontifici & ecclesiastico πολιτεύματι propter pacem, & ad communem ecclesiæ concordiam restituendam: si res ad moderationem aliquam deduceretur. Eo in conventu partes etiam præcipuæ fuerunt Melanchthonis, Lutherum gravi morbo impediente: quando jussi sunt Theologi conscribere aliquid *de Pontificis Romani potestate, seu primatu, & jurisdictione Episcoporum.*

An. 1537. Conventus Smalcald.

Anno *trigesimo nono*, cum Protestantes principes *Francofurti* ad Mœnum convenissent, jussus est Melanchthon eodem proficiscentem principem suum sequi: ubi ob metum violentiæ scriptum *de legitima defensione* composuit.

An. 1539. Conventus Francofurti ad Mœnum.

Anno *quadragesimo* iterum interfuit colloquio *Schmalcaldiæ*: ubi cum *Lundensis* rediens ex Hispania scripsisset, Carolum Imperatorem venturum in Germaniam, non ut bellum civile moveret, sed ut de concordia ecclesiarum deliberaret: jussi sunt & Protestantes deliberare, quid defensuri essent, quid largituri adversariis. Censuerunt itaque reddendam Episcopis dominationem politicam, si Evangelium amplectantur, & vitia ex Ecclesia tollant: sed in doctrina negarunt, posse abjici articulos eos; quos in confessione & Apologia essent professi. Scripsit Melanchthon etiam tunc responsum nomine Electoris Saxoniæ *Joan. Friderici, Philippi* Hassiæ Landgravii, & reliquorum cum his conjunctorum in negotio religionis, datum legatis *Caroli V.* comitibus *Theodorico de Manderschidt, & Guilielmo de nova Aquila*: quod exstat *, & prolixè agit *de bonis ecclesiasticis & monasteriorum reditibus*: deinde & *causas indicat* gravissimas, *mutatæ religionis & rituum. Negari non potest*, inquit, *multa non toleranda vitia in Ecclesiam irrepsisse. De pœnitentia & remissione peccatorum fuit summa confusio doctrinæ. Sacramentum in missa ad quos abusus translatum fuit? In cœlibatu quantum est turpitudinis? Doctrina de potestate clavium plena fuit vanitatis & ambitionis. Quantum fuit onus traditionum superstitiosarum? Quàm nullus delectus ministrorum Evangelii?* Editum est tunc & scriptum contra *Schwenckfeldium, Sebastianum Francum*, & alios errones, qui semina *Donatistarum, Scopticorum*, & aliorum fanaticorum spargebant.

An. 1540. Colloquium Smalcald. ibi quid actum.

Respons. legat. Carl. V. à Protest. datum.

* In consil. Th. Mel. part. 1. p. 371. sqq. Causa mutatæ religionis.

Consil. Theolog. p. 385. Script. contra Schwenckf. & similib.

Cùm autem decretum esset: ut *Haganoæ* ad Rhenum convenirent Theologi Protestantium, missus eodem fuit Melanchthon, sed *Vinariæ* in morbum ferè lethalem incidit. Ortus fuerat morbus ex morsu doloris cujusdam; & illum prospexerat Melanchthon ante iter Haganoense, somnio quoque monitum se scribit: impendere sibi lethalem morbum. Itaque & testamentum domi scripsit: quod apud *Crucigerum* deposuit: & cùm per pontem, quo Albis ad Wittembergam stratus, egrederetur, dixit:

An. 1540. Convent. Haganoæ. In itinere morbo corrip. Melanchth.

Viximus in Synodis: & jam moriemur in illis.

Ex eo tamen Dei gratiâ, & sedulâ medici *Georgii* * *Sturciadæ* cura, inprimis autem Lutheri & Crucigeri precibus, non tam convaluit, quàm revixit. De eo ipse ita ad *Bucardum* † *Mythobium: Tuas Epistolas hac æstate missas accepi, primam Schmalcaldiæ, alteram in Thuringia, cùm essem horribili morbo oppressus, qui tantùm ex animi dolore*

* De quo in vitis medicor. German. Convalescent.

† Consil. Theolog. p. 394.

Hæmia laſſi. *dolore ortus erat, quem aliena * mihi cauſſa attulerat, de qua & tu quereris. Fuiſſem extinctus, niſi adventu Lutheri ex media morte revocatus eſſem. Nunc te oro, ut Deo cauſam commendes, & horteris eos, qui de eo negotio loquuntur: ut hos ſermones premant, nec judicent re non integrè cognita.*

An. 1541. Colloqu. Worm.

Recuperata valetudine in *Vangionas* ad aliquoties dilatum colloquium abiit, quod tergiverſantibus adverſariis in annum *quadrageſimum primum* eſt extractum. Poſt longas variasque actiones & ſingulorum auditiones; tandem *Eccius* cum *Melanchthone* de *peccato originis* diſputavit, quæ diſputatio exſtat *. De eo conventu Melanchthon ita † ad *Juſtum Jonam*: *Meminiſti apud Ciceronem in libro de legibus hiſtoriam eſſe de Lucio Gellio, qui, cùm ei decreta eſſet Aſia provincia, in itinere Athenis convocavit omnium ſectarum Philoſophos, ac hortatus eſt eos ad componendas controverſias, ac diſſidia doctrinæ. Oſtendit quantum profutura ſit ſtudiis & moribus dogmatum conſenſio, ac pollicetur, ſe pacificatorem & arbitrum fore. Propemodum hic ita res agitur. Noſter Lucius Gellius ait, nihil opus eſſe prolixa diſputatione, poſſe rem ſubitò componi à ſtantibus, ſicut Judæi agnum ſtantes aſſumebant (hanc enim ſimilitudine uſus eſt) & habet horum conſiliorum ſocium Eccium; qui perſuadet, tantum eſſe rixas verborum. Iſti autem nos planè ducunt fatuos eſſe, aut non ſatis attendunt, quantam rem agant, ſed fortaſſis vaticinantes, delere CHRISTUM cupiunt, ſicut Judæi mactarunt agnum.*

Disputat cum Eccio Melanchr. * T. 4. op. Melanchr. ſub finem. † Conſ. Theolog. p. 402.

Abruptum eſt colloquium inter Eccium & Melanchthonem tertio die poſtquam inchoatum juſſu Cæſaris, & *Ratisbonam* rejectum. Dimiſſi ergo collocutores domum: ac poſtea *Ratisbonam* venire juſſi. In diſputatione illa accidit, quod ad memoriam modeſtiæ Melanchthonianæ facit, & à Luthero narratum eſt. Protulit Eccius argumentum quoddam ſubtile & argutum, de quo ſolvendo dum Melanchthon incipit cogitare, *cras*, inquit ad Eccium, *tibi reſpondebo*. Tum Eccius: *id verò non eſt laudi dandum, ſi extempore reſpondere nequeas*: cui Melanchthon: *mi Doctor, non quæro meam gloriam hoc in negotio, ſed veritatem, cras, volente Deo, me audies.*

Colloquii adumpti. Sleid. l. 13. pag. 345. Manlio. anno 13. de Luth. p. 157

Melancht. non quærit gloriam ſuam.

Paulò itaque poſt Cæſar *Ratisbonam* venit: qui eodem & Proteſtantium Doctores evocavit, colloquii continuandi cauſa. Ad id & Melanchthon ire juſſus, cum in itinere ad fines territorii Palatini perveniſſet, eſſedum quo vehebatur, everſum eſt: & dextram ipſe ita graviter afflixit: ut non ſine cruciatu literas pingere potuerit, nec unquam integer ejus uſus ipſi reſtitutus ſit. Ratisbonam ubi venit de Cæſaris voluntate unus ipſe à parte Proteſtantium ad colloquium eſt delectus cum *Bucero* & *Joan. Piſtorio*, additis præſidibus ac teſtibus: à Pontificiorum partibus ſteterunt, *Julius Pflug*, *Joann. Eccius*, & *Groppe rus*. Cùm hi conveniſſent die *viceſimo ſeptimo* Aprilis exhibitum eſt nomine Cæſaris ſcriptum: quod illi ceu normam ſequerentur, ea cum conditione, ut quæ non probarentur, liberè rejicerent. Initia quidem non habuerunt controverſias, ſed locus *de Juſtificatione hominis* neutri parti ſatisfecit; & ſecutæ diſputationes aliæ, de *Eccleſia*, de *Satisfactionibus*, de *poteſtate Eccleſiaſtica*, de *invocatione divorum*, de *miſſa applicatione*, de *miſſa privata*, de *uſu integræ cœnæ*, & aliis: ac hi, qui Auguſtanam amplexi confeſſionem, non acerbam de eo tulerunt cenſuram: ſed nec *Eccio*, nec Epiſcopis, ut & *Guilielmo* Bavariæ Duci ſatisfecit. Exitus fuit hic, ut tandem negotium totum ad concilii dijudicationem fuerit rejectum, & pax à Cæſare certis conditionibus utrique parti mandata, ac ſpes deliberationum de emendatione Eccleſiæ oſtenſa. Eo in colloquio Melanchthon ad Cæſarem fuit delatus, cohortationibus Gallicis eum aſperiorem factum. Itaque nominatim eum Imperator apud Landgravium ad ſe vocatum accuſavit. Cauſa fuit, quod noluerat regnum confeſſionum, ut vocant, approbare. Judicium autem ſuum de illo, quem diximus libro, Melanchthon verſibus ſequentibus expoſuit, argumento *ſomnii de Hyena* in comitiis Ratisbonenſibus:

Non ſatisfacit.

Exitus colloq.

Ad Cæſarem delatus Mel.

Cauſa ejus.

Judicium Melancht. de libro Cæſar.

Carmen de Hyena. Concil. Theolog. pag. 453.

Me juſſere Duces fallacem pingere hyenam;
Et monſtri ſpeciem propoſuere mihi.
Tetra erat ex variis moles confuſa figuris;
Tectaque liventi ſanguinolenta cute.
Virginei vultus, ſed torva, micantia flammis,
Lumina, ſævitiæ triſtia ſigna dabant.
A collo gemini pendebant membra Draconis,
Scyllæi tandem pars erat ima pedes.
Horrebam aſpiciens, & toto corpore ſanguis,
Ac penè extincto ſanguine vita fugit.
Ut pingam tamen illi urgent: non obſequor, ajo
Iratus, pingi non benè poſſe pedes.
Quò ruitis proceres? qui mentes occupat error?
Cur templo infertis talia monſtra DEI?
Excutior ſomno, gelidus cum pectore manat
Sudor, & è ſubito membra pavore ſtupent.
Nonnihil hac moneor fortaſſis imagine: ſed te
Chriſte rogo, ut placidus pectora noſtra regas.

Habit gravi. ter dextram enſu.

Collocutores Ratisb.

Liber Cæſarianus.

Axioma Melancht. de Sacramentis.

Hoc in colloquio Melanchthon Pontificiis objecit illud axioma : *Nihil habet rationem Sacramenti extra usum divinitùs institutum*, &, *Christus adest non propter panem, sed propter hominem.* Quod cùm ad Lutherum allatum esset, gaudio exultavit, & *macte Philippe*, exclamavit, *ta eripuisti Pontificiis quod ego non ausus fuissem.* Ea sententia *Eccius* ita revictus fuit, ut nihil contra potuerit, & in furore ad Melanchthonem dixerit, *se disputaturum cum ipso ad ignem usq;.* Cumque præ indignatione largius in cœna bibisset, febrim nactus, nunquam postea ad collationem doctrinæ rediit. *Nicolaus* autem *Perenottus* de *Granvela* Cæsaris commissarius, audita idololatriæ mentione ex Philippo, summè commotus dixit: *Philippe, hactenus ferre potuimus, nos errorum ac abusuum insimulari : sed idololatræ audire vel esse nolumus. Ac dominus meus Imperator potius amitteret omnia sua regna, quàm pateretur se appellari idololatram.* Paucis autem interjectis diebus, cùm collocutores, *Groppero* in Eccii locum suffecto, iterum convenissent; Granvellanus ad Melanchthonem : *Philippe*, inquit, *ego hisce diebus de vestra illa disputatione diu multumque cogitavi, ac deprehendi, controversiam esse arduam, & vel solam concilio dignam.* De regula autem illa ad amicum Philippus verè gloriatur: *Nemo in his regionibus hanc propositionem scripsit præter me; Nihil habere rationem Sacramenti, extra usum institutum.* Cùm Ratisbonâ (ut hoc etiam adjiciamus, cujus ipse memor Melanchthon in conflictibus fuit) cùm igitur discederet Ratisbona Melanchthon; comitatus est eum, cum aliis amicis *Jacobus Sturmius*, nobilitatis Germanicæ decus. Huic Melanchthon valedicens; *nos in hac vita*, inquit, *non iterum sumus conventuri.* Tunc ille; *Imò* respondit; *rursus conveniemus ad te crucifigendum.* Quæ verba quam vim habeant, nemo non videt.

Eccius refutatus eo.

Granvellani ad Melancht. verba.

An. 1542. Nic. Amsdorf. designatus Episcop. Naumb.

Anno *quadragesimo secundo*, cùm ab electore episcopus designatus *Amsdorfius* in sedem Naumburgensem, præsente ipso Electore *Joan. Friderico*, *Joan. Ernesto* fratribus imponeretur; adesse ibidem Melanchthonem jussit. Suscepit iter illud, quamvis cum *Julio Pflugio* excluso intercedebat ei usus haud vulgaris: ut ecclesiasticæ & scholasticæ administrationis diligentius constituendæ, vel auctor, vel adjutor esset, de aliis rebus nihil solicitus. Sequenti anno *Hermannus* Archiepiscopus *Colonienſis*, reformationem ecclesiarum in sua diœcesi magno studio ac zelo est molitus ex decreto Ratisbonensi. Impetravit ergo à *Joann. Friderico* Electore, ut negocii piissimi, ex voto conficiendi causa, Melanchthonem ad se proficiscì pateretur. Deduxit eum *Petrus Medmanus* mandato Archiepiscopi, mense Aprili: venitque ad Principem *Bonnam*, ubi ille tum commorabatur. Aderat jam & *Bucerus* Argentorato evocatus.

An. 1543. Herman. Colonienſ. relig. emendat.

Eò evocatus Melanchth.

Reformatio Colon.

Itaque conjunctis operis conscripserunt *reformationem Colonienſem.* Sed eam ecclesiastici nullo modo ferre voluerunt, quin edito *antididagmate* in ejus præfatione, post magnam vim conviciorum in Lutheranos, affirmare non dubitaverunt: *malle se sub imperio Turcico vivere, quàm sub magistratu, talem reformationem probante ac defendente.* Editus est tunc à *Clero secundario* liber *contra Bucerum* nomine quidem, sed revera contra omnes Protestantes. Is etiam plenus fuit conviciorum è trivio arreptorum, & ejusmodi spurciciarum, quas vix in lenone ferrent aures mediocrium hominum. Poëta ejus fuit Carmelita quidam, Bacchi & Veneris sacerdos. Huic respondit Melanchthon scripto †: quod unum est ex ejus optimis, quodque ipsi auctori placuisse, multis ex locis colligi potest. Rediit ex *Ubiis* ad suos Melanchthon mense Augusto ejus anni, maximæque lætitiæ omnibus fuit ejus adventus: inprimis optimarum literarum studiosis; qui obviam illi processere, secuti præceptores plerosque & magistros uos. Cæterum totum illud reformationis negotium ad nihilum recidit Carolo in Germania victore: ut alibi exponitur.

Cui nihil didagma opponunt Pontificiorum sententia.

Liber contra Bucerum.

† *Exstat. t. 1. declam. Mel. p. 111. & consil. Th. p. 558. t. 2. oper. Mel. p. 56.*

Annis duobus secutis domestica Melanchthonem exercuerunt, quando & filiam sibi charissimam longè * abduci vidit, se invito, & obitus amicorum ac piorum in Galliis supplicia audivit, & recrudescente illo dissidio sacramentario, Lutheri animus à multis in bonum Melanchthonem fuit incitatus. Sed patientia & precibus sibi dolorem leniit, & nubecula illa citò dispariit, moderationem solitam Melanchthone usurpante.

An. 1544 & 44. Domestica cura Melanchth.

* *V. vitam Sabini Mel. cum Luthero commissa.*

Anno *quadragesimo quinto* ordinationi illustrissimi principis *Georgii Anhaltini* ad ministerium Evangelii, & inspectionem ecclesiarum in episcopatu Mersburgensi interfuit. Ipse etiam tunc *testimonium ordinationis* nomine omnium in ecclesiis vicinis Superintendentium conscripsit: quod alibi * recitamus. Cumque sub id tempus *Fridericus* elector Palatinus, qui *Ludovico* successerat, de ecclesiarum agitaret reformatione: composuit Melanchthon, cùm evocato venire integrum non esset, scriptum *de reformandis ecclesiis*; cujus synopsin aliquot regulis comprehendit, quas addimus.

An. 1545 Georg. Princeps Anhalt. Episcop.

* *In vita ipsius præfat. Georgii.*

Conf. Throl. p. 586.

Vera & salutaris gubernatio ecclesiæ Christi præcipuè in his sex membris consistit.

Gubernatio ecclesiæ in quibus consistat.

Primùm, *in vera & pura doctrina, quam Deus ecclesiæ suæ patefecit, tradidit, & doceri mandavit.*

Secundò, *in legitimo usu Sacramentorum.*

Tertiò, *in conservatione ministerii Evangelici, & obedientiæ erga pastores Ecclesiarum, sicut Deus vult & postulat conservari ministerium Evangelii, & servat ipse sua potentia & præsentia.*

Quartò, *in conservatione honestæ & piæ disciplinæ retinendæ per judicia ecclesiastica, seu jurisdictionem ecclesiasticam.*

Quintò, *in conservandis studiis necessariæ doctrinæ & scholis.*

Sextò

Sextò, *ad hæc opus est defensione corporali & facultatibus, ad personas, quæ sunt in officiis necessariis, alendas* †.

† Singula huc & sequentia vide exposita loco cit. Anno 1546.

A morte Lutheri exarserunt bella tum Theologica tum civilia. Illorum coryphæus fuit *Flacius* quidam *Illyricus*, cujus vitam etiam hisce propter historiam adjunximus. Civilis autem princeps causa fuit *contemtus*, ut dicebatur, *Cæsaris & læsæ majestatis crimen*, deinde *Princeps Pontificius oppugnatus: castellum* illius *diruturn*, *præsul Naumburgensis non admissus*, & *Pontificiorum flabella*. Ibi tum ergo cum familia & amicis in Saxonia vagatus est Melanchthon. Dimissus est cœtus discentium anno *quadragesimo sexto mense Novembri*. Subiit autem in illa tempestate Melanchton tectum oppidi Servestani, ditionis Anhaltinorum: quorum prolixam in se expertus est benignitatem: obtulit ei etiam munificè hospitii copiam *Norinberga*. Sed confecto in Misnia bello redeundum sibi Wittembergam statuit, & ut eodem se reciperent alii, auctor suasorque fuit. Exorsus est operas scholasticas die *vicesimo quarto* Octobris anni *quadragesimi septimi* à prælectione epistolæ Pauli ad Colossenses. Nequaquam autem hic prætereundum est somnium: quod Melanchthon somniavit. Hic enim cùm Servestâ, quo, ut dictum, cum familia & paucis scholasticis se receperat, excurrisset cum *Vito Winshemio* & M. *Marcello*, ad visendos collegas, qui remanserant, ac Wittembergam die nono Aprilis, qui erat vigilia Paschæ venisset: somniavit ea nocte se legentem in scriptore Græco incidisse in hæc verba: Τιμόθεον ναυμαχοῦντα ἁλῶναι, & eis adscriptam vidisse notam numeri XV. ac in somnis secum disputasse, activè ne an passivè verbum ἁλῶναι exponi deberet, sicut & die Paschæ in templo, indicans hoc somnium collegis, quærebat propriam verbi interpretationem, & quid somnium videretur significare. Sed eventus ipse interpretationem addidit. Nam XV. die post, hoc est, 24 die Aprilis commissâ pugnâ in ripa Albis ad *Mulbergam*, Dux *Joannes Fridericus*, Elector captus est à Cæsaris Caroli V. equitibus, traductis per Albis alveum.

Causa belli Germ.

Academ. Wittemb. dissipata. Servestam fecedit Melancht.

Redit Wittemb.

An. 1547. somnium Melancht. in bello Germ.

Thevi Calend. pag. 655.

Eventus somnii.

Eodem anno *Mauritio* jam Saxoniæ Electore, Lipsiam est evocatus, ut & de Academiarum instauratione, & ceremoniarum usu deliberaretur. Fuit is *conventus primus* post Lutheri mortem: nec relinquendæ Academiæ Wittembergensis consilium Melanchthoni tunc persuaderi potuit. Prodiit tunc famosum illud *Interim* dum synodus cogeretur, propter quod *Mauritius* Elector octo egit anno quadragesimo octavo conventus: quibus omnibus, primo excepto, Melanchthon interfuit: scripta etiam omnia, in illis conventibus exhibita ipse composuit, uti & censuram de singulis illius libri capitibus. Accessit domestica calamitas ex obitu filiæ *Annæ*, quam tenerrimè dilexit. Tulit enim moderatiùs ejus obitum, quàm amici existimarant. Nimirum *publica mala vicerunt morsus privatorum, ut morbi intensi faciunt, ne sentiamus remissiores*. Circumferebantur in illis turbulentis & miseris temporibus picturæ, quibus Germanicæ nationi insultabatur, & captivæ illius vincula atque catenæ ostentabantur, quod non potuit non optimi cujusque animum pungere.

An. 1547. conventus primus post Lutheri obitum.

Interim evulgatum.

An. 1548. 15 Kal. conventus propter Interim.

Deploravit justis querelis Melanchthon patriæ fatum, cujus sermones nonulli à Cæsarianis malitiosè expositi nonnihil periculi ipsi crearunt apud Cæsarem, ut qui unus maximè ejus actionibus in religionis negotio obstaret. Itaq; voluit Imperator ut Melanchthon sibi traderetur, sed defensus est pietate & constantia *Mauritii* Electoris. De hoc suo periculo ita ad *Camerarium* † ipse: *Si mihi privatim meo periculo, & meo loco dicenda esset sententia, etiamsi video mihi irasci valdè τὸν αὐτοκράτορα, tamen simpliciter & Socratico more responderem, me non assentiri his sophismatibus. Et non assentiar, nec tamen impediam, quo minus suo arbitrio potentes constituant Rempubl. si nostræ administrationes non valebunt. Faciam, donec vivam, quod feci hactenus, dicam eadem, ubicunq; ero, & eandem Dei invocationem in mente circumferam ubique, & dicam usitatâ modestiâ ἄνευ φάσεως.*

In odium Cæs. adducitur Melanchth. Defenditur à Mauritio.

† *In epist. Melanchr. ad Camer. pag. 392.*

Anno *quadragesimo nono* propter *Interim* tres conventus sunt à Mauritio electore coacti: quibus omnibus interfuit Melanchthon. Occupatus fuit præterea in scribendis epistolis *de Adiaphoris* ad pastores Ecclesiæ *Hamburgensis*: ad *ecclesias in Marchia*: ad *Francofordianos*: in *comitatu Mansfeldico*, & alibi agentes. Respondit etiam publicè tunc primum *Flacio* epistola edita: cùm clamitaret ille; *& doctrinam mutari, & ceremonias antè abolitas instaurari, ac potiùs vastitatem fuisse faciendam in templis; & metu seditionum terrendos principes.*

An. 1549. *Interim agitatum.*

De adiaphoris vide conf. Theol. t. 2. p. 105. seq. Respond. Facult.

Contra Melanchthon de *doctrina* negavit vel *mutatum in ea quicquam*, vel *se provante mutatum iri, in ceremoniis tolerandam aliquam servitutem, quæ tamen sit sine impietate*. Quantum autem malorum dederit ille liber Interim vel ex his lineis intelligi potest: *Pulsi sunt*, inquit * Melanchthon, *Pastores plures quadringentis in Suevia, & ad Rhenum. Tubingæ nunc, pulsis Pastoribus & concionatoribus, unicus est sacrificulus, qui ut libro Augustano satisfiat, oblationem restituit. Mirum est igitur, cur adhuc ætatem auream promittat Islebius, cùm manifestè videat vastari tam multas ecclesias, pios & doctos viros exulare cum totis familiis. Tanta calamitates, cum alibi fiant, nos etiam duram servitutem, modò si ut sine impietate, tolerandam potiùs existimamus, quam discedendum ab ecclesiis.*

Mala ex libro Interim.

* *Consil. Theolog. pag. 87.*

Anno *quinquagesimo* publicatæ, Cæsare urgente, sunt literæ, quibus synodus œcumenica à Julio 3. Pontifice indicebatur, & *Tridentum* denuo omnes, qui adesse deberent, & à Paulo 5. vocati prius fuissent, se conferre jubebantur. Præfinita autem fuit dies calend. Maji conventui & exordio actionum:

An. 1550. *Synodus œcumenica indicta.*

Sleidan. l. 22. p. 636.

quibus Paulina illa synodus continuaretur. Cæsar insuper ordines Imperii omnes accurate & vehementer hortatus est, ne officio suo hîc deessent. Mandavit ergo *Mauritius* elector Saxoniæ Melanchthoni, ut scriptum componeret, quo capita doctrinæ cœlestis continerentur, quodque synodo, si quos illuc mittere visum, exhiberetur. Eo confecto libro, jussu Principis Lipsiæ ad *octavum* Julii anno *quinquagesimo primo*, omnes Theologi illius ditionis convenerunt, coram quibus scriptum illud lectum, & approbatum est omnibus. Idem factum est per Wirtembergicum opera *Joh. Brentii*, & Saxonicum scriptum Wirtembergici, Wirtembergicum Saxones, utrumque Argentoratenses, cum legissent, approbarunt. Diversis autem scriptis id fieri placuit, ne Cæsar factæ cujusdam societatis conciperet suspicionem. Scriptum illud Melanchthonis evulgatum est titulo *repetitæ confessionis Augustanæ*.

Synopsis doctrinæ Christianæ à Mel. conscr. sive repetitio confess. August.

An. 1551. conventus Lipsiæ.

Consensus constit.

Anno *quinquagesimo secundo*, cùm ageretur de diplomate, quo fides daretur ituris ad concilium; Melanchthon cum literis Principis Mauritii in viam se dedit mense Januario; cùm jam venissent Tridentum legati civitatum & Wirtembergici. De hac profectione † ipse ita ad *Georgium* Principem Anhaltinum: *Heri literas ex aula accepi, in quibus jubet Illustrissimus Dux Saxoniæ Elector, ut Georgius Major & ego proficiscamur Norinbergam; ubi simus audituri mandata de itinere ad Synodum, quia Dux Wirtebergensis & civitas Argentinensis, jam miserunt legatos. Cùm autem instructionis nulla sit facta mentio, ego recta Dresdam eo, inde scribam ad C. V. Utinam aula non contemsisset illud consilium, quod multis probabatur, ut plurimarum ecclesiarum in vicinis principatibus & civitatibus constituto consensu, communis legatio missa esset. Sed Deo nos commendo.* Dictum fuerat ipsis ut *Augustæ* subsisterent, donec vel à principe *Mauritio*, vel à legatis ab hoc ad synodum, literas accepissent, quibus significaretur, quid faciendum ipsis esset. Venerunt igitur *Norinbergam* ubi publicæ eis ædes adsignatæ, & omnia summæ benevolentiæ officia sunt præstita, quemadmodum idem Melanchthon * confirmat: *Cum Norinbergam venissemus die 22. Januarii, postridie accepi fasciculum literarum missum à D. Padorno ex urbe Tridento, quibus significabatur adhuc expectari responsionem de fide publica, Scripsi statim nos venisse Norimbergam, & petere ut significet an & quando accedendum sit ad Tridentum: significavi & aulæ nostræ iter nostrum. Nondum autem vel ex Tridento vel ex aula responsum est. Ita dies jam decem Norinbergæ commoramur, incerti an & quando procedendum sit. Studia & officia multorum hic erga nos eximia sunt, & D. Sarcerius publice in magna frequentia concionatus est, & aliquoties prælegi. Ac Dei beneficio in hac urbe mediocris est tranquillitas, & docentium consensus.*

Tridentum. Melancht.

† *Tom. 2. epist. Mel. pag. 246.*

Venit Norinbergam

* *Tom. 2. epist. p. 246*

Interea dum ibi commorantur, & mandata exspectant, rumor spargitur de *Mauritii* expeditione adversus Cæsarem propter Landgravium captivum, quem ipse ex obligatione liberatum ivit. His auditis Melanchthon diutius otiosè desidere ibi noluit, & à civitate Norinbergensi amanter ac publico vecturæ munere instructus, ad suos reversus est, qua de re ita † ad eundem Anhaltinum: *Fuisset honestum mitti à multis ecclesiis communem legationem ad Synodum, sicut initio & C. V. visum est. Sed hæc nostra consilia postea, ut scit C. V. spreta sunt. Cum igitur nulli Principes, & nullæ civitates miserint legatos, nec nobis mandata dederint ulli, præter Ducem Saxoniæ Electorem, abhorrui à profectione, & cum ne curru quidem progredi potuerimus, libenter regressus sum, ac DEO juvante redii Witebergam, etsi multi suadebant, ut in patria manerem. Etsi scio multos Tridenti indoctos & malos homines esse, tamen profectus essem eo, si Germania tranquilla esset. Nunc vel mœstitia me, ut redirem movit, vel quædam probabilis ratio, quod intempestivum esse judicavi, disputatione in Synodo certare de autoritate τῆς ἀρχιερέως, si alibi armis labefactaretur.* Opinio fuit multorum, si Melanchthon Tridentum venisset, futurum fuisse: ut audita enarratione doctrinæ & causarum, è quibus dissensio orta esset; multorum animi considerassent rectiùs & judicassent melius de religione nostra.

Iter Tridentinum impeditum. An. 1552.

† *Tom. 2. epist. p. 246.*

Accessit tunc ad clades alias pestilentiæ malum, propter quod Academia Wirtembergensis *Torgam* est translata, ubi Melanchthon inter alia *Justini Martyris* librum prælegit, & libellum dictavit, *de unione personali*, nondum, quod sciamus, editum. Refutavit etiam scripto Germanico *Osiandri* dogma, quod ipse *Gorgonem Balticam* appellat. Et dicere tunc solebat Melanchthon: *Se non eam pestem pertimescere, sed alias, quæ & infestæ essent Reipubl. & perniciem interitumque communem minari viderentur.*

Pestis Wittenb. Decet Torgæ Melanchth.

Gorgon. Baltica Tom. 2. epist. p. 2[illegible]

Anno *quinquagesimo tertio* de *Stancari* controversia Defensiva scripsit: instituit quoque responsionem ad *Schwenckfeldii* deliramenta, rogatus literis Senatus Augustani. Et scripti quidem contra Stancarum ipse ita meminit ad * Camerarium: *responsionem de Stancari controversia perscripsi, quæ multò est & brevior & summissior, quam postulat magnitudo causæ. Sed hominem iracundum & bilioſum non volui accendere.* Et epistola † quadam ad Matthesium: *ante octiduum elector Marchio vocaverat D. Pomeranum & me, ad cognitionem controversiæ Stancari, qui contendit, Christum mediatorem esse, tantum κατὰ ἀνθρωπίνην φύσιν. Statim intelleximus, & filium electoris, episcopum Meidepurgensem mortuum esse, & patrem ægrotare. Ita existimo cognitionem impeditam. Nos quidem non profecti sumus. Scripsi tamen meam asseverationem piam, quod Christus sit Mediator, sicut & sacerdos est, secundum utramq; naturam. Sic & Ambrosius locutus est, ut ex utraq; natura sit Mediator. Argumenta collecta mittam alio tem-*

An. 1552. Responsio Stanc. Schwenckfeldii.

* *In epist. p. 670.*

† *Tom. 2. epist. Philipp. p. 81.*

Christum Mediator secundum utramque naturam.

tempore. Nunc te oro, ut testimonia in lectione veterum observes de hac quæstione. Hoc eodem anno, die *decimo septimo* Maji, cepit dictare *Examen ordinandorum*: quod sequenti anno editum. Scripsit & alia: de quibus * *Chronologia scriptorum Melanchthonis.* Nos hoc addimus, amisisse tunc Philippum fidelem per annos ferè *triginta quatuor* ministrum *Joannem*: ad cujus funus ipse Academicos cives invitavit *: virtutes & officia illius prædicavit, tumulum quoque carmine epitaphio ornavit:

Joannes patrii Nicri discessit ab undis,
Huc accersitus voce, Philippe, tua.
Quem comes exilii juvit precibusq; fideq;;
Nam verè Gnato credidit ille DEI.
Ipsius hic Dominus sepelivit corpus inane;
Vivit, conspectu mens fruiturq; DEI.

Hic cùm biduo ante obitum audiisset recitari ex carmine Camerarii, quo Wittemberga discedens amicis valedixerat, distichon quo sui fieret mentio:

Jane ministerio magni spectate Philippi;
Care mihi, & valeas care minister hero!

erupit cum lacrymis in has voces: *satis ego tuli præmii pro omnibus officiis ex hoc distichon: quo celebror inter summos viros, & à summis, quos habuit Germania.* Secutus est anno *quinquagesimo quarto*, conventus *Naumburgenses* in Thuringia ad *Salæ* ripam, mense Martio: in quo renovatum est à principibus fœdus hereditarium, quod est inter Saxonicam, Brandeburgicam & Hassiacam familiam, jamptidem à majoribus eorum institutum. Eodem placuit venire & Theologos, inter quos *Melanchthon, Joh. Forsterus* Wittemberga, *Alexander Alesius* ex Lipsensi, *Adamus Craftus*, ex Hassiacis: Argentorato *Joh. Sleidanus.* De eo conventu ita * Melanchthon: *Ut Argonautæ in Syrtibus hæserunt; ita ego in hac via hæreo, cum quidem & negotia mihi multos dolores attulerint. Cum venissemus ad aulam, tria capita proposita sunt, primum de inspectione ecclesiarum, de qua dicebant formam, ut nominant, instructionis nobis indicandum esse. Alterum erat breve, de consistoriis. Tertium, ut nostrum judicium ostenderemus de colonia addita Scholæ Misnensi. Postea cum flagitaremus exemplum instructionis; nemo quidquam composuerat. Jubent igitur, ut ego componam. Scripsi formam subitò, quæ postridie lecta in consessu, comprobata est. De consistorio vestro Pastor quædam annotavit: de colonia nova nihil respondi. Pastor quædam satis ingenuè dixit. Tertius dies consumtus est in Diaconi Fribergensis rixis, qui incurrit asperius in senem Pastorem* ὡς ὑπὸ ἀδιαφόρων. *Scripsi etiam responsionem inserendam litteris Principis ad Ducem Borussiæ, qui petit prohiberi editiones & conciones, in quibus mentio fit dissensionis Balticæ.* Eodem anno Melanchthon sctiptum edidit, de *Serveto* apud Genevenses supplicio affecto: cujus * meminit epistola quadam ad *Bullingerum* his verbis: *Legi quæ de Serveti blasphemiis, respondistis, & pietatem ac judicia vestra probo. Judico etiam senatum Genevensem recte fecisse, quod hominem pertinacem & non omissurum blasphemias sustulit. Ac miratus sum esse, qui severitatem illam improbent. Mitto de ea quæstione breves pagellas: sed tamen sententiæ nostræ testes.*

Exarserunt deinde passim certamina *Osiandrica & Flaciana* planè gladiatoria, ac illa quidem *Norinbergæ* tanta exstiterunt, ut ferri in civitate pacata diutiùs non possent. Itaque à Melanchthone petitum est non jam consilium, quòd ante dederat: sed auxilium, quod perturbatæ ecclesiæ ferret. Impetrata ergo ab *Augusto* Electore Saxoniæ venia eò profectus est, Comitibus *Alexandro Alesio, Joachimo Camerario*, & tum forte hospite *Jacobo Rungio Pomerano.* Anno Christi *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto*, sedata est ea controversia ibi, ut quieta illa deinde fuerit civitas, & Melanchthon complexus est scripto dogma, brevi illo quidem: sed diserto & illustri, sine ullius reprehensione aut insectatione: sed simplici veritatis oratione, qua asseruntur probata, & refutantur damnata.

Bella Osiandrica & Flaciana.

Norinbergam evocatus Mel. An. 1555.

Sedat controversiam Osiander. Consil. Theolog. p. 208.

Inde domum reversum exceperunt *Flaciana* dissidia & turbæ. Nam *Flacius* jam non solùm adud vulgus, sed & apud principes Viros, gratiam collegerat. Itaque latæ Melanchthoni leges, quibus gratia reconciliari posse videbatur, & ipse Flacius non dubitavit propius accedere, atque ad colloquium Melanchthonem evocare. De hac controversia tum alibi, tum † epistola ad *Joh. Matthesium* conqueritur: *Mitto tibi concionem in his feriis amico scriptam. Has res magnas illustrare, quæ invocationem ostendunt, utilius est, quam cum echidna Illyrica certare, cujus venena vires honestos existimo detestari. Non enim pugnat de ullo doctrinæ capite. Sed narrationes scribit, calumniarum & mendaciorum plenas, quibus utrumq; agit: ut me populo invisum faciat, & accendat contra me illos ipsos, qui nunc ei præbent hospitium. Sed Deus* κατηγωρίας *defendet me contrà hunc calumniatorem.* Et ad ipsum *Flacium*, verba hæc sunt Melanchthonis summæ & mansuetudinis & humanitatis * plena: *Ajax apud Homerum prælians cum Hectore, contentus est, cum cedit Hector, & fatetur, ipsum victorem esse. Vos finem nullum facitis criminandi. Quis hoc hostis facit? ut cedentes & arma abjicientes feriat? vincite, cedo, nihil pugno de ritibus illis, & maximè opto, ut dulcis sit ecclesiarum concordia. Fateor etiam hac in re à me peccatum esse, & à Deo veniam peto, quòd non protul fugi illas insidiosas deliberationes. Sed illa, quæ falsa mihi à te & Gallo objiciuntur refutabo.* Acta autem ipsâ inter Flacium & ejus adsectas, atque Melanchthonem, epistolas item ἀμοιβαίας, & articulos ab Illyrico *Cosvigam* allatos, cum Melanchthonis explicatione qui desiderat, evolvat * consilia Theologica Latina à Melanchthone scripta, & à

Flacius oppugnat Melancht.

† *Est. t. 2. Consil. Th. p. 257.*

Querela Melancht.

Mansuetudo & humanitas Mel.

* *Consil. Th. p. 255.*

Acta inter Flacium & Melancht.

* *Consil. Th. parte 2 p. 265. seqq.*

Christ.

Christ. Pezelio ad magnificum *Joachimum à Berge* Silesiæ lumen, omniumque eruditorum Mæcenatem missa: ubi & epistola Melanchthonis ad hanc ipsum Bergerum, *Basileæ* Helvetiorum tunc studiorum causa agentem, lectu digna, & jucunda. Nos historiam vitæ persequemur, ubi hoc indicaverimus, anno *quinquagesimo sexto quæstiones* undecim à *Maximiliano* tunc Regè Bohemiæ per *Richterum* JC. ad Melanchthonem missas de *objectionibus* quibusdam *Pontificiorum* ac *præcipuis capitibus* controversis: ad quas eodem anno Melanchthon respondit, ut meminit * epistola quadam ad Camerarium: *Non poëtica carnificinæ apud inferos, pares sunt meæ carnificinæ, qua excrucior scribendis disputationibus, legibus, præfationibus, epistolis. Nunc respondeo optimo juveni τῷ ἔχοντι ὄνομα υἱὸς θεοῦ τ σωτῆρος, & volumen mitto. Heri in Pomeraniam controversiæ Stetinensis dijudicationem misimus.* Et alibi epistola ad *Hardebergium: De hac totare, vel in Synodo, si procedet, vel alias tecum coram loquar, quia nec literis ista committere possum, & jam alio magno labore occupatus sum in responsione adornanda de multis doctrinæ articulis, ad quendam potentem & bonum principem.* Istas responsiones *decennio* post auctoris obitum curavit *Nicolaus Selneccerus Lipsiæ* excudendas; sed nulla facta mentione principis, ad quem missæ essent, saltem hoc titulo præfixo: Christlicher und gründlicher Bericht / auff etliche gemeine Haupt-Fragen und Objectionen der Papisten und anderer / von den fürnehmsten Stücken der streitigen Artickel / gestellet durch den Ehrwürdigen / hochgelahrten Herrn Philippum Melanchthonem.

An. 1556. Quæstiones undecim à Maximil. propositæ Melanchth.

* *In epist. Melancht. ad Camer. p. 702.*

Respond. Melancht.

Edita illa responsiones.

Anno illo, quo cum Flaciana præcipuè egit factione, qui fuit *quinquagesimus septimus*, inchoatum est colloquium in urbe *Vangionum* de controversiis ecclesiasticis, præside *Julio Pflugio* episcopo *Naumburgensi*; cui additi assessores pars Pontificii, pars Evangelici: in quo Melanchthon postremo cum Pontificiis est congressus. Ibi initio eruditè disputatum de *norma judicii in ecclesia* fuit, quam Pontificii statuebant *perpetuum consensum*, seu *consuetudinem*, Evangelici *Prophetica & Apostolica scripta & symbola*. Hæc cùm essent disputata, petiverunt Pontificii condemnationem *Zwinglianorum*, ut vocabant, *Osiandri, Flacii*, aliorum. Quod cum Jenenses fecissent, discesserunt, atq; ita optatum Pontificiis inter evangelicos dissidium est enatum. Præses itaque idem ad Regem *Ferdinandum* retulit, qui progredi in colloquio eos, qui remansissent, voluit, & satis esse respondit, *si condemnationes ordine adponantur ad articulos singulos.* In dilatione ista actionum, Melanchthon *Heidelbergam* est accersitus, ab *Othone Henrico* Electore Palatino: ut de Academiæ constitutione, eo præsente, deliberaretur. Ibi dum agit, nuncium accipit de obitu uxoris suæ, quem ei attulit una cum literis Academiæ Wittembergensis *Joachimus Camerarius*, exoratus ab amicis, ut eò iret, suaque præsentia luctum levaret. Aperuit autem ipsi domesticum casum in horto principis, ad quem nullam dedit vehementioris doloris significationem, sed nominatim mortuæ valedicens, hoc saltem addidit: *sese eam brevi subsecuturum.*

An. 1557. Colloquiū Wormat. postremum

Interrumpitur colloquium.

Heidelbergam evocatur Melanchthon.

Nuntium de uxoris obitu accepit.

Fuerat cum ipso nupta anno *vicesimo*, nuptias conciliante potissimum *Luthero*, propter causam, quam epistola quadam innuit * ad Spalatinum: *de stipendio Philippi non scribo ad principem, si tu non satisfueris. Quæ antea in eam (rem) scripsi, feci ut homini nulla esset occasio migrandi unquam à nobis. Deniq; ut uxore ducta diutiùs viveret, egi propter evangelii incrementum.* Et alibi ad J. Langum: *Philippo ducitur Catharina Crappin, quod me autore agi clamant. Ego homini, si qua sunt optima, facio, nihil moratus universorum clamorem. Deus bene vortat!* Nuptiæ celebratæ eodem † anno, de quibus ita Lutherus: *Nuptiæ Philippi altera Catharinæ erunt, ita festinare cogit linguarum malarum periculum.* Interfuerunt cum aliis honestissimis & eruditiss. viris parentes Lutheri & sorores.

Conjug. Melanct.

* *Tom. 5. epist. Lat. pag. 281.*

Tom. 1. ep. p. 278.

† *die 25 Novemb. Tom. 2. epist. Lat. pag. 7.*

Factus est ex ea pater duûm filiorum, ac totidem filiarum, quarum altera *Sabino*, altera *Peucero* elocata. Obiit autem illa anno *quinquagesimo septimo* die *undecimo* Octobris, postquam cum marito pie & amanter vixisset annos *triginta septem*, matrona ornatissima atque ipsissima Thabita, cui ejusmodi est epitaphium scriptum:

Epitaphium uxoris Melanchth.

Proximus hic tumulus Catharinæ contegit ossa,
Quæ Crappo quondam consule nata fuit.
Conjugio casto fuerat quæ nupta Philippo:
Ex scriptis cujus nomina nota manent.
Virtutes habuit donatas numine Christi;
Matronæ Paulus quas docet esse decus.
Hîc absente viro sepelivit filia corpus:
Vivit, conspectu mens fruiturq; DEI.

Vixit deinde viduus ad finem usque vitæ Melanchthon, & solenne suum obtinens, tum in schola juventutem erudiit, tum scripta utilia elaboravit: & anno quidem *quinquagesimo octavo Staphyli & Avii* Pontificiorum criminationibus respondit: *Chronicorum* itidem partem primam foras dedit, de quo labore ipse ita ad *Abdiam Prætorium: Propter adolescentes repetivi in scholis seriem veterum Imperiorum, quam certe prodest illi ætati proponere. Utinam ad narrationes ipsas, perpoliendas plus & temporis & eloquentiæ mihi contigisset. Sed spero alios & fluciores & magis disertos hoc exemplo excitatos, meliora scripturos esse.* Anno sequenti inter alia scripsit Græcam epistolam ad *Josephum* Patriarcham Constantinopolitanum, per *Demetrium* Diaconum Ecclesiæ Constantinopolitanæ, qui venerat *Wittembergam*, & ibi per semestre commoratus fuerat, ut cognosceret doctrinam illarum ecclesiarum, cujus explorandæ causa profectionem susceperat. Ad illam epistolam addidit Philippus exemplum

An. 1558. respondet Staphylo & Avio Pontificiis.

Edit chronicor. partem.

An. 1559. scribit ad Patriarch. Constantinopol.

Con-

Confessionis Augustanæ Græcum, nomine *Dolscii* editum, sed à Philippo compositum, de quo ita in quadam ad *Bordingum* epistola: *Mitto tibi interpretationem Græcam confessionis, sine meo consilio editam. Probo tamen phrasin, ac mi si Constantinopolin per virum doctum, qui ibi Diaconi officio fungitur, & tota æstate noster hospes fuit, ac narravit, multas adhuc ecclesias in Asia & in Thracia & vicinis regionibus esse, sed paulatim propter servitutis ærumnas diminui frequentiam.* Respondit eodem anno ad *decretum Abbatum Wirtenbergensium*, cujus quæ summa fuerit, ipse indicat, * epistola ad *Cracovium: Respondi*, inquit, *breviter, ne quid novi moliri videar, affirmo me prorsus retinere formam verborum ante multos annos editam in examine ordinandorum, quod in multis gentibus legitur. Papisticos verò & Methonæos, & Abbatum Wirtebergicorum, & Westuali, Sarcerii, & similium articulos in hac causa manifestè pugnare cum vetere puriore ecclesia, meq; offero ad declarationem, & de hac causa, & de aliis propter quas crudeliter laceror à multis hostilibus exercitibus. Jam enim & scurra Berlinensis novum bellum movet, quod ecclesiam nomino cœtum visibilem.* Scripsit & *judicium* de *controversia cœnæ* ad inclytum principem *Fridericum III.* Palatinum electorem, quod postea evulgatum varieque est acceptum. Absolvit & *responsionem ad articulos Bavaricæ inquisitionis*: quam solitus fuit nominare *suum testamentum.*

Anno *sexagesimo*, qui ipsi fatalis, scripsit 1560. orationem ultimam *de verbis Davidis: Adspicis me in forma hominis, qui in excelsis es Jehova Deus:* non sine præsagio mortis, ultimam etiam epistolam scripsit ad *Joannem Aurifabrum* Vratislaviensem, tunc in Borussia degentem. In illa epistola inter alia hæc sunt verba: *Illustrissimo Principi Borussiæ tanquam moriturus commendavi doctrinam tuam, & de consensu plurimarum ecclesiarum vero & pio scripsi. Hanc doctrinam tibi quoq; commendo.* Lectionem denique ultimam habuit die *duodecimo* Aprilis: in qua explicavit *Jesaiæ* verba illa: *Quis credit sermoni nostro?* Exinde febri hemitritæa laborare cepit, qua vires corporis paulatim absumtæ sunt. Perstitit ipse tamen in laboribus officii sui: adeò ut & scriptum composuerit, die Pascha tunc proponendum, & die *decimo quarto* Aprilis ad lectionem publicam descendere voluerit, dehortante *Camerario*, qui invisendi causa ad eum Lipsia excurrerat, quo cum inter alia de dicto Paulino contulit ex epistola ad Philippenses: ἐπιθυμίαν ἔχων εἰς τὸ ἀναλῦσαι; ac quæsivit ex eo de significatione verbi istius. Viginti novem ante mortem horis testamentum, cum prius illud inter chartas non reperiretur, describere cepit, quod non absolvit. Initium ejus est ejusmodi: *Anno 1560. die Aprilis decimo octavo scripsi hoc testamentum in meo morbo breviter de iis reliquiis facultatum, quas mihi Deus dedit. Confessionem fidei, & gratiarum actionem ad Deum, & Dominum nostrum Jesum Christum scripseram anteà bis, sed chartæ sunt intercepta. Volo tamen confessionem meam esse responsiones de Bavaricis articulis contra Pontificios, Anabaptistas, Flacianos, & similes.* Tandem die *decimo nono* Aprilis dodrante post *sextam* vespertinam elapso, placidè exspiravit, inter preces, & vota seria, cum vixisset annos *sexaginta tres*, & dies totidem, docuisset Wittembergæ totis *quadraginta duobus* * annis. Exuviæ organi Dei die *vicesimo primo* Aprilis in templum, quod ad arcem Wittembergensem est, delatæ, & prope Lutheri corpus, cui in vita ἀδελφάτης, sepultæ sunt. Epitaphium è regione Lutheri laminæ æneæ inscriptum est ejusmodi:

Placidè exspirat.

** Cranium in summitate per aliquot horas fuit calidum.*

Funus ei factum.

Epitaph. positum.

Vitam, fortunasq; suas, studiumq; laboris,
Quiq; operæ sanctam consiliiq; fidem
Impendit divina tuis, Ecclesia, rebus,
Teq; pius varia juvit & auxit ope:
Hac in parte sibi post mortem structa Melanchthon
Communi in luctu busta Philippus habet.
Quæ templi foribus magni vicina Lutheri
E regione solum, quod tegit ossa? videt.
Bretta hunc vitales natum produxit in oras,
Bretta Palatini limes amœnus agri.
Unde propinqua petens adiit bonitate suorum
Diverso Aonidum templa sacrata loco.
Ludus enim puerum accepit Phorcenidos urbis;
Eytelbergiaci mox schola gymnasii.
Doctrinæ hinc fecit juvenem alma Tubinga magistrum,
Eximium laudis gessit ubi ille decus.
Inde triumphator Monachorum Capnio jussit
Albidos hunc ripam visere Saxonici.
Tunc nova Dux Fridericus ubi collegia Musis
Romani fundans ensifer Imperii.
Undiq; conductis præstanti laude parabat
Artis & ingenii reddere clara viris.
Hic socio ipso annis viginti octoq; Lutheri
Wittembergiacæ res fuit ampla scholæ.
Quam septem bis adhuc provexit deinde gubernans,
Fluctivagam ut vastum per mare nauta ratem.
Heu tempestates quas hic perpessus, & ad quàm
Sævos hæc scopulos acta carina fuit!
Quantum externi odii, quantum invidiæq; suorum,
Ingratorum hominum quæ maledicta tulit!
Ipse tamen, quamvis reflantibus undiq; ventis,
Directum est, retinens vera, secutus iter.
Fortia nec clamor latrantis pectora turbæ
Nec vulgus strepitu movit inane suo.
Summa petit livor, nemo hunc superare nisi ipse
Posset, si studiis otia suppeterent.
Ista sub obliquo norunt quoq; sole locati,
Quiq; sub opposito forsitan axe jacent.
Scripta sed illius memorabilia inter & acta
Plurima, quæ solidæ nomina laudis habent:
Unum opus eximium est. Fidei confessio sanctæ
Ante tuos, Cæsar Carole, lecta pedes.
Languida qua Christi jam dudũ ecclesia nitens,
Rursum oculos audet tollere læta suos.

Concurrant inimici omnes licet undique; hic unus
Confutare potest improba dicta liber.
Ac tua nunc terris floret bona fama, Philippe,
Vivit & æternum spiritus ante Deum.
Corpus at exanimum tumulo hoc requiescit humatum,
Condecorant gratæ quem monumenta scholæ,
Ille quod expletis, senio curisque gravatum,
Sexaginta annis, exuit atq; tribus.
Sic, morbo ut paucis nisi debilitante diebus,
Muneris officium fecerit omne sui.
Atque olim æthereas venies revocatus in auras
Integer, & mortis liber abinde metu.
Sancte vir, & salve pater optime. Te tua semper
Nos soboles merita relligione colet.
Doctrinæ nobis veræ tu doctor & autor:
Hæc, tua, clare, ætas munera laudis habet.
Salve iterum atque iterum. Tua nos immota manebit
Semper apud memores gloria, nomen, honos.

Acad. Witteb. Phil. Mel. parenti & præcept. optimè merito pos. Joach. Cam. S. S. M. F.

Quemadmodum autem ipse vivens sæpe dixerat: *se mortuum laborem relicturum poëtis, amicis autem ἀγῶνα ἐπιτάφιον*: ita & factum. Peculiari enim libro collecta prodierunt varia variorum epicedia & elogia: quæ qui volet, perlustret: nos unum atque alterum decerpemus.

Aliorum in Melanchth. epicedia.

* J. Mathes.

Flos jacet hic mellis nigra tellure Melanchthon:
Apes dolete sedulæ:
Unde bonus spirabat odor, pia mella fluebant:
Piæ fleant ecclesiæ.
Lenta febris potuit parvum comburere florem:
Lugete parvi flosculi.
Nulla viri famam poterit delere vetustas:
Faci leves facessite.
Semper aves flavo distendent nectare cellas;
Qua nunc stetit flos melleus.
Semper humus suaves illic diffundet odores;
Qua nunc jacet flos parvulus.
Sed cùm summa dies optato illuxerit ortu;
Flos hic virebit denuo:
Et reliquas inter benè olentes pulcrior herbas
Christi nitebit vertice.

* Dubitam an Mathesii vel I. Majoris sit.

J. Stigel.

Fons latet hoc tumulo: quid quæris amice viator?
Fons dogmatum piorum & eloquentiæ:
Si quis ab hoc rivum proprios deduxit in hortos,
Non aureas huic præferat pyramides.
Illius obstructas doleat Germania venas:
Parem futura non habebunt secula.

Theodor. Beza:

Et tu igitur tandem tumuli sub mole repostus,
Pie ô Philippe, nunc jaces.
Et quam invidisti vivus tibi tute quietem,
Cunctis quietem dum paras,
Ipsa tibi cura & sancti peperere labores,
Carum ô bonis cunctis caput!
At tu funde rosas, funde isti lilia tellus,
Ut lilia inter & rosas,
Quo nil candidius fuit & nil suavius unquam,
Recubet Melanchthon molliter.
Et gravis huic ut sis, caveas juvenisve senexve,
Qui nemini vixit gravis.

Huic viro, omnia quæ ad summam laudem optari ab homine possunt, Dei beneficio obtigerunt. Puer infantiæ opinionem: pueritiæ adolescens, adolescentiæ vir superavit admiratione omnium; quam ipsam vicit senescentis ætatis quasi viriditas mirabiliter operosa: nullo in munere exequendo languida: atque in occupationibus consuetis perseverans. Hinc inde ab initio Evangelii semper fidus Lutheri Achates fuit: suaque industria atque eruditione Wittemberg cam Academiam præcipuè sustinuit: nec passus est vel bellis civilibus, vel intestinis odiis sese ab ea abstrahi: binas, ternas, quaternas quotidiè scholas habuit easque frequentissimas, nullam autem horam vacuam à legendo, scribendo, disserendo, consulendo &c. Hinc * Lutherus ita ad Spalatinum: *De Philippo nostro, nec ipse statuo, quod ad Plinium pertinet: Paulum ad Romanos legit longè majore utilitate, quàm Plinii multi valeant, & tribus lectionibus publicis, unum caput gravari per diem, tu cogita quid sit: ne hominem extinguamus.* Et * alibi quasi stomachans: *Vellem te adhuc decies plus obrui, adeò me nihil tui miseret, qui toties monitus, ne onerares te ipsum tot oneribus, & nihil audis, omnia bene monita contemnis. Erit cùm serò stultum tuum hunc zelum frustra damnabis, quo jam ardes solus omnia portare, quasi ferrum aut saxum sis.* Voluit idem Lutherus dum in eremo latuit, ut Melanchthon ad populum conciones haberet diebus festis, etiamsi unctus ac rasus non esset, & insuper conjunx. *Verè*, inquit, *est Sacerdos, & agit de facto sacerdotem.* Eruditionem autem ejus quanti fecerit ex * istis apparet: *Philippi positiones vidisti aut nunc vides audaculas, sed verissimas. Ita respondit; ut omnibus nobis esset id quod est, scilicet miraculum: si Christus dignabitur, multos ille Martinos præstabit, diabolo & scholasticæ Theologiæ potentissimus hostis: novit illorum nugas simul & Christi petram, ideo potens poterit, Amen.* Et * alibi: *Redeo ad Philippum, quem tantum abest, ut ullus Eccius mihi reddere possit invidiosum, ut in omni mea professione nihil ducam antiquius Philippi calculo, cujus unius judicium & autoritas mihi stant pro multis millibus sordidorum Eccionum. Neque me pudet, etsi magistrum artium, Philosophiæ & Theologiæ, & omnibus penè Eccii titulis insignem, si hujus mihi Grammatistæ dissenserit ingenium, meo sensu cedere.*

Dotes & virtutes Melanc.

Lutheri fidus socius.

Academia Witteb. columen & lumen.

* Tom. 1. epistol. Lutheri p. 269.

* Tom. 1. ep. p. 317. Lutherus deplorat Melanchthonem à molestiis. Vult illum concionando se exercere. Tom. 1. epist. p. 318.

* Tom. 1. epist. p. 319. Vide præf. t. 1. Lutheri oper. & vitam Melanch. inter Philos. Germ.

* Tom. 1. epist. Lutheri p. 197.

Quòd

Quòd & sæpius feci, & quotidie facio, ob divinum donum, quod Deus in hoc fictile vasculum (Eccio quidem contemptibile) larga benedictione infudit. Ad ipsum autem Melanchthonem ita alicubi: *Non probo tuam timiditatem, cum & majori tam spiritu, quàm eruditione polleas, quàm ego &c.*

Nunquam affectavit titulos nunquam honores ambiit, aut opes: imò negligentiusculè alicubi visus est rem domesticam curare. De titulis ipse * ita: *ille adolescens, quisquis est, si non habet certam conditionem, meo judicio rectius faciet, si non properabit ad gradum. Titulus aliquid habet oneris. Vides meum exemplum, nemo me perpellere potuit: ut illum, quamlibet honorificum titulum Doctoris, mihi decerni sinerem. Nec ego gradus illos parvifacio, sed ideò, quia judico esse magna onera & necessaria reipubl. verecundè petendos esse, & conferendos, sentio.* Et ad Hubertum Languetum *. *Quærant alii regna & potentiam, nihil hæc ad me pertinent. &c.*

In publicis illis conventibus quantum præstiterit, nemo nisi prudens rerumque peritus æstimare potest, & sunt in medio *confessio Augustæ* exhibita, ejusque *Apologia*; *acta Ratisbonensia, Wormatiensia, Smalcaldica, confessio ad synodum Tridentinam*: quæ omnia ad universam ecclesiam & ad imperium Romanum pertinent: atque ingenium, sapientiam, eruditionem singularem requirunt. Scripsit *Locos communes*: enarravit *symbolum Nicenum*, *epistolam ad Romanos* ferè *decies* totam, de qua solitus fuit dicere: *hæc epistola est confessio nostrarum ecclesiarum*: artes fermè omnes methodicè comprehendit, & perspicuis exemplis illustravit, ut taceamus *lectiones*, quas aliis tum Wittembergæ tum alibi, præscripsit: *orationes, carmina, epistolas* infinitas. Affirmat * *Camerarius: visas esse chartas cum humidis adhuc literis reliquis afferri iis, qui jam pronunciare composita ab eo priora cepissent.* Causam sacramentariam ex professo quidem non tractavit, tanquam Lutheri propriam, & ad ejus mentem, sed tanquam communem Luthero cum Pontificiis: adversus quos serio semper ursit, & in publica doctrina nihil prætermisit, quod esset necessarium cognoscendæ veritati. Interrogatus aliquando à *Mordisio*: *cum sententiam suam ea de controversia non explicaret? Faciam hoc* respondit: *sed dimittite me ex his terris.* Instante illo, *cur non facis nobiscum? non*, inquit, *tibi ignotum est, quæ & quanta obstent impedimenta. Sed dimittite me obsecro.*

Certum est autem Melanchthonem suam sententiam de cœna à Luthero non celasse. Nam cum anno *quadragesimo primo* ad colloquium Ratisbonense iturus, sententiam suam testimoniis veterum Patrum tam Græcorum quam Latinorum munitam Luthero, ut solebat, exhibuisset: Lutherus glossas quasdam iis dictis, quæ adversari suæ sententiæ videbantur, adscripsit. Tum Melanchthon, *D. Doctor*, inquit, *& ego scholia ejusmodi possem ipse adjicere, sed firma satis non sunt.* Cui Lutherus: *tute facies, quod rectum erit.* De antiquitate autem testimoniorum illorum nihil aliud Lutherus dixit, quam hoc, *vix credibile, talem errorem tam diu in ecclesia hæsisse.* Cui subjecit Melanchthon: *si te hic longinquitas temporis movet, cur non & in aliis erroribus longè vetustioribus?* Ad *Camerarium* etiam ita de eadem re * Melanchthon: διελέχθην ὁ πρὸς Λυθήρῳ πολλὰ περὶ ζωάξεως, καὶ περὶ τῆς παραδόξου ὑπὸ τινων δογματιζομένης συμμίξεως τοῦ ἄρτου τε καὶ σώματος τοῦ χριστοῦ· ἀλλ' ἐκεῖνος ἀπεκρίνατο ῥητῶς διϊσχυριζόμενος καὶ βεβαιῶν, ἅπερ χθὲς καὶ πρότερον: hoc est: *Disputavi autem cum Luthero multa de synaxi, & illà admirabili, quam aliqui asserunt, permistione panis & corporis Christi. Atq; ille respondit planè, & constanter affirmans eadem fere, quæ prius.*

* *In epist. p. 113.*

Pro omnibus autem laboribus mercedem mundi retulit, reprehensiones, accusationes, injurias, convicta. Ac singulari quasi fato hoc ipsi impositum fuit, *male audire, & calumniis proscindi.* Jam dictus fuit facere cum Pontificiis, adeoque *galerum Cardinalitium* ambire: jam Wittemberga abiisse dissidentem à Luthero, jam colludere cum aliis, jam frigus esse & glacies, & in hac palæstrâ totâ ipsi vita consumta est, unde sæpe cum gemitu illud repetivit, *calumnia conturbat sapientem, & frangit robur cordis ejus.* Ingratorum etiam cuculorum habuit satis, qui ipsius vitula ararunt atque etiamnum arant, sed gratiam minime dignam retulerunt referuntve. Anno *quinquagesimo quinto* cùm inter studiosos tumultu orto, post horam noctis decimam, ipse cum famulo prodiisset hortaturus eos, ut tumultuati desinerent, ac tranquilli domum redirent, quidam petulantior stricto in utrumque gladio impetum fecit, extrema quæque minatus. Eum Academia ad octennium relegavit. A *Flacianis* autem tot ac tantas plagas accepit, ut exilium in dies expectarit. Itaque ad *Hardebergium* suum sæpe ita questus est: *Non frangor animo, propter crudelissimam vocem meorum hostium, qui dixerunt, se mihi non relicturos esse vestigium pedis in Germania. Commendo autem me filio Dei. Si solus expellar: decrevi Palæstinam adire, & in illis Hieronymi latebris, in invocatione filii Dei, & testimonia perspicua de doctrina scribere, & in morte Deo animam commendare.* Et alibi: "*Avidè & tranquillo animo expecto exilia, sicut & ad principes scripsi. Dixerunt adversarii, se perfecturos esse, ut non sim habiturus vestigium, ubi pedem collocare possem in Germania. Utinam hoc citò perficiant, ut filius Dei ad Judam dicit. Erit mihi vel in cœlo vestigium morienti, vel si vivam in hoc corpore, apud honestos & doctos viros, vel in Germania, vel alibi. Ac stultitiam inimicorum miror, qui ss. dominos Germaniæ esse existimant, & me his minis terreri.* Idem alibi: *Incitantur adversum me Regum & Principum animi, cum*

Merces Melanchthoni relata.

Ingrati Melancht. discipuli.

Gladio appetitus Melancht.

A Flacianis vexatus.

Exilium Melancht. expectat.

quidem nihil ediderim contra ipsorum senten-
* Tom. 1. enarrat. evangel. pag. 358. *tias.* Imò publicè non dubitavit affirmare*: *Ego jam sum hic, Dei beneficio, quadraginta annos, & nunquam potui dicere aut certus esse, me per unam septimanam mansurum esse.* Et cùm alias in vivis livor pascatur, post fata autem quiescat, in ipsum etiam mortuum immanitas multorum sua tela intendit. Notum est enim alicubi decretum factum: *auctoritatem scriptis Philippi eam, quam habuissent, adimendam esse:* ac talia δύσφημα multa sunt, de quibus præstat tacere.

Etiam mortuus laceratur.

Valetudo Melanchr. Valetudine usus est tenui, & cholica interdum laboravit, de qua ita * Lutherus: *Quod cholica te discruciat, doleo, oroq; Christum quantum possum, ut te sanet & servet. Nam te superstitem mihi valde cupio in tantis perturbationibus ecclesiæ, ut sint adversus Sathanæ furores inæstimabiles aliquot reliqui, qui se pro domo Israel muros opponant, in hoc die furoris Domini, visitantis nostram, sicut dignum est, ingratitudinem.* Interdum etiam hypochondriacis doloribus est conflictatus, quos usus herbæ chamæleontis mitigavit, cujus remedii efficacitatem sæpe prædicavit. Cerebrum habuit firmissimum, quod nisi tale fuisset, tantos ille & tantarum occupationum labores per tot annos sustinere minime potuisset, & in ultimis morbi sui diebus ad filiam testatus est, *se Dei beneficio capitis imbecillitatem nec sensisse, nec sentire ullam.* itaque non defuerunt, qui & tunc vitæ exstinctionem metuerent duriorem, & βίαιον, ut Aristoteles appellat, non senilem μάρανσιν. In victu fuit paucis contentus, in omni vita verecundus, in vestitu valetudinis rationem habuit, ac binis semper interulis usus, sagax futurorum atque ut Græci vocant εὐθυόνητος, liberalis erga omnes, comis, & humanus ὁμιλητικὸς, unde ita ad Georgium Cracovium: *Etsi ad convivia propter imbecillitatem meam, non libenter accedo, tamen quia sermonum communicatio grata est, quocunq; tempore ea frui possum, libenter ad te venio.* Pater ἐυσπλαγχνος maximè in filiam Annam Sabino nuptam, de
* In epist. p. 457. qua ita ad Camerarium *: *Etsi doleo longiùs a me filiam, cujus mihi virtus non rarò mœstitiam lenit, abduci, tamen in tantis miseriis publicis hæc privata mediocriter ferenda esse duco, & Deo eam commendo. Memini cum infantula mihi lacrimas à genis detergeret suo induſiolo, quo uno erat induta mane. Hic gestus penetravit in animum meum, ut non putem fuisse ἄσημον.* Multa etiam graviter ac piè dixit, ut ad quendam * Italum: *Vos Itali vultis Deum habere in pane, quem non creditis esse in cœlis*, ad alium, qui à curis eum dehortabatur: *Si nihil*, inquit, *curarem, nihil orarem.* In quibusdam nuptiis gratias jussus agere convivis, ibi ita: *Fuit Tubingæ sacerdos, qui hisce exordiebatur suam concionem: Vos me non libenter auditis, & ego non libenter concionor: non igitur vos tenebo. Magnifice Domine Rector, vosq; cæteri, sponsus gratias agit, rogat boni consulatis, & ad cœnam redeatis.* Dixit etiam, *nullum hominem tantum sustinere malorum, quantum contumeliarum DEUS.* Voto hoc est usus quasi proverbiali, quicquid diceret vel ageret privatim & publicè in lectionibus: *Deus nobis adsit, & sit nobis propitius:* Unser HErr GOtt helff/ und sey uns gnädig: Tres *labores* affirmavit esse *difficilimos, regentis, docentis, parturientis.* Studiosos *tribus* potissimum conflictari *morbis, paupertate, scabie, pituita.*

Chamaleon herba.

Vita interior Melancht.

Dicta Melancht.

* An. 1557. in colloq. Worm.

Matthes. 12. conc. de Luth. p. 139

Labores duri tres. Morbi tres. dioscorici. Mortem meditatus Melanchth.

Ad mortem maturè se paravit; & aliquot ante obitum annis à poëta, familiari suo petivit, cum Lipsiæ esset, ut sibi mortuo epitaphium scriberet, breve quidem & simplex: atque exempli loco hoc distichon pronunciavit:

Iste brevis tumulus miseri tenet ossa Philippi:
Qui qualis fuerit nescio, talis erat.

Ibi alter: *unum tantum verbum in tuis versibus mutare liceat, & habebo epitaphium sepulcro tuo non indignum*: ut pro *talis* scribatur *magnus*. Ad Hardebergium autem ita scribit: *Hic annus climactericus in hoc æstu valdè languefacit corporis mei vires, antea quoq; multis ærumnis debilitatas. Cedam autem libenter ex horum temporum Sophistica.*

In epist. p. 388.

Concludimus hanc narrationem de Melanchthone ipsiusmet Melanchthonis verbis ad Camerarium: *De precatione plena sinceri amoris erga Deum & erga nos, missa per Franciscum & tibi & amicis gratias ago. Et scio gemitus & vota tua & nostra non esse irrita. Etsi autem sæpe desideravi, ut docti & boni de universa doctrina colloquerentur, & relinqueretur posteritati vera, simplex, explicata, multorum eruditorum & piorum testimoniis exposita sententia in omnibus articulis, tamen id tempora impedierunt. Interea quantum potui curavi, ut res necessariæ mediocriter explicarentur. Non opes, non gloriam, non voluptates quæsivi, imo nec φιλονεικίᾳ motus sum ulla. Hanc conscientiam aufero quocunq; discedo.* Judicium autem magni Scaligeri de hoc viro præterire silentio nefas ducimus, quod ad omnem memoriam tale * reliquit: *Ne Melanchthon quidem abhorruit ab ea laude, quæ ex poëticis artibus comparatur. Tametsi nonnulli ejus populares insanis quibusdam præceptionibus è Christiana republica poetas exigendos exclamarunt: quorum barbariſſimam amentiam non verbis: neq; enim nugis aut clamoribus vinci queunt; sed contrariis affectionibus doctissimus quisq; damnavit. Illius igitur ingenium magnum, atq; ad omnia comparatum intelligemus ex iis poematis, quibus solis lunaq; defectiones cecinit. Nam & tempora varie describit eadem versibus luculentis, & eodem nitore præsagia statuit, cujus vestigia sequuti sunt non ignobili ingenio Germani aliquot, Stigelius, Æmilius, Aconitius, Volfius, Camerarius. Idem Philippus in Epigrammate jucundus, atq; festivus. Nam aliorum ingenia Germanorum rarò quicquam scribunt, quin jocorum aliquid agant, quò fit ut risus è vulgo, non admiratio à sapientibus sequatur.*

Judicium Jul. Cæs. Scalig. de Melanchth.

* Lib. de poët. p. 798

tur. *Quæ tamen verterunt Græca (iis enim gens illa dedita est inprimis) non invita Minerva faciunt.* Scaligeri judicio addimus *Erasmianum*; quod tale: *Philippus*, inquit*, *Melanchthon præter insignem eruditionem & raram eloquentiam, habet gratiam quandam fatalem, quam genio suo debet potius, quàm ingenio, ut cùm sit omnibus candidis gratissimus, ne apud hostes quidem habeat quenquam, cui sit admodum exosus.* Sed quid de P. B. cardinalis judicio sentiendum, de quo talis exstat narratio? Cum *Georg. Sabinus*, literarum gratia in Italiam profectus Cardinali illi Romæ literas à Melanchthone reddidisset: Cardinalis, qui Melanchthonem religionis quidem professione disparem, ob eruditionem tamen magni faciebat, & commendationem apud se valere vellet plurimum, Sabinum non solùm ad colloquium humaniter admisit, sed etiam ad mensam adhibuit. Inter epulas tum alia sciscitatus ille, tum hæc tria inprimis scire voluit, *quanto stipendio Melanchthon doceret, quàm frequenti auditorio*, & denique *quid de resurrectione mortuorum ac vita æterna sentiret?* Ad primum respondit Sabinus: *numerari Melanchthoni quotanis trecentos circiter florenos.* Tum Cardinalis, *ô ingratam*, inquit, *Germaniam; quæ tanti viri tot tantosq; labores non pluris æstimet.* De auditorum numerò cùm respondisset Sabinus: *habere Melanchthonem ut plurimum mille quingentos auditores*: Cardinalis id *se non posse credere*, ait: *quod nullam tota in Europa Academiam nosset, una Parisiorum excepta; in qua unum tot audirent.* Habuit autem Melanchthon sæpè auditores *bis mille quingentos.* Ad tertiam quæstionem respondit Sabinus, è scriptis Melanchthonianis notam esse ipsius de utroque religionis capite πληροφοείαν. Tum Cardinalis: *haberem virum prudentiorem, si hoc non crederet.*

De scriptis autem ejus nota sunt aliorum judicia, quorum unum & alterum hic lubet subjungere. *Nicolaus Gerbelius* vir pius & doctus * ita de iis; *Mihi unus Philippus & solus ferè, post divinas literas, & acutè, & doctè, & brevissimè omnia agere videtur.* Lutherus autem tum alias gravissimè Melanchthoniana commendavit, tum hac * epistola, quæ non ita in vulgus nota, *Sublegeram*, inquit, *jam ante Philippi nostri annotationes in tres epistolas Pauli. In qua re cum liceret irasci in furem Lutherum; hoc tamen se putabat egregiè in me vindicatum, quod libellus typographorum negligentia satis mendosus exierat, ut & me propè puderet & pigeret furti tam malè locati. Ille interim me risit, sperans fore; ut furtis ejusmodi deinceps abstinerem, meo periculo doctus. Ego autem risu eo nihil motus, auxi meam temeritatem, & jam non furor, sed per vim rapio, frustra renitente autore, annotationes ejus in Joannem Evangelistam. Quas tamen nolo verbis ornare, sese commendabunt Lectori, ne rursus nasus ejus & rugæ mihi ferendæ sint. Non enim modestiæ studio, sui & suarum rerum contemptor est, sed quod Christiano affectu omnia nostra nihil esse credat. Soli autem Christo omnia deberi tàm obstinatè, ut mihi planè videatur saltem in hoc errare, quod Christum ipse fingat longiùs abesse cordi suo, quam sit revera. Nec mihi aliter suadenti, amplius credit, adeo profecit, & me superavit: Novissimi sic fiunt primi, & primi novissimi. Denique testatur sese harum annotationum non velle autorem agnosci. Certè nimis nullus est Philippus in hac parte Ecclesiam juvando: Mallem & ego nullos esse uspiam commentarios, solis & puris regnantibus ubique scripturis, viva voce tractatis. Sed quomodo Ecclesia carere possit Commentariis scripturas saltem indicantibus, non video, quales Philippi sunt. Et quis non videt Epistolam ad Hebræos esse propè commentarium? Item Pauli ad Romanos & Galatas? Quis enim sic tractaturus erat sacras scripturas, nisi Paulus sic tractandas esse monstrasset? At hoc monstrare ego appello commentari. Hoc solum à Philippo petitur. Ipse verò, alia sibi de se ipso somniat peti.* Hactenus Lutherus. Ipse autem sic de se Melanchthon: *Ego me includo in artium & methodi septa: sed tamen prudentibus facilè satisfacio. Verùm si vos aliquid in meis scriptis desideratis, magno me beneficio afficietis, si candidè me admonueritis.* Verbosius idem & se & scripta sua epistola quadam retexit*, in qua & quid suorum probet, quidve improbet; ingenuè exponit. Fatetur ibidem; *nullum fere suorum librorum, præsertim Philosophicorum, esse integrum aut absolutum*, & ab amicis in Italia se interrogatum; *cur tales nugas publicari sineret?* Sed respondit, se commodum juventutis in scholis quærere, & quanquam ipse multa in suis desideret, ac deesse agnoscat, ex ingenii sui tarditate, injuriis fortunæ & aularum quoque debilitati, atque otii penuria tamen minus pœnitere laborum, si superiorum annorum cogitet inscitiam. De sententiis illis Patrum & δείπνῳ κυελικῷ, à se collectis, scribit; *quasdam earum esse supposititias: ac malle se, & hæc & similia omissa esse.* Excitatus autem fuit *dialogo Oecolampadii*, ut, post editas illas sententias, totam antiquitatem accuratiùs pervestigarit, qua cognita, sententiam mutavit, paucis post colloquium Marpurgense annis, ipsum autem Lutherum gravibus de causis nunquam oppugnavit, sed horridiores ejus sententias, ut alias, moderatus est.

* *Epist. ad Ioh. Schuveb. 1520.*

Iudicium ipsius Mel. de se & suis scriptis.

* *Exstat ea t. 1. ep. Melanchth. pag. 330.*

De dictis Patrum à se editis.

Et hæc de Melanchthone, si cui placet, addat aliam vitæ ejus descriptionem, quæ in Germanorum Philosophorum vitis reperitur.

CONRADUS LYCOSTHENES.

RUbeacum, hodie superioris Alsatiæ oppidum, patria fuit *Conradi Lycosthenis*; nati sub annum Domini *millesimum, quingentesimum, decimum octavum*, * Patre *Theobaldo* Wolffhart, (quod cum Græco Lycost-

⊙ 1561. *d. 25. Martii ætat 43*

* *V. in vita Pellic. Theobald. Wolfhart Lycosthenis avunculus Pellican.*

Lycosthenis commutatum) consule & quæstore multis annis illius reipub. matre *Elisabethâ*, sorore *Conradi Pellicani*: de quo antea.

Puer, bonâ indole & ratâ industriâ, prima literarum rudimenta maturè imbibit, non sine avunculi illius, ut verisimile est, ductu. Itaque *septendecim* annorum adolescentulus, *Venit Heidelberg.* Academiam Haidelbergensem, optimarum artium studiis florentem, accessit, ubi ad percipiendas linguas & doctrinas liberales, plurimum operæ, studii, ac laboris contulit: atque ita in omni studiorum genere versatus fuit, ut anno Christi *millesimo, quingentesimo, trigesimo nono*, ætatis *vicesimo primo*, summum Philosophorum ἀξίωμα cum laude reportarit. *Philos. Doctor creatur.*

Inde ad cœlestium literarum monumenta, singulari ductus pietate, animum adjecit: & *Theologiæ dat operã.* Theologorum ἀκροατήεια studiosè frequentavit, domi quoque sacris perdius & pernox operatus. Cum hoc Theologiæ studio historiarum, occulto quodam naturæ inflammatus igniculo, cognitionem conjunxit; *temporum series conferendo, regnorum periodos annotando, res gestas moresque singularum gentium* observando. Propter quæ studia tum *Et historiarum cognitioni.* optimo cuique gratus, tum *Henrico Stoloni*, ecclesiasticæ tunc temporis Heidelbergensi, de quo ante, fuit amicissimus, quo cum etiam anno *quadragesimo primo*, Ratisbonam, ad conventum Theologorum profectus, multa tam in ecclesiasticis, quàm in politicis ἀξιομνημόνευτα observavit. *Charus Stolon. Cum eo abit Ratisbonam.* Quæ autem ibi agitata sint in dirimendis religionis controversiis, acta colloquii illius edita ostendunt.

Reversus *Heidelbergam*, studiorum cursum, uti ceperat, ursit, usus patrocinio & amicitiâ popularis sui *Lucæ* Schroteisen / Professoris tunc eâ in Academiâ, postea jureconsulti ac cancellarii Würtembergici. Exinde anno *quadragesimo secundo* Basileam cum *Henrico Pantaleone*, studiorum socio, venit; statimque inter Professores artium locum nactus, *Grammatica & Dialectica* fide & dexteritate singulari tradidit. Hanc functionem cum *triennium* obiisset; translatus est ad officium *Diaconi* ad D. *Leonhardi*: quo in munere ad vitæ usque exitum fideliter elaboravit, publicè docendo ecclesiam, privatim scripta in usum posteritatis elucubrando. *Hominis* enim *mens discendo alitur, & cogitando semper aliquid aut inquirit aut agit: videndique aut audiendi delectatione ducitur.* *Lucas Schroteisen. Basileam abit cum Pantal. Lycosthen. Ibi Professor designatur. Et Diaconus ad Leonh.*

Verùm quemadmodum utrumque tum animo tum corpori noxium est, & *immodicus labor & otium segne*: ita & *Lycosthenis* usu venire necesse fuit. Dum enim

Nullum à labore ipsum reclinat otium,
Urget diem nox, & dies noctem:

Paralysi corripitur. Amittit memoriam. Recuperat. subitâ paralysi, anno *quinquagesimo quinto*, dextri lateris tactus, linguæ etiam officio sublato, ratione salvâ, memoriam aliquot diebus amisit. Pristinæ tamen valetudini utcunque restitutus, *septennium* pòst integrâ vixit memoriâ: cùmque manus dextra officium non faceret, sinistrâ usus, aliquot libros absolvit. Nam *librum prodigiorum à condito mundo, ad suam usq; ætatem*, annorum observatâ serie, deduxit: & *Theatri vitæ humanæ*, operis immensi & laboris & studii, *fundamenta* jecit: quod postea *Theodorus Zvingerus*, privignus ipsius, philosophus ac medicus, eruditionis & lectionis variæ ad fastigium usque perduxit. *Sinistra loco dextra utitur. Theatrum vitæ humanæ orditur.*

Tandem quod diu ipsi facere minata mors erat, fecit. Anno enim *sexagesimo primo*, die *vicesimâ quintâ* Martii, apoplexia gravissimâ correptus, intra unius horæ spatium, vitam cum morte exspectatissimâ commutavit, ætatis suæ anno *quadragesimo tertio* nondum completo. Sepultus honestè est Basileæ ad D. *Leonhardi*, tali cum epigraphe: *Moritur.* *Epitaphium ejus.*

SISTE GRADUM VIATOR:
SI BONUS ES, MORERE VICTURUS:
SIN MALUS ES, VIVE MORITURUS.
HOCCE
CONRADUS EGO LYCOSTHENES RUBEACENSIS, PHILOSOPHIÆ PERENNIS COMPENDIUM ÆT. LUMINUM DATORIS BENIG.
PER XLII. VALETUDINARIÆ ÆT. ANNOS M. VII. D. VII. SEDULO SERIOQUE COMMENTATUS;
IIX. KAL. APRIL. NON IMPROVISO APOPLEXIÆ TURBINE,
AD CERTAM IMMORTALIT. ANNO EJUSDEM REPAR. M. D. LXI.
PRÆTER VOTUM METUMQVE ABREPTUS, SORTIS LIT. MULTAM SALTEM, SI NON MAGNAM, RELIQUI USURAM POSTERIS. QUI POTES MELIORA, DEBES: ATQUE UT PRÆSTES, IN REM TUAM ABI.

Theologus hic atque philologus diligentissimus, deque communibus studiis præclarè meritus, inter labores adsiduos mortis horam semper fuit commentatus, & quatuor summa erga se agnovit ac deprædicavit beneficia; quòd *Christianus natus*: quòd *in literarum studiis educatus*: quòd *ad Theologiæ professionem vocatus*: quòd *opportunitate, Rempubl. scriptis suis juvandi, non fuisset destitutus.* *Quatuor beneficia agnovit.*

Monumentorum ingenii ipsius elenchus hic est: *commentaria in Plinium juniorem* de viris illustribus: *de Rubeacensium republ.* ejus primordiis, incrementis, devastationibus: *Julii Obsequentis prodigiorum* liber restitutus & auctus: *de mulierum præclarè dictis & factis*: de *priscis Romanorum legibus & plebisscitis*: de *similibus factis & eventis*: *calendarium historicum*, in quo multarum gentium menses cum Romanorum mensibus conferuntur: *illustrium virorum apophthegmata*: *similitudinum & parabolarum* loci communes: *Scripta.*

hes, *virtutum & vitiorum exempla*, *annotationes in Justinum*, *Valer. Maximum*, & *Feneſtellam*, *compendium bibliothecæ Geſnerianæ*, & alia complura. Theatri vitæ humanæ, hoc eſt, exemplorum & hiſtoriarum materiem ſeu farraginem infinitam ferè incredibili labore quindecim amplius annis ipſe congeſſit: ſed morte ſubitâ oppreſſus, nec hanc, ut diximus, nec *Similium* editionem ad umbilicum deducere potuit. Aggreſſus deinde laborioſum opus eſt *Theodorus Zuingerus*: cui Lycoſthenes conditione vitricus, voluntate plus quàm pater, eaque forma, quæ hodie exſtat, digeſſit.

Theodor. Zuinger.

Pantal. l. 3. Proſopograph. Zuingerus in præfatione Theatri: Baſilienſium monumenta, alii.

JACOBUS BEURLINUS.

1561. d. 28. Oct. ætat. 41.

Dornſtadii, Hercyniæ ſylvæ oppido, natus eſt *Jacobus Beurlinus*, piis honeſtisq; parentibus, anno Chriſti *milleſimo*, *quingenteſimo*, *viceſimo*. Domi primis literis imbutus, cùm ingenio eſſet felici, nec à ſtudiis abhorreret, *Tubingam* venit: ubi tum linguis & artibus, tum ſacris inprimis literis tantâ diligentiâ incubuit, ut ſummo in Theologiâ gradu fuerit ornatus.

Dornſtadium patria Beurlini.

Tubing. venit.

Ibi Theol. D. renunciatur.

Deinde in Profeſſorum Theologicorum ordinem cooptatus, epiſtolas Paulinas, aliaque ſcripta Prophetica & Apoſtolica, magna perſpicuitate & gravitate eruditiſſimè eſt interpretatus. Poſtea à Duce Würtembergico, cum tribus Theologis, *Joanne Brentio*, *Jacobo Herbrando*, & *Valentino Vannio*, Abbate Maulbrunnenſi, Tridentum ad Patres Concilii inſtituti, anno ſalutis humanæ, *milleſimo*, *quingenteſimo*, *quinquageſimo primo*, miſſus eſt. Inde reverſus in *Boruſſiam*, ad componendam controverſiam, in juſtificationis articulo exortam, juſſu & mandato principis abiit, & alias multas periculoſas profectiones, magna dexteritate ſuſcepit atque obivit. Nam diſputator fuit acutus, induſtrius, & multis egregiis virtutibus præditus. Præterea ſuaviſſimis moribus, modeſtia & humilitate tanta, ut nemini ſe præferret, in aliisque longè indoctioribus dona DEI agnoſceret, ita ut cum quovis etiam pueto facile loqueretur.

Et Profeſſor conſtituitur.

Mittitur Tridentum.

Et in Boruſſiam.

Tandem ob ſingularem eruditionem, prudentiam & dexteritatem in rebus agendis, ſumma & dignitate & authoritate donatus eſt, ac communi ſenatus ſuffragio, principis voluntate, Tubingenſis Academiæ præpoſitus & cancellarius factus electusque.

Præpoſitus & Cancellarius Tubing. eligitur.

Poſtremo cum religionis nomine magnæ in Gallia turbæ excitarentur, & colloquio dirimendæ publico viderentur; ipſe juſſu Principis cum collegis quibusdam in Galliam abiit. Ibi dum Pariſiis Bibliothecam, optimis autoribus refertam, perluſtrat: morbo corripitur, quem primò ſacrum ignem, qui Eryſipelas Græcis, rati: poſtea eventu triſtiſſimo edocti peſtem fuiſſe cognoverunt, quæ Lutetiæ tunc & in illo Sorbonæ collegio graſſabatur; id quod noſtri ignorabant. Eo morbo non ſine luctu bonorum deceſſit, anno Domini M. D. LXI. die *viceſimo octavo* Octobris, ætatis ſuæ anno *quadrageſimo primo*. Ante obitum hos verſus, quibus animi ſui præſentiam indicavit, dixiſſe fertur:

Abit in Galliam.

Peſte corripitur.

Qua extinguitur.

Voces ejus ultimæ.

Ἐγγὺς ἐγὼ θανάτοιο. Φείξοι κεν ἄλλος, ἀτάρμοι
Ὅτι μελλ. Θανέειν ἔμαθεν πάρος, οὐχὶ παρέζων.

Moriens itidem ſuos viduam & liberos ſecundum Deum principi ſuo commendavit: qui quâ fuit pietate & clementia paternam liberorum habuit rationem, liberaliter ad honeſta matrimonia dotando. Fuit ominis loco habitum, quod ipſis proficiſcentibus accidit. Egredientibus enim *Stu'gardia*, equus cæteris generoſior, ſub curru exanimis concidit.

Omen.

Ut autem Academia Tubingenſis ſuo Cancellario, in negotio publico defuncto, ſeſe gratam declararet: epitaphium ei in templo erigendum curavit ejusmodi.

Epitaphium Beurlini.

CLARISSIMO VIRO JACOBO BEURLINO, DOCTORI THEOLOGO, ECCLESIÆ HUJUS PRÆPOSITO, ET INCLYTÆ UNIVERSITATIS CANCELLARIO, IN LEGATIONE LUTETIÆ PARISIENSI, V. CALEND. NOVEMBRIS, ANNO SALUTIS. M.D.LXI. ÆTATIS VERO SUÆ XLI. MORTUO, SENATUS ACADEMIÆ TUBINGENSIS OPTIME MERITO F. F.

Quisquis in hanc oculos defigis & ora figuram,
Sis memor, hoc firmum ſit, quòd in orbe nihil.
Sic cecidit quondam Martinus Frechtius arte
Maximus, hic cujus molliter oſſa cubant.
Sic cadit heu fatis æternum vivere dignus,
Beurlinus, noſtræ nomen honorq; ſchola.
E patrio in primis huc qui ſe contulit annis,
Cui polis * *& nomen* ſpina * *dedêre ſolo.*
Ingenioq; potens, linguas induſtrius omnes,
Atq; artes hauſit, cum pietate ſacras:
Donec ad officium templiq; ſcholæq; vocatus,
Præfectusq; ſimul ſummo in honore fuit.
Quid grave judicium, & ſapientis fulmina linguæ,
Virtutesq; viri, donaq; mille canam?
Non tantum populo fuit obſervatus ab omni:
Wirtembergiaco ſed quoq; cura Duci.
Quo mandante abiit per mille pericla Tridentum;
Ut veram aſſereret, quo decet ore, fidem.
Inde Boruſſiacas ſeſe commovit in oras,
Componens litem, quæ fuit orta gravem.
Tandem etiam fatis, dolor heu! volventibus atris
Adſcitus, Galli ſub regione cadit.
Vir magnus magna celebriq; ſepultus in urbe,
Pariſiis celſa ſtant ubi tecta ſchola.

* Dornſtadt.

Ne tamen omne viri nomen ſine honore periret:
Struxerunt patres hæc monumenta ſcholæ.
Spiritus in cœlis à carnis mole ſolutus
Virtutesq; DEI, juſtitiamq; canit.

Scripſit *enarrationem Epiſtolæ Canonicæ Joannis* Apoſtoli & Evangeliſtæ: deinde librum *contra Petrum à Soto*: item *orationem de Myſterio incarnationis* Domini noſtri JESU Chriſti, & alia nonnulla.

Pantal. l. 3. Proſopogr. Cruſius in annalibus Suevicis: Thuanus lib. 28. hiſtor.

WOLFGANGUS MUSCULUS.

● 1563. d. 30. Aug. ætat. 66.

Duſa, oppidum.

DUſa Lotharingiæ eſt oppidum, non amplum illud quidem; attamen ſalinis, quas habet abundantes, eâ in regione percelebre. Hoc protulit *Wolfgangum Muſculum*; cum annus à Chriſto nato verteretur, *milleſimus, quadringenteſimus, nonageſimus ſeptimus*; dies autem *ſextus* Iduum * Septembr. qui & natalis fuit *Petro Martyri* anno inchoante ſeculum decimum quintum.

* h. e. octavus Septemb.

Antonius Muſculus.

Parentem habuit *Antonium Muſculum* doliarium, hominem pium & mediocris fortunæ: matrem *Angelam Sartoriam*, ex *Dumeno* pago Duſæ vicino honeſtis parentibus oriundam; feminam religioſam, caſtam, & perquàm prudentem. Hæc ex marito liberos ſuſcepit *quatuor*, inque iis filiam unam, ſed duo tantum filii fuerunt ſuperſtites, *Hammanus*, & hic *Wolfgangus*: qui & ipſe adhuc puer peſte correptus, Dei tamen beneficio reſtitutus fuit.

Hammanus Muſcul. frat.

Hammanum pater ſuo artificio inſtituit: *Wolffgangum* verò, quem videbat ingenioſiorem, & magis ad ſtudia natum, literis addiſcendis deſtinavit, quibus cum primum imbui cæpiſſet; ſtatim in illo ſingularis quædam indoles & induſtria, animique in ſtudia literarum fervor & cupiditas eluxit. Erat enim & mira ingenii promptitudine, & ſtudio diſcendi adeò ardenti; ut nullum in eo unquam legendi ſcribendive faſtidium appareret: neque calcaribus ille, ſed frenis indigebat, quippe qui à libris & ſchola vix unquam, niſi vi abſtrictus, diſcederet.

Wolfg. Muſculi indoles.

Cum verò jam grandiuſculus, majoribus ſtudiis aptus eſſet; pater illum à ſe ad alias ſcholas dimiſit, perexiguo tamen cum viatico, eò quòd vellet ipſum pro illorum temporum conſuetudine, oſtiatim cantando cibum quærere. Sic enim tum temporis ſolebant etiam qui ditiores erant, filios ſuos quaſi extrudere, hoc conſilio, ut ſimul & literas diligentiùs excolerent, & patientiam, temperantiam, humilitatemque cum literis addiſcerent, ne ſi lautius alerentur, otium & luxum magis, quàm ſtudia ſectarentur. Ad hunc itaque modum dimiſſus, peragratis aliquot *Alſatiæ* oppidis, tandem *Rappersvillam* venit. Ubi cùm ei vidua quædam hoſpitium præbuiſſet, ludum literarum frequentavit, magnamque ibi initio famem & inediam perpeſſus eſt, donec probitate & modeſtia ſua, familiæ nobilis & generoſi Comitis à *Rapersvvyl* innotuiſſet, à qua ſe poſtea multis affectum beneficiis, ſæpiùs prædicavit.

Mittitur ad ſcholas peregrinas.

Venit Rappersvillam

Poſt illinc diſcedens *Colmariam*, inde *Sleſtadium* venit, ibique operam literis dedit. Tenebatur autem jam tum in illa puerili ætate poëtices amore, inquè poëtarum lectione aſſiduus erat. Et cum ejus ſtudii propoſitum eſſet, à præceptore certamen, ut recitandis memoriter carminibus pueri inter ſe contenderent, factum eſt, cum hoc exercitii genere impenſius delectaretur, ut diligentior eſſet in ediſcendis multis carminibus, & ſcribendorum quoque verſuum rationem facilius aſſequeretur.

Inde Sleſtadium.

Amat Poëſin.

Hoc fuit initium, & hic curſus ſtudiorum ejus, usque ad annum ætatis *decimum quintum*, quo primum monaſticum vitæ genus ingreſſus eſt: idque tali occaſione.

Monaſterium ingreditur. Ejus occaſio.

Inviſurus aliquando parentes, cùm iter haberet per Lixheimum pagum, *Weſtrichæ*, ſub dominio *Lützelſteinio*, in ditione Palatini Electoris; ad materteram ſuam *Sophiam*, illic habitantem, diverſit. Erat autem ibi vicinum, ejusdem nominis cœnobium, ordinis S. Benedicti, opulentiſſimum, olim à Dominis de *Lützelſtein* fundatum. Ad illud matertera ipſum, cùm veſpertinas ſuas monachi cantiones haberent, ſecum deduxit. Ubi cum ſe cantantibus adjunxiſſet, & Pſalmodias unâ decantaſſet, Præpoſito, (ita enim ſummi vocabantur in ea familia præſides) ejus ingenium, vocis, motumque ſuavitas, primo intuitu vehementer arriſit, ſtatimque cogitare cepit: quo illum pacto ad collegium allicere poſſet. Exeuntem itaque ſequitur, & in ipſo adhuc templo cum matertera colloquentem aſſequitur. Rogat ex muliere, *cujus ſit, & unde veniat adoleſcens?* illa ſororis eſſe filium reſpondet, & ex ſcholis reverſum, ad parentes *Duſam* proficiſci. Tum ille ex adoleſcente quærit, ecquid monaſticum hoc vitæ genus ſibi arrideat? quod ſi ei ſeſe addicere velit; non modò gratis ipſum in collegium ſe coöpturum, quod antea contigiſſet nulli: verum etiam veſtes ei & lectum, aliaque neceſſaria exhibiturum, ſumtus quoque initiationis de ſuo additurum; ſumma, non alio, quàm filii loco habiturum.

Præpoſitus in monaſterio quidam.

Accepit mulier læta inſperatam promiſſionem, eamque ſe continuò una cum puero ad ejus parentes relaturam, & quæ ipſorum hac in re voluntas ſit, brevi renunciaturam pollicetur. Poſtridiè igitur iter ingreſſi, *Duſam* ubi veniunt, parentibus rem omnem exponunt, qui his auditis exhilarati, ſibi & filio hanc fortunam divinitus, ut ipſi tum exiſtimabant, oblatam gratulabantur, & ſequentis diei ſummo mane ad iter ſe accingunt, in cœnobium veniunt, rem omnem cum Priore tranſigunt. Is ſicuti promiſerat, in familiam ipſum recipit; habitu collegii induit; ſuisque poſtea impenſis ad Epiſcopi Metenſis oppidum ablegat; ut ſacris, pro more, inauguretur: ac deinceps quoad vixit, filii loco habuit.

Sacris initiatur.

Hac

Hac occasione monasterium ingressus, in illo vixit usque ad annum ætatis suæ *trigesimum*, Christi autem *vigesimum septimum* supra *millesimum quingentesimum*. Nec tamen eo loco ocio & luxui, ut plerumque solet monachorum vulgus, indulsit: sed omne ocium in literis consumsit. Luxuriam verò & ebrietatem, inde ab ineunte ætate toto pectore aversatus est. Bibentibus igitur & colludentibus aliis, ipse sumto libro in sylvulam vicinam sese proripuit: tantisper in illa vel ad legendum considens, vel ad meditandum deambulans, donec ipsum hora cœnæ domum revocaret. Quamvis enim in hoc ætatis flore alacri & hilari ingenio esset; ac liberalibus tam corporis, quam animi exercitiis apprimè delectaretur; illiberalia tamen certamina; qualia sunt aleæ, poculorum, & his similia, penitus refugiebat. Destituebatur autem bonorum librorum copia, eò quòd bibliothecam publicam collegium illud non haberet.

Accidit vero, ut aliquando sub ipso ædium tecto, confusam dissolutarum membranarum congeriem offenderet; ex qua aliquot *Ciceronis opuscula* & *Ovidii* omnia *opera* collegit. Illis tum usus est libris: inprimis *Ovidio* addictus, propter poëtices studium, quo inde à pueritia flagrarat; quod in ipso accendebatur; adeò ut & noctu versus somniaret, & de quacunque re obvia carmen conderet. Unde brevi tantum sibi scribendorum versuum habitum comparavit, ut cum Ovidio dicere posset:

Sponte sua carmen numeros veniebat ad aptos;
Quicquid conabar dicere, versus erat.

Quodque minimè fuit vulgaris argumentum ingenii: cœperat tum *Metamorphoseon* libros in *Compendium* contrahere, amputatis, quibus abundant, prolixioribus fabularum ambagibus; inque eo opere jam *quinque libros* absolverat; verum antequam ad finem produxisset, *Claudius Cantiuncula*, cujus postea insignis inter JCtos fuit authoritas, cum aliquando in cœnobio ipsum convenisset, scriptumque illud vehementer probaret, multis id ab illo precibus mutuatus abstulit, nec unquam postea restituit. Cum poëti musica instrumenta non ineptè jungi existimo, præsertim cum eorum peritia non minima eruditionis pars à veteribus sit habita. Illis igitur eodem tempore operam dedit, idque publicis collegii impensis. Cum enim ejus mira in singulis industria, maximè verò ad Musicam pronum ingenium esset; Prior *Wernerus* ipsum in oppido *Nüvviüler* prope Tabernas,, in illis organis, quorum in templis usus esse solet, institui voluit: cumque brevi illorum tractandorum peritissimus factus esset, nova organa in templo paravit, ipsoque postea organico usus est. Ac fuit ejus in hac arte peritia, in extrema etiam senectute, quoties sese à gravioribus studiis recrearet, multis admirationi, & delectationi.

Cæterum cum ipsum maturior ætas ad graviora studia vocaret; ad sacram Theologiam animum appulit: quod fuit circa annum ætatis suæ *vicesimum:* cumque reliquos sui collegii συμμονάχους, eruditione & facundia longè antecelleret: statim illi publicè concionandi munus demandatum est: quod cum suscepisset, sæpius se à pio quodam illius collegii sene admonitum esse dixit; *si bonus velit fieri concionator, det operam ut sit bonus Biblicus*, (illa enim dictione senex utebatur) hoc monens; ut sacra Biblia sibi quam familiarissima redderet. Qua senis admonitione se ad diligentiorem sacrarum literarum lectionem, & meditationem vehementer impulsum esse confirmavit. Docuit autem primùm in Ecclesia *Lixheimensi*; & aliis tribus ad cœnobii jurisdictionem pertinentibus, *Prauvviller, Fleisheim, Helgeringen:* postea verò quàm ejus in concionibus fervor & eloquentia vicinis innotuisset, ad varias Ecclesias docendi gratia vocatus est.

Ad Theol. transit.

Concinando se exercet.

Circa annum Christi, *millesimum quingentesimum decimum octavum*, prodibant, & passim divulgabantur D. Lutheri de religione libelli; quorum cùm illi per amicum facta esset copia: dici non potest, quanta cum aviditate perlegerit: quanta cum industria nocturna manu & diurna versarit. Et legebat quidem non minore cum fructu, quàm studio. Etenim puriorem doctrinam in illis magna cum animi promtitudine amplectebatur, nec minore cum zelo tuebatur. De hac in omnibus mensis cum sociis disputabat, eamque contra omnes omnium calumnias acriter defendebat, hæreseos crimen, quod illi, ut fit, à nonnullis impingebatur, constantissimè ab ea rejiciens: *Licet enim*, adjebat, *fieri possit, ut in aliquibus erret Lutherus, ut humanum est errare, pro hæretico tamen continuò non habendum: Augustino dicente:* Errare possum, hæreticus esse nolo. Neque solum inter socios & cœnobii parietes hæc agitabat; verum etiam foris, in quibus docebat Ecclesiis, doctrinam quam veram esse cognorat, publicè omnibus & ubique prædicabat, erroresque pro ea, qua tum donatus erat, veritatis luce demonstrabat, & confutabat. Unde brevi fama de illo apud omnes vicinos increbuit; ut vulgò non aliter, quam *Lutheranus monachus* diceretur.

Legit libros Luth.

Defendit ejus doctrinam.

Lutheranus monachus.

Neque etiam caruit hoc ejus in propaganda Dei veritate studium suo successu. Nam præter cæteros, qui ipsum docentem audiverunt, plerosque sui collegii socios Christo lucrifecit: qui postea, deserto monachatu, Evangelium Christi constanter, usque ad vitæ suæ finem, professi sunt. Præterea etiam nonnullos viros nobiles: è quorum numero erat *Reinhardus à Rotenburg*, præfectus arcis Lützelsteiniæ, & tutor illius collegii, vir magnæ apud Palatinum authoritatis: is singulari ipsum amore prosequebatur, & magno studio protegebat. Habebat enim hostes quoque & adversarios acerrimos, eosque non impotentes. Primum *domesticos seniores* collegii monachos, qui quòd animis essent in superstitione obfirma-

Reinhard. à Rotenburg, defensor Musculi.

Hostes Musculi.

tioribus, quandiu vivebant, acerbissimè illi restiterunt, & plurimum mali intulerunt. Deinde verò etiam exteros, *Episcopum Metensem, & Argentinensem*, eorumque harpyjas: à quibus vel centies fuisset devoratus, nisi is, quem dixi, præfectus à Lützelsteinio sua ipsum protectione fuisset tutatus. Is (ut inter cætera & hoc obiter recenseam) aliquando periculum facturus, qua esset in hac religionis causa animi constantiâ, cum ipse quadam die in pagum Lixheimium habendæ concionis causa, more solito esset egressus, aliquot equitibus comitatus, ad templi fores accurrit, alio, ne agnosceretur, habitu assumto, eumque è templo minitabundus evocat: quos ipse, non alios quàm Episcopi Metensis equites esse ratus: orat, ut sibi prius concionem finire liceat, postea se, quocunque vellent, cum ipsis abiturum: quod cum concessissent, in docendo pergit, tanta cum animi præsentiâ; ut ne minimum quidem signum timoris ederet. Finita concione, cùm vitæ periculum sibi imminere putaret, populum ad constantiam, fidem, pietatem, & preces pro se ad Dominum fundendas hortatus est: quibus habitis, cum omnes metu perculsi essent, ipse animo fortissimo sese illis sistit, omnem fortunam pro Christi nomine experiri paratus. Tandem *Reinhardus* imperterritum ejus animum admirans, nec amplius dissimulans, sese illi aperuit, hominemque amplexus, ad similem constantiam perpetuo retinendam hortatus est. Et hujus quidem protectione tutus erat à vi & impressione hostium, quàm longè patebat illius dominium: ubi verò extra ejus limites egrediebatur, nusquam non paratæ erant insidiæ, quas sæpenumero difficilimè effugit. Cum enim securius ambularet, eò quod periculum suum vel non intelligeret, vel contemneret: persæpè parum abfuit, quin in manus hostium incideret. Cujus exemplum esse id potest, quod contigit anno *millesimo quingentesimo vicesimo quinto*, quo propter seditionem rusticam, omnia plena erant periculis & cædibus, passimque in omnes sævicbatur, quicunque de Evangelii professione suspecti erant. Factum est autem, ut ipse mense Majo, cum alio quodam sui collegii *Tabernas* veniret; statim post editam eo loco ab *Antonio Guisio* Lotharingo ingentem rusticorum stragem: volebat autem, quod febri laboraret, Argent. proficisci ad medicum. Cumque oppidum exirent, nobilis quidam, ei loco ab Episcopo Argentinensi præfectus, in porta sedens percontabatur, quo pergerent: cui ipse, Argentinam se ad medicum, propter incommodam corporis valetudinem, proficisci dicebat: *Ite*, respondit illo, *statim sciam, quò eatis.* Hac voce ipsi quidam nonnihil percellebantur, nec tamen aliquid periculi subesse suspicantes pergebant, donec ipsos jam aliquousque progressos, rusticulus quidam trepidus & festinus assequutus, equites nonnullos subsequi, jamque non longe abesse diceret: cujus tanquam angeli voce admoniti, recordabantur quid sibi voluisset, quæ nobilis in porta exeuntibus dixerat, sibique periculum imminere facilè intelligebat. Quare in proximo statim pago ad pastoris domum sese celeriter recipiunt, qui ipsos, postquam omnem ei rem exposuissent, confestim per sylvas ac saltus, à recto itinere deducebat. Sed ecce, vix dum discesserant, cùm jam equites ad ostium ejus domus adsunt, & de ipsis, quò abivissent, perquirunt: quibus cum responsum esset, diu jam illos, & longius abivisse: tum ipsi execrantes conviciantesque & hos sibi è faucibus ereptos indignissimè ferentes, tandem recesserunt. Sicque tum beneficio divino hostium manibus liberatus, postea cautior fuit.

Exemplum constantiæ Musc.

Periculum Musc.

Porrò cum neque pericula minui, neque Evangelii professionem eo loco liberam esse posse cerneret: de relinquendo monachatu, cujus ipsum jampridem vehementer pœnitebat, seque in alium locum, in quo major Evangelii libertas daretur conferendo, assiduè cogitare cœpit: neque id dissimulanter, sed communicato cum sociis collegii consilio: adeoque in hoc proposito firmus fuit: ut ne certissima quidem maximorum honorum spe proposita, ab eo se dimoveri pateretur. Post-

Eligitur Prior.

quam enim Præpositus *Wernerus* senio confectus è vivis discessisset, & in conventu publico de alio in ejus locum substituendo deliberaretur; communibus ei suffragiis hic honor fuit delatus: quem tamen constanti animo à se in alium quendam, Brisacium nomine, rejecit. Intelligens nimirum hoc agere Satanam; ut à pio proposito ipsum retraheret, & hoc quasi vinculo injecto, huic vitæ generi magis obstringeret, animumque propagandæ veritatis studio ardentem, his quasi honorum & deliciarum lenociniis emolliret. Obfirmato igitur in eo proposito animo, priusquam discederet, virginem ejus loci honestam, & Brisacio novo Priori cognatam, *Margaretham Bart*, filiam Andreæ Bart, sibi despondit. Discedenti Brisacius cœnam dedit, in qua valedixit reliquis ejus collegii sociis, qui sex tantum supererant: è quibus tres ipsum paulò pòst sunt sequuti. Erant autem illi ex stipendio annuo residui quatuor tantum floreni, quibus Brisacius in cœna addidit alios quatuor. Hac instructus pecunia, iter circa medium noctis, (ut tutior per hostium agros esset transitus) ingreditur, *Nicolao Wagnero*, consobrino suo comitatus.

Rejicit eum honorem.

Vxorem ducit.

Relinquit claustrum.

Proficiscebatur autem recta Argentoratum: quò pervenit sub finem anni *millesimi quingentesimi vicesimi septimi*, ætatis suæ *trigesimi*, ibique nuptias celebravit *vicesimo septimo* Decembris, quibus pro more Ecclesiæ benedixit M. *Theobaldus Nigri*, Ecclesiæ Argentinensis apud seniorem Petrum minister: qui & primo eum hospitio suscepit, & nuptiale convivium in suis ædibus instruxit.

Argentinam venit.

Vbi nuptias celebrat.

Cæte-

Cæterum cùm ex illa pecuniola diu se cum uxore alere non posset: neque præterea haberet unde viveret; cogitare cœpit de artificio aliquo manuario perdiscendo. Neque enim Ecclesiasticam aliquam functionem sperare audebat, cum multis doctis ad illas aditum præclusum videret. Uxore igitur apud *M. Theobaldum Nigri* ancillari jussa, ipse textoriam didicit, nactus ejus opificii magistrum; cùm quo de pretio pro bimestri institutione certis conditionibus pactus, opus aggreditur. In illo verò instituto suo, alieno à pristina vitæ consuetudine, sese hoc districho consolabatur:

Est Deus in cœlo qui providus omnia curat,
Credentes nusquam deseruisse potest.

Erat autem ille in quem imprudens inciderat, textor, Anabaptista, ejusque sectæ domi suæ alebat doctorem, miram sanctimoniam simulantem, nihil tamen (ut solent) operis facientem, tantum ubi comedendum esset, accumbentem: cum illo quoniam ei convenire non poterat, quin perpetuò ejus & hypocrisin & desidiam reprehenderet, illud Pauli objiciens: *Qui non vult operari, is nec edat:* offensus tandem his concertationibus textor, odisse eum cœpit, eoque bimestri elapso, cum jam pridem pactam pro mercede pecuniam recepisset, abire eum jubet, cum pactiones primitùs initæ aliud postularent: ipse verò quamvis non invitus ab illo discederet, perfidiam tamen Anabaptisticam accusabat, & præter fidem datam se ab illo extrui conquerebatur. A textore igitur ita dimissus, quid in posterum sibi agendum deliberare cœpit. Laborabant autem tùm fortè Argentoratenses in ampliandis instaurandisque suæ urbis fossis & aggeribus. Eo in opere & ipse, cum aliud non occurreret, quo egestatem suam sublevaret, operam locare suam, animum induxit: jamque ejus rei ab ædili potestas ei facta, & merces promissa erat. Ibi cum postero die operi admovenda manus esset; sub vesperam prius fossam circuibat, cogitans sesum, quem sibi in opere laborem potissimum sumere vellet, sed ecce, Θεὸς, quod dicitur ἀπὸ μηχανῆς. Cùm enim ab illa deambulatione ad ædes *Theobaldi Nigri* reversus esset, indicat ei uxor, in eâ domo, ut dixi, ancillans, adfuisse ministrum urbis publicum, qui jusserit: ut in summo templo Consulem & D. *Bucerum* conveniat. Hoc nuncio, cum ignorare quid sibi vellet, turbatus; statim, quo vocatus erat, se contulit. In templum ubi venit, à Bucero conspectus accedere jubetur. Tum ei consul mandat; ut in pagum *Dorlzheim* exeat, ibique diebus Dominicis Evangelium Christi prædicet, & populum, ad turbas pronum, ad tranquillitatem & obedientiam hortetur. Hanc ipse vocationem planè divinam, lætus accipit, Deoque patri gratias agit; qui pro sua bonitate clementer ipsum respexisset. Est autem pagus ille tribus ab urbe milliariis, vicinum habens oppidum *Moltzheimum* Episcopi Argentinensis.

Ad illum igitur exibat singulis diebus Sabbatinis, & sub vesperam ejus diei concionabatur; sequente autem Dominica tres habebat conciones, & postera die Lunæ manè redibat ad urbem. Receperat autem ipsum in domum suam *Bucerus:* victumque ei dabat; ut reliquis diebus ejus operâ uteretur in describendis, quæ prælo Typographico erant submittenda. Adeò enim male pingebat Bucerus; ut quæ scriberet, à Typographis, imò ab ipsomet sæpè Bucero, difficillimè legerentur: Musculus verò ea legebat expeditissimè, & pingebat elegantissimè. Descripsit itaque ei cùm alia plura, tùm verò potissimum explicationem *Zephaniæ* Prophetæ, quæ extat, in cujus fronte ejus leguntur carmina, & *Psalterium* illud totum, quod sub *Aretii Felini* nomine in lucem edidit. *Vivit cum Bucero.* *Quem juvat describendo.*

Cum itaque aliquot jam mensibus ad illam Ecclesiam ex urbe esset egressus; tandem de consilio ministrorum, cùm uxor ejus jam partui vicina esset, penitus ad eam emigravit: non multa tamen suppellectile onustus. Nihil enim habebat præter lectulum, quem ex cœnobio deportandum curaverat. Venientem excipiebant vicini perhumaniter, ac omnis generis vasa utensilia benignè offerebant: parum autem straminis solo instratum illi pro lectica erat. Tantam lubens pro Christi Evangelio pauperiem passus est, cum inter Pontificios amplissimis potuisset & opibus & honoribus florere. Et quàm nullus ipsum lucri odor ad Evangelii professionem impulerit, vel hoc solùm testatur; quod annum totum in illa Ecclesia docuit, cum ne teruncium quidem à quoquam stipendii loco acciperet, nec etiam peteret; sed in summa paupertate patientissimè & tranquillè viveret. Quo minus autem illi stipendium solveretur; in causa erat Abbas Cœnobii *Hohenforst*, qui cum omnes illius Ecclesiæ decimas, & census annuos colligeret; ministro tamen Evangelii stipendium pendere recusabat, tandem verò Argentinenses ut ipsius penuriam sublevarent, aliquam illi pecuniæ summam, è publ. ærario benignè numerarunt. *Migrat in pagum.* *Docet sine stipendio.* *Sublevatur ab Argentorat.*

Cum ergò ibi tantis in angustiis rei familiaris habitaret, scholam instituto perquam pio & utili, aperuit; ac vicinorum pueros in literis instituit: eâque operâ omnium sibi animos adeò devinxit; ut patris loco ipsum omnes amarent ac venerarentur. Porrò juxta illum pagum cœnobium est ordinis *S. Ioannis:* in quo, quia ad diœcesin Episcop. Argentorat. pertinet, anniversaria celebrantur encœnia, in iisque monachus vel sacrificulus aliquis Moltzheimiensis concionem habere solet. Illam itaque ut audiret, rogantibus vicinis, exivit. Tractabat tùm fortè pro concione Monachus verba Pauli ad Hebræos *sine fide impossibile est placere DEO:* cumque multa de præstantia fidei dixisset, tandem magna acerbitate in Lutheranos, nominatim verò Argentinenses, tanquam desertores fidei Catholicæ, invehebatur. *Aperit scholam.* *Interest concioni monachi.*

Erat autem frequens concio, & inter cæteros frequentiores aderant cives & sacrificuli Moltzheimenses: qui quasi re benè acta, suaviter in sinum ridebant. Postquam autem finem dicendi fecisset, de cathedra descendentem monachum *Musculus* aggreditur, & *heus tu nequam*, inquit, *consiste, & nunc me vicissim audi; ostendam enim toti huic Ecclesiæ nequitiam tuam.* Conscensoque suggestu, eadem Pauli verba populo enarrans, genuinum illorum sensum de vera & salvifica in Christum Jesum fide explicabat; & Argent. nequaquam desertores, sed assertores veræ hujus fidei esse demonstrabat. Tum verò populo undique confluente, sacrificuli confusi sese paulatim alius post alium proripuerunt. Oeconomus verò cœnobii confestim accurrens, sermonem illius expostulando interrupit, & à concione desistere jussit, ac quis ei in hoc loco concionandi potestatem fecisset, interrogavit? Cui ipse, *Quis tibi hanc*, inquit, *potestatem dedit, monachum mendacissimum in hunc locum constituendi, qui Senatum populumque Argentinensem inique adeò & impudenter calumnietur? mihi verò ex officio & data fide incumbit: ut magistratum meum ab iniquis & falsis criminationibus illius purgem.* Hac responsione semel repulsus Oeconomus, cum ipse in sermone pergeret: statim redit, & non jam minis, sed precibus instat ut cesset; omnino enim ad seditionem & tumultum rem spectare: ipse verò quieto illum animo esse jubet, populumque, ne quid seditiosè agat, hortatur; sicque constanter & magno animo ad finem usque orationem deducit. Hujus rei fama cum illicò Argentoratum emanasset: magnam illi apud omnes bonos authoritatem & laudem peperit.

Refutat eam.

Egit in hoc pago annum integrum, cùm ipsum Argentinenses revocarunt in urbem; ut in summo templo D. *Matthiæ Zellii* diaconus esset: quam ipse functionem, cum se minimè ad eam idoneum putaret, dici non potest, quanta cum difficultate receperit: tandem verò coactus, biennio eam subivit: inque illa hoc potissimum memorabile gessit, quod *Dosnam*, pagum Argentinensium juxta oppidum *Nüwyler*, emissus, cum in eo hactenus à populo missa Pontificia pertinaciter retenta fuisset, ipse prima statim concione effecit: ut populus sua sponte eam confestim abrogarit, & monachum, sacra illa hactenus administrare solitum, è templo, una cum universa papistici cultus supellectile ejecerit. Ibi tamen sex tantum septimanis docuit: cum alio in ejus locum substituto, ipse ad urbem revocatus est. Reliquo tempore quo Argentinæ diaconi officio functus est, lectiones sacras *Wolffgangi Capitonis*, & *Martini Buceri* diligenter audivit: ibique primum, cum id studia sua requirere cerneret, Hebreæ linguæ operam dare cœpit. Cujus in studio, summæ diligentiæ, vel hoc luculentum esse argumentum potest: quod *Lexicon Hebraum* sua manu elegantissimè conscripsit: tantamque brevi ejus linguæ cognitionem sibi comparavit: ut non sacra solùm Biblia; sed & Rabinorum obscurissimos Commentarios, & Chaldaicos etiam interpretes, perfectè intelligeret.

Fit Diaconus Argentorati.

Audit Theologos Argent. Hebreæ linguæ dat operam.

Cæterum elapso biennio, *Augustani* in principio anni *millesimi quingentesimi trigesimi primi* ab Argentinensibus petunt, ut *Musculum*, Ecclesiæ suæ aliquot annis concedant. Huic Augustanorum petitioni, quamvis haud gravatim annueret Senatus Argentinensis; ipse tamen pedibus & manibus reluctabatur: quod tanto oneri se minimè omnium parem esse judicaret, nec omnino eorum voluntati obtemperasset, quantumvis vehementer urgente Bucero, nisi suam senatus authoritatem interposuisset: qui hoc ab illo officium, pro suo in ipsum jure, vehementer postulabat. Mandato igitur paruit, & *Augustam* sub initium anni *trigesimi primi* venit; primamque ibi concionem habuit apud Minoritas *vicesimo secundo* Januarii hora septima matutina, tractans locum Matthæi undecimo: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.* Designatum igitur ei primùm fuit templum S. Crucis: in quo docuit *septem* illis *annis*, quibus adhuc sex Papistica, post revocatum postliminio Evangelium, in Ecclesia Augustana hæsit.

Augustani vocant.

Eò venit.

Erat autem illo tempore ejus Ecclesiæ afflictus & perturbatus status, non solùm propter Episcopi, Canonicorum, reliquorumque Pontificiæ religionis assectarum, machinas & turbulenta consilia, quibus Christi Evangelium illinc expellere nunquam non conabantur: verùm etiam ob Anabaptistarum furorem, qui, ut solent ubique in teneras Christi Ecclesias sese instar serpentum insinuare: ita in hanc quoque subingressi erant, in eaque & multos seducebant, & valdè impudenter & temere agebant. Neque enim jam occultè, sed palàm docebant; & eò usque quorundam audacia progressa erat; ut in ipsum templum, eâ horâ quâ populus ad audiendum Dei verbum convenerat, ingressi, conscenderent suggestum, suosque errores publicè profiterentur; quos consul interveniens, cum res ad tumultum & seditionem, populo vehementer commoto, spectaret, comprehendi, & in carcerem conjici jubet. Nec deerant qui gladio tollendos esse clamarent, & magistratum ad ejusmodi vindictam hortarentur, his contradicebat *Musculus* nec eo modo cum errantibus agendum, sed omnia prius experiunda, & patienda potius, Christianaque institutione, quam gladio, vincendos esse docebat. Ingenuum enim hominis animum esse, qui duci magis quam cogi velit; eoque magistratum ad clementiam, & longanimitatem cohortabatur. Ipse verò in carcere eos quotidiè invisebat, & quamvis primo congressu pertinacissimè eum aversarentur, & pessimis conviciis incesserent: *progeniem viperarum & Pseudoprophetam vocantes, qui sub vestitu ovium lupum rapacem alat, & ipsorum sanguini insidietur*, aliaque his etiam atrociora in ipsum evomerent, omne-

Anabaptista.

De illius filiumfamilias cura.

Invisit eos in carcere.

omneque colloquium detractarent, nihil tamen his ipse movebatur, neque à proposito desistebat, quin quotidiè ipsos accederet, neque id vacuis manibus; sed aliquid subinde edulii, quo confirmarentur (erant enim aliqui ex carceris fœtore parum firmi) secum ferebat, cavebatque summo studio, ne religionis & doctrinæ ullam mentionem faceret, donec humanitate ejus & beneficiis victi, ipsum tandem ardentissime amare, ejus colloquium ultrò expetere cœpissent, tùm demum sepositio omni affectu pravo, ipsum patienter audiebant, suaque cum ipso familiariter conferebant; & alium post alium errorem agnoscebant, tandemque publicè pro rostris anabaptismum suum abjurarunt: qui prius quodvis potius crudelissimum supplicii genus subire, quàm ab erroribus discedere parati erant, è quorum numero unus posteà ecclesiæ minister factus est. His verò ita convictis, tranquillior posteà ab Anabaptistico furore ecclesia fuit.

Cum Pontificiis autem, qui tùm summum *D. Virginis* templum, cum aliis potioribus, pleraque etiam monasteria adhuc obtinebant, acrius illi certamen, & ἀκατονόητον bellum fuit. Licet enim hos omnes, quotquot ibi erant, ecclesiæ ministri unanimiter impugnarent ipsius tamen præ cæteris, vel hostium testimonio, potissima acrimonia erat, unde & adversariorum cum primis objectus erat odio & insultibus, donec tandem effecit ut Senatus populusque Augustanus, anno *millesimo, quingentesimo, trigesimo quarto*, die Magdalenæ sacro, Pontificiam concionem in universum abrogaret, unà cum missis & idolis, in iis locis, ubi Senatus vigere autoritas putata est, relictis octo tantùm templis Pontificiæ superstitioni, sic tamen ut à concionibus abstinerent: quæ & ipsa postea anno *millesimo quingentesimo trigesimo septimo*, die *decimo septimo* Januarii decreto majoris Senatus, urbe expulsis sacrificulis & monachis, ab omni sunt idololatrico cultu purgata, & Evangelicæ doctrinæ consecrata. Tum illi eodem anno parochia majoris templi quod D. Virgini nuncupatum est, demandata fuit, in qua primam concionum habuit *decimo quinto* Julii, postremam verò *trigesimo primo* Julii, anno Christi *millesimo quingentesimo quadragesimo septimo*, ut post dicetur.

Porrò in hac statione illi non solùm honores; sed & studia privata & labores publici creverunt. Nam ut de privatis studiis primum dicamus, ad priorem doctrinam cognitio Græcæ linguæ accessit, cui eo tempore primum operam dedit, primus ejus rudimentis imbutus à viro doctissimo M. *Xysto Betuleio*, scholæ Augustanæ primario præceptore. Quantum autem in illa profecerit, testantur opera ab illo in Latinam linguam è Græca conversa: quorum plurima publicè extant, utpote D. *Chrysostomi Commentarii* in epistolas Pauli ad *Romanos*, *Ephesios*, *Philipp.* *Colossenses* & *Thessalonicenses* ambas, quos transtulit anno Christi *millesimo quingentesimo trigesimo sexto*. *Basilii tomum secundum* integrum Latinè reddidit, anno *millesimo quingentesimo quadragesimo*, cum scholiis ejusdem in totum *Psalterium*; *Cyrilli epistolas* triginta novem: *Homilias* novem, *Apologiam* ad *Theodosium* Imperatorem, & Declarationem duodecimam Anathematismorum, quos posuit concilium *Ephesinum*; epistolas etiam *Synodales* quadraginta duas, & dogmata *Nestorii*: quæ *Cyrillus* impugnavit, quæ omnia Basileæ impressa. Ex *Athanasii* monumentis convertit *Synopsin* sacræ scripturæ, Veteris & Novi instrumenti: *Quæstiones* etiam Veteris Novi Testamenti numero 140. Libellum de *finibus*, & *Synopsin Theodori* Episcopi Tyri. Ex *Historiis Ecclesiasticis* decem libros *Eusebii* de rebus Ecclesiasticis, quinque libros ejusdem *de vita Constantini*: *Socratis* Ecclesiasticæ historiæ libros septem: *Sozomeni* libros novem, *Theodori* lectoris libros duos. *Evagri* monachi libros sex. Et in historiis profanis, quinque libris *Polybii*, qui jam ante extabant, duodecim *epitomas* adjecit. Hæc ille omnia non sine multis vigiliis è Græcis Latina fecit, ut vix alium esse putem, qui ante ipsum in Græcis autoribus interpretandis plus studii operæque posuisset, id quod eò majorem admirationem meretur, quòd & in hac tanta ætate (erat enim jam quadragenarius) & hac statione laborum & curarum plena, Græcas literas primum addiscere cœpit. Addam, quod eodem tempore *Arabicas etiam* literas, absque ullo præceptore, qui vel literam illi demonstraret, summo ingenio ac studio indagavit ac perdidicit. Nactus enim à viro optimo *Bonifacio Lycosthene*, symmista suo, quinque linguarum *Psalterium*, quod non Psalmos solum; sed & singulos versus sibi mutuo habebat oppositos; in illo passim nomina propria, quæ in omnibus linguis eadem, sibique similia manent, perquisivit, & ex illis integrum alphabetum collegit, eaque ratione Arabicas literas legere cœpit, & postea etiam intelligere; cùm aliis rebus adjutus, tum verò etiam cognitione affinium linguarum Hebraicæ & Chaldaicæ.

Discit Arabicas literas, suo marte.

Psalterium quinquelingue.

Hæc tum ejus erant privata studia, quibus publici labores longè graviores erant.

Docuit enim in illa ecclesia annis integris *octodecim*, summa cum diligentia & labore, id quod ex *commentariis* illius *in Matthæum*, *Ioannem*, & *Psalterium*, quos ex publicis in hos libros enarrationibus conscripsit, satis apparet. Spiritus erat in concionibus ardens, oratio acris & fervida; quæ auditorum animos instar gladii διϛόμου penetrabat, movebatque vehementissimè, sive consolaretur infirmos, sive reprehenderet sceleratos ac pertinaces. Erat enim vitiorum impugnator planè παῤῥησιαϛὴς & ἀνεθεωπολήπτης. Methodum observabat exactam, facilem, & verè διδακλικὴν: unde & summa cum laude, & admiratione omnium, majore verò cum fructu plurimorum docuit, & bonis omnibus in honore & pretio fuit.

Publici labores Augustæ.

Conciones Musculi.

Inter publica negotia recensendæ etiam legationes sunt, quas ecclesiæ & Reip. nomine, jussu magistratus suscepit. Quarum prima

Legationes Musculi.

Synodus Ienacensis.

fuit *Isenacum* oppidum Thuringiæ, anno *millesimo quingentesimo trigesimo sexto*, mense Majo, quo indicta erat synodus, ad quam Lutherus, & alii Doctores ecclesiarum inferioris & superioris Germaniæ venirent; ut de concordia in negotio cœnæ incunda inter se tractarent. Ad hunc conventum, cum senatus Augustanus ad concordiam omninò propenderet, missus est ipse & M. *Bonifacius Lycosthenes*, qui profecti, Isenacum venerunt decimo tertio Maji, cum plerisque superioris Germaniæ primi nominis Doctoribus. Cum verò nec Lutherum, nec alium quenquam ex doctoribus ibi invenirent, & *decimo septimo* Maji à Luthero per literas rogarentur, ut propius accederent; quod sibi ob recentem ægritudinem longius iter tentandum non esset, solventes *Isenaco Wittembergam* usque perrexerunt. Porrò acta illius synodi & capita concordiæ initæ, cum publicè extent, nihil attinet referre. Quibus autem rationibus, cùm ipse, tùm alii multi boni viri, impulsi sint; ut, cum in hac causa crassam quorundam sententiam minimè amplecterentur, in hanc tamen concordiam consentirent, deque sua, qua hactenus docuerant, perspicuitate nonnihil decederent, prudentes viri facilè intelligunt. Nimirum quod persuasum hoc illis esset, facturos se id summo cum ecclesiæ & Reip. bono. Sic enim solum gravem, & malè consultam illam de hac causa controversiam tolli, ecclesiis diu desideratam pacem restitui, & Respub. etiam firmius conjungi & consociari posse. Postquam verò, rerum eventu edocti, his quasi fucis verborum pertinacioribus non satis fieri, simpliciores verò in errorem abduci, seque apud omnes bonos in suspicionem mutatæ sententiæ venire cernerent, ad pristinam suam perspicuitatem reversi, & palàm quid sentirent, professi sunt.

Ad eam Musculus missus.

Post hunc conventum annis sequentibus *quadragesimo* & *quadragesimo primo* habita sunt comitia Principum, ac statuum totius Imperii *Wormatiæ* & *Ratisbonæ*, in quibus Theologi Protestantium cum Pontificiis de religione conferrent. Ad hos & ipse à Senatu Augustano missus est. Ac in posteriore quidem Ratisbonensi colloquio, Notarius cum aliis quibusdam delectus, & à Cæsare confirmatus, acta illius colloquii inter *Philippum Melanchthonem* & *Ioannem Eccium* habiti conscripsit. In his etiam comitiis cal. Junii conciones duas de *Missa Papistica* habuit, quæ posteà *Wittembergæ* in lucem editæ sunt, & *Augustæ* recusæ, cum additione *de externis Missæ abusibus*. Has posteà anno *quadragesimo quarto* edito libro impugnavit *Ioannes Cochlæus*, in defensionem Papistici sacerdotii, cui ipse *Anticochlæum*, Latinè & Germanicè scriptum oppositi. Anno autem Christi *millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Donaverdenses* Evangelicam doctrinam amplexi, petiverunt ab Augustanis: ut & aliquem ex suis Theologis ad se mitterent, qui Ecclesiam apud ipsos constitueret, & prima sanæ doctrinæ fundamenta poneret. Id tum officii, communi Senatus & collegarum suffragio *Musculo* demandatum fuit. Profectus itaque *Donaverdam*, primam ibi concionem Evangelicam habuit vicesimo octavo Decembris, & postea quadrante anni quotidie ibi docuit; reversus Augustam vicesimo quinto Martii, anni *quadragesimi quinti*. Scripsit tum in usum scholæ Werdensis *Catechismum Latinum*, qui publicè extat impressus *Augustæ* anno eodem *quadragesimo quinto*.

Notarius in colloq. Ratisb. Musculus.

Ibidem concionatur.

Ioann. Cochl.

Anticochlæus.

Donaverd. evangelium amplexi.

Ad eos missus Musculus.

Et hæc sunt ferè, quæ in ecclesia *Augustana* gessit, usque ad annum Christi *quadragesimum septimum*: quo Imperator *Carolus*, post confectum infaustum illud Smalcaldicum bellum, ad Cal. Septembris *Augustæ* conventum Principum ac Ordinum Imperii indixerat, eoque ipse cum *Ferdinando*, fratre, Romanorum Rege, & plerisque totius Imperii Electoribus, Principibus, Cardinalibus & Episcopis venerat. Post cujus ingressum in urbem, ademtum illi fuit Cal. Augusti templum primarium D. *Virginis*, in quo hactenus Musculus docuerat, & Cæsari redditum. Quo facto licet jam suo templo careret; à prædicandi tamen munere non destitit, sed in eo strenuè perrexit, toto illo tempore, quo Senatus populusque Augustanus professionem Evangelii constanter retinuit; nec de sua in docendo parrhesia quicquam remisit: quod quanto suo cum periculo fecerit, agnoscunt prudentes. Innotuerat ex concionibus Cæsari, Regi, Cardinalibus & Episcopis, nec non subordinati erant Corycæi, qui in ipsum animadvertebant, & vel apud Cæsarem vel Regem accusabant, tanquam maledicum, & qui plebem in clerum incitaret. Ex quibus facile primus fuit, *Michael Sidonius* Archiepiscopus Moguntini Vicarius Episcopus, qui ipsius conciones frequenter non audiebat solum; sed & calamo excipiebat, unde sæpe ab amicis admonebatur: ut sibi temperaret, ne in periculum incurreret. Senatus quoque Augustanus, cùm videret illum non in nullo periculo versari, tres illi viros in custodiam corporis decrevit, qui illum quoties habenda esset concio, ad suggestum usque deducerent; ibique operirentur, & dimissa concione domum reducerent. Ad hæc tumultus sæpè equites & stabularii Cardinalis Augustani, ante illius ædes commoverant; ignominiosè ipsum, & cum ludibrio è domo provocantes, & lapidibus fenestrarum specularia perfringentes. Omittimus etiam Hispanorum, monachorum, & sacrificulorum insidias, calumnias, & cachinnos: quæ omnia infracto animo tulit, & in finem usque perferre decreverat, mortis quoque extremum periculum subire; modò Augustani bonam Evangelii causam non deserent, hancque suam mentem Senatui, Augustano palam significarat.

Carol. V. Augustæ venit.

Musculi constantia.

Michael Sidonius coryczus ejus.

Periculum Musculi.

Postquam verò anno sequente Imperator *Carolus* decretum & librum de religione conscriptum, *Interim* vulgò dictum, promulgasset, eumque ab omnibus totius Imperii Ordinibus & civitatibus ratum haberi vellet: Augustani verò, sicut & alii, in eo non solum timidè agerent; sed urgente Imperatore, decretum

Interim Augustano non receptum.

cretum illud, ut paci & tranquillitati suæ consulerent, majoris Senatus consulto reciperent: tum ipse, ut qui librum minimè omnium approbaret, suamque de illo sententiam exhibito scripto, ac publicè pro concionibus explicarat, eoque periculum suum facilè intelligeret, ea ipse die, quæ *vigesima sexta* erat Junii, ex urbe sub vesperam discedit, id quod Senatui antea facturum se prædixerat, si falsam illam doctrinam reciperent. Prius tamen quàm discederet, consulem accessit, eique consilium, & horam abitus sui patefecit; ut si quid amplius senatus cum ipso agere velit, id commodè interea possit. Cum verò à nemine requireretur, sumta cœna, uno solum cive comitatus ex urbe discedit, relicta ibi uxore & octo liberis. Sic itaque abivit Augusta, cum annis ibi docuisset *octodecim*, toti civitati bonisque omnibus gravi sui desiderio relicto. Arbitror autem ex his conspicuum esse, ipsum *non nutantibus*, ut *Sleidanus* scribit, *rebus*; sed penitus prolapsis, cum nulla amplius spes retinendæ sanæ doctrinæ superesset, migrasse. Extra urbem constitutus, vestes primum, ut minùs agnosceretur, apud amicum quendam mutavit.

Postea conscenso curru, aliquot ea nocte milliaribus confectis, rectâ *Lindaviam* petiit, inde *Constantiam*, & postea *Tigurum* venit; ibique aliquot diebus apud D. *Henricum Bullingerum* commoratus; *Basileam* illinc ad *Ioannem Hervagium* profectus est. Uxor verò cum liberis decimo septimo Julii eum sequuta est, incerta ubi ipsum terrarum inventura esset, nisi quod Basileam, ut jussâ erat, sequi ipsum constituerat. Ubi verò *Constantiam* venit, missis *Basileam* per amicum literis, de suo ipsum adventu certiorem fecit: quo cognito, Constantiam & ipse celeriter rediit trigesima prima Julii, ibique uxorem cum liberis reperit. Cum eò venisset, sequente Dominica, quæ quinta erat Augusti, binas ad ecclesiam conciones habuit, matutinam & vespertinam, tractans locum Joan. sexto: *Ex eo tempore multi discipulorum ejus desciverunt, eo relicto, nec amplius cum ipso ambulabant. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Num & vos vultis abire? Respondit ei Simon Petrus: Domine, ad quem ibimus? Tu verba vitæ æternæ habes, & nos credimus & cognovimus, quod tu es Christus, filius Dei vivi.* Ex his verbis primum docebat, quam graviter peccarint urbes, quæ in gratiam hominum à Christi Evangelio turpiter desciverant. Deinde hortabatur Constantienses, ne harum exemplum sequantur: sed Apostolorum vestigiis insistentes, Christo Filio Dei constanter adhæreant, qui solus verba vitæ æternæ habeat. Fuit hæc, ni fallor, postrema Evangelica concio, quæ quidem tranquillo Reipub. statu Constantiæ habita est. Postera enim die, quæ erat sexta Augusti, summo mane, Hispani milites Duce *Alfonso Vive*, urbem invasêrunt, & oppugnarunt, ex qua urbis calamitate, quantum ipsi ad pristinos dolores accesserit, quis non intelligit?

In ipsâ vero urbis oppugnatione, suadentibus amicis, inprimis verò *Ambrosio Blaurero*, ejus ecclesiæ ministro primario, in vicinam Helvetiam, ad quam solam in illo tumultu ex urbe patebat exitus, cum uxore & liberis sese contulit, ea die Cellam Episcopi usque, non sine magna difficultate profectus.

Vocatur S. Gallum.

Ubi cum triduum conquievisset, D. *Ioachimus Vadianus*, Consul Sangallensis, vir undequaque doctissimus, datis per *Valentinum Fortmillerum* ecclesiæ ministrum literis, Sangallum ipsum vocat, & hospitium ei, totius senatus nomine, perbenignè offert.

Quò venit

Eo igitur cum uxore & liberis delatus decimo Augusti, acceptus à Sangallensibus perhumaniter est, & binas sequente Dominica, quæ duodecima erat Augusti, conciones ibi habuit. Eadem ipsa verò die, uxor ejus partim molestiis peregrinationis, & laboribus debilitata, partim verò terroribus Constantiensis oppugnationis concussa, gravissimè decumbere cœpit, adeò ut de ejus vita medici desperarent. Sesquimensem igitur Sangalli commoratus, cum illa utcunque Dei beneficio convaluisset, *Tigurum* familiam transtulit vicesimo septimo Septembris: ibique cum ei atque familiæ Tigurini hospitium præbuissent, consedit, & sex mensibus, priusquam commoda ei vocatio aliqua offerretur, habitavit. Quanquam enim dum illic moraretur *Thomas Crammerus* Archiepiscopus Cantuariensis, in Angliam ipsum vocaret: tamen quod profectio hæc ei ob senium, & uxoris infirmam valetudinem, liberos quoque, quos habebat parvulos, non solum molesta, sed & periculosa videretur futura, vocationem modestè recusavit.

Migrat Tigurum.

In Angliæ evocatur.

Abnuit.

Anno verò sequente, cùm *Bernenses* idoneo Theologo destituerentur, qui sacras literas, in ipsorum schola profiteretur, vocatus tum à senatu ipse ad illam professionem fuit. Quæ vocatio cum ei esset gratissima, tum ob ecclesiæ & Reipub. præstantiam, tum ob veterem amicum D. *Ioannem Hallerum*, ejus Ecclesiæ primi nominis ministrum, grato illam animo acceptavit, ac cum suis omnibus quinto Idus Aprilis *Bernam* sese contulit, exceptus à senatu, ecclesiæ ministris, & scholæ professoribus liberaliter ac perhumaniter. Professionem verò suam ibi auspicatus est vicesimo quinto Aprilis anni *millesimi quingentesimi quadragesimi noni*. In hujus muneris functione versatus est annis *quatuordecim*, magna cum laude, & fructu non scholæ solum, sed & universæ Christi ecclesiæ. Etenim ut taceamus, quæ privatim pro officii sui ratione egit, partim cum piis & orthodoxis hominibus per *Germaniam, Galliam, Angliam, Poloniam*, & alias regiones: partim etiam cum hæreticis, quorum aliquos ad palmodiam adegit, & ex iis cumprimis *Matth. Grybaldum*: vel sola scripta, quæ in hac professione edidit plurima, perpetuò testabuntur, quantum Ecclesiæ Dei profuerit.

Vocatur Bernam.

Facit initium ibi docendi.

Matth. Grybaldum

Etenim

Lectiones Musculi Bernæ.

Etenim exorsus prælectiones suas à *Psalmo Davidis centesimo quarto*, cùm priores Augustæ enarrasset, tandem *commentarios* amplissimos *in totum Psalterium* absolvit & edidit, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo*. Post Psalmos, explicationem *Geneseos* aggressus est, eamque ad finem perduxit, & publicavit anno *quinquagesimo quarto*. Genesi subjunxit *Esaiæ Prophetæ* enarrationem, quam justo volumine conscriptam divulgavit anno *quinquagesimo septimo*. Post hæc epistolas Pauli illustrare cœpit: ac primò quidem anno quinquagesimo quinto *commentarios* in epistolam ad *Romanos* in lucem edidit, quos quidem Augustæ conscriptos sibi hactenus servarat. Deinde verò anno *undesexagesimo* in ambas ad *Corinthios* commentatus est, quarum enarrationem post Esaiam susceperat. Has subsequutæ sunt epistolæ ad *Galatas* & *Ephesios*, justis commentariis illustratæ anno *sexagesimo primo*. Et postremò lucubrationes in *epistolas ad Philipp. Coloss.* & *Thessal.* ambas, partem etiam prioris ad *Timotheum*, cui immortuus est; quas post ejus obitum in lucem heredese miserunt. Penè hic præterieramus, quod inprimis commemorasse oportebat, *Locorum communium* opus plane divinum, quod juxta alias suas, jam enarratas, lucubrationes *toto decennio* elaboravit, & tandem anno *sexagesimo* edidit. Hæc tanta volumina propriis manibus, sine ullius amanuensis opera, ab ipso conscripta, quantis laboribus & vigiliis ipsi constiterint, quantamque hodie Ecclesiæ Dei utilitatem ferant; pii & eruditi judicabunt. Relinquimus nunc minora illa, quæ partim in gratiam amicorum, partim verò etiam ad publicam utilitatem edidit. Utpote anno *quadragesimo nono* Dialogos *quatuor*, Proscæri titulo inscriptos, quibus hoc argumentum tractat: *An liceat Christiano Evangelicam veritatem agnoscenti, bona conscientia Papisticis, vel aliis quibuscunque illicitis sacris externa societate communicare*. Item, *quatenus vis injustè illata homini Christiano patienter ferenda sit*; scriptum Germanicè. Refutationem etiam impuri Catechismi Augustani Catechistæ, itidem Germanicè scriptam, & Bernæ editam anno quinquagesimo primo: Et *Dialogos* quosdam Germanicos, de *Concilio Tridentino*: Item explicationem *Decalogi* anno quinquagesimo tertio, quam tamen postea Locis suis communibus inseruit. Hæc sunt, quæ in hoc suo munere non sine magno posteritatis emolumento elaboravit: quæque eò majorem apud posteros gratiam invenient, & utilitatem ferent, quod non solum methodo perspicua & facili, sed & summa sunt modestia & sobrietate scripta. Natura enim à contentionibus semper abhorruit, neque sese digladiationibus immiscuit, ubi verò in controversis articulis ab aliis fortè dissentit, sine aliorum id injuria & contemtu facit. Unde & scripta illius à nullo unquam ipso vivo sunt impugnata, excepto uno Cochlæo, cujus supra mentionem fecimus.

Loci communes Musculi.

Non est usus amanuensis.

Abhorret à certaminibus.

Continuit autem sese intra scholasticæ professionis limites; neque sermones ad ecclesiam, præter paucos aliquos, petentibus amicis, habuit. Licet enim à Senatu, ecclesiasticum quoque docendi munus offerretur; recusavit id tamen cùm propter senium, cùm verò etiam peregrinum linguæ idioma. A negotiis verò alienis studio abstinuit; ut suo solum vacaret officio, in quo adeò erat assiduus; ut vix ullam prælectionem sine gravi causa omitteret. Cæterùm quam grato erga Bernensem Rempub. & Ecclesiam animo fuerit, quamque eam amarit, vel hoc solum satis ostendit; quòd vocationes omnes, quæ illi hoc tempore contigerunt variæ & splendissimæ, recusavit & defugit. Etenim in *Angliam* vocatus est ter, præsertim post obitum *Martini Buceri*, magnis pollicitationibus: *Augustani* etiam, quos nunquam non amavit plurimum, anno quinquagesimo secundo pristinæ libertati restituti, inter cæteros Ecclesiæ suæ ministros exules, ipsum cumprimis revocarunt. *Argentinenses* item, quibus se nihil non debere semper agnovit, & præter hos *Otho Henricus* & *Fridericus* Palatini, & *Landgravius* Cattorum Princeps, ad suas ipsum scholas & Ecclesias, opulentissimis promissis stipendiis, multoties evocarunt, quas tamen vocationes omnes, quantumvis honorificas, cum aliis de causis, tum verò hâc potissimum renuit, quod illi Reipub. quæ ipsum exulem benignè susceperat, ac liberalitet hactenus foverat, ad vitæ usque finem, grato animo & constanti opera inservire decreverat.

Dilig. Majest.

A diversis vocatus.

Hæc de externa & publica ejus in schola, & ecclesia Christi conversatione: huic privata & domestica haud fuit dissimilis. Pacem coluit cum omnibus ecclesiæ ministris, & scholæ professores, collegas suos, amavit plurimum, & fratrum loco habuit, unde & ab ipsis redamatus, & patris loco habitus est. Erga uxorem & familiam perbenignus & facilis fuit, ac in domesticis molestiis ferendis patientissimus. Erga pauperes, præsertim peregrinos & exules, beneficus & ferè φιλόξενος, usuræ hostis acerrimus, amicorum cultor studiosissimus. Coluit autem amicitias & Principum virorum, & doctissimorum superioris seculi hominum quibus omnibus & ipse in honore & pretio fuit. Victu usus est simplici & temperantissimo, unde & valitudine fuit integerrima & senectute perquam tolerabili. Corpore erecto, facie rubicunda, oculis acutissimis, dentibus ad miraculum usque firmis, manibus denique & pedibus officium suum ad extremum usque probè facientibus. Et quamvis sinistro pede multis annis malè affecto uteretur; multum tamen & libenter animi gratia deambulabat; quæ tamen ejus deambulationes non otiosæ, sed fructuosissimæ erant, & sacris meditationibus dedicatæ, quæ recessus & solitudinem amare plerumque solent.

Domestica Musculi vita.

Prosopographia ejusdem.

Deambulationes ejus.

Expositis præcipuis vitæ ejus actionibus, restat ut mortis quoque historiam paucis subjungamus. Cœperat autem proximo ante

obitum

obitum anno tenuiore esse valetudine, cùm ob affectam ætatem, & attenuatum infinitis curis & laboribus corpus, tum ab tussim vehementem & inveteratam, quæ illi multo tempore molestissima fuit. Unde & crebriores solito ejus erant eo anno ægrotationes, ex quibus licet DEI beneficio, & medicorum opera subinde confirmaretur; ipse tamen mortem sibi instare facilè præsentiebat: seque ad illam quotidiè parabat magis; animum sepositis aliis curis ad tranquillitatem componens, inque solam mortis meditationem incumbens. Id quod ex his ejus patet versiculis, quos paucis ante obitum mensibus conscripsit:

Nil superest vitæ, frigus præcordia captat:
Sed tu Christe mihi vita perennis ades.
Quid trepidas anima? ad sedes abitura quietis,
En tibi ductor adest Angelus ille tuus.
Linque domum hanc miseram, nunc in sua fata ruentem,
Quam tibi fida Dei dextera restituet.
Peccasti? scio: sed Christus credentibus in se
Peccata expurgat sanguine cuncta suo.
Horribilis mors est? fateor: sed proxima vita est,
Ad quam te Christi gratia certa vocat.
Præsto est de Satana, peccato & morte triumphans
Christus: ad hunc igitur læta alacrisque migra.

Cæterùm *vicesima secunda* Augusti, quæ dies erat Dominica, cùm manè nullam corporis infirmitatem sensisset, & audiendæ concionis gratia ad templum accessisset, in ipso templo febris ipsum cum horrore invasit. Domum igitur dimissa ecclesia reversus, ac toto corpore horrescens, ad mensam quidem ut pranderet consedit: & parum de jusculo sibi appositio sorbillavit; statim tamen, quòd omnem cibum fastidiret, & febrilis horror augesceret, de mensa in lectulum, quem in Museo suo paratum habebat, abductus, nec unquam postea ex Musæo egressus est. In lectum autem collocatus, & stragulis, ut calefieret, quàm optimè contectus, frigus tandem febrile, in ardentissimum æstum desiit; quo postea usque ad vitæ finem, quasi continua & irremissa febri conflictatus est. Postera autem die cum medicum accersisset, de illius consilio sanguinis missione usus est. Et cum febri conjuncta esset λειποτιμία, ac ingens stomachi imbecillitas, paratum illi à medico Epithema, & data potiuncula est, quam tamen continere non potuit. Augebantur verò supra modum catarrhi, & tussis illi permolesta erat. Quare cum morbus invalesceret; & ipse sibi vitæ finem imminere sentiret; filios, quos habebat in agro ecclesiarum ministros, accersiri ad se voluit; quibus conspectis ac salutatis, postea non visus est de uxore & liberis quicquam esse solicitus. Cùm verò à *Joanne Hallero* admoneretur, quoniam intelligeret: quid misericors Deus cum ipso agere instituisset; res suas, si quas vellet, in tempore disponeret: respondit, *se omninò nihil habere quo angatur. Etenim quod doctrinam meam attinet*, inquit, *sicut scripsi, ita sensi, sentio & sentiam usque in finem: quod uxorem & familiam attinet: eam tibi & reliquis fratribus symmystis commendo, & oro, ut patres illi & protectores sitis.* Ubi cùm Hallerus tam suo quam fratrum nomine, omnem ei operam & benevolentiam promisisset, gratias egit, nec ullam postea ejus rei mentionem fecit. Defecerunt autem in illo post paucos dies omnes corporis vires; adeò ut suapte sese virtute è lecto erigere non posset: sed aliorum opera & ministerio allevandus esset, hac de causa cum lectulus, in quo hactenus decubuerat, ex alterâ parte parieti esset contiguus; eoque ejusmodi ministeriis incommodus: paratus illi in Museo alius fuit, & ita collocatus; ut utrinque ad ipsum pateret accessus; in quo postea Spiritum DEO patri reddidit.

Fuit autem, ut in universa vita, ita etiam in gravi & lethali suo morbo patientissimus. Ac licet ad ejus ægrotationem istud insuper malum accessisset, quod non solum filius Joann. Fridericus jam pridem decumberet; sed & conjux, cujus ministerio & cura si unquam hactenus, tum potissimum opus habebat, quæque ejus in hoc morbo maximum solamen fuerat, quinta post ipsum die, mœrore & vigiliis confecta, in gravissimum morbum inciderat; ita ut etiam de vita ejus desperaretur: his tamen ipse adeò non est turbatus, vel saltem alicujus perturbationis significationem dedit: ac si ad ipsum omninò non attineret. Visitabatur autem singulis diebus ab amicis frequenter, & præ cæteris frequentiores illi die noctuque aderant, scholæ Professores & Ecclesiæ Ministri omnes. Quicunque verò illi aderant, loquebatur parum, nisi interrogatus, eò quod ob defluxiones vehementes difficulter respiraret, & non nisi cum molestia loqueretur; idque voce adeò submissa; ut vix posset ab adstantibus intelligi. Quæ verò dicebat, plena erant senilis gravitatis, prudentiæ & pietatis: quale erat quod respondit *Hallero* ejus lectulo assidenti; cum is, miseriæ humanæ ingemiscens, diceret, *Ah quid sumus?* statim subjecit, *fumus:* allusione scilicet vocum appositissima, animoque præsentissimo. *Colloquia ejus in morbo.*

Somnos capiebat perpaucos & breves, ac post quos magnæ plerunque sequebantur infirmitates. Ita colluctatus inter spem & metum, donec diem septimam, quæ à medicis habetur κρίσιμη, superasset; post quam cum octavo meliuscule haberet, tum quasi superato periculo, de ejus vita spem optimam amici conceperunt. Remiserat enim nonnihil febrilis æstus, neque jam ei defluxiones tantum negotii facessebant. Et cum paratum ei à filia prandiolum esset, tolli è lectulo & veste sua indui voluit, sicque super le-

ctum considens pransus est suavius. Caput etjam linteis abstergi, barbam lavari, & capillum, quod esset longior, præcidi voluit. Ad hunc verò modum ornatus, & in lectum repositus, suaviter quiescere & obdormiscere cœpit, primum tamen supinus & palpebris semiapertis, quæ ejus species tristissima & morienti similima erat, omniumque metum & solicitudinem renovabat & augebat. Postquam verò evigilasset, febris illum denuò gravissimè corripuit, & noctem illam sequentem præ cæteris gravem habuit. Neque enim somni in ea quicquam cœpit; & plus quam unquam antea æstuavit. Noctem itaque illam multis suspiriis, gemitibus, & ad Deum precibus transegit, magno desiderio diem exoptans: quâ illucescente, (erat autem *Augusti* trigesima) paulatim eum vires deficere, pulsus omnis evanescere, extrema membra magis magisque frigescere, respiratio etiam fieri difficilior & concitatior, oculi & jugula subsidere, atque omnia in summa talia apparere, quæ mortem propinquam ostenderent.

& die 30. Augusti.

Vocatus itaque ad ipsum fuit *D. Joannes Textorius* Ecclesiæ Minister; qui ubi ad eum venisset, inter alias consolationes symbolum Apostolicum recitavit: cui ipse; *Fundamentum hoc*, inquit, *Christianæ vitæ semper in corde tenui: Et quanquam graviora patiantur homines, ex illis tamen me eripuit Deus, & erepturus est usque in finem, in gratia Jesu Christi.* His dictis, paulò pòst elevata manu dixit ad astantes: *Dominus sit vobiscum*, mortem nimirum sibi imminere sentiens illisque postremum valedicens. Interea autem finita erat concio, postquàm reliqui ministri ecclesiæ & scholæ Professores, cum vitæ ejus periculum intelligerent, ad ipsum confluunt. *Joann. Hallerus* autem hortabatur ipsum; ut in fide Jesu Christi, quam hactenus per omnem vitam professus esset, constanter persisteret, simulque ei verba Pauli ad Timoth. acclamabat? *Certamen bonum certavi, cursum consummavi, fidem servavi: quod superest, reposita mihi est justitiæ corona, quam reddet mihi Dominus in illa die, qui est justus judex.* Ad hunc ipse, interjecto aliquo temporis spacio dixit: *Absolvamus*, non potest enim animus perturbatus in eâdem placiditate semper persistere: interrogante Hallero; *an haberet aliquid quod ipsum perturbaret?* respondit, *nihil prorsus.* Et paulò pòst: *Libenter*, inquit, *vellem aliquid disserere, sed non audior*, interrogantibus quid? respondit, *de gratia Christi.* Filio illacrymanti, & interroganti, *quomodo se haberet?* dixit: *Non debes dubitare de fide patris tui.* Hæc fuit ejus postrema vox. Hallero autem acclamante illud Christi: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum*, & interrogante an intelligeret, capite semel annuit. Cum igitur spes nulla vitæ supereresset, nec vocem ipse amplius ederet, qui circumstabant lectum, In genua procumbentes, DEUM Patrem in Nomine JESU Christi obnixè precati sunt, mortiferos ei dolores & angustias benignè abbreviare; & felicem exitum accelerare vellet. Neque pias preces divina clementia aspernata est. Illius enim ita orantibus, ipse placidissimè, animoque ad extremum usque halitum præsentissimo, ac sine omni vehementiore corporis commotione, manibus super pectus complicatis, paulatim deficiente spiritu, animam DEO Patri commendavit, paulò pòst horam *decimam* ante meridiem, non sine magna omnium, qui aderant, admiratione, qui ob corporis illius soliditatem, optimamque constitutionem, duriorem vitæ exstinctionem metuerant. Mortuo clausit oculos *Ioann. Hallerus.* Corpus ad sepulturam delatum est sequenti die horâ secunda, & in publico cœmiterio conditum, funere frequentissimo, & maximo bonorum omnium luctu. Epitaphium insculptum est parieti sepulcro imminenti, ejusmodi:

Adoratio.

Funus.

Epitaphium.

MUSCULUS HIC SITUS EST, DOCTRINA CLARUS ET INGENS:
NOMEN IN ORBE MANET, SPIRITUS ASTRA TENET,
OBIIT IN DOMINO ANNO CHRISTI 1563. d. 3. CAL. SEPT. ÆTATIS SUÆ 66.

Theodorus Beza ejusmodi Epigramma de ipso scriptum reliquit:

Epigramma Bezæ in eum.

Magnum dicere Musculum pusillum,
Quum sit auribus insolens Latinis:
Magnum hunc dicere Musculum quòd ausim,
Quamvis pulvere conditum pusillo,
Si causam rogitas, viator, audi.
Haudquaquam fuit ille mus pusillus,
(Ipsum si lubeat vocare murem)
Illarum ex numero famelicarum,
Quæ felis rapidos verentur ungues:
Sed qui ipsos potiùs catos rapaces,
Quantumvis solitos potentiorum
Ipsis cum dominis domos vorare,
Vivus perculit, & suo paventes
Adhuc nomine territat sepultus.
Immò quem tremuit quoque illa rupis
Tarpeiæ arcibus incubans leæna;
Orbis magnanimos vorans Monarchas.
Magnum & dicere Musculum pigebit,
Quamvis pulvere conditum pusillo?

Ex narratione *de vita & obitu Wolfgangi Musculi, ab Abrahamo* F. conscripta.

AN-

ANDREAS GERARDUS HYPERIUS.

ANdream Gerardum Hyperium protulit Hyperis Flandriæ oppidum, die Maji *decimo sexto*, mox ab horâ sextâ vespertinâ, cùm annus Domini numeraretur, *millesimus quingentesimus undecimus*. Patrem habuit cognominem, clarum apud Hyperas Jurisconsultum: matrem *Catharinam Cœts*, ex nobilissimis patriciorum Gandavensium familiâ. Hi puerum anno ætatis suæ *undecimo*, post elementa Grammatices mediocriter percepta, *Iacobo Papæ* illius temporis poëtæ non incelebri, erudiendum commendarunt: qui tum *Vastinis* ad flumen *Lisam* literas elegantiores non invitâ Pallade docebat.

Hac in scholâ præter Papam, *Joannem Sepanum* puer audivit, virum, ut tum habebatur, exactè doctum, Græcarumque & Hebraicarum literarum non imperitum. Deinde anno ætatis suæ, *decimo tertio*, *Insulas* Flandrorum commigravit: ut cum literis bonis linguam etiam Gallicam addisceret: ubi in scholis docentem *Joannem Lacteum* audivit; de cujus ore dulcissima instar lactis perfluere dicebatur oratio. Anno sequente *Tornacum* missus fuit: ubi schola sperabatur aperienda trilinguis: cui *Nicolaus Buscoducensis* præfectus erat. Sed cum schola instituta aperiretur, mox in patriam est reversus. Cupiebat omnino pater filium hunc, ut bonis literis, ita etiam optimis moribus imbui. Itaque cum eum *Lovanium* ablegare nollet; quòd juventutem ibi licentia nimia corrumpi judicaret: neque etiam Parisios, ubi ipse parens aliquot annos adolescens vixerat, mittere posset, quod continua inter *Carolum* V. Imperatorem & *Franciscum* Galliæ regem, bella gererentur: domi ad tempus filium detinuit: ubi in describendis actis, quæ vocant, cum scribis paternis occupabatur. Ac parùm omninò abfuit: quin bonarum literarum studiis, in quibus jam mediocriter profecerat, tum valediceret: cum interim pater, quem habebat charissimum, *Junii* die *duodecimo*, anno *vicesimo quinto*, supra *millesimum quingentesimum*, è vita excedit: qui hoc cumprimis matri moriens mandarat diligentissimè; ut ubi primum bella illa sopita essent, filium Andream ad persequenda studia *Lutetiam Parisiorum* mitteret.

Factis itaque inter Cæsarem Carolum & Franciscum regem induciis, Parisios primum venit Hyperius, anno Domini *vicesimo octavo*, pridie Cal. Augusti. Commendatus per literas fuerat *Antonio Helbucio Vastinensi*, qui Senator parlamenti tum temporis erat, & *Ioanni de Campis Curteacensi*, Theologiæ Licentiato: illi, ut tempore belli, si opus foret, sumtus suppeditaret necessarios: huic, ut studiorum adolescentis rationem haberet. In hujus igitur ædibus diu primum egit Hyperius, dum præcepta Dialectica in collegio *Calviaco* audiret. Altero deindè anno postquam Parisios advenerat, familiaritatem cum *Joachimo Ringelbergio*, homine doctissimo, maximam contraxit, qui in collegio isto Calviaco varia tum temporis breviter & doctè tradebat. Tertio autem anno, alios jam privatim instituere in Dialecticis atque Rhetoricis cœpit: cum interim Physicos ipse audiret Aristotelis libros: ut pro more scholarum cum aliis commilitonibus Magisterii gradum prensaret. Exacto triennio, in patriam rediit: ut & amicos salutaret, & nunquid patrimonii superesset, intelligeret. Unde anno sequente, qui *millesimus* erat, *quingentesimus tricesimus secundus*, cum patrimonium adhuc sufficere sibi ad studia diutius persequenda videret; iterum *Parisios* se contulit, gravioribus jam studiis operam daturus. Cœpit tum primum ad Theologiæ studia animum appellere: cujus facultatis maximè celebria in schola Parisiensi exercitia erant. Theologorum itaque scholas diligenter frequentavit: interdum etiam *in decretis* lectiones aliquas audivit: ex quibus magis tum Theologi dogmata sua, quàm ex sacris literis probare consueverant. Medicorum præterea scholas animi causa ingrediebatur nonnunquam; quod Medicinæ studio semper quasi natura magnoperè delectaretur. Linguarum interea professores diligenter audiebat, *Cleonardum* inprimis, *Joann. Sturmium*, *Latomum*: ac docebat privatim ipse Gallos præcipuè atque Hispanos.

de quo in vita Philosophorū.
Alios docet Hyperius.
Redit in patriam.
Inde Lutetiam.
Theologiam aggreditur.
Audit & medicos.
Et Cleonardum.
Sturmium
Latomum.

Sed cum maximo tum temporis teneretur lustrandarum aliarum regionum ac provinciarum Galliæ, desiderio: cum ut linguam Gallicam disceret exactius, tum ut mores totius illius gentis cognosceret diligentius: singulis annis, *Januario* maxime, *Februario* ac *Martio* mensibus, quibus ferè lectiones publicæ in scholis suspendebantur, aut saltem remissius obibantur: ipse adjunctis sibi fidis comitibus, aliquot literarum studiosis amicis, alias petebat provincias; celebresque invisebat Academias. Atque ita intra triennium, illis, quos dixi, mensibus universam ferè *Galliam*, magnamque *Italiæ* partem, eam videlicet, quæ inter Alpes est & Bononiam, perlustravit. Reversus posteà est in patriam, anno *millesimo quingentesimo trigesimo quinto*, sed mox Lovanium perrexit, quo bibliothecam suam ex Gallia vehendam curarat. Peragravit tum temporis animi causa totam ferè inferiorem Germaniam, *Geldriam* videlicet, *Phrysiam*, *Trajectum*, *Hollandiam*, *Selandiam*. Hinc anno Domini *millesimo quingentesimo trigesimo septimo*, ætatis suæ *vicesimo sexto*, advisendam superiorem Germaniam animum adjecit: ut celebriores in ea scholas, atque in his viros doctos videret. Vidit itaque eo anno *Coloniam*, *Marpurgum*, *Erfordiam*, *Lipsiam*, *Wittembergam*. Reversus inde eodem anno in patriam, sub finem mensis Augusti, adductus est amicorum consilio & precibus ut de suscipiendo jam alicubi docendi munere co-

Peregrinatur in Gallia.
Et Italia.
Lovanium petit.
Peragrat Germaniam inferior.
Item superiorem.
De officio suscipiendo solicitatur.

gitaret: ut absumto jam in scholis atque peregrinationibus patrimonio, paulò quietius apud suos vivere posset. Ac amici quidem, ipso minimè conscio, *diploma* jam ab Romano pontifice impetrarant; quò ampli quotannis *reditus ex Abbatia* quadam Hyperio concedebantur. Id unum restabat: ut cancellarii Cæsariani *Joannis Charondileti*, Archiepiscopi Panormitani, ea in re assensus accederet. Sed divina sine dubio providentia factum: ut non solum ab eo assensus non impetraretur: sed etiam ab eodem maximum ostenderetur periculum. Accusatus enim apud Panormitanum Hyperius à competitoribus fuerat: *quòd in Germania superiore fuisset:* id quod tum non modò invidiosum doctrinæ purioris odio: verùm etiam periculo plenum habebatur. Cœpit itaque iterum, ne exhausto jam patrimonio, amicis oneri esset, piorum quorundam ac doctorum virorum consilio, ad peregrinationes animum convertere. Ac *Italiam* quidem tum adire cupiebat, quod Galliam atque Germaniam mediocriter jam ante perlustrasset: sed cùm bellis inter Cæsarem & Gallum iterum tum ferverent omnia; ab Italia exclusus, in *Britanniam* navigavit: ubi facilius ab amicis suis certior fieri per literas posset, si qua melior spes in patria affulgeret. Ac ut in aliis nationibus: ita in Britannia quoque eos maximè viros cognoscere studuit; quorum nomina literis erant celebrata. Qua occasione in *Carolum Mantioium, Guilielmi* filium, Baronem incidit: quem Erasmus Roterodamus amplissimè in scriptis suis, ac sæpè commendat. Is amicè cum Hyperio multis ac variis de rebus collocutus, cum ingenium ejus perspexisset, oblato liberali stipendio domum suam eum invitavit: ubi *annos quatuor* amplius suavissimè Hyperius cum Montioio vixit in otio literatorio. Anno *millesimo quingentesimo quadragesimo* mense Julio, *Montioii* sumtibus *Academiam Cantabrigensem* invisit. Obtruncatus est eo anno *Thomas Cromelius*, cum quòd Annæ Clivensis ducendæ autor fuisset, tum quòd Pontificiis exitium moliri putaretur. Exustus tunc item est, propter purioris religionis professionem, *Robertus Barnus*, cum quibusdam aliis. Quin etiam nonnulli morte mulctati sunt, qui non approbarant: ut Rex Angliæ supremum Ecclesiæ Anglicanæ secundum Christum caput diceretur. Promulgata præterea aliqua periculosa adversus peregrinos edicta. Quæ res Hyperium commovit; ut de repetenda Germania cogitaret. Priusquam igitur ex Anglia discederet, *Academiam* quoque *Oxoniensem* veterem invisit, anni sequentis mense Februario. Inde *Londinum* venit mense Majo: compositisque rebus suis, Montioio, valdè laboranti ut Hyperium apud se retineret, valedixit.

Reditus ex Abbatia ei adsignati.

Sed impediti.

Accusatus Hyperius.

Navigat in Britanniam.

Carol. Mantioius.

Apud eum vivit Hyperius.

Cantabrigiâ venit.

Th. Crom. Sleid. l. 13. comm.

Robertus Barnus.

Edicta in peregrinos.

Londinum venit.

Itaque ejusdem mensis die duodecimo Antuerpiam appulit: unde se in patriam conferens, aliquot dies apud amicos quieti

Inde Antuerpiam.

dedit. Sed fama Reipublicæ ac scholæ *Argentoratensis*, maximeque nomen *Buceri*, Hyperium ad lustrandam etiam illam superioris Germaniæ partem exciverunt. Itaque *Argentoratum* profecturus, in ipso itinere *Marpurgum* venit, exspectans dum sarcinæ ac libraria, per mercatores *Francofurtum* curarentur. Sciebat enim & minoris se apud Cattos interea posse vivere, quàm uspiam ad Rheni ripas: & sperabat, facilè se impetraturum ad præstantissimos doctissimosque viros; qui Argentorati docebant, literas commendaticias: idque præsertim ab humanissimo viro *Gerardo Noviomago*, qui & antè Hyperium noverat, & ipse aliquandiu Argentorati vixerat. Hæc occasio reditus Hyperii ad scholam Marpurgensem fuit: ad quam die Junii *decimo quinto*, anno *millesimo quingentesimo quadragesimo primo* ætatis suæ exacto jam *trigesimo* pervenit.

Petit Argentoratum. Marpurgi subsistit.

Gerardus Noviomagus.

Gratissimus Hyperii adventus Noviomago accidit: cœpitque is diligenter cum Hyperio agere: uti Marpurgi maneret, certamque & professionis & liberalis stipendii spem fecit. Itaque cùm à comitiis Ratisbonensibus *Joannes Ficinus*, Cattorum Principis Cancellarius, vir propter insignem virtutem æternâ memoriâ * dignus, rediisset: egit cum eo Noviomagus de Hyperio. Ajebat Noviomagus, *se à conventu illo Haganoensi, anno quadragesimo: ad quem à Principe Hassiæ missus fuerat semper laborasse adversa valetudine: neque posse eos subire docendi labores, quos ante pertulisset. Itaque petere, ut Hyperius in locum suum substituatur, qui, quando ipse per valetudinem non posset, prælegeret.* Optimum Noviomagi consilium non improbat Ficinus; verùm continuò ad se vocat Hyperium, hortaturque ut Marpurgi maneat; & specimen aliquod eruditionis suæ præbeat. Fore enim, ut, si eruditionis suæ specimen præclarum edidisset, stipendium ei pro laboribus constituatur honestum. His adductus rationibus Hyperius remansit. Moritur non ita multò post Noviomagus *decimo die* Januarii, anni sequentis, cui mox professorum autoritate successit Hyperius: atque, quas ante Noviomagus explicare consueverat Epistolas, D. Pauli, eas ipse quoque enarrare cœpit.

Ab ea Hyperius invitatur.

Joan. Ficinus.

* De eo in ICtis Germaniæ.

Cum eo agit Noviomagus de Hyperio retinendo.

Succedit Noviomago Hyperius.

Cumque ultra biennium cælebs in illo profitendi munere versatus esset: animum ad matrimonium adjecit: quod non putaret se commodè sine uxore, maximè cum non ita firmâ valetudine esset, vitam transigere posse. Duxit ergo anno *millesimo quingentesimo quadragesimo quarto*, Februar. die *vigesimo septimo*, uxorem *Catharinam Orthiam, Ludovici Orthii* quondam Quæstoris Marpurgensis filiam: quam viduam *Joannes Happelius*, honestus civis, cum duobus liberis reliquerat. Ex hac uxore, quam charissimam semper habuit, filios sex, filias quatuor, susce-

Ducit uxorem.

suscepit: ex quibus duo filii, filiæ tres superstites manserunt.

In docendi munere tanta fide, tanta diligentia, tantoque cum fervore promovendorum sacrorum studiorum, versatus est, ipsos *viginti duos* annos: ut præter labores sibi injunctos, etiam horas sæpè succisivas sumserit, quibus aliquid extra ordinem doceret. Exercitia disputationum atque declamationum diligenter ursit, quibus ut ipse aliquot annos solus semper magno cum labore præfuit, ita pòst cum cæteri quoque collegæ ordine præsiderent, ipse libenter interfuit. Concionandi verò in schola rationem magno cum labore, & molestia instituit. Præscripsit ipse locos, quos tractandos maximè putaret, emendavit conciones à studiosis conscriptas, priusquàm recitarentur, audivit etiam concionaturos, antequam in publicum prodirent, ut si quid vel in voce, vel in gestibus desideraretur, id quoque corrigeret. Collaudavit eos, qui rectè sese in hisce exercitiis gessissent: contra objurgavit, extimulavitque ad diligentiam negligentiores atque socordes. His exercitiorum generibus, adjecit præter *examen Theologicum*, quod semel ferè intra biennium instituit, etiam *consultationis Theologicæ* quandam rationem; ubi quæstione aliqua proposita vel de doctrina, vel de ritibus atque negotiis Ecclesiasticis, singulos jussit ordine sententias suas integra oratione proponere: ut ita variis in utramque partem dictis sententiis, ex multis quid verum esset, quid falsum, quid pro causa faceret, quid contra causam afferri posset, animadverteretur. Quos ille omnes labores ita sponte suscepit, ut nullo etiam præmio laborum proposito, diligentissimè tamen eos persequeretur. Omittimus hic studia privata, de quibus verè affirmari potest: *nunquam* * *illum domi solum fuisse*, quin scriberet aliquid, vel legeret, vel meditaretur, usque adeò: ut etiam enervare corporis vires & frangere nimiis studiis atque laboribus, videretur. Accessit ad hæc omnia diligentissima *de reformandis Ecclesiis meditatio*: in qua dies noctesque est versatus. Cupivit ad veteris ecclesiæ exemplum revocare Hassiæ cives, cupivit sublatis multis nugis, quæ adhuc ex Papatu tunc reliquæ, veterum in colenda religione simplicitatem reducere, adeoque collapsam maximo cum Ecclesiarum detrimento *disciplinam Ecclesiasticam* revocare.

Cum ita annos viginti duos & menses aliquot, ea quâ diximus ratione in schola Marpurgensi exegisset; ut non erat firmissima valetudine, ita cum aliquot antè hebdomadas continuis catarrhis ac tussi laborasset; ad *vicesimum tertium* Januarii gravius decumbere cœpit. Maximè de doloribus capitis, pectoris, ac laterum conquestus, ut ita nonnunquam membra æstuarent omnia, ut horrore quodam febrili concuti viderentur. Ac illa quidem tota hebdomade, cum nondum adhuc de vita ipsius desperaretur, multa quidem ille & cum aliis & cum *Wigando Orthio* præsertim, qui frequentior aderat, de *rebus scholæ*, de *studiis Theologicis*, de *ecclesiis reformandis* est collocutus. Inter alia dixit, collegis esse nonnullos, si convaluisset, maximè illos concionum instituendarum labores partiendos, quos quia solus ipse sustinuisset, amisisse valetudinem sibi videretur. Ad trigesimum verò Januarii, qui Dominicus erat, cum celebrata in sacro cœtu cœna Dominica esset, petiit ad se quoque, pro more veteris Ecclesiæ panis sacer & calix afferrentur, de quibus postquam cum familia sua percepisset, gravius jam cum morbo est conflictatus. Atque sequenti tum die cœpit uxori mandare diligenter, quid post mortem suam fieri vellet: atque liberis præcipere, quomodo se & erga Deum & matrem piè, & adversus homines cæteros justè atque honestè gererent. Inter cætera, cum filiolus trimulus ad lectum astaret: *Disce*, inquit, *mi fili mandata Domini, & ipse enutriet te.* Post multa, cum iis qui officii causa eum invisebant, eo ipso die, ut & sequente, de *fidei suæ confessione*, deque *ejus doctrinæ*, quam professus esset, constantia disseruit. Ac ipsis quidem calendis Februarii, quibus & expiravit, tota ejus oratio in hoc fuit, ut iis, quos præsentes videbat, testatum faceret, in ea se doctrinæ ac fidei professione, quam tot annis in schola proposuisset, constantem ad extremum spiritum perseverare. Sub vesperam ejus diei, cum iterum de constantia fidei suæ atque perseverantia nonnulla dixisset, valedicere præsentibus cœpit, ac animam ipsam agere. Agnoscebat tamen adhuc singulos, & interruptis verbis ac morientibus vocibus rogatus respondebat, donec post octavam noctis, cum media ferè nona esset, spiritum Deo reddidit: cum nondum ætatis annum *quingentesimum tertium* explevisset. Elatus est ibidem funere frequenti; & tumulo juxta Geldenhaurii Noviomagi sepulcrum illatus, addito tali epitaphio:

Vtitur cœna sacra Hyper.

Disponit domui sua.

Voces ejus ultimæ.

Moritur.

Epitaphium ejus.

ANNO DOMINI M. D. LXIV. KAL. FEBRUARII, PIE IN CHRISTO OBIIT CLARISSIMUS VIR D. ANDREAS HYPERIUS, THEOLOGIÆ DOCTOR AC PROFESSOR IN HAC SCHOLA CELEBERRIMUS.

Annus emortualis Hyperii est hoc etcostichio expressus:

FLan'Drla qVeM genVIt, Hassla nostra tegIt.

Exstant in eum & virorum doctissimorum elogia epitaphia; è quibus *Theodori Bezæ* est ejusmodi:

Elogium ejus à Beza.

Non Hyperis dedit hoc, Hyperi, tibi patria quondam,
Quod superis potius ducis cognomen ab oris,
Nec tibi sors olim tribuit temeraria nomen
Andreæ: at ipsa suo ornavit te nomine virtus.
Hoc sancti mores, teneris hoc omnis ab annis
Vita probat superûm curæ cœloque sacrata.

Et quis enim melius, quis nam te fortius uno
Tarpeiâ aggressus depellere rupe Tyrannum?
Certius an quisquam erranti per devia turbæ
Commonstravit iter, superas quod ducit ad arces?
Mactè igitur virtute, Hyperi, quem nec fera totum
Mors domuit totum nec servant claustra sepulcri:
Quin superi meliore fovent jam parte receptum,
Altera dum tumulo quæ nunc pars clausa quiescit,
Exanimisque licet jam cœli ad limen anhelat,
Evigilet felix, & quod tu diceris, illud
Evadas, Hyperi, tum re, tum nomine totus.

Nigidii in eundem epigram.

Petrus item *Nigidius* senior, in catalogo Professorum Marpurgensium, tali eum est epigrammate prosecutus:

Hyperium terræ flentes mandavimus omnes,
Ah dignum innumeros vivere posse dies!
Fortuna invidit, jussitque abrumpere fila
Atropos: heu quantum sustulit illa virum!
Hic potuit sacros felix exponere libros,
Scripta prophetarum nota fuêre satis.
Legerat hic pariter veterum monumenta virorum:
Eloquio clarus, vir pius, atque gravis.
Doctrina præstans, cunctis virtutibus auctus,
Notus & Eois Hesperiisque plagis.
Ecquis enim nescit scripta illius, aurea scripta?
Artis & ingenii nobilioris opes?
Hunc legite, ignari sacrorum, sacra professum:
Sincera mentes imbuet ille fide.

Requisita doctoris quæ.

Cum autem in doctore requiratur primum *eruditio* cum experientia singulari conjuncta: deinde *facultas docendi*, tum *fides ac diligentiâ*; denique *vitæ* atque *morum gravitas* & constantia: omnia hæc ut rara ita eximia in Hyperio fuerunt.

Eruditio Hyperii.

Principio enim magna in eo fuit *linguarum cognitio*, major *artium* liberalium & *Philosophiæ*: *sacrarum literarum & historiarum Ecclesiasticarum* totiusque veteris ecclesiæ maxima. Testati sunt hoc, qui docentem publicè, qui disputantem summa cum laude, qui familiariter colloquentem cum amicis audierunt, & testes sunt hodieque libri, quos in publicum edidit: qui inter doctissimorum hominum scripta à doctissimis numerantur atque leguntur, de quibus mox dicemus.

Facultas item docendi, & disserendi.

Sed docendi atque *disserendi facultas* non minor in eodem fuit. Non ille argumenta proposita eludebat, ut multi in more habent, non clamoribus ac vociferationibus rem agebat, unde nihil utilitatis auditores caperent: sed ita apertè ac graviter explicabat omnia; ut fructum indè maximum auditores attenti perceperint.

Vitat quæstiones otiosas.

Atque in hac sua tam docendi, quam disserendi ratione, tanta semper fuit modestia, tantaque constantia, ut neque temerè quæstiones otiosas moveret; neque semel susceptam cum judicio docendi rationem immutaret. Qua de re eo ipse die quo obiit ad *Wigandum Orthium & Conradum Matthæum*: *Ego*, inquit, *id semper operam dedi in schola: ut doctrinam utilem auditoribus proponerem, & vitarem otiosas quæstiones: diligenter cavi, ne ullam darem contentionum occasionem, eandemque docendi formulam semper retinui, ac dum vixero, retinebo.*

Diligentia ejus.

De diligentia ejus & assiduitate jam ante dictum: quæ profecto tanta fuit, ut humanitùs loquendo, vitæ sibi ipse spacium nimiis laboribus abbreviarit.

Virtutes aliæ.

In vita & moribus verè fuit τετράγωνος. In victu atque vestitu temperans semper, in conviviis modestus; in colloquiis & conversationibus humanus & æquus. Et quemadmodum immania illa in conviviis hominum pocula, & scurriles in colloquiis nugas ex animo fuit aversatus, ita moderatis conviviis, jucundisque amicorum confabulationibus libenter nonnunquam interfuit. Ita neque ea quæ turpia essent, probavit, neque ea quæ concedi ad animi recreationem possent, improbavit. Breviter, sic se gessit ubique & adversus omnes, ut non modò doctis hominibus jucundi, sed etiam indoctis suavissimi ejus essent mores. Unde quam charus non solum scholæ, verùm etiam toti civitati fuerit, multæ omnium ordinum profusæ in funere ipsius lacrymæ sunt testatæ.

Scripta Philosophica.

Monumenta igitur ac doctrinæ in usum posteritatis ab ipso elucubrata partim Philosophica sunt partim Theologica. Philosophica sunt hæc: de *ratione studii*; *Dialectica*, *Rhetorica*, *Arithmetica* quædam; item *Geometrica*, *Cosmographica*, *Optica*, *Astronomica*, *Physica*: in *Ethica* Aristotelis scholia, de *studiosorum vita & moribus*: & si quæ alia affecta.

Theologica.

Theologica sunt ista duabus partibus impressa: de *ratione studii Theologici* libellus, qui unicus sufficiat ad perficiendum in eo genere doctorem, modò ejus consiliis pareatur: de *formandis concionibus*, libri duo: de *Theologo* libri quatuor: de *quotidiana lectione & meditatione* sacrarum literarum, libri duo: de *Catechesi*, de *publica in pauperes beneficentia*, de *scholis Ecclesiasticis*, de *conjugio ministrorum* Ecclesiæ, de *probatione sui* ipsius, de *providentia Dei* & aliis. Exegemeta in epistolas Paulinas omnes, quorum quædam post obitum à filio *Laurentio* sunt foras data.

Laurentius Hyperius F.

Plerisque autem omnibus supremam manum imponere, per occupationes, non potuit.

Affecta.

Affecta reliquit *Methodum Theologiæ*, cujus cum ipse sex libros instituisset, vix tres absolvit: *feriarum scholasticarum* libros duodecim, de *ordinanda Ecclesia*, libros sex: quæ si & absolvere & elimare potuisset, ingenium ipsius divinum, eruditio singularis, historiarum cognitio admiranda, & prudentia rara, clarissimè perspicerentur. Veruntamen vel ea quæ typis exscripta exstant, satis virum indicant: adeò ut *ex ungue*, quod ajunt, *leonem*. Desumta hæc sunt *ex oratione, quam de Hyperii vita & obitu Wigandus Orthius scriptam reliquit.*

THO-

THOMAS GRYNÆVS.

IN oppido Sueviæ *Veringa*, natus est *Thomas Grynæus* parentibus honestis, circa annum Christi, *millesimum, quingentesimum, duodecimum.* Puer ubi prima literarum rudimenta in patriâ percepit, à patruo *Simone Grynæo* Haidelbergam evocatus necdum ephebus; ejus ductu ad linguarum & artium studia graviter incubuit, eruditionemque mediocrem sibi comparavit.

Anno deinde *undetrigesimo* eundem suum patruum, *Basileam* accersitum, ipse comitatus, convictuque ejus domestico usus, privatim discipulis quibusdam patrui prælegit, seque ipsum, ut fit, alios docendo docuit. Inde à Repub. *Bernensi* juvenis admodum expetitus, Latinam Græcamque linguam aliis tradidit, alumnosque illius urbis omni genere & literarum & virtutum perpolivit. Exactis autem eo in officio annis *undecim*, cùm variæ à Theologis moverentur quæstiones, quibus & ipse implicabatur, homo quietis amans, contentionumque pertæsus, *Basileam* repetiit, studiaque sua in otio privato ursit.

Ibi ergò dum paulisper substitit, inter professores cooptatus, anno *quadragesimo septimo*, supra *sesquimillesimum*, mox de more Academiæ artium liberalium Magister est salutatus. Interea, dum & publicè in scholâ docendo officium facit, & privatim lectioni sacrorum librorum incumbit, atque in pagis vicinis quandoque conciones habet: Deo sic rem gubernante *Carolus* Badensis Marchio suæ ditionis ecclesias à Pontificiis erroribus expurgat, missaque profligatâ, Evangelii doctrinam amplectitur ac profitetur.

Cùm itaque sub id tempus in superiori Marchionatu, ipsaque præfecturâ *Rœtelensi*, virum, probitatis atque eruditionis spectatæ, desideraret: qui & verbum Dei eo in loco ipse doceret, & aliorum ministrorum ἐφοδιάκτην ageret, *Grynæo* huic officium istud defert, pastoremque ad arcem *Rœtelensem*, unico milliari Basileâ distantem designat. Eam vocationem ille secutus, sacram hujusmodi functionem eâ fidei gravitate, modestiâ, obivit, ut gratus charusque suo merito omnibus esset. Verùm octennio necdum elapso, cum *Basileæ* & in omni vicino agrô sæviissima pestis esset exorta, eâdem & *Grynæus* correptus, atque d. IV. Non. Sextiles exstinctus est. Corpus ejus terræ mandatum est *Rœtelæ*, in templo, ubi ipse primus Evangelium docuerat, tali cum monumento addito:

D. O. M. S.
D. THOMAS GRYNÆUS, FIDE AC VITA THEOLOGUS, UT SUPERSTES VIVA VOCE ET EXEMPLO SUO AUDITORES, SIC IN CHRISTO QUIESCENS, SYMBOLIS OBEDIENTIÆ, FIDEI, ET PRUDENTIÆ, POSTEROS IN DOMINO ADMONITOS VOLENS, IN MONUMENTO HOC JUSTORUM RESURRECTIONEM PRÆSTOLATUR. OBIIT ANNO DEI IN CARNE PATEFACTI M. D. LXIV. POSTRID. CAL. SEXTILIS.

Libros, quod sciamus; edidit quidem nullos, sed liberos egregios, filios nempe quatuor, *Theophilum, Simonem, Ioannem Iacobum*, & *Tobiam*; omnes literis eximiè excultos, de quibus *Ioann.* * *Iacobus*, S. Theologiæ Doctor, patri in functione ecclesiasticâ successit, vir pietate, virtute & doctrinâ suspiciendus. Itaque hic pater in liberis revixit, vivetque tum spiritu apud Deum, tum memoriâ nominis boni apud homines sempiternâ.

Filii Thomæ Grynæi

* *De quo vide in vitâ ejus.*

Hoc pretium vitæ, vigilatorumque laborum. Pant. l. 3. Prosopograph. Monumenta Basilienſia.

MARTINVS BORRHAVS, alias CELLARIVS.

Ⓞ 1564. d. 11. Octob. ætat. 65.

STutgardiæ *Martinus Borrhaus*, qui & *Cellarius* dictus, natus est anno *millesimo, quadringentesimo, nonagesimo nono.* Primis maturè imbutus literarum rudimentis, *Tubingæ* cum aliis, tum *Ioanni Reuchlino* operam aliquandiu dedit.

Patria. Natalis. Audit Reuchl.

Habuit etiam usum quendam cum *Melanchthone*: qui ibidem tunc agebat. Postea *Haidelbergæ* doctrinæ & linguarum necessariarum cognitionem ac copiam ita auxit, ut testimonium Philosophicum, magisterii gradum, fuerit consecutus.

Melancht. amicus.

Hoc ornatus *Wittembergam* venit, ubi à *Melanchthone* amicè acceptus & tractatus fuit. Cumque ingenio esset minimè hebete, ac studii diligentia excultus, tradidit ei *Melancht.* discipulos instituendos in scholâ privatâ, quam habuit frequentem & fructuosam. Ibi ergo cum & *Marcus Stubnerus* ageret, unus ex primis auctoribus fanaticæ *Anabaptistarum* sectæ; *Cellarium* in suas partes adduxit; eumque amicum, socium, & adjutorem habuit, cùm patrocinio *Carolostadii*, & favore *Melanchthonis* niteretur. Censuerunt isti demoliendum statim, quicquid perperam in ecclesiam esset introductum. Inprimis autem ritus in Eucharistiâ peragendâ, & collacatarum in templis imaginum ac simulacrorum amotionem urserunt. Adhæsit sectæ illi diu *Cellarius*: sed cùm nec *Lutherum*, nec *Melanchthonem*, nec alios eruditos, applausores inveniret, *Wittembergâ* discessit.

Wittembergam venit. Ibi alios docet.

Anabaptistis adhæret.

Inde ubi in *Borussiam* venit, anno *vicesimo quinto*, jussu Principis in liberam datus custodiam, multa de doctrinâ illa scripsit. Verùm cùm videret labascere partes, & spe se frustrari; mutavit sententiam. Itaque sub annum trigesimum sextum, *Basileam* venit, ubi cognita ejus doctrina, professoribus Philosophicis adscriptus, *Rhetorica* ex Græcis Latinisque auctoribus, cum applausu auditorum, tradidit.

In Borussiam abit.

Sententiâ mutat. Basileæ docet, Rhetorica.

In Philosophorum ordine ita aliquandiu versatus, non sine doctrinæ vitæque integritatis laude, divinas literas, quarum interea studium nunquam sepositerat, pro cathedrâ publicâ enarrare est jussus, anno *quadragesimo quarto.*

Hanc

Et Theol Hanc nactus Spartam, Veteris Instrumenti libros θεοπνεύστους, ex ipsis fontibus, quæ optima Theologiæ docendæ ratio, aggressus est interpretari: enarravitque *Mosis Pentateuchum, Josuæ, Judicum, & Regum libros*, cum aliquot *Prophetis, & Ecclesiastæ* atque *Jobi* libro. Utque publico scholæ testimonio, & aliorum præclaro de se judicio ornatus, majori cum auctoritate faceret, quod faciebat: anno *undequinquagesimo*, mense Julio, summa Theologiæ insignia, quæ Doctoralia vocant, passus est sibi conferri.

Doctor Theol. renunciatur.

Tenuit illum vitæ cursum, donec ad vitam meliorem abiit: quod factum anno *millesimo quingentesimo sexagesimo quarto*, die *undecima* Julii, ætatis ipsius anno *sexagesimo quinto*: quo, cùm paulò antè commentaros in *Proverbia Salomonis* absolvisset; ac gravissimâ lue Basilienſi in urbe grassante, *septem* circiter hominum *millia* periissent; peste ipse quoque correptus, quarto à decubitu die exspiravit.

Moritur.

Cruſ. l. 12. p. 3. c. 10. annal. Sueu.

Monum. Sepultus Basileæ est in circuitu templi cathedralis, ejusmodi appositio monumento:

TRINO ET UNI S.
MARTINO BORRHAO STUTGARD.
S. THEOL. PROFESS. EXIMIO, ET
NUNQUAM INTERMORITURIS
IN OMNI LITERARUM GENERE
LUCUBR. CELEBERRIMO,
POST MULTA ET VITÆ ET ERUD.
PRÆCLARA EXEMPLA
MORTE PLACIDISSMA
HUMANIS EXEMTO,
ANNA SCHMIDIN UXOR TERTIA,
MARITO DESIDERATISS.
S. S. Q. R. MON. F. C.
MILITAVIT ANNIS LXV.
MISSIONEM OBTINUIT
EPIDEMIALEM
ANNO SALUTIS M D LXIIII.
AD V. ID. OCTOBR.

Ελπὶς καὶ πίστις μέγα χαίρετε, ἡ λιμὴν εὔζων.
Ὀυρανίοισιθεοῖς μὲν ἔπεστιν ἔρως.

Epicedium. *Paulus Cherlerus*, qui præclarorum Basileæ tunc exstinctorum virorum, obitus Carminibus deflevit, hoc etiam *Borrhaum* Epicedio est prosecutus:

Hic est Borrhaus Pario sub marmore clausus;
Pierides vati quod posuêre suo.
Hoc satis esse tibi potuisset, candide lector,
Si tamen hora sinit, cætera pauca legas.
Vir fuit iste bonus, similes cui Teutona tellus
Non multos nostro tempore forsan habet.
Grata DEO fecit: fecit mortalibus apta:
Dum licuit nutu vivere, Christe, tuo.
Non etenim carpsit fluitantis mollia vitæ
Ocia, nec mundi gaudia mente tulit.
Non illum falso pertraxit gloria fuco:
Impia non sanctum cura repressit opus.
Sed potiùs sacri meditatus mystica verbi,
Egregiâ multos condidit arte libros.
Quos hodie docti passim mirantur in orbe:
O verè tanto pignora digna viro!

Homo fuit staturæ pusillæ; corpore autem robusto & obeso. Quod ad literas, linguæ *Hebraicæ, Syriacæ, Chaldaicæ* peritissimus; in Theologicis apprimè versatus: judicio præclaro insignis: verum in politicis ingenio simplici, ac minus exercitato. Itaque ἀπολιτικώτερος negocia illa aversatus, totum sese literis abdidit: atque legendo, commentando, scribendo, olea etiam succisivis horis interdum ex variis, ut vocant, speciebus extrahendo tempus consumsit. In fatali illo religionis motu, cum literarum omnis usus & auctoritas peritura videretur: ipse victus causâ fenestrario opificio sese addixit. Sed non multò post, cum sua dignitas & existimatio literis restitueretur, ad intermissa reversus est studia, cumque amicis veteribus in gratiam rediit.

Prosopograph. & Erudit.

Ἀπολιτικώτερος

Fenestrariam artem fecit.

Scripta, quæ posteritati elucubravit, *Philosophica* partim sunt, partim *Theologica*. Philosophica hæc laudantur:

Scripta.

De *censura veri & falsi libri* tres: quibus Aristotelis Logica egregiè illustravit.

Annotationes cumprimis eruditæ *in Politica Aristotelis*. Extant ejusdem στοιχεῖα *Mathematica*, elegentissimis postea figuris Lutetiæ ab *Orontio* illustrata.

In Theologicis hæc edidit.

In *Salomonis Ecclesiasten* commentarium, cum præfatione ad Carolum V.

In *quinque libros Mosis: Josuæ, Judicum, Ruth, Samuelis & Regum* commentataria. In *Jesaiam* item, *Jobum & Apocalypsin* commentarios.

Librum de *veteris & novi hominis ortu & natura*: de *operibus DEI*: de *ortu, natura, usu atque discrimine Jubilæorum*, quos DEUS instituit: quidve inter hos & falsos intersit; de usu, quem desperabundi *Franciſci Spiræ* exemplum afferat, cum aliis hujusmodi.

Pantal. lib. 3. Prosopograph. Zvvingerus in Theatro: Camerarius in vita Melanchthonis.

THEODORUS BIBLIANDER.

Θ. 1564. d. 26. Nov.

THeodorum *Bibliandrum Helvetia* illa protulit, præstantissimorum non armis solùm, sed & literis virorum fecunda parens, sub annum *millesimum quingentesimum decimum quartum*. Hic cùm ingenio esset omnium capaci, ad literas est adhibitus: in quibus cùm se pulcrè darent initia, ad scholas publicas accessit: & juxta linguarum studium totum se S. Theologiæ mancipavit. In qua, divina adspirante gratia, tantos ipse fecit pro-

Helvetia.

Ann. 1504. Conrad. Gesn.

Linguas & Theol. didicit.

progressus; ut illa ætate & loco eruditione, eloquentia & linguarum principum peritia, vix parem habuisse, judicatum sit.

Tigurum itaque ubi venit: sacrarum literarum professio ipsi est demandata, quam quomodo obierit, res ipsa olim, & scripta etiamnum loquuntur. Id constat, etiam adultos, etiam doctores ipsos, ad eum audiendum studiosè admodum confluxisse.

Tandem valde senex, & jam rude donatus, peste populariter grassante *Tiguri* exstinguitur, anno *sexagesimo quarto*, die *vicesimo sexto* Novembris, succedente in officio *Joann. Guilelmo Stuckio.* 57 anni nat.

Fuit vir ingenio summus, Theologiæ & multarum linguarum cognitione nobilissimus, humanus, & facundus: unus ex iis, qui *Biblia Tigurina* * magno cum labore ad umbilicum deduxerunt. *Pantaleon* scribit, ante obitum motas ab ipso fuisse quæstiones quasdam novas & insolentes, unde auctoritati aliquid decesserit: sed quales illæ fuerint quæstiones, non addit. Ex nimiis studiis ætate declivi, ἀμβλυωπίαν, contraxit. Accidit ergo ut aliquando, cum diluculo surrexisset, hypocaustum ingressus, feli in mensa gesticulanti, ancillam suam esse ratus, faustum fuerit diem precatus: quem felis, ut potuit, resalutavit.

Scripsit plurima, ut verè Bibliander, quorum Nomenclaturam Bibliothecæ suppeditant. *Pantal. l. 3. Prosopographiæ, Thuanus in histor. Zuingerus in Theatro.*

JOANNES MATHESIUS.

JOannes *Mathesius* Rochlicii, Misniæ oppido, anno salutis *millesimo quingentesimo quarto*, die *vicesimo quarto* Junii; natus est; in familiâ plurium eruditorum ferace. In eâ enim prognati fuerunt *Lucas & Burcardus Mathesii*, fratres; quorum ille, seculo decimo quinto ineunte, Bononiæ in Italiâ Philosophici magisterii gradu ornatus est: hic verò ludum literarium ad D. *Sebaldum* Norinbergæ diu gubernavit, tandem vicarius Bambergæ factus. Latere heic patimur *Melchiorem Mathesium*, Joannis hujus cognatum, consulem olim Rochlicienſium: quem & ipsum literis non mediocriter tinctum, & chronici quoque Rochlicienſis fuisse auctorem, filiosque duos *Thomam* & *Balthasarem*, artibus edoctos reliquisse accepimus.

Ad literarum studia à puero Mathesius adhibitus, elementa prima, qualiter tunc tradebantur, maturè percepit, Catecheseos quoque capita & didicit ipse, & aliis discenda recitando prævit. In Mediis enim Papatus tenebris, remanserunt tamen in scholis *capitu* illa *religionis Christianæ* illibata, *Decalogum* dico, *Symbolum Apostolicum*, *formulam precandi* ab ipso salvatore præscriptam, *Institutionem Baptismi*, *potestatis clavium*, & *Cœnæ Dominicæ*: in templis altum de iis silentium. Ipse Mathesius * alicubi fatetur, se, qui inter Pontificios ad annum usque ætatis *vigesimum quintum* egerit, nullam unquam audisse mentionem fieri Decalogi, aut Symboli Apostolici, aut precationis Dominicæ aut denique Baptismi. Quadragesimali tempore in scholis aliquid propositum fuisse *de confessione auriculari*, & *una*, quam appellant, Eucharistiæ *specie*: remissionis peccatorum per & propter Christi lytron, nil auditum. Deinde nullam se apud Pontificios vidisse vel audisse explicationem Catecheseos; curiosum alias legendarum omnium, & *Brigittæ precum* perscrutatorem, præsertim cum *Monachii* uteretur hospitio cujusdam, qui librariam habuerit copiosissimam.

* *Conc. 6. de vita Luth. p. 59. De iis silentium in Templis.*

Cum autem DEUS educere eum vellet ex tenebris Papatus; factum est, ut anno Christi *vicesimo sexto* incideret in Lutheri *librum de bonis operibus*: è cujus lectione prima hausit Christianismi veri initia. Vixit autem tunc *in Bavaria* apud *Sabinam Averinam*: cujus liberos in arce *Odelshausensi* instituit. *Wittembergam*, quam unicè eo usque desideraverat, venit anno Christi *millesimo quingentesimo vicesimo nono*, ætatis suæ *vicesimo quinto*, post Pentecosten: primamque ex Luthero concionem audivit *de Baptismo*; desumtam ex concione Petri Actor. 2. Usus est itaque Præceptoribus inprimis *Luthero*, *Melanchthone*, *Joanne Bugenhagio*, *Justo Jona*, *Matthæo Aurogallo*, *Vito Winshemio*, *Milichio*, *Crucigero* & aliis: convictu autem primum cujusdam popularis sui *Wolfgangi Joannis*, ubi pro vitæ alimonia septimanâ *quinque* solvit *argenteos*: postea ipsius Lutheri: cujus colloquia & sermones super mensam permultos observavit. Dedit autem bonis literis juxta Theologiam ejusmodi operam, ut magistri titulum & insignia Academica sit consecutus.

Legit Lutheri libr.

Venit Witt.

Præceptores ejus ibi.

Utitur convictu Lutheri.

Wittembergâ evocatus primum munus scholasticum, *in valle Joachimicâ*, cui fato quadam istius viri doctrina & virtus debebatur; postea pastorale & ecclesiasticum, in eadem valle suscepit: atque utroque in officio eâ fide, industriâ, diligentiâ atque prudentiâ versatus est: ut nominis sui memoriam non solum apud cives suos, sed omnes finitimos reliquerit sempiternam. Pietatem præterea ejus & eruditionem cum eximiâ eloquentiâ conjunctam libri, quos posteritati reliquit, etiamnum loquuntur.

Vocatus in vallem Joachimicâ.

Anno *millesimo quingentesimo sexagesimo quinto* (alii sexto) cum mane die *septimo Octobris*, qui tunc Dominicus, concionem de filio viduæ Naimicæ à Christo resuscitato, habuisset; & in futura vita quemque piorum suæ matri atque amicis restitutum iri, seque mutuo singulos agnituros docuisset, tribus post concionem horis ὑποπεπλιγμένῳ in JESU Christo obdormivit: resuscitationem mortuorum & vitæ æternæ gaudia,

Ultima ejus concio.

Obiit.

Obitus. de quibus trium ante horarum ſpatium ad auditores pro concione diſſeruerat, cum omnibus electis Dei filiis exſpectans. Sepultus eſt eadem in valle Joachimica, ubi annis *triginta* Filio Dei Eccleſiam collegerat; cum Epitaphio, quod ipſe dicitur ſibi vivens compoſuiſſe, tali:

Epitaphium.

Securus recubo hic, mundi pertæſus iniqui:
Et didici & docui vulnera, Chriſte, tua.

Agon. In agone cum adſtantes ei quædã prælegerent ſolatii cauſa, ex iis quæ ipſe ſcripſerat; *non meam* (inquit ad eos) *explicationem legite, ſi tunc ita affectus fuiſſem, ut nunc, aliud ſcripſiſſem.* Et ut pii etiam interdum torrentibus Belial obruuntur, addidit; *omnia quæ dicitis aut legitis, cor non tangunt, non ſuſtentant,* will nit ins Hertze. Poſt tamen, Chriſto juvante, ſe collegit, pieque exſpiravit.

Scripta. Hic vir Theologus de paucis, Theologiam univerſam, & omnes vitæ *Oeconomicæ* & *Politicæ*, ac *Phyſicæ* metallorum doctrinæ partes, eloquentiſſimis in Germanicâ linguâ ſcriptis illuſtravit. Inter ſcripta ipſius eminent, *Sarepta* hoc eſt expoſitio omnium locorum ſcripturæ ſacræ; in quibus aliqua rei metallicæ mentio; acceſſit ei *Chronicon vallis Joachimicæ:* deinde *vita Chriſti*, hoc eſt, hiſtoria de vita, morte, reſurrectione, adſcenſu in cœlos, ſeſſione ad dexteram Dei Patris, extremo judicio, Domini noſtri Jeſu Chriſti. *Vita* item *Lutheri* aliquot concionibus denarrata: *Explicationes Evangeliorum*, & præcipuorum capitum fidei noſtræ. Prodierunt & poſthuma ejus quædam; de quibus Bibliothecæ conſulantur.

Hæc de Matheſio ex ipſiusmet ſcriptis: chronico Miſniæ Albini; chronico Saxoniæ Chytræi aliis.

JOANNES DRACONITES.

Ꝟ. 1566. d. 18. April. ætat. 70. ampl. Caroloſtadium oppidum.

PAtriam habuit *Joannes Draconites Caroloſtadium*, Franconiæ oppidum, ſub Epiſcopatu Herbipolenſi. Puer, cùm indolem præ ſe ferret bonam, amicorum ſuaſu in ludum literarium miſſus eſt. Inibi feliciter primæ adoleſcentiæ jactis fundamentis, *Erphordiam* venit: ubi eam literis navavit operam; ut & Philoſophiæ fuerit Doctor, quem Magiſtrum vocamus, renunciatus, & in doctiſſimorum virorum pervenerit familiaritatem; de quibus nominare poſſumus *Juſtum Menium*, *Euricium Cordum*, *Eobanum Heſſum*, & *Joachimum Camerarium*.

Erphordiæ venit.

Eraſmum ſalutat. Sectatur Paul. Fagium. Porrò uberioris comparandæ doctrinæ cauſa, ad *Eraſmum Roterodamum* aliquando excurrit: & propter Hebreæ linguæ ſtudium *Paulum Fagium* ſectatus eſt: quo non ſolùm ſuperiori ſeculo, ſed & multis retrò annis, nemo vixit noſtratium, linguarum peritior? id quod & in colloquiis familiaribus, & in diſputationibus cum Judæis, & in explicatione Targum, ſeu paraphraſeos librorum Moſis Chaldaicæ, liquidò demonſtravit.

Cardinalium itaque linguarum fundamentis perceptis, totum ſeſe ſacris dedidit; idque tanto cum ſucceſſu; ut cùm *Wittembergam* Academiâ tunc celeberrimam, veniſſet; inter initia inſtaurationis doctrinæ Evangelicæ, Theologiæ Doctor fuerit ſolenni ſcholarum more ſalutatus. *Witt. admittit. Ibi Theol. D. renunciatur.*

Inde *Marpurgum* excitus, complures ibi annos ſcripturam ſacram explicavit, Principi Cattorum, ut & bonis omnibus, acceptus & gratus. Synodis etiam atque colloquiis, religionis cauſa inſtitutis, interfuit: ut & anno trigeſimo in Auguſtinis illis comitiis, totâ jam Europa dudum decantatis. *Intereſt Synodis.*

Marpurgo *in Saxoniam* deductus, in præcipuis urbibus litoris Balthici & viciniæ Evangelii præconium fecit: ac *Roſtochianæ* inprimis ſcholæ docendo inſervivit. Inde *Albertus* Boruſſiæ Dux, evocatum ad ſe Draconiten, in *Sambienſi* ditione Eccleſiis Epiſcopum præfecit. *In Saxoniam deductus. Docet Roſtoch. In Boruſſiam epiſcopus Sambienſis. Redit. Witt. Opus Biblicum quintuplex Origen. Biblia.*

E Boruſſia *Wittembergam* regreſſus opus Biblicum quintuplex incepit: Origenis, veterum monumentis celebratam operam æmulatus, qui Biblia ἑξαπλᾶ, ut *Eraſmus* legit, edidit.

Nactus is erat patronum liberalem & divitem *Ambroſium* quendam, qui quò facilius labor ſuccederet, ſeptem ei adjunxit notarios, totidemque puellas ſcribendo exercitatas, ſibi per horas ſuccedentes. Hos amanuenſes omnes *Ambroſius* ille aluit: quemadmodum ipſe Origenes epiſtola ad amicum teſtatur, quam recitat *Suidas* & cujus meminit *Hieronymus* ad Marcellum, nec non *Euſebius* in hiſtoria * eccleſiaſtica. In hoc Draconites exemplum intuens longo tempore animo agitavit opus Bibliorum quintuplex: quod ut perficeret, poſthabito commodo proprio, divitias & ſplendorem Epiſcopatus *Sambienſis* reliquit, & in Wittenbergenſium ſcholam, poſt multorum annorum intervallum hac una de cauſa rediit. Eſt autem totum opus ſic ab ipſo diſtributum; primo dividit quodlibet caput in certos locos, poſt addit textum Biblicum. Ubi prima linea continet dictiones *Hebraicas*, ſecunda *Chaldaicas*, tertia *Græcas*, quarta *Latinas*, quinta *Germanicas*. Etſi enim *Complutenſis editio* ante annos complures ἑξαπλᾶ exhibuit Biblia, tamen exempla ejus non exſtant; & augeri utiliter additione interpretationis vernaculæ noſtræ poteſt. Cæterum in opus illud Biblicum *Archiepiſcopus Toletanus* tot aureorum impendit millia: ut ſumtibus illis ſe exhauſiſſe, & æs alienum contraxiſſe dicatur; ut ut alias inter opulentiſſimos Europæ Archiepiſcopatus ille habeatur. * Lib. 6. c. 17. & 19. *Diſpoſitio operis quintuplicis Biblicorum. Biblia Complutenſia.*

Jam ergò ut tota res ordine abſolveretur; Saxoniæ Elector *Auguſtus*, qua fuit munificentia, ſumtus neceſſarios decreverat, & de adminiſtris, qui autori adjungerentur, mandaverat; cùm DEUS & mors conatus optimi & doctiſſimi viri interceperunt. Nam hæc agitantem morbus occupavit, tandemque deſtil- *Liberalitas Augu. Elect. Saxo. ad id opus.*

destillationes capitis, quos catarrhos vocant medici, suffocarunt. Factum id Wittenbergæ anno post exhibitum in carne Messiam *millesimo quingentesimo sexagesimo sexto*, die 18. Aprilis, cum annum *septuagesimum* esset transgressus, sed corpore ita firmo: ut utiles Ecclesiæ & reip. labores perferre potuisset, si Deo sic visum. Sepultus est honorificè Wittembergæ: ubi in ingressu chori templi parochialis saxo insculptum tale monumentum legitur:

Qui vatum in foliis Christum & velamine Mosis
Quæsiit, Isaciis fontibus ora lavans,
Luce, Draconites, clarâ jam conspicit ipsum
Pleniùs, è vivo sacraque fonte bibit.

Placidè in Christo obdormivit Joh. Draconites S. Th. D. die XVIII. Aprilis, anno 1566. egressus LXXII. ætatis annum.

Paulus etiam Melissus, Poëta clarus, defunctum tali celebravit Epigrammate:

Hos cineres, hæc busta fides innoxia servat,
Dulcisque spes & Charitas,
Filiæ Jovis inclyti, sorores.
Prima sacras lauri frondes; at proxima palmæ
Sparsit virentes ramulos,
Mitis ultima gemmulas oliva.
Salve chare senex! tu nunc ceu stellula fulges,
Celso micans in æthere:
Hoc tui precium laboris esto.

Georgius item Fabricius, sub lemmate: *studii sanctissimi*, tali Epitaphio ornavit:

Urna Draconiten tegit hæc doctumq; bonumq;,
Laudatumque pia sedulitate senem.
Ille sacros libros, Ebræa, Latina, Pelasga,
Chaldæa, in vulgus scripta daturus erat:
Nondum finito quem linquit vita labore,
Quanta unus studiis facta ruina senex!

Fuit hic Theologus & eruditionis copia & quatuor linguarum peritia instructissimus, *Hebræa, Chaldæa, Græca & Latina*. Operis illius quintuplicis specimina quædam edidit, quæ exstant: præter libros alios utiles Ecclesiæ Christi transtulit aliquos sacros V. T. libros ex Hebræo cum scholiis seorsim adjunctis. Edidit commentarios in Prophetas aliquot, & alia tum sacra, tum Philologica: de quibus bibliothecæ, sive indices librorum.

Petrus Nigidius vitæ ejus curriculum & elogium hisce carminibus complexus est:

Hic draco, per celebris doctrinæ fama trilinguis,
Salvifici verbi buccina clara fuit.
Nutriit hunc juvenem præstans Erphordia primum,
Leucoream cupidè transtulit inde scholam.
Amplexus magni solidissima scripta Lutheri,
Dotibus & captus, clare Philippe, tuis.
Sincerè docuit divini oracula verbi:
Doctrinæ rectæ consona vita fuit.
Præsidiis verò linguarum adjutus hic idem,
Sustinuit Psalmos explicuisse sacros.
In nostro docuit bis senos impiger annos:
Post alium cœpit quærere sponte locum.
Rostochium vidit: mox post ea tempora factus
Regis montanæ portio justa scholæ.
Hinc Wittembergam rediens sua fata subivit:
Ætate in sera floridus ipse senex.

Ex Tomo VI. scriptorum Wittembergæ publicè propositorum: vita Eobani Hessi.

WIGANDUS ORTHIUS.

Ob. 1566. d. 28. April. atat. 39.

Wettera.

INter Marpurgum & Francobergam exiguum interjacet oppidum, cui *Wettera* nomen, virorum in omni doctrinarum genere præstantissimorum, feracissimum: quorum è numero & hic *Wigandus Orthius*, honestâ ibi familiâ natus, sub annum Christi *millesimum quingentesimum trigesimum septimum*. Ingenio itaque felici & indole præclarâ cùm esset; artium ac linguarum, maximè Hebrææ, fundamenta feliciter Marpurgensi in Academiâ jecit. Inde ad sanctam Theologiam animum appulit: summosque in sublimi illa scientiâ honoras ac titulos, quod ἀξίωμα doctorale vocant, facilè impetravit.

Marpurgi discit.

Usus est autem ea in scientiâ præceptore viro doctissimo *Andrea Hyperio*, cujus uxor Wigandum cognatione quadam attingebat. Itaque cùm ad ejus imitationem sese totum componeret, isque anno *sexagesimo tertio* mortalitatem explesset; Orthius in ejus locum surrogatus, & S. Theologiæ professor in Marpurgensi Academia declaratus est. Nam omnes æquales ingenio & doctrina longè superabat; & sermonis puritate utebatur verè Latina; id quod vel ex funebri oratione, quam memoriæ Hyperii habuit, abundè satis patet.

Succedit Hyperio.

Immatura morte rebus humanis eximitur, anno Christi, *millesimo quingentesimo sexagesimo sexto*, die *vicesimo octavo* Aprilis, ætatis suæ *undetrigesimo*, Gosfeldiæ, ubi & honorificè sepultus. Extat in eum *Petri Nigidii* epigramma sive elogium ejusmodi:

Moritur.

Orthius occubuit, juvenis florentibus annis:
Frigore ceu sævo lilia verna cadunt.
Aptus, qui linguas alios, qui sacra doceret;
Qui nostræ ornaret pulpita celsa scholæ.
Mens erecta fuit: zelus pius, atque voluntas
Qualibet augendæ conditione scholæ.
Hic Ephorus rectè communi præfuit ærî:
Inspectorque gregis fidus & acer erat.
Et nisi cessisset fatis juvenilibus annis,
Gymnasii primus forte futurus erat.

Nigidii in eum Epigram.

Pantal. l. 3. Prosopogr. Petrus Nigid. in elencho Professor. Marpurgensium, alii.

JOANNES AGRICOLA.

Ob. 1566. d. 22. Sept. atat. 47.

PAtriam nactus est *Joannes Agricola* eandem cum *Martino Luthero*, *Islebiam* nempe comitatus Mansfeldici oppidum: unde & cognomen ei adhæsit. Editus autem perhibetur sub annum Christi *millesimum quadringentesimum nonagesimum secundum*, die

Patria Agricolæ Islebia.

viceſimo Aprilis, horâ poſt meridiem quintâ: & à teneris ad ingenii culturam adhibitus. Jactis primis literarum fundamentis, *Wittembergam* venit, ad novellum tunc temporis Germaniæ Athenæum: ubi cum philoſophicis diſciplinis, quæ ibi florebant ut cùm maximè ſublime ſanctæ Theologiæ ſtudium felici quadam temperaturâ conjunxit.

Wittemb. Philoſoph. cum Theol. diſcit.

Ibi ergo dum eſt; non ſolum eruditis gratus ob virtutis & eruditionis opinionem fuit: ſed etiam jucundus principibus viris; quòd non in ultimâ felicitatis parte poëta duxit. Itaque cum anno *viceſimo ſexto* ſupra *milleſimum quingenteſimum* conventus Principum Spiræ cogeretur: venit eodem cum Saxoniæ Electore Agricola: ac ſuo loco cauſam Evangelii ſuſcepit. Idem anno *trigeſimo* in celeberrimis illis Auguſtæ Vindelicorum celebratis Imperii comitiis præſtitit: cumque proteſtantium Theologis, quorum facilè Principes *Melanchthon* & *Brentius*, confeſſioni etiamnum eo nomine celebratæ ſubſcripſit: à qua tamen poſtea, ut nemo non hominum ζῶον ἐυμετάβολον, in plerisque ſeſe disjunxit.

Venit Spiram.

Auguſtanæ confeſſioni ſubſcribit. Sed in multis ab ea abiit.

Anno enim *milleſimo quingenteſimo trigeſimo octavo* ſecta prodiit eorum, qui dicuntur *Antinomi*. Contendebant hi pœnitentiam ex Decalogo non eſſe docendam, & impugnabant illos, qui docebant, Evangelium prædicandum non eſſe, niſi primum quaſſatis atque fractis animis per legem. Ipſi verò ſtatuebant: quæcunque tandem eſſet hominis vita, & quantumvis impura: juſtificari tamen eum, modò crederet Evangelii promiſſionibus. Atque in his facilè primus erat iſte *Agricola*: qui à *Luthero* commonefactus privatim, & facta ſcripturæ collatione rectius inſtitutus, in ſententiam ejus acceſſit: idque publico deinde ſcripto teſtatus eſt errorem confeſſus. Verum quia nunquam ferè à vero abiit Flacci illud:

Secta Antinomorũ. Sleid. l. 12. p. 312.

Agricola à Luthero revocatur.

malè ſarta
Gratia nequicquam coit & reſcinditur:

Hor. l. 1. Epiſt. 3.

ita & cum in ejus animo reſediſſent neſcio quæ ſimultatum reliquiæ, *Wittemberga* paulo poſt diſceſſit: & in Marchionatum Brandeburgicum conceſſit: ac *Berlini* à concionibus fuit. Poſtea cum anno *quadrageſimo octavo* bello Germanico finito, principes religionis cauſam Cæſari victori commiſiſſent: Cæſar Agricolam, Electori Brandeburgico à ſacris, qui ante *duodeviginti* annos pro Saxonica confeſſione cum Melanchthone & Brentio ſteterat; ſed tunc pontificiis ſeſe adjunxerat: *Julio Pflugio* Epiſcopo Numburgico, & *Michaeli Sidonio* ſuffraganeo Moguntino id negotii dat: ut doctrinæ ceremoniarum, atque emendationis Eccleſiaſticæ formulam conſcriberent; quod & ab illis factum. Dicta fuit illa forma *Interim*; cujus rationem alibi explicavimus; ab aliis *Interreligio*, item *Decretum religionis*: à Germanis Religions-Ordnung vel *Declaration der Religion.*

Diſcedit Wittemb. Docet Berlini in Marchia.

Adjungit ſe Pontificiis.

Tò Interim librum cudit.

Ac perſuaſit tunc Agricola ſuo Principi, *Joachimo* Electori Brandeburgico, qui conciliationi unicè ſtudebat: librum eſſe moderatè ſcriptum, atque ob id à proteſtantibus non admodum repudiandum. Sed eventus & veritas longè diverſum docuit. Tantum enim abfuit; ut liber ille ſæpius etiam ad incudem revocatus, Evangelicis ſatisfecerit, ut ne ipſis quoque Pontificiis, quorum tamen dogmata ferè omnia approbabat, placuerit. Ut ut cecideritauctores certè illius libri liberaliter à *Cæſare* & *Ferdinando* fratre, donati ſunt. Atque Islebius quidem donum neſcio quod ab utroque, ob navatam in libro eo operam, tulit: *Michael* verò * *Sidonius* Epiſcopatum Mersburgenſem in Saxoniâ eſt conſecutus, cujus poſſeſſionem certis conditionibus anno *quinquageſimo* ſibi traditam in *undecimum* uſque annum tenuit: qui fuit Chriſti *ſexageſimus primus*, ætatis ipſius *quinquageſimus quinctus*. *Julius Pflug* præcedente anno *quadrageſimo ſeptimo*, cum à Saxoniæ duce J. Friderico ante ſexennium rejectus fuiſſet, auctoritate Caroli victoris in Epiſcopatum Naoburgi ad Salam fuerat reſtitutus; quam diœceſin ad exitum uſque vitæ poſtea gubernavit. Hinc jocus illorum, qui dicebant: *chriſma ab eis & oleum Pontificium inter alia defendi; ut ipſi diſcederent unctiores.* Fertur autem dixiſſe hic Agricola: *ſi unctio reſtitueretur, dona etiam ſanationum reſtitutum iri: ſeque jam, ex quo Auguſta reverſus ſit, quatuor ex morte in vitam revocaſſe.*

Commodat ſcripta principi ſuo.

Auctor libri de affectu.

*Michael Sidonius * De hoc Camer. in vita Melanch. p. 382.*

Jocus in auctorem Interim ſic. libri Agricolæ jactatus.

Exarſit deinde in Saxonia, & latè ſeſe diffudit bellum Theologicum, de iis, quæ *Adiaphora* vocantur. Ad hujus igitur compoſitionem *Islebius*, juſſu Principis ſui operam ſuam gnaviter contulit: ac colloquiis Theologorum ſuper eo argumento coactorum ſæpius interfuit. Verum quid effectum illis congreſſibus fuerit; exitus declaravit. Nempe id quod Naſo alicubi:

Curando fieri quædam majora videmus
Vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.

Controverſiæ de Adiaphoris. Eam Agricola cum aliis componere conatur.

Ovid. de Ponto eleg.

Finem Agricola vivendi fecit Berlini anno *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſexto*, die *viceſimo ſecundo* Septembris, cum periodum illam primam à Moſe vitæ humanæ * præſcriptam ſuperaſſet, *ſeptuaginta quatuor* annos natus. Scripſit *commentaria in Evangelium Lucæ*: collegit *adagia Germanica* trecenta, & Germanicè explicavit: quæ iterata editione quadringentis amplius auxit. Refutavit explicationem Pſalmi 19. à Thoma Muncero vernaculè editam, & ſi quæ alia.

*Moritur Agricola. * Pſal. 90. Scripta.*

Tantum de Agricola ex commentariis Sleidani: Chytræi Saxonia: Thuani hiſtoria: Eberi calendario.

JOAN-

IOANNES FUNCCIUS.

CUm sæpiùs hujus Funccii, chronologi & Theologi sit injecta mentio; ejusque scripta etiamnum à doctorum theatro approbentur, visum est paucis quoque ejus curriculum delineare. Quod dum facimus, profectò sine dolore non facimus, quando vel hîc videbimus; tantum esse diaboli furorem, & naturæ nostræ imbecillitatem ac pravitatem, ut præstantissima etiam ingenia sæpe ambitione & πολυπραγμοσύνῃ gravissimè errent; & quasi euripis persuationum falsarum in naufragium & exitium tristissimum abripiantur.

Ioannem itaque *Funccium* natum perhibet cum aliis Bucholcerus, anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo octavo*, die vel *septimo*, vel de aliorum calculo *vicesimo quinto Februarii*, *Werdæ* prope Norinbergam, vel ut Crusius, in suburbio Norinbergensi.

Disciplinis humanioribus à puero deditus, non proletariam sibi comparavit eruditionem. Postea ad sacrarum etiam literarum studium animum convertit: concionibusque habendis est præfectus. In Borussia quidem concionator aulicus factus, *Alberto* Principi fuit cum Osiandro socero gratus & acceptus. Sed postea ex concionatore factus consiliarius politicus, & munere sibi mandato præpostera ambitione relicto ad civilia munia obeunda se contulit. Habuit autem Princeps in aula sua quendam *Paulum Scalichium*, qui à Scaligeris Veronensibus originem repetebat, & cùm eruditionis variæ specimen, editis aliquot libris, æmulatione magni illius Joannis Pici, ut doctrina longè inferior, sic moribus longè dispar, dedisset: paulatim se in gratiam Principis nimium creduli, vana doctrinæ & pietatis opinione, insinuavit. Abutens igitur ingenio senis, suasit ei ne Prutenis, utpote ab antiquo Germanis infensis, nimium crederet, & ad cognatos Principes se conferret. Removit itaque Princeps suspectos, & in eorum locum elegit Scalichio acceptos alios, inque his *Matthiam Horstium*, scurrilitate ferè sola gratum, *Steinbachium*, *Snellium*, & hunc *Funccium*. Sed Scalichius tempestatem præsagiens maturè se, quasi sponsam regiam è Gallia novo Principi impetraturus, subduxit.

Paulò post supervenit gener *Alberti* Borussici *Albertus* Princeps Megapolitanus, cujus consilio ac suasu testamentum Dux Borussiæ, quod fecerat, rescidit: *Scalichium* Regis jussu tota Borussia exegit, donationes ipsi factas abolevit. Postea instituta totius provinciæ nomine contra *Funccium*, *Horstium Snellium & Steinbachium* accusatione, ex vinculis causam dicere jussi, cum Regiis delegatis traditi, & seorsim singuli detinerentur vincti, tandem tanquam publicæ pacis turbatores, & rerum novarum autores, ad mortem damnati sunt. Steinbachio vitæ gratia facta: de Funccio in Regii montis foro supplicium sumtum die *vicesimo octavo* Octobris, anno Christi *millesimo, quingentesimo, sexagesimo sexto*, ætatis *quadragesimo octavo*. *Capitis damnatus, cum complicibus.*

Crimini Funccio inter alia datum, quod seni Principi, stolidi juxta & pernicioси consilii auctor fuisset: ut quando neminem in Borussia fidum subditum haberet, ad gentiles suos in Germaniam se reciperet. Ante supplicium fertur hoc distichon pronunciasse: *Crimen ei objectum.*

Disce meo exemplo mandato munere fungi:
Et fuge ceu pestem & πολυπραγμοσύνην.

Adeò magnum est, ἀπραγμόνως ζῆν, & audire, quod sapiens scriptum reliquit: *Fili ne in multis occupentur actiones tuæ. Nam si multis incubueris: noneris innocens, & si persequaris multa, minimè consequeris, & si aufugeris, minimè effugies:* Et quæ Apostoli admonitio est, *qua vocatione vocatus es, in ea ambula*, ac alibi, *sitis quieti, & agite propria.* Et Poëta verè: *Eccles. c. 11. v. 10.*

Crede mihi, benè qui latuit benè vixit: & intra
Fortunam debet quisque manere suam.

Idem fatum sequenti anno 67. die *vicesima octava* Junii Hafniæ mansit *Iustum Ionam* JC. magni & sancti viri patrisque cognominis filium; cujus hi feruntur ultimi versus: *Iusti Iona JC. fatum.*

Quid juvat innumeros scire atque evolvere casus
Si facienda fugis, si fugienda facis?

Fuit autem hic Funccius, ut Osiandri gener ita & pravarum ejus opinionum sectator, & defensor. Postea tamen per Megapolensis Ducis ministros meliora edoctus anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo sexto*, recantavit, & Principem locum in gratia Principis tenuit, qua dum homo imprudens abutitur, hero suo dedecus & sibi perniciem conflavit. Alioqui vir doctus & opere Chronologico, quod tanquam exactissima ratione putatum, ab eruditis maximè probatur, de Repub. bene meritus. Ferunt tamen ad illam Chronologiam Funccio magna fuisse suppeditata à socero Osiandro subsidia, qui historicus fuit non contemnendus. Scripsit Funccius præterea, *vitam*, ut Bibliotheca Gesneri confirmat, *Viti Theodori*, Theologi celebris, Norinbergæ excusam, quam videre nobis utinam contingat! *Commentaria* itidem *in Apocalypsin* Joannis, & quam promittit in suis ad Chronologiam commentariis, vitam soceri *Andreæ Osiandri*: verum an lucem hæc omnia viderint, dubitamus. *Sed hæc satis de Funccio ex Thuani hist. Augusta: Chytræi Saxonia, aliis.* *Scripta Funccii.*

AMBROSIVS BLAVRERVS.

ILla quæ nobis *Ioannem Hussium* sustulit *Constantia*, eadem *Ambrosium Blaurerum* dedit, nobili natum familiâ, anno Christi *mille-* ⊙ 1567. die ... ætat. 75.

Monasticen profitetur Blaurerus. *milleſimo, quadringenteſimo, nonageſimo ſecundo,* die *quarto* Aprilis. Primùm zelo religionis, qui in optimo quoque ſummus eſt, ductus; monaſticen *Alberſpaci* eſt profeſſus.

Relinquit cœnobium. Deinde lectis Lutheri libris, cùm ingenio valeret, alium induit animum, & poſt multam ſimultatem, relicto ſodalitio, ad parentes ac propinquos revertit.

Albersbacum cœnobium. Collegium autem illud eſt finibus agri Wirtembergici, quem quidem principatum *Ferdinandus Auſtriacus* tunc poſſidebat.

Revocatur Blaurerus. Abbas igitur iſtius monaſterii, per ejus regionis præfectum, interpellat ſenatum *Conſtantienſem*: ut *Blaurerum* ad ordinem ſuum redire cogant. *Blaurerus* contra edito ſcripto rem omnem actam commemorat: proponitque conditiones, quibus redire vellet, ſed tales; ut, eas repudiante Abbate, Conſtantiæ ille permaneret. Fuit hoc anno *milleſimo, quingenteſimo, viceſimo tertio.*

Docet Conſtantia. Docuit ergò Conſtantiæ Evangelium, fruſtra ringentibus Canonicis, quibus jam antea frenum à magiſtratu erat injectum, vetitâ ſcortatione, aliisque parum honeſtis contuberniis. Poſtea anno *viceſimo octavo* ſupra *milleſimum, quingenteſimum*, celebri conventui ac diſputationi Bernenſi, cum *Zwinglio, Oecolampadio, Bucero, Capitone* & aliis compluribus interfuit, poſt cujus exitum, uti Bernæ alibique ita & Conſtantiæ, jubente magiſtratu, miſſæ, aræ, ſtatuæ, cum aliis idololatricis aut ſuperſtitioſis cultibus, abolitæ everſæque ſunt.

Intereſt diſputationi Bernenſi.

Conſtantia miſſa abrogata.

Venit Auguſtam. Anno *undequadrageſimo* Auguſtam Conſtantiâ venit, religionis conformandæ cauſa, auctore *Conrado Stierlino* plebejo eccleſiæ præpoſito.

Concionatur ibi. Conciones ibi in templo Mauriciano Blaurerus habuit vehementes, contra luxum mundi muliebris & veſtitus, & pro excommunicatione introducenda. Verum *Wolfgangi Rechlingeri* conſulis tunc juſſu, præter exſpectationem diſceſſit.

Diſcedit. Senatus tamen, Blaureri monitu, præter fundationem antea à Langenmantelio factam, quatuor inſuper ſtudioſis pauperibus ſtipendia decrevit. Ejusdem Blaureri hortatu duo Auguſtæ gazophylacia, in ſtipem advenis & ſcholaſticis tenuioribus erogandam à Senatu ſunt conſtituta. Ita curæ ipſi & doctrina & vita Chriſtiana fuit.

Inde conſtantis & fidelis paſtoris munere in patria ſua functus eſt, ad ea uſque tempora, quibus decretum Caroli V. de *Interim* toties laudato, ab omnibus recipiendo fuit promulgatum, annum ſcilicet *quadrageſimum octavum.*

Interim Conſtantienſibus obtruſum. Id enim, etſi Conſtantienſes diu deprecati à ſe fuiſſent, tamen ubi à Cæſare proſcripti, Hiſpanos, quorum antè crudelitatem ſenſerant, mucrones ſuos in illorum cervices exacuere viderent: ne *bis ad eundem*: nolentes volentes receperunt. Quod cum non poſſet non improbare *Blaurerus*; patriam reliquit, ac tum *Biennæ*, tum *Vituduri*, ac alibi eccleſiis ſua operâ ſubſervivit.

Abit Blaurerus.

Patria ubi Veram enim patriam ibi eſſe ratus eſt; ubi piè beneque vivere licet.

Moritur Blaurerus. Curſum ſuum in his terris abſolvit vitæ ſatur, anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo ſeptimo*, ætatis ſuæ *ſeptuageſimo quinto*: cum multis Eccleſiis opera ejus utilis, & charus ipſe moderatis doctisque pluribus, de quibus *Melanchthon* & *Calvinus*, ob piam & eruditam doctrinam fuiſſet. Inter alia ζητήματα θεολογικὰ * movit aliquando Calvino *quæſtionem, de relapſis in peccata*, quorundam conſcientiæ confirmandæ cauſa, & quia exempla in ſacris deſint. Cui Calvinus: *nullum quidem in ſcriptura ſingulare hujus rei reperiri exemplum, & exempla valere ad confirmationem doctrinæ, tamen ſi ea deſint, non minus tutò in illâ acquieſcendum. Iam autem ſcripturam omnibus pœnitentiam agentibus ſpem veniæ impetrandæ offerre: ut Veteris & Novi Inſtrumenti docent monumenta. Itaque nemini de gratia Dei deſperandum, modò ne ſibi quiſpiam indulgeat, aut veniæ ſpe petulanter peccet.* Sed hæc fuſius alibi.

Edidit *epiſtolam exhortatoriam* ad Eccleſiam Conſtantienſem: *Theſaurum ſpiritualem, libellum conſolatorium*, qua ratione Chriſtianus homo ſe paret ad mortem, & quasvis ærumnas ferendas; Concionem *Bernæ habitam cum actis diſputationis* Bernenſis. Extat in eum tale Epigramma:

Blaurerum agnoſcit civem Conſtantia clara:
Qui Monachus primùm, qui ſacra deinde docet:
Illius Ambroſium pia vox ſpirabat odorem.
Vox Chriſti miſeris ipſe ſalutis odor.

Sleidanus ſparſim in commentariis lib. 6. lib. 21. Cruſius in annalibus Suevicis: Calvinus in epiſtolis, alii.

* Epiſt. Calv. lapſis in peccata quorundam conſcientiæ confirmandæ cauſa.

IOANNES SEBASTIAN PFAUSER.

IOannem *Sebaſtianum Pfauſerum Conſtantia* ad lacum *Bodamicum* edidit, circa annum Chriſti *milleſimum, quingenteſimum, viceſimum.* Hic cùm ingenio eſſet acri, ac politæ eruditionis cupido, vitæque integritate doctrinam ornaret; facile amorem ac benevolentiam apud viros pios & doctos eſt conſecutus.

Maximiliano itaque Regi Boëmiæ, pòſt Cæſari Auguſto, commendatus; à ſacris concionibus eidem Principi, veritatem Evangelicam amplexo, aliquantiſper fuit. Sed cùm & Principi ipſi, & paſtori Pfauſero, varia objicerentur in aula impedimenta, atque Evangelii remoræ: dimiſſus inde, *Lavingam*, ſuperioris Palatinatus oppidum, venit: ubi eccleſiæ eſt antiſtes deſignatus. Factum id ſub annum, *milleſimum, quingenteſimum, ſexageſimum.*

Eo in loco cùm ad annum uſque *undeſeptuageſimum*, conſtanter & fideliter docuiſſet, apoplectico paroxyſmo correptus, ad vitam abiit meliorem, die *ſexto* Junii, cum vixiſſet annis *undequinquaginta.*

Theolo-

Theologus fuit præsentis magnitudinis animi & consilii: eloquentia præterea ac dignitate magna præditus, & planè vir bonus, omnibusque rebus ornatus.

Nicolaus Reusnerus JC. defunctum hisce Phaleucis laudavit loco epitaphii:

Ioannes cubat hic Sebastianus
Pfauserus, placida sepultus urna:
Quo vix sanctior his, Deique vixit
In terris reverentior: piarum
Plenus pectore cogitationum,
Præco, Christe, tuus, tui professor
Invictus meriti, sacrique verbi.
Pro quo mille tulit volens labores,
Casus mille, simul minas potentum
Forti pectore tersit, ac pericla,
Pro Christi decore & side paratus
Pulcram, si sit opus, necem pacisci.
Inculpata fuit, gravisque vita,
Virtus ardua, splendor eruditus,
Mores ingenui, fides probata,
Pectus mite: cor altum, & os disertum,
Magno maximus hunt favore Cæsar
Complexus, sibi præsidem sacrorum
Legum, consiliariumque sidum.
Nunc ecclesia præsulam Lavingæ
Tristi funere mœret interemtum.

Pantaleon verò *Candidus*, antistes Ecclesiarum in Ducatu Bipontino, hoc eum epigrammate ornavit:

Cæsaris Augustas docuit Pfauserus ad aures.
Præco celebrandi dogmata sacra Dei?
Quantò major erat, quem tu, Pfausere docebas
Sacra, aliis tantò tu quoque major eras,
Nunc, ubi Divini sparsisti semina verbi,
Custodit cineres clara Lavinga tuos.

Ex elogiis doctorum virorum, & epitaphiis Pantal. Candidi.

VICTORINVS STRIGELIVS.

ANno Christi *millesimo, quingentesimo, vicesimo quarto*, nascitur *Strigelius* hic *Kaufbiræ*, oppido Imperiali Sueviæ, non procul à radicibus Alpium, die *vigesimo sexto* Decembris, qui *Stephano* protomartyri in fastis sacer. Pater ei fuit *Ivo Strigelius* Memmingensis: qui à collegio *Haidelbergensi* titulo *Magisterii* ornatus, in Academiâ *Ticinensi Doctor* artis medicæ creatus, In Domino mortuus est anno *millesimo quingentesimo, vicesimo septimo*, ipso die Apostolorum Petri & Pauli. Cæterùm de schemate ejus Genethliaco, *Melanchthon*, ubi id considerasset, ita ex siderum positu ratiocinatus fuit; fore, ut artibus innumeris oppugnaretur, non aliter,

Quam lapis, æquoreis undique pulsus aquis.

Quam sive conjecturam sive prædictionem summi viri magno cum dolore deinceps expertus ipse est.

Patrem nondum infantiæ annos egressus, ut modò attigimus, medicum generosorum Dominorum de *Fronsberg*, immaturâ morte præreptum amisit. Postea, cum literarum rudimenta in schola patria celeriter percepisset, & jam tùm in eo appareret ingenium capax disciplinarum, & indoles eximia, de cognatorum quorundam voluntate *Friburgum Brisgoiæ* missus est, circa annum *trigesimum octavum* supra *millesimum quingentesimum*. Eo in loco religio quidem vigebat pontificia, sed aliarum tamen artium & linguarum studia, *Erasmi* inprimis *Roterodami* operâ, non infeliciter tunc erant instaurata. *Mittitur Friburgæ.*

Audivit ibi inter alios Philosophiæ Professores *Ioannem Zinckium*, Philosophum eâ ætate & medicum celeberrimum, enarrantem Aristotelis libros. Hic etsi quod ad religionem, superstitiosis pontificiorum opinionibus deditus, & à confessione ecclesiarum Evangelicarum alienus erat; tamen crebris has voces sermonibus usurpavit: Se, si junior adhuc esset, propter quatuor potissimum κεφάλαια migraturum esse in Academias, in quibus Lutherani, ut ipse loquebatur, docerent. Primùm propter studium linguarum, quæ ab istis excolerentur diligentius; quàm à suis Catholicis. Deinde quod exercitia eloquentiæ non solùm oratoria, verum etiam poëtica, velut gemmæ insignes in scholis illis eminerent. Præterea quod Lutherani historiarum cognitione præclarè instructi essent: easque prudenter & aptè scriptis suis intexerent. Denique propter methodum facilem & expeditam, qua omnes artes summa cum dexteritate nostri ad usum accommodarent. *Ioann. Zinck. Philos. & medicus.* *Iudicium ejus de Lutheranis.*

Ipse certè Strigelius ingenuè fatetur, se, cùm ex iis locis, ubi antea in Papatu vixerat, primum in Academias Saxonicas venisset, & *Melanchthonem* ex puero aliquo parvo audisset quærentem: *quid est Deus? quid significat* λόγος *apud Ioannem?* miratum à pueris audire, quæ in Papatu magnis doctoribus essent ignota. *Vit. Strig. part. 1. locor. p. 41.*

His de causis sub annum *millesimum, quingentesimum, quadragesimum secundum*, ad Academias invisendas incitatus, anno ætatis suæ *decimo octavo*, *Wittembergam* venit. Ubi cum simul doctrina de Deo rebusque divinis purior traderetur; divino quodam instinctu instigatus fuit ad ardens studium cognoscendæ doctrinæ integræ ecclesiarum evangelicarum. Itaque & D. *Lutherum* enarrantem tunc postremam Geneseos partem, & cæteros in Academia Wittembergensi Theologiæ Professores, inprimis verò *Melanchthonem* & diligentissimè audivit, quoties ille sive in linguis atque artibus, sive in Theologia doceret, & ad ipsius imitationem totum se composuit. *Abit Wittemb. Strigelius.* *Audit Luther.* *Et Melanchth.* *Quem imitatur.*

Anno *quadragesimo quarto* Philosophiæ Magister renunciatus est Wittembergæ, habuitque inter triginta quatuor candidatos locum sextum, competitores autem præcipui fuere *Sebastianus Theodoricus Winshemius*, Professor Mathematum, post medicinæ Doctor, *Iustus Ionas* junior: *Demetrius Palladius*, *Matthæus Blochinger*, *Michael Teuber*: omnes postea vel in arte medica, vel in jure docendo dicendoque celebres viri. *Magister renunciatur Philos.*

Cum

Cum itaque aliquot annos in curriculo doctrinarum exegisset, & plures, volente Deo, exacturus esset, autore & suasore *Melanchthone* Wittembergæ scholas privatas instituit, in quibus magna sua cum laude & auditorum fructu ad usum transtulit ea, quæ ipse tum audiendo præceptores optimos, tum scripta ipsorum legendo eâ in Academia percipiebat indies. Sub id tempus, antequam bello Wittembergensis Academia dissiparetur, privato studio *Postillam* inchoavit, sive ut seipsum ita exerceret, & locorum communium instar, quæ in variis Melanchthonis commentariis exstare videbat, colligeret, atque ad explicandos textus Evangeliorum Dominicalium accommodaret: sive ut quem cursum docendi tunc recens ingressus erat, cum hac etiam ratione juvaret & auditoribus suis prodesset.

Instituit scholas privatas.

Postillam inchoat.

Bello in Germania flagrante Wittembergam reliquit, ac primum *Magdeburgi*, post *Erphordiæ* aliquantisper substitit, ubi quos in Academia Wittembergensi paulò ante bellum jussu Melanchthonis docere cœperat, adjunctos sibi habuit.

Abit Magdeb. & Erphordiam.

Erphordiæ itidem aliquot orationes scripsit ac publicè dixit, quæ tomo secundo orationum Strigelianarum continentur. Ac fuit tunc Strigelius non plures, quàm *duos* aut *tres* supra *viginti* annos natus.

Bello depugnato *Ienam* venit, anno *quadragesimo octavo*; ibique doctrinam de Deo, & aliis rebus bonis ac necessariis tradidit, habuitque orationes aliquot, quæ exstant. Sequenti *undequinquagesimo* uxorem duxit *Barbaram*, filiam viri præstantissimi *Francisci Burcardi*, qua cum vix biennio exacto, placidè è vita abiit, anno *quinquagesimo secundo*, die *decima tertia* Julii. Joannes Strigelius defunctæ his elegis parentavit:

Venit Ienam.

Vbi docet. Et uxorem ducit. Orbatur conjuge.

Epitaphii ejus.

Quem Franciſce pater, quàm Victorine marite
Ereptum gemitu fletis uterque pari:
Barbara pacifico conformis reddita Chriſto
Vicit, & è mundi venit ad aſtra malis.
Namque diu duri ſtimulis exercita morbi
Suſtinuit fortis tale virago jugum.
Et mentem placidam verbo illuſtrata potenti
Confeſſa æternum eſt ore fideque Deum.
Ergò velut dulci compoſita ſopore quieſcit,
Æternum exſpectans non moritura decus.
Cede dolor, vitam, nunquam moriturus, habebit,
In Chriſto didicit qui dominante mori.

Alteram deinde conjugem sibi adscivit *Blandinam D. Erhardi Snepfii* filiam, anno *quinquagesimo tertio*, supra *sesquimillesimum*, quacum ad vitæ usque exitum vixit.

Transit ad secundas nuptias.

Secutus est anno *quinquagesimo sexto* conventus *Isenacensis*, super controversia Majoris, *de necessitate bonorum operum*. In eo id negotii ipsi datum est adsentientibus Theologis, ut de septem propositionibus, continentibus summam ejus controversiæ, cum *Mentore* amanter & placide, non ex scriptis humanis, sed ex verbo Dei conferret. Finis colloquii istius hic fuit: ut *Menius* coram Principe *I. Friderico* Duce Saxoniæ, & toto conventu sanctè promiserit, se non discessurum à sententia illarum propositionum; quas cum verbo Dei convenire judicaret. Post formulam confessionis, quæ nihil aliud, quàm repetitio illius fuit colloquii; jussu Principis conscripsit: cui Theologi ad unum omnes lubentes subscripserunt.

Isenacensis conventus. In eo Strigel.

Exitus colloq.

Anno *quinquagesimo septimo* litem *Strigelio* movit *Flacius*, de similitudine primum illa, qua in epistola quadam usus erat his penè verbis: *Quemadmodum medici dextro oculo ad naturam, sinistro ad artem respiciunt, ita nos in dijudicatione controversiæ de cœnâ non tantum simus aucupes verborum, sed multò magis referamus mentem ad totum doctrinæ Christianæ systema, seu ad ἀναλογίαν fidei.* Hanc similitudinem sic ille calumniando pervertit, ut scripserit: *Strigelium præcepisse, ne dextro oculo, sed sinistro verba cœnæ aspiciant, & dextrè à Christo tradita sinistrè accipiant.* Secuta itaque eodem anno est *disputatio Vinariensis* inter ipsum & *Flacium*, in qua duo fuerunt κεκρόμενα: Primum, *utrum in regeneratione, seu conversione hominis ad Deum, tantum mutentur qualitates sine creatione novæ substantiæ: an verò cum qualitatibus creetur nova substantia?* Ad hoc dixit *Strigelius* id, quod *Augustinus* * dicit: Arbitrium voluntatis tunc est verè liberum, cum vitiis & peccatis non servit, tale datum est à Deo, quod amissum proprio vitio, nisi à quo dari potuit, reddi non potest. Detrahitur autem malum non aliqua natura, quæ accesserat, vel ulla ejus parte sublatâ; sed eâ, quæ vitiata ac depravata fuerat, sanatâ atque correctâ. Prosper *sanè* & Tertullianus, & * omnes alii, non mutari substantiam, priùs à Deo conditam, sed mutari qualitates in mente, voluntate & corde, & reliquis viribus. Adversarius verò contrariam adseverationem defendit. Alterum κεκρόμενον fuit, *de modo agendi*; vel, ut alii loquuntur, *de capacitate*, vel ut alii, *de aptitudine*. *Strigelius* retinuit formam loquendi, quam acceperat à præceptore *Melanchthone*, *alium esse agendi modum in homine, alium in elementis & mixtis, quæ agunt naturaliter.* Liberum tamen reliquit suum cuivis loquendi modum; modò id fiat, citra condemnationem alterius. Edita est illa disputatio typis: sed, quod *Strigelius* fuit * conquestus, non ea cum fide & candore, quo oportebat. De eadem mutilatione conqueritur in epistola quadam ad *Wolfgangum à Kotteritz*, Principis Palatini consiliarium, quam adjicere hic emblematis loco placet.

De meis rebus quid multa attinet scribere, cùm non solum in veteri luto adhuc hæream, sed etiam ad reliquas molestias accedat truncata & mutilata editio disputationis inter me & hominem barbarum agitatæ, & aliorum scriptorum: quibus fama

mea

mea atrocissimè, apud eos, qui vitam & mores meos non penitus perspexerunt, laeditur ac deformatur. Nam inter reliquas criminationes ipsa morte acerbiores tribuitur mihi impia & extrema levitas, vanitas, inconstantia, perfidia in negocio religionis, & pertinax odium veritatis. Ad haec convicia, quorum molem vix una navis vehat, accedit fulmen injustae condemnationis, quam Paulus vocat Anathema Maranatha. Etsi autem scio injustè haec in me conferri, & his venenatis telis oppono clypeum, non Ajacis, sed multo firmiorem, scilicet bonam conscientiam, quae coram DEO & hominibus testatur, me nunquam deleviſſe aut astutè corrupisse aliquam partem doctrinae, quae est ecclesiae DEI propria, eamque ab aliis sectis damnatis discernit: tamen non sum adeò ferreus, ut non commovear indignitate calumniarum, quae etiam sapientum corda sauciant, ut Salomon inquit: Calumnia conturbat sapientem, & frangit robur cordis ejus. *Multis etiam meum silentium, quo has calumnias dissimulare cogor, suspectum est, perinde quasi mihi honesta oratio desit ad has labes & maculas detergendas. Sed boni viri, quibus conditio mea, tristis sane & luctuosa, notior est, non ignorant, quibus vinculis constrictus impediar, quo minus vel causam ipsam explicare, vel innocentiam meam à morsibus venenatissimis hominum vindicare possim. Quid igitur mihi reliquum est, nisi ut oculos ad Deum justissimum judicem & vindicem convertam & cum Davide exclamem:* Dominus ultionum, Dominus Deus ultionum appare: Exaltare qui judicas terram: redde retributionem superbis, *& quae in eodem Psalmo sequuntur. Non enim verbis tantum & scriptis contra tales hypocritas pugnandum est: sed multo magis pia & assidua precatione, ut docet Reverendus pater Lutherus enarrans Psalmum CL. Haec gemens in sinum Ex: Tua effundo, nec dubito, quin hanc meam querelam à justissima causa ortam & profectam, pro sua erga me benevolentia, candide acceptura sit. Jenae. Dominica Cantate, anno Christi* 1562. Anno *quinquagesimo nono* nocte sequenti diem *vicesimum septimum* Martii, in captivitatem abductus est unà cum *Aquila*, pastore Ecclesiae Jenensis, & *M. Andrea Hugelio* sene. Hujus carceris stigmata postmodum semper circumtulit Strigelius. Causa autem fuit, quòd non probarent quaedam βλακώδη ἀσχόλεξα σωικὰ, seu quod libro, quem contra Wittembergenses, Vinarienses recens ediderant, assentiri recusarent. Eo in carcere cum morbo correptus fuisset Strigelius: aegrotantem reduci quidem Princeps passus est ad conjugem: sed ita ut tanquam captivus ibi esset. Deprecati pro ipso fuerunt, illustrissimi Principes Palatini, *Christophorus* Dux Würtembergicus, *Philippus*, Hassiae Landgravius, ipse denique *Maximilianus* Imperator: qui tandem sua auctoritate hoc effecit: ut ex custodia in suam domunculam translatus amicorum officiis recrearetur.

Annos *tres* & *aliquot septimanas* inclusus fuit λάξυλος, ut ipse loquitur. Postea liber factus anno *sexagesimo secundo* mense Majo, quatuor mensibus fecit operas scholasticas: sed cum metueret mercedem anguinam, non obscurè ostensam: obtemperavit praecepto *Epicharmi*, quo Cicero ait contineri nervos atque artus sapientiae: & Jenâ discessit ab iis, inter quos sine periculo conscientiae, famae & vitae diutius versari non poterat. Causas enim istas sui discessus verbosè exponit ipse in epistola ad D. *Franciscum*, *Crammium*, Electoris Saxoniae Consiliarium. Duae autem fuerunt praecipuae: *Una* quòd non bonâ fide custoditi essent fines concordiae utcunque sartae tectae, opera Theologorum Jenensium. *Altera* quod omnes fide digni ipsi monitores fuissent: ut diligentiam cautionis adhiberet in vitandis insidiis, vel potius manifestâ vi; quae in eum noctes & dies impenderet. Nec verò sine causa timuit: cum & sapiens moneat: *Inimico tuo ne credas in aeternum, & te procul ab eo segrega:* & qui amat periculum, in eo peribit, & à Menandro verè dictum: *Reconciliationes sunt lupinae amicitiae.*

Docet iterum Jenae.

Discedit Jenae.

Causa discessus.

Reconciliationes quid.

Academia Jenensis ubi consilium Strigelii intellexit: datis ad eum literis amicissimè & valdè παθητικῶς scriptis, revocare eum & dimovere à proposito emanendi, conata est: rogavitque per Deum, ut vel recordationi acceptae injuriae vel periculorum metui tantum ne indulgeret: ut Academiam renascentem propterea dilabi ac pessumdari patiatur. Iis *Strigelius* ita respondit: ut *primum* gratias egerit pro judicio gravissimorum virorum de se tam honorifico: *deinde* quod ad reditum in Academiam, quam invitus reliquisset, scribit, se collectis omnibus incommodis, quae propter suum discessum evenire posse videantur, gravioribus tamen causis impelli: ut aliud hospitium quaerat; in quo, Deo juvante, majore cum tranquillitate, & minore periculo mellificium Deo gratum exercere possit. Si qua igitur haereat culpa in suo discessu: jam non tam suae voluntati, quam incommodis temporum & locorum, & insidiis falsorum fratrum tribuendum. Paucis ut dicamus, summa propositi ipsius haec fuit; *nolle se redire Jenam: sed potius iturum quocunque Deus vocarit, etiamsi in ea loca migrandum esset:*

Revocatur ab Acad. Jenensi.

Responsio Strigelii.

> *——— pigris ubi nulla campis*
> *Arbor aestiva recreatur aura:*
> *Quod latus mundi nebula, malusque*
> *Jupiter urget.*

Hor. l. 1. od. 22.

Lipsiam ergo se contulit, ibique per hyemem anni *sexagesimi secundi* & partem anni sequentis haerens, quicquid fuit ocii contulit

Lipsiam secedit.

Hypomnemata ibi elaborat. Cur ita appellarit.

ad editionem τῶν ὑπομνημάτων in totum *Davidis Psalterium*. Eo autem titulo illud scriptum insignivit: ut arrogantiam adversariorum suorum notaret: qui suas chartas monachatum olentes σωτέγματα nominarent; cùm tamen nihil minus haberent; quam bonam ζώτεξιν. Lipsiæ itaque dum vocationem aliam exspectat, & quid sibi porrò faciendum deliberat: anno *sexagesimo tertio*, die *vicesimo quinto* Februarii, Pauli conversioni in fastis sacro, *Torgam* evocato literis *Augusti* per *Ulricum Mordisium* JCtum, optio datur manendi in alterutra Academia vel *Lipsensi*, vel *Wittembergensi*. Strigelius Lipsiam elegit. Etsi enim Academia Wittembergensis eum amanter ad societatem laborum invitarat: tamen considerata ratione valetudinis suæ, & eximia benevolentia senatus atque Academiæ Lipsicæ, maluit ibi subsistere, quam aliud hospitium quærere.

Constituitur Lips. Professor.

Initium lectionum in scholâ Lipsensi fecit anno *sexagesimo tertio* calendis Martiis, nec solum *Theologica*, sed etiam *Ethica* & *Dialectica* studiosæ juventuti proposuit: quia volebat Princeps Elector ipsum eum cursum urgere: quem eo usque non sine fructu tenuisse videretur. Itaque operas scholasticas suo loco fecit in repetitione, *locorum Theologicorum* & *Philosophiæ moralis*, idque non tantùm docendo, sed etiam disputando. Eodem anno edidit *Arithmeticam*; cujus elementa, ut & de figuris & motibus cœlestibus ipsi tradiderat *Nicolaus Backmeisterus Reinholdi* auditor; qui obiit Jenæ anno *quinquagesimo primo* supra *millesimum quingentesimum*, & edidit istum libellum non ad ostentandam scientiolam doctrinæ numerorum; sed ad declarandam pietatem præceptori optimè merito debitam.

Arithmeticam edit. Nicolaus Backmeister.

Cæterum cùm docendo officium feciſſet ad anni usque *sexagesimi sexti* exitum: sequenti anno, cùm ad locum usque de *Cœna Domini* explicationem locorum Theologicorum deduxisset: mense Februario rectoris Academiæ jussu & * Theologi instinctu cujusdam, lectionem habituro clausum est auditorium in collegio *Petrino*, & continuatione lectionum interdictum. Varia ab hac exclusione fuerunt agitata inter ipsum Strigelium, & partem adversam; ac delecti quidam ad colloquium ipsum invitarunt, in quo persuadere ipsi conati sunt, facetis fabricis: ut dissimulatâ injuriâ, rediret in collegium ad operas scholasticas: nec ullam deinceps *doctrinæ de cœna* mentionem faceret. Id enim ad pacem publicam, & ad ipsius Strigelii tranquillitatem tutissimum fore. Verum Strigelius respondit: *si sibi tantum ut privato injuria illata esset, lubenter se illam, ut alias multas, publicæ tranquillitati condonaturum: sed quia confessio sua illo interdicto Rectoris vel labefactetur, vel saltem non parum deformetur; exspectaturum se illustrissimi Electoris sententiam; cui se & causam suam subjecisset. Nolle se autem in scholam redire, nisi prius in integrum sit restitutus, idq; impetratâ liberâ veritatis confessione: quam omnibus rebus humanis anteponat.*

** Pfeffingeri. Interdicitur ei lectio publ. Actio inde eum Strigelio.*

Confessio veritatis libera.

Posteà cum videret, se deinceps auditoribus liberè inservire non posse: & non satis benignum ab Electore responsum accepisset: cessit impotentiæ Theologorum: & ab electore quidem eâ de causâ dimissus: quòd *violasset promissa, ac certamina movisset non necessaria*. Strigelio contra affirmante se modestiam quidem promisisse; sed duabus adjectis conditionibus, *salva veritate, & salva conscientia*. Lipsiâ itaque relicta die *vicesimo quinto* Februarii, *Ambergam*, in superiorem Palatinatum die secundo Martii venit, certò persuasus Electorem Palatinum illius ætatis *Josiam* patrocinium suæ personæ susceperum: ac fore ut in amicorum, ejusdem confessionis sociorum, benevolentia & colloquiis suaviter acquiescat. Causas autem, propter quas ex Lipsensi urbe discessit, has alicubi adfert: Princeps causa fuit injuria, „ quâ non tam illum, quàm veritatem Rector „ & Theologi affecissent, claudendo auditorium, & interdicendo ipsi mentione veræ „ doctrinæ, quam professus esset, quæque „ ipsa vita ei charior. Altera, quod in tota „ Academia nemo inventus fuit: qui oppresso & non digna ferenti, aliquid opis aut „ consilii communicasset. Ultima, quod non „ benignum, sed etiam minax responsum accepisset, non quidem ab ipso Electore, sed „ ab eo qui Principi à secretis, cujus summa „ hæc fuit: motas esse absente Principe rixas disputationũ nõ necessarias, contra admonitionem à consiliariis propositam: & quidem cum periculo novarum distractionum. Ad hæc omnia accesserunt *minæ Theologorum, & fulmina anathematum* adversus ipsum, in concionibus edita: quæ omninò negligere præsertim illo loco & tempore, parùm cordati videbatur. Et meminerat probè Strigelius, quid post magnificas & amplas promissiones aulæ in Thuringia contigisset. Itaque accidit ei, quod Ovidius ait:

Dimittitur Lipsia.

Ambergam venit.

Qui semel est lasus fallaci piscis ab hamo,
Omnibus unca cibis æra subesse putat.
Terretur minimo pennæ stridore columba,
Unguibus, accipiter, saucia facta tuis.
Non procul à scabulis audet discedere, si qua
Excussa est avidi dentibus agna lupi.

Ambergæ ergo paucis mensibus, quibus *Theodoreti dialogos* convertit in ocio, commoratus; honorifica vocatione accersitus est in Academiam *Haidelbergensem*, stipendio proposito & à Principe & ab Academia honesto. Venit ergo *Haidelbergam* anno *sexagesimo septimo*, ibique *Ethices* professionem obiit, cum aliis officiis. Sed statim, imò præmaturè expertus est illud, quod Oceanus poëtarum & sapientiæ reliquit:

Vocatur Haidelbergam.

Homer. Odyss.

Aspera

Aspera mortales facit & fortuna seniles,
Inque malis subitò, tacitisq́, senescimus annis:
Inque senes curvos dura sub sorte malorum
Mortales abeunt: festinat clade senectus.

Nam custodia illa Jenensi valetudinem suam plurimum debilitatam esse: & ipse conquestus fuit, & exitus tandem ostendit. Sic enim ipse quadam epistola: *Cum ante annos decem & corpore & animo vigerem: nunc tot calamitatibus tum victus tum fractus, vix ægra membra traho, & animi alacritatem senescere comperio. Quare me omni cura & cogitatione præparo ad iter; quod ducit ex hujus vitæ miseriis ad æternam tranquillitatem.* Hæc ipse tribus mensibus ante obitum. Postquam liberali cum voluptate & animi jucunda lætitia ad finem produxerat Haidelbergæ labores tres: quorum primus isque præcipuus & auctori gratissimus, divinum *sacrorum Bibliorum opus ὑπομνήμασιν illustratum:* alter, *conversio & enarratio Ethicorum Nicomachicorum Aristotelis*; tertius *Chronicon à condito mundo ad natum usque Christum:* manum quidem admovit duobus aliis laboribus, *enarrationi Politicorum & Oeconomicorum Aristotelis:* deinde *Corpori doctrinæ*; in quo explicaturus erat integram & veram doctrinam de controversiis illorum temporum. Sed hæc & alia cum auctoris vita sunt abrupta.

Anno enim *sexagesimo nono*, die *vicesimo Junii*, ad auditorium iturus prælegendi causa, doloribus circa φρένας subortis, coactus domum redire, in syncopen incidit. Ex ea recreatus, cùm præter difficultatem respirandi nihil sentiret morbi, sequenti die ad pristinam docendi consuetudinem rediit, habuitque postremam lectionem. Post de consilio medici pharmacis usus, manifestè sensit vires valde prostratas. Itaque *sperare se dixit: finem vitæ suæ adesse; seque placido exitu ex miseriis & fraude mundi, ad æternam DEI & beatorum consuetudinem evocatum iri. Sexto & vicesimo* die usus phlebotomia, à prandio iterum animo deficere incepit; refectus & ad se reversus, dixit: *se non procul à morte abesse*; atque mox anima Christo Servatori commendata, inter sacras consolationum sententias, interque manus sublevantium, ante *horam quartam* placidissimè exspiravit: cùm vixisset annos *quadraginta quatuor, menses sex* præcisè, docuisset Ecclesias scriptis & viva voce, inter mirandos fortunæ casus, annos amplius *viginti tres.* Ita consecutus est, quod sæpe in votis habuit, videlicet ne difficili & producto morbi genere spiritum edere cogeretur, subinde *militariter*, quod fortem Christi tribunum decuit, suâ linguâ inclamans: **Ach HERR beschere mir einen Reuterischen Todt.** Funus ei factum est honorificum die sequenti *vicesimo septimo* Junii; humatumque corpus ejus in sacello Academiæ ad divi Petri: ubi lapidi incisum sepulcrali tale monumentum legitur:

HIC QUIESCIT CORPUS CLARISS. ET DOCTISSIMI VIRI, DE ECCLESIA ET LITERIS PRÆCLARE MERITI D. VICTORINI STRIGELII KAUFBEIRENSIS, PIE DEFUNCTI D. 26. JUNII, ANNO CHRISTI M D LXIX.

Psalm. 17. *Ego in justitia videbo faciem tuam, satiabor, cum evigilavero ad similitudinem tuam.*

Obitum viri & Theologi præstantissimi deflerunt Epitaphiis carminibus amici & viri docti *Matthæus Wesenbecius, Lambertus Pithopœus, Joannes Jacobus Boisardus, Jacobus & Petrus Monavii*, & alii: quæ edita typis exstant. Nobis hoc *Pauli Melissi* subjicere visum est: *Melissi in eum Epigramma.*

Paulus Schedius Melissus in Victorinum Strigelium.

Hæc monumenta sacrat tibi, Victorine, Melissus,
Mutuus alternæ cultor amicitiæ,
Cui tua mors tanto magis (eheu!) venit amara,
Cui tua mors tanto venit acerba magis:
Quanto nectareâ dulcedine fantis ab ore
Suavius, & fluxit dulcius eloquium.
Quale equidem cupidis ego puriter auribus olim,
(Lipsia novit, idem novit Iena) bibi.
Lotichii manes inter cineresque Micylli,
Ad vada Neccaricæ nunc tumulatus aquæ:
Cecropios & adhuc lingua stillante liquores
Illyricæ damnas facis amaritiem.

In eundem stando morte correptum.

Qui jacet hic, constans ut Victorinus in omni
Re fuit, & victor proprietate sui,
Sic mihi victorem stantemque in agone supremo
Dejectum aut victum mors dare non potuit.

Fuit Strigelius hic Theologus ac Philosophus excellens & facundus, ad docendam feliciter juventutem à natura ipsa sculptus factusve: & præcipuus ex triumviris illis, qui Academiæ *Ienensis* ad Salam fundamenta, auspiciis juniorum Saxoniæ ducum, jecerunt: dignus Socratis laude, cujus meminit hisce Xenophon: μόνον δὲ φάσκειν αὐτὸν, ἀξίους εἶναι τιμῆς, τοὺς εἰδότας τὰ δέοντα, καὶ ἐρμηνεῦσαι δυναμένους: hoc est, *solos eos dignos honore judicabat, qui ea quæ oportet sciunt, & rectè eadem oratione explicare possunt.* Senecæ enim consilium secutus, *certis ingeniis sibi immorandum rectè* judicavit: & *Melanchthonianæ* doctrinæ copia, sermonis sinceritate, proprietate, perspicuitate, & facilitate delectatus: sic eum imitari studuit, ut tandem diligentia & exercitatione adhibita id obtineret: *Melanchthonem* ut felicissimè in docendo & scribendo repræsentaret. *A Fla-*

Elogium ejusmodi.

Socratis laus apud Xenophontem.

Felix imitator Melancht. Strigelius.

A Flacio accusatus.

cio Illyrico, & ejus manipularibus, objectum ei est *crimen hæreseos*: quod gravissimè tulit: nominatim accusatus est, *quod non rectè sentiret & doceret de ea parte doctrinæ; quæ appellatur: de libero arbitrio.* Ab aliis vero aliorum insimulatus est errorum: ut vita ejus perpetua fuerit pugna & dimicatio. Itaque ut *Melanchthon* ante mortem dixit: *cupio ex hac vita migrare propter duas causas:* primum *ut fruar desiderato conspectu Filii DEI & cœlestis ecclesiæ:* deinde *ut liberer ab immanibus & implacabilibus odiis Theologorum:* ita ipse easdem causas sæpè inter precandum usurpare solitus fuit, cum videret se hoc fato natum: ut omnibus eorum telis, qui essent arguti cives sine virtute, vita & fama sua proposita esset.

Scriptæ.

Elucubravit in usum piæ posteritatis & scholasticæ juventutis varia: quæ verè sunt & erunt ingenii & judicii ejus monumenta;

Philologicæ.

quorum quædam *Philologica* sunt, quædam *Theologica.* Illis adscribimus *commentarios in varias Philosophiæ partes, Dialecticam, Ethicam* & alias: *orationum & epistolarum* libros; *Arithmeticum libellum*, qui non modo usitata præcepta continet; sed etiam demonstrationes præceptorum & alia: his verò

Theologica

in Locos communes Theologicos commentarios: *Hypomnemata in utriusque Testamenti libros:* quæ paulo ante obitum absolvit: & quo fine conscripserit, hisce epistola quadam ad D. *Matthæum Wesembecium* affinem & intimum suum exponit: *Ego certe*, inquit, *editione talium pagellarum nec nominis mei vanam gloriolam quæro, nec aucupium pecuniæ exerceo, sed cupio DEO declarare meam gratitudinem pro maximis beneficiis, & Ecclesiæ ostendere meam confessionem, denique mediocribus ingeniis aliqua ex parte prodesse. Horum finium cum mihi optimè sim conscius, non metuo quorundam insulsas aut venenatas reprehensiones; sed me & meos labores Filio Dei commendo. Scio meum vitæ curriculum & breve & exiguum esse. Quare in hac brevitate peregrinationis ea dicam, scribam & faciam, quæ migrationem in vitam æternam non impediunt.* Hactenus ipse Strigelius, reliqua ejus opera in Bibliothecis videantur. *Tota autem hæc narratio contexta est ex schedis & scriptis ipsius Strigelii; ex Papiniano Matthæi Wesenbecii, & aliis.*

PAULUS EBERUS.

n. 1569. d. 10. Decemb.

Kittingæ pervetusto *Franconiæ* oppido natus est *Paulus Eberus*, anno Christi *millesimo quingentesimo undecimo*, VI. * Idus Novembris. Parentes ei fuerunt probi ac honesti: qui ita vixerunt re suâ familiari contenti, ut odia declinarent, & sine invidiâ amicos pararent. Patri quidem nomen fuit *Joanni Ebero*; matri verò *Maragarethæ Pfleumiæ*: qui ambo honestis in Franconiâ familiis prognati.

**d. 8. Nov. h. 1. p. med. noct.*

Parentes.

Etsi autem puerilis ejus ætas in barbariem fædam ac monachorum putidissimas nugas incidit: tamen ingenii sui præstantia & nobilitate, impedimenta, quæ temporum iniquitas objecit, facilè omnia superavit. Nam tanta ingenii vi fuit præditus: ut quæ proponerentur à magistris minimo negocio comprehenderet universa, quæ comprehendisset, ea & probè meminisset, & interrogatus redderet promtissimè. Quâ de causâ, cùm domi ab ipso ineuntis ætatis primordio honestè pieque esset à parentibus educatus, & prima illa puerilium exercitationum rudimenta mediocriter percepisset: in aliam scholam eum ablegandum censuerunt.

Prima Eberi institutio.

Ipse igitur pater, vir prudens & honestus: cùm paulum jam roboris accessisset ætati; *Onoltzbachium*, quod octo circiter milliaria *Kittingâ* distat, opulentum hoc tempore, & aulâ Marchionis celebre oppidum, filium abducit, anno, supra *millesimum quingentesimum tertio & vigesimo.* Quo ipso anno etiam matrem suam Margaretam, præmaturâ morte, amisit, natus annos non amplius duodecim.

Abducitur Onoltzb.

Onoltzbachii ergò in disciplinam traditus ejus scholæ magistris, & diligentiâ in discendo & morum honestate, eam jam tum de se concitavit exspectationem; ut omnes, qui aliquid de ingeniis possent judicare, virum præstantissimum futurum augurati sint. Sed vix annum ibi exegerat: cum fortuna hanc ipsi felicitatem invidere visa est. Nam in morbum incidit, & morbi occasione tum corporis decus ac staturam, tum robur omne amisit, in ipso ineuntis adolescentiæ flore.

In morbum ibi incidit.

Erat Onoltzbachii quidam *Paulus Rothalerus*, civis honestus, & Eberi hospes. Hic considerato morbo pueri, patri per literas significat, filium adversa laborantem valetudine domum ut recipiat. Hoc nuntio allato, jubente ita patre, venit Onoltzbachium *Joannes* filiorum Eberi natu maximus, fratris domum reducendi gratia. Qui etsi jussus erat, rhedam conducere: tamen cum animadverteret non adeò magnum esse in morbo periculum, pedestri itinere unà cum fratre se committit; sed fato infelicissimo. Progressi enim ad quatuor milliaria, incidunt in lanium, equo vehentem quatuor agnos; quem cum nosset *Joannes* orat; ut fratri suo, qui ex lassitudine progredi amplius non posset, equum liceat conscendere. Assentitur lanius; puer lætus in equum insilit; itineris partem aliquam provehitur, lanius & frater subsequuntur. Sed nescio quo casu equus tandem oneris impatiens, sessorem excutit, & quia peronibus forte indutus erat *Eberus*, qui non ita facile è staticulis expediri possent, per quartam ferè milliaris partem ab equo consternato incitatissimeque currente, miserè raptatur. Tandem delabente calceo (nam dextri pedis duntaxat stapede implicatus hærebat) ipse quoque decidit. Frater Ebero Comes datus iram Patris veritus, domi rem omnem censet occultandam, & quia non

Inde ei lanitus corpora.

nisi

nisi parvum vulnus in capite apparebat, de hoc si pater quæreret; hortatur fratrem, in diversorio, ubi pernoctarent, ex lapsu se accepisse; ita Pater hoc figmento elusus, nec de vulnere solicitus, nec medicinam ullam admodum curavit. Post aliquot verò dies intumescente collo, & caulam nec dum aperiente puero, *Herbipolim* itum est ad medicos, qui licet variis tentatis remediis, nihil tamen, quod recuperandæ esset sanitati, efficere potuerunt. Sic igitur præstans ingenio & eruditione vir, in ipsa pueritia amisso omni corporis decore, curvus & gibbosus factus est, ætatis *tertio & decimo* anno.

Dum autem totum fermè annum domi ità desidet *Eberus*, valetudinis curam agens, & afflicti sui corpusculi, accidit interea: ut *Norinbergam* pater ad nuptias invitaretur. Quo cum esset profecturus, quia acceperat, illustrem ludum literarium ibidem à *Joachimo Camerario*, viro & Græcis literis & Latinis eruditissimo, apertum, filium eodem secum abducendum statuit. Etsi enim jam olim in eam descenderat sententiam; velle se filium hunc Musis & pietati dicatum, tamen illo adverso casu, qui eum ad alia vitæ genera ineptum quodammodo, & inutilem reddere videbatur, non parum fuit confirmatus. Erat is annus, quo Norinbergam venit Eberus à reparata hominum salute *millesimus quingentesimus vicesimus quintus*, qui & rusticanæ plebis seditiosis tumultibus, & obitu sapientissimi Principis Friderici III. Ducis Saxoniæ Electoris celebris & clarus.

In schola Norinbergensi annos complures commoratus, cum ingenio esset acerrimo, & haberet præter *Joannem* Ketzmannum* præceptorem *Joachimum Camerarium*: qui omne studium suum & ad bonarum rerum doctrinam, & ad rationem dicendi, quæ sapientiæ exornatrix est, adhiberet, felices progressus in literis fecit. Artes enim quas vocant dicendi, quarum in formanda oratione, & aliorum scriptis judicandis, usus est præcipuus, ita cupidè imbibit: ut è condiscipulis paucissimos ei conferre; anteferre quidem liceret neminem. Linguam Latinam tam numeris solutam, quàm quæ certâ metrorum ratione includitur, usu creberrimo per sibi familiarem reddidit. *Græcæ* linguæ initia, præsertim sub tali magistro, magnâ cum admiratione didicit: omnis denique liberalis doctrinæ, quæ quidem in eam ætatem cadit, & locum in scholis puerilibus habet, ea jecit fundamenta; ut de Præceptorum sententia, & consensu senatus Norinbergensis; Academiæ jam tunc maturum ingenium judicaretur.

Horum igiur consilio usus *Eberus*, à Senatu Reipubl. *Norinbergensis*, & quadam præcipuâ ibidem familia necessariis studiorum sumtibus instructus, adiit *Wittembergensem* Academiam anno ætatis *vicesimo primo*, qui erat à salutari nativitate Christi *millesimus quingentesimus tricesimus secundus*.

Wittembergæ *Eberus* quòd non nisi bonorum & virtutis amantium gauderet consortio, eos brevi in studiis progressus fecit: ita vitam & mores suos omnibus viris honestis probavit: ut non solùm propter eruditionem in admiratione esset; sed propter virtutem etiam in amicitiam & familiaritatem domesticam à præcipuis viris admitteretur. Unde & anno *trigesimo sexto* honorem in Philosophiâ summum, gradum Magisterii vulgò nominant, cum summa eruditionis laude est consecutus: Decano *Jacobo Milichio*, artium liberalium tunc magistro. Altero autem anno post, in collegium Facultatis artium à Decano *Philippo Melanchthone* est adscriptus; cui ita charus deinceps, ita perspectus & probatus fuit: ut non dubitarit etiam arcana sua, & secretiores literas ejus fidei committere. Cùm enim eleganter scriptitaret, & nitidos literarum characteres pingeret *Eberus*, in describendis præcipuis suis materiis ejus uti opera *Melanchthon* consuevit. Progressu verò temporis ita paulatim crevit hæc intima familiaritas: ut nihil ferè solitus sit aggredi *Melanchthon*, nihil scribere, nihil commentari, de quo non priùs cum *Ebero* suo communicaret; adeò quidem, ut etiam vulgari joco, sed huic verò honestissimo, *Philippi repertorium Eberus* diceretur.

Philos. testim. ornatur.

Collegio Phil. adscribitur. Charus Melancht.

Philippi repertorium.

Cùm itaque penitus perspectam haberet *Melanchthon Eberi* eruditionem, prudentiam, comitatem, & in omni officio diligentiam singularem, multos adolescentes nobiles, aliosque honestissimis natos familiis, quos aliunde commendatos habebat; ipsi erudiendos concredidit. Ex quo factum, ut *Eberus* aliquot annos continuos domesticam scholam habuerit: tantâ sapientiâ, tantâ disciplinæ severitate, tanto studiorum omnis ætatis incremento: ut eum non dico qui superaret, verùm qui adæquaret hac in parte, non facilè tunc repertus sit. Quas enim virtutes M. *Tullius* in summo imperatore inesse oportere judicat; ut rectè & laudabiliter commisso munere fungatur, *scientiam* nimirum, *virtutem*, *authoritatem*, *felicitatem*: illis quatuor omnibus Eberus,

Habet scholam domesticã. Virtutes imperatoris.

Ingentes animos angusto in pectore versans,

sic exornatus erat suo loco, ut in singulis ferè quiddam præcipuum & singulare videretur obtinere. Nam scientiam & eruditæ doctrinæ copiam, cum felicitate & facilitate omnia docendi fuisse ipsi constat: in communicanda doctrina fuisse facilem & benignum, non invidum, qui disciplinæ gravitate præceptoris authoritatem facile sustineret: erudita denique discipulorum copia, in docendo felicissimum. Prodierunt enim magno numero è schola & disciplina *Eberi*, multi clarissimi præstantissimique viri; qui postea per omnem ferè Germaniam sparsi, partim in templis populum de pietate in DEUM & Christiani hominis officiis docuerunt: partim salutaribus consiliis &

Discipuli Eberi.

jure dicundo Respub. gubernarunt; partim in erudienda tenera ætate, non minus utilem operam communi hominum societati præstiterunt. Quod ipsum, opinor, multo *Ebero* honorificentius, & ad nominis perpetuitatem glorioſius est; quàm si vel bellator strenuus multas cruentas ex hostibus victorias reportasset, vel mercator impiger lucrum undique consectans ingentes suis opes & thesauros reliquisset.

Docendi ratio Eberi

In docendo autem *Eberus* eum cursum tenuit, qui plurimum ut proficerent suæ disciplinæ concrediti adolescentes, quàm aptissimus esse videbatur. Plerasque enim *Philosophiæ partes* breviter & dilucidè explanando percurrit, eoque non contentus, repetendo etiam, quod à plerisque hoc tempore, propter laboris molestiam ferè negligi videmus, cum magno discentium incommodo, diligenter auditoribus inculcavit. Adjunxit etiam *disputationum & declamationem exercitia*: ex quibus magnas utilitates ad juventutem scholasticam redire intelligebat. Cumque multos haberet in auditoribus suis ætate jam grandes & mediocri doctrinâ præditos, horum precibus adductus cum sanctæ Theologiæ studio se totos dedere decreviſſent, succisivis horis enarrandas suscepit aliquot D. *Pauli epistolas*. Qua in re tam fidelem ipsi operam navavit *Melanchthon*, ut non solùm quæ in explicatione epistolarum tractanda essent, monuerit; sed pleraque etiam suapte manu præscripserit. Quod in multis quoque aliis doctrinæ partibus ab hoc laborum patientissimo viro factitatum accepimus. *Physicam* quoque doctrinam initio, ut eam privatis suis discipulis dictaret in gratiam *Eberi* congressit.

Pauli epistolas explicat. Iuvat eũ Melancht.

Cum itaque *Melanchthon Eberum* summo, propter ingenium, amore complecteretur, & ejus operam Academiæ inprimis utilem futuram prospiceret, ut eum in Wirtembergensi Academia retineret, in votis semper habuit. Quam ad rem quia conjugium aliquid habere videbatur momenti, non fuit ipse gravatus, vir cunprimis officiosus, & ad omnium nutum paratus, ut Lipsiæ virginem honestam, cui *Helenæ* nomen, uxorem *Ebero* dispiceret. Quam ipsam cum legitimo matrimonio sibi conjunxisset *Eberus*, anno Christi *milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo primo*, amantissime simul & suavissimè cum ea vixit, in annum usque *viceſimum octavum*, & Deo benedicente, secundum expertus est conjugium, ac numerosam sobolem ex ea procreavit.

Matrimonium conciliat.

Quod felix secundum.

Triennio post in senatum professorum, summa omnium cum gratulatione & lætitia, est cooptatus, anno ætatis *trigeſimo tertio*. Ac primum quidem eam obtinuit provinciam; ut *Grammaticam*, orationis congruæ architectatricem, & Latinæ linguæ scriptores, studiosis adolescentibus interpretaretur. Gravi enim & sapienti consilio, à majoribus introducta consuetudo est; ut in *Wittenbergensi Academia*, unà cum superioribus artibus & disciplinis, etiam illa studiorum quasi incunabula & prima rudimenta publicè doceantur. Quamvis igitur hæc *Grammaticæ professio* in speciem vilis & abjecta videretur, nihil habens dignitatis aut splendoris, tamen eam in docendo diligentiam, in explicando fidelitatem præstitit *Eberus*; ut & summam laudem omnium testimonio mereretur, & ad sublimiorem dignitatis gradum, aditum sibi paulatim patefaceret, & quasi viam sterneret.

Coopatur in numerũ professorum. Grammaticam publicè docet

Sed consequutum est paulò post bellum illud acerbum & luctuosum toti Germaniæ, quo in bello Saxoniæ Elector *Ioannes Fridericus*, dum exemplo Ezechiæ pia arma capit pro defensione veræ religionis, exemplum factus est fortitudinis & constantiæ singulare, & oppidum *Wittemberga* post aliquot dierum obsidionem, in Cæsaris potestatem venit, anno *quadrageſimo ſeptimo*, quo ipso tempore *Eberus*, cum D. *Casparo Crucigero*, rectore universitatis, templique arcis concionatore, *Ioanne Bugenhagio*, Pastore, & aliis quibusdam, in oppido mansit: obsidionis pericula fortiter pertulit, liberationem magno erectoque animo exspectavit.

Bellorum mania subitis Wittem.

Sedatis autem belli tumultibus, cùm *Mauritio* Electore mediocris tranquillitas illi oppido reddita, & bello dissipata Academia instaurata esset: cæterique professores ad docendi labores rediissent: *Eberus* etiam nihil sibi cunctandum ratus, ad urgendum curriculum suæ vocationis incubuit, tantâ quidem diligentia, ut, non contentus Grammaticæ & Latinæ linguæ professione, omnes ferè totius Philosophiæ partes ordine explicarit, atque ita per parva quædam incrementa, longo tempore, paulatim se ad majora evexerit.

Ut enim ipsam naturæ vocem, testimonium de Deo clarissimum dicentem in aspectum hominum, lucemque produceret, à Logicis artibus ad cœli contemplationem digressus, quibus motibus Deus, & quàm variis, cœlestia corpora ornaverit, quas vices stellis affectionesque tribuerit: qua magnitudine, quo situ, quibus passionibus, officiisque donaverit, quem finem denique in condendo, quas hominum commoditates respexerit, diligenter auditores suos edocuit. Naturalium item corporum principia ostendit, causas generationum, corruptionum, aliorumque motuum aperuit, qualitatum pugnas, & mutationes inde ortas, & mirandam corporum nostrorum fabricam, dissimilesque animæ vires ingeniosè explanavit. *Ethicam* quoque doctrinam, quâ nihil ad vitam humanam tranquillè degendam, magis est necessarium, quæ mores hominum instituit ac format; omnesque vitæ actiones virtutis normâ dirigit, naturæ contemplationi tanquam coronidem subjunxit. Omnes enim animadvertit, qui verum doctrinæ fructum intelligerent, hunc suis è studiis fructum potissimum auferre cupere: ut & morum elegantiâ, & ampliſſimo virtutis decore ornati, vitæ negotiisque mortalium quàm certissimè queant consulere.

Docet Mathemata & Physic.

Item Ethicam.

Erat sub illud tempus templo arcis præpositus D. *Ioannes Forsterus*, Theologus & Hebræ

Succedit Forsterus Theolog.

breæ linguæ Professor celeberrimus. Huic, cùm ex hac mortali vita ad cœlestis Ecclesiæ consuetudinem emigrasset, successor in æde arci contigua, datus est *Eberus*. Nam præterquam quòd artium & linguarum cognitione excelleret, & jam in cognoscendis, rectèque intelligendis iis libris, quibus sanctissima divinæ vocis oracula sunt comprehensa, annos jam plures desudarat. Qua etiam de causa cùm ad gubernacula ejus officii accessisset, tantâ fide, industria, authoritate omnia ab ipso administrata sunt; ut Dei ipsius nutu atque consilio & gesta & provisa esse viderentur. Ac virtutis quidem & doctrinæ ipsius præclaræ, insequens statim annus documentum illustre dedit. Cùm enim auspiciis *Ferdinandi* Imperatoris colloquium institutum esset *Wormatiæ*, in quo dissidentes in religione Theologi de controversis doctrinæ Christianæ capitibus conferrent, inter alios ipse etiam dignus est habitus, qui à nostrâ parte, unà cum *Melanchthone* Wormatiam ad colloquium mitteretur. Sed Pontificiis, confessionis Augustanæ socios urgentibus *: ut se à Zwinglianis, Osiandristis, Synergistis & aliis sejungerent, colloquium paulò pòst ut sæpe alibi dictum, abruptum & plane dissipatum est.

Interim venerandus senex *Ioann. Bugenhagius Pomeranus*, cujus consilio, virtute, autoritate, eruditione, & pietate annos amplius *sex & triginta* piè & feliciter Wittenbergensis gubernata ecclesia erat, quocum *Eberus* toto vitæ tempore conjunctissimè vixerat, in piâ invocatione Filii Dei ex hac mortali vita discessit. Cùm igitur successor illi quæreretur, visus tandem est *Eberus* dignus, cui tam amplum munus committeretur, qui docendi felicitate defunctum pastorem repræsentare, virtute auditorum expectationem sustinere, eruditione difficultates tanti officii, Deo adjuvante, superare posse censebatur. Quamvis autem multas initio sui excusandi rationes prætenderet: tamen quod indignum videretur, & DEO vocanti ad verbi sui ministerium, & tot clarissimorum virorum præclaro de se judicio, ac præsertim Melanchthoni unicè id flagitanti, pertinacius reluctari, tandem assensus est. Accesserunt & ad senatus Academiæ consensum oppidani senatus suffragia, & gravissima Principis Electoris autoritas; qui neminem Ebero in eo officio præferendum omnes existimarunt. Anno igitur *quinquagesimo octavo* Pastor Ecclesiæ Wittenbergensis creatus & confirmatus, annos natus amplius *sex & quadraginta*. Cui officio quantâ fide & diligentia annis fere undecim præfuerit, quanta felicitate sacra docuerit: quo animi ardore adversariis se opposuerit, & sanæ doctrinæ corruptelas refutarit, quàm insigni denique exemplo ad pietatem, & honestæ vitæ officia facem auditoribus prætulerit, non est necesse pluribus exponere; cum rerum testimonia adsint.

Cùm ergò Numinis divini favor & eximiæ dotes in celsam dignitatis sedem virum evexissent, honore eum majori quoque cohonestari par fuit: quod perfectum authoritate mandatoque illustrissimi Principis *Augusti*. Anno enim *nono & quinquagesimo*, mensibus saltem quatuor prius, quam diem supremum obiens *Melanchthon*, disputationis ejus præses, triste sui desiderium illi Academiæ, & luctum bonis omnibus relinqueret: Decano *Georgio Majore*. Doctoris Theologi titulo est ornatus, competitoribus *Paulo Crellio* Islebiensi, *Erasmo Læto* Cimbro, *Ioanne Coglero* Quedlinburgensi. *Doct. Theol renunciatur.*

Postea anno *sexagesimo quarto* Jenam à Professoribus Academiæ evocatus est, ut habita de more scholarum disputatione Theologiæ Doctorem renunciaret *Ioannem Stösselium*: quem longo tempore & Jenensis Academia Professorem, & Superintendentem Pirnensis Ecclesia habuit. *Iena dein erat Doct. I. Stosselius.*

Elapso deinde quadriennio unâ cum *Paulo Crellio* Onolsbachium abiit, evocatus à Principe *Georgio Friderico*, Marchione Brandenburgensi, cujus pietas & in literatos munificentia etiamnum celebratur. Fuit ibidem illustris *Eberi* virtus & industria, in componendis controversiis inter Onoldinum Superintendentem & ministros reliquos ortis, studiumque adeò illi optimo & liberalissimo Principi probatum, ut & ipsi *Ebero* honorarium amplissimum, & uni de filiis ejus stipendium ad vitæ annos decreverit. *Onolzbachium evocatur.* *Vbi componit controversias.* *Remuneratur à Marchione.*

Francicum iter mox *Altenburgense* colloquium excepit. Quod licet optimo consilio ab illustrissimis Principibus, *Augusto* Elector, & *Ioanne Wilhelmo* patruelibus, Ducibus Saxoniæ institutum fuisset: ut, sicut in politicis jam factum esset, ita in Religione etiam, sublatâ omni litium & mutuarum condemnationum materiâ, pax constitueretur, & vero ac stabili concordiæ vinculo utrinque animi devincirentur, glorioissimo ad omnem posteritatem exemplo: tamen collocutorum importunitate abruptum, piorum exspectationi minimè respondit. *Altenburgense colloquium.*

Ab eo colloquio domum reversus in morbum incidit, contractum ex frigore inprimis, & mutatâ victus ac diætæ ratione, quo & paulò pòst exstinctus est. Sensit ipse, simul ac domum venisset, vitæ sibi finem imminere. Itaque ad *Balthasarem Mencium*, quo familiariter utebatur, dixit, *se non alia ratione, quàm ipsâ morte profectionis illius incommoda correcturum esse*: quod & eventus comprobavit. Præmiserat non multo antè conjugem suam Helenam, cùm catarrhis ipse affligi cepit, qui quòd ad dorsum & ad os sacrum incumberent, aperta ibi duo apostemata sanie fluxerunt per menses duos. Deinde obortum *erysipelas* in utroque crure secuta est febris. Quamobrem morbo naturam superante, tandem in ardentissimâ Filii Dei invocatione, & constanti confessione placidè exspiravit, die 10. Decemb. anno Christi *millesimo, quingentesimo sexagesimo nono*, cùm vixisset annos *quinquaginta octo*, & dies *triginta duos*. Postridie in templo parochiali, ad dextrum aræ cornu, honorificè *Ex itinere morbum contrahit.* *Quo exstinguitur.* *Funus ejus*

sepul-

sepultus est; concionem funebrem habente *Christophoro Pezelio*, templi arcis tunc ministro, super illud *Dan.* 12. *& Syr.* 38.

Elogium. Fuit vir exiguæ quidem statutæ, sed ingenio & eruditione præstans, cujus fideli opera Ecclesia & Academia Wittembergensis magno suo cum fructu annos complures est usa. Quæ enim in Ecclesiæ doctore potissimum requiruntur virtutes, eloquentia videlicet, sacræ scripturæ peritia, & zelus, seu fervor spiritus: eæ in Ebero egregiæ fuerunt. Dicendi enim facultatem, qua cogitata mentis non modò verbis aperire; verùm etiam coloribus illustrare posset; cùm singulari naturæ beneficio, tum incredibili studio & adsiduo usu, eximiam sibi comparaverat. In scripturâ verò sacra tantum potuit, ut & Principes externi in dijudicandis controversiis operâ & studio illius sint usi, eoque nomine legatos ad eum miserint. Neque defuit ei zelus & Theologo dignus ardor, seu fervor spiritus, quoties à flagitiis revocandi homines, & ad pietatis virtutisque studium essent inflammandi.

Facultas ejus dicendi.

Peritia sacrarum literarum.

Ardor ac zelus.

Scriptæ. Monumenta ingenii reliquit in omni disciplinarum genere plurima: quorum pars publici juris facta, pars vel apud heredes, vel alibi latent. De iis, quæ lucem viderunt, est *historia populi Iudaici* à reditu Babylonici exilii ad ultimum usque Hierosolymæ excidium: *Calendarium historicum*, *expositio Evangeliorum Dominicalium*, *hymni sacri* vernaculè editi, è quibus hymnus ille notissimus, pro placida ex hac vitâ emigratione: & alia.

I. Schosseri Epigramma in eû. Exstat in effigiem ejus *Ioannis Schosseri* Epigramma ejusmodi:

Hos quicunque vides infirmi corporis artus,
Quos tibi pictoris parva tabella refert:
Consilium perpende Dei, qui splendida mundo
Visa putat regno non satis apta suo.
Eligit infirmos per quos Ecclesia Nati
Docta, salutarem poscit habere fidem.
Ille etiam præiens juvat instrumenta salutis,
Præsidioque levat membra pusilla suo.
Quare parva licet fuerint vox membraque Eberi:
Ipse per hunc voluit notior esse λόγος.
Namque prius celebres docuit qui sedulus artes:
Post Christi ætherio semine pavit oves.
Quid tenues spectas artus? in corpore parvo
Sæpe etiam pietas, ingeniumque viget.

Ex oratione publicè de vita Eberi habita à Balthasare Mencio collegii Philosophici anno 1580. *Witembergæ decano.*

IOANNES BRENTIVS.

Ø. 1570. *d.* 11. *Sept. ætat.* 71. *m.* 2. *d.* 3. *ministerii anno* 50. *Wilæ oppidum.*

WILÆ, Imperii in Sueviâ oppido, nascitur *Ioannes Brentius*, anno Christi *millesimo, quadringentesimo, nonagesimo nono*; patre *Martino Brentio*, oppidi illius annis *viginti quatuor* prætore, matre *Catharina Henichia.* Incidit ejus natalis in diem Joanni Baptistæ sacrum: unde nomen illi inditum *Ioannes*; quod nostrâ vernaculâ *Huldricum* quasi Huldreich exprimit.

Parentes Brentii.

Parentes & ad pietatem illorum temporum à teneris, & ad literatum studia *sexto* ætatis anno adhibuerunt, puerque prima Grammatices elementa percepit. Cumque ad studia esset natus, statim in tenera etiamdum ætate ingenium, quod nihil mediocre pollicebatur, in eo eluxit, facilè arripiens omnia, quæ à magistro tradebantur. Quare anno ætatis *undecimo Haidelbergam* in scholam trivialem à parentibus est missus, ad capiendum majorem ingenii cultum. Postea *Vahingam* concessit, ubi scholam regebat *M. Ioannes Schmidlinus*, cujus fama tum longè lateque spargebatur; ut artificis in hoc genere singularis. Hinc Haidelberg. rediit *decimo tertio* ætatis anno, inque numerum studiosorum est adscriptus. Florebant autem illic tunc optimarum artium & literarum studia, renata in Germania, *Rodolphi Agricolæ*, *Ioannis Reuchlini*, *& Erasmi diligentiâ*: ubi anno ætatis *decimo quinto* Prima Philosophiæ laurea, quæ à baccis nomen habet, est ornatus.

Haidelbergam mittitur. Inde Vahingam. Ioan. Schmidl.

Redit Haidelbergam.

Fit baccalaureus.

Usus est præceptoribus in artibus *Theobaldo Billicano*, *Ioanne Knellero*, qui posteà ad summos honores est evectus, consiliarius Imperatoris Caroli V. factus, in Græca lingua, *Ioanne Oecolampr.* viro linguarum peritissimo, in Hebræa verò *Iudæo* quodam *Hispano Matthæo*, qui nostris sacris initiatus erat, & Doctor medicinæ postea renunciatus est, in Theologia, cui totum postea se dedidit, Doctore *Petro Scheibenhard*, *D. Georgio Nigri*, & alio quodam D. *Marco*.

Ioann. Kneller.

Præceptores Brentii Haidelb.

Æquales & in studiis commilites habuit *Philippum Melanchthonem*, *Martinum Bucerum*, *Erhardum Snepfium*, *Martinum Frechtum* Theologos, aliosque viros doctissimos, qui omnes & singuli in artibus bonis, Philosophia linguis, & Theologiâ excelluerunt. His valdè familiariter postea in omni vita usus est, quemadmodum amicitia literarum & virtutis fundamentis nixa, neutiquam solet collabi.

Commilitones.

Amicitia literaria.

Ibi ergo in studiis aliquot annos posuit diligentia quidem summâ, studio vigiliisque maximis. Audierunt ex eo amici, de juventutis suæ studiis interrogato, solitum ferè dies & noctes in adolescentia & juventa studendo continuare; plerumque statim post noctis medium surgere, fratrem juniorem, arrepto pulvinari una hypocaustum ingressum, illoque capiti supposito consopitum solitudinis levandæ causa ponè lucubranti affuisse. Contraxit ex ejusmodi assidua consuetudine sibi malum ἀγρυπνίας, quod deinde per omnem vitam duravit: ut post noctem mediam, parum aut nihil dormire amplius potuerit. Unde postea temporis successu, nocturnas illas horas, quas ducebat insomnes, piis sacrarum literarum meditationibus tribuit, quas, postquam surrexit, in chartas conjecit. In senectute quoque ut vigiliarum molestias levaret, arte quadam candelabrum juxta lectulum extruendum

Diligentia Brentii.

Insomniæ contractio.

dum curavit: ut etiam in lecto sedens, si quando surgere non liberet, legere & scribere ad lucernam, quæ erant necessaria, posset. Qua in re senex hic Aristotelis juvenis discendi pertinaciam æmulatus videatur; quæ tanta fuit, ut globum lucubrans in manu teneret supposita pelui: ne somno opprimeretur; aut fortè eo oppressus, decidentis sono ut excitaretur.

Cum igitur ingenio esset felici, & omnium disciplinarum capaci, & accederet diligentia illa, de qua diximus; præterea memoriam haberet fidam: ut eorum, quæ legerat, non facilè eum caperet oblivio: brevi temporis spacio in dicendi artibus, linguis tribus, Philosophiâ Aristotelica tantos fecit progressus: ut non solum Magisterii titulo ornatus sit, anno ætatis *decimo octavo:* verum etiam adolescens ipse *contubernii Rector* illic creatus non multo pòst *Quodlibetariam*, ut vocarunt, proposuerit ac defenderit *disputationem*. Professus est illic summulas *Petri Hispani*. Versorem vulgò vocant, Dialecticam *Rodolphi Agricolæ*, *Suetonium*, *Græcam Grammaticam & Homerum*, idque triennio.

Erat sub id tempus doctrina religionis *de fidei justificatione gratuita*, de *Christi Mediatoris unici beneficiis*, de *pœnitentia*, de *sacramentis* de *vera Dei invocatione*, & aliis, ut notum, densissimis tenebris involuta, horrendisque erroribus corrupta: erat recepta, & in scholas atque Ecclesias invecta multiplex idolomania: erant rixæ & disputationes scholasticorum Doctorum spinosissimæ; quibus res bonas, utiles & Theologicas materias non explicaverunt, sed labyrinthis disputationum omnia involverunt. Mox autem, Dei beneficio, subsecuta sunt feliciora & lætiora tempora, excitato divinitùs ad repurgandam doctrinam cœlestem, *Martino Luthero*, cujus editis scriptis, lux nova exorta est in Germania, dispulsis densissimis tenebris, quæ obfusæ erant sanctæ scripturæ, & doctrinæ religionis. Ingens Dei beneficium lætus *Brentius* agnovit, & grata mente amplexus est, seque plurimum adjutum lectione scriptorum *Lutheri* est professus. Eodem quo promotum *Brentium* diximus anno*, *Martinus Lutherus* disputationem contra indulgentias Pontificias edidit, sequenti verò ipsemet *Haidelbergam* venit: ibique VI. Cal. Maij disputationem *de justificatione* proposuit, negans *operibus propriis hominem coram Deo justitiam consequi: nihil etiam ad hoc conferre liberum arbitrium, quod res sit de solo titulo: sed qui sine operibus multum credat in Christum: hunc esse coram Deo justum, & æternam consequi salutem & vitam idque se*, quod tum videbatur, ut ipse quoque appellabat *Paradoxon, ex sacrâ scripturâ, & D. Augustino probaturum*. His motus *Brentius*, *Lutherum* accessit: & multa familiariter, licet juvenis tunc, cum ipso contulit.

Editi sunt postea Wittembergæ, & à *Luthero* & *Melanchthone*, qui eodem anno è Tubingana schola Wittembergam erat evocatus, alii libelli, *Commentarii Martini Lutheri in Epistolam ad Galatas*, *Hypotyposeis* seu *loci communes Philippi* primi. Quibus à Brentio avidè lectis, & collatis cum scriptis Propheticis & Apostolicis, ita est confirmatus; ut studiosis in contubernio *Realium*, *Matthæum* Evangelistam enarrare cœperit. Statim tantus est factus concursus ex aliis quoque collegiis: ut, cum locus ille non caperet auditores, in auditorium facultatis Artium concesserit. Conflavit illi odium & invidiam frequens auditorum concursus apud Theologos, & ut odio suo honestam prætexerent causam; *profanum esse* ajebant, *in tali loco & à persona sacris nondum initiata, Theologiam tractari*. Ideoque ut in suscepto exercitio, ad quod divinitus erat excitatus, & movebatur, absque impedimento posset pergere, ibidem in *collegium canonicorum* ad Spiritum sanctum est adscitus, & sacris initiatus in patria primitias celebravit. Postea *Haidelbergam* reversus, aliquoties vices alterius pro concione populari obivit, gratus auditoribus. Interea verò nihilominus sacros & profanos autores suis enarravit, & inter cætera quoque Epistolam ad Hebræos.

Vacabat tum *Halæ Suevorum* munus Ecclesiastæ, quo audito, *D. Isenmannus*, patriæ optimè consultum & prospectum cupiens, significat cuidam ex ordine senatorio, penes quem potestas illa vocandi erat: si eruditum quendam Magistrum recipere vellent, se daturum operam: ut facile talis copiam habere possint. Hoc ipsum refert ille ad senatum; cui placet, occasionem commodè oblatam, non esse negligendam. Mandatum itaque accipit *Isenmannus* à magistratu: ut in patriam redeat, adducto secum futuro Ecclesiaste: quod & factum. Rogatus itaque *Brentius*, specimen pro publica concione edidit nataliciis Mariæ, anno *millesimo quingentesimo vigesimo secundo* à Christi nativitate: ubi non solum expectationi satisfecit, sed eandem etiam vicit. Placuerunt enim mores, placuit gravitas, gestus, doctrina, sermonis genus, vox, & quæ ad officium tale pertinent omnia, nisi quod ætatem in illo desiderarent grandiorem. Natus enim tantum erat annos *viginti tres*. Nec tamen illa se impediri passi sunt, operamque illius conduxerunt, annuo salario *octoginta florenorum*.

Etsi igitur juvenis erat, tamen gravitate, vitæ sanctimoniâ, morum integritate, & in officio diligentia atque adsiduitate, tantum Dei gratia effecit, ut nemini propter juventutem contemtui esset, sed omnium non solum ora & oculos in se converteret, verum animos etiam ad verbum Dei inclinaret, quo pristinis erroribus & vanitatum doctoribus posthabitis, veritatem Evangelii amplecterentur. Pharisæi autem & scribæ, ipsimet paulo pòst partim injussi, quod sua facerima in vacuo theatro, & auditoribus & spectatoribus destituti, facere erubescerent,

Dd rent,

Legit libros Evangelicorum.

Enarrat Evangeliũ secundum Matthæũ.

Inde ei odium Theol.

In collegiũ canonicorum coptatur.

Halam Suevorum invitatur.

Salarium ejus ibi.

Docet cum fructu.

rent, in alia se contulere loca, partim verò conversi, partim etiam morte sunt abrepti.

Adversarii ejus.

Magna autem in concionibus popularibus usus est prudentiâ & modestia; initio cum haberet adversarios vehementissimos; inter quos præcipui erant Guardianus Theologiæ Licentiatus, & Lector monasterii ordinis Minorum: qui conspirantes sæviebant importunis clamoribus, & Sophistica errores suos defendentes. Quæ cum indesinenter facerent fulminando, & virus suum evomendo Dominicis & festis diebus matutinis concionibus in magna populi frequentiâ: à prandio multò confluebant frequentius, sperantes Ecclesiasten suum eadem usurum vehementiâ, in suorum dogmatum defensione, & par pari relaturum. Verùm ille prudenter dissimulabat ad tempus, & suo more docere pergebat, doctrinæ Christianæ fundamenta jaciendo, meritumque Christi unici redemporis fide apprehendendum, sedulò & fideliter inculcando. Deinde ubi commoda se offerebat occasio, brevissimè & modestè perspicuis sacræ S. testimoniis adversariorum dogmata & clamores refutans, hæc pugnare cum illis ostendit. Itaque tandem plerique Papisticam idolomaniam, dogmata, & superstitiones fuerunt detestati.

Modestia & prudentia in docendo.

Missam interdum celebrat.

Interea ipse quoque missam interdum celebrabat, sed non pro defunctis offerebat: verùm tantum *Angelicam*, quam sic vocant, legebat *missam*. Sequenti anno, qui erat *vicesimus tertius* supra *millesimum quingentesimum*, *Joannes Isenmannus* à senatu in patriam quoque vocatur: ut defuncto Pastori succedat. Is autem sacros ordines nondum susceperat, sed tantum minores, Subdiaconus factus. Hic non solum eadem cum Brentio docuit: sed impias Papatus cæremonias abrogare incepit. Quare odium multorum conflavit, præsertim cum *Brentius* quoque missas celebrasset. Hic *Brentius* publicè se excusavit pro concione auditoribus, rationem sui consilii exponens in hanc sententiam: *Optimi auditores, audio quosdam vestrum nostris actionibus offendi: & quidem verum est, ego quoque aliquoties missam hic apud vos celebravi: sed non per omnia sacrificulorum more, impietate horrendâ, sacrificii scilicet oblatione pro vivis & defunctis, omissa: idque propter vos à me factum est. Nam cùm primum huc à vobis essem vocatus, in profundum idololatriæ vos immersos reperi, ideo aliquid erat faciendum, & ad vos in lacum descendi, ut vos educerem, & libertatem paulatim erudiendo, & nonnihil etiam, exemplo Apostoli, ad tempus cedendo & simulando. Jam verò rectius ex verbo Dei à me estis instituti, & horrendam missæ abominationem & cœnæ Dominicæ profanationem intelligitis. Ideò ea & fugienda est, & legitimè abroganda.*

Joan. Isenmann.

Idem cum Brentio docet.

Excusat se Brentius missa celebrata.

Secuta sunt postea turbulenta tempora mota seditione à rusticana plebe, per totam ferè Germaniam: qui perperam & carnaliter, ut olim Judæi de suo Messiâ, scripturam sacram, & Evangelii doctrinam de spirituali libertate, à peccatis per Christum parta, loquentem, pro carnali sua stultitia potius, quàm prudentiâ accipientes, libello quodam evulgato per faces, & tubas seditionis, *Muncerum*, *Pfeifferum*, *Storckium*, *Hetzerum*, & consimilia monstra, *duodecim articulos* Magistratibus proposuerunt: quibus sibi carnalem hanc libertatem deberi scripturæ testimoniis detortis probare conabantur. Hic Brentius in summo versatus periculo, quod nonnulli, sicut fieri consuevit, causam malorum *Brentio*, qui usitatum doctrinæ genus & ritus Ecclesiasticos mutarat, adscriberent, illum que reum postularent. Jam enim rustici Hallensium jurisdictioni subjecti, & ipsi inter se, & cum aliis vicinis contra suum magistratum conspiraverant, bellumque & obsidionem denunciarant. Hic multorum civium animi mutarunt: magistratus & ipse in magna fuit trepidatione; & facili momento fieri potuisset: ut & ipsi ad partes rusticorum seditiosorum metu perculsi, concessissent. In quanto itaque periculo *Brentius* tunc fuerit, facilè quivis intelligit. Sed non tam de sua, quàm de suorum salute solicitus, eorum animos fractos & perturbatos, verbo Dei erexit confirmavitque, magistratumque sui officii admonuit: ut arma caperet, & fortiter rebellibus se opponeret: Deum affuturum, & felicem daturum eventum, sicut etiam factum est. Civium enim *sexcenti*, *quatuor millia* rusticorum in fugam verterunt: postea tamen in gratiam sunt recepti, nec sævitum in illos.

Rusticorum tumultus unde.

Auctor seditionis.

Articuli 12. rusticorum.

Insimulatur ejus & Brent.

Qui confirmat.

Judicium super scripto rusticorum Brentii.

Seditiosum autem scriptum à Cancellario Electoris *Ludovici* Palatini Rheni, Haidelbergâ ad *Brentium* est transmissum: ut judicium suum de illo declararet: *num rustici rectè ex scriptura sacra sententiam suam probarent.* Respondit is, nequaquam illorum opinionem & propositum cum hac congruere. Deinde & magistratum & subditos de officio commonefecit: atque è scripturæ fundamentis monstrata falsitate, egregiè illos convicit: quemadmodum *Lutherus* multis hoc ipsum editis libellis in summâ omnium Principum trepidatione egit, sicut in hoc argumenti genere utriusque scripta edita, testantur. Hoc motu vix sedato, mox dissidium aliud inter Evangelicos ortum est, non idem omnibus de cœna Domini sentientibus. *Zvvinglius* enim *Tiguri* substantialem corporis Christi in cœna Domini præsentiam negavit; quam *Brentius* cum *Luthero* & aliis asseruit. Duravit id certamen magno cum scandalo doctrinæ annis aliquot, ac nescio, an ulla res alia, magis causæ obfuerit, cur summque doctrinæ cœlestis impedierit; quàm odiosum hoc à Satana excitatum bellum Sacramentarium: quod omnes pii doluerunt plurimum, & tollere atque componere studuerunt.

Dissidium Eucharisticum.

Quo

Quo consilio illustrissimus Hassiæ Landgravius *Philippus*, consentientibus aliis, *Marpurgum* convocavit utriusque partis Theologos, & inter hos etiam *Brentium*. Factum id, ut notum anno Christi *millesimo quingentesimo vicesimo nono*. Collocuti sunt duo antesignani soli, *Martinus Lutherus* & *Huldricus Zvvinglius:* Ibi cum suam sententiam argumentis, & Physicis & Mathematicis, de loco, & positu corporis Christi in cœlo, ac quantitate corporis sumtis, probare totis viribus conaretur Zwinglius: Lutherum magno spiritu admonuisse Zwinglium, multi audiverunt, ac dixisse: *Zvvinglı, noli admiscere huic negocio Mathematica; sed relinquas & omittas in hujus causæ probatione: nec mysterium hoc per Physica aut Mathematica explices, sicut Athanasius inquit, quosdam carnem Christi χωμετρεῖν*; sed infecto negocio hac in re non absque magno multorum dolore ecclesiæque jacturâ discessum est.

Secuta sunt comitia Augustana anno trigesimo ubi nostri in maximo videbantur esse periculo; cum Cæsar *Carolus V.* cui multis seculis parem non habuit imperium Romanum, coram adesset, jam primum à Pontifice digressus & inauguratus; ubi verbis conceptis jurasset, perpetuum *se dignitatis Pontificiæ fore defensorem*. Rumor tum sparsus: *Cæsarem funditus novum hoc doctrinæ genus cum omnibus, qui id amplecterentur, deleturum, & exstirpaturum*. In magno igitur metu fuere omnes Evangelici: sed lætior fuit opinione & exspectatione hostium, Deo omnia ita dirigente, exitus. Principes enim, sinceram Evangelii doctrinam amplexi, cum civitatibus imperialibus, Theologos secum adduxerunt; inter quos primas tum tenuit *Melanchthon*, & post hunc *Brentius:* qui ut ad alia comitia omnia, colloquia, & conventus, in quibus de religione aliquid est actum, ita ad hæc quoque Augustana, à Principe *Georgio* Marchione Brandenburgensi, cujus præcipuè tunc constantia est spectata & laudata; quod in faciem apertè Imperatori dixerit: *vitam se potius & sanguinem fusurum, paratumque collum præbere carnifici, quam doctrinam & veritatem agnitam abjicere*, est adductus. Interfuit & *Erhardus Snepfius*, & alii Theologi; quibus fuit injunctum; uti summa doctrnæ capita scripto comprehenderent, Imperatori exhibenda. Hîc tum celeberrima illa doctrinæ confessio, ab urbe, in qua & scripta, & *Carolo V.* Augusto exhibita, nomen est sortita: quemadmodum olim *Nicenum Symbolum*, ab urbe *Niceâ*, in qua *trecenti octodecim* Episcopi contra *Arium*, à *Constantino* Magno Imperatore convocati, breviter fidei suæ confessionem fuere complexi.

Hæc confessio magnâ diligentiâ & gravissimis deliberationibus est conscripta; non solùm Theologorum præsentium, sed etiam *Lutheri*; qui quidem ab urbe abfuit in vicino oppido *Coburgi* de voluntate Saxonis; sed omnium fuit, quæ hoc in negocio agebantur, conscius. Hic certè cum in acie novaculæ omnia esse viderentur, virum se præstitit, & verè animo fuit invicto; quod vel ex his, quibus quosdam suorum trepidantes confirmavit, verbis apparet: *Si*, inquit, *piam & justam causam defendimus, cur Dei promissis non confidimus? Præter vitam hanc miseram Sathanas & mundus nobis eripere nihil potest. At vivit & in sempiternum regnat Christus; in cujus tutela consistit veritas. Is nobis aderit: is etiam causam hanc, quæ non nostra, sed ipsius est, ad optatum perducet finem.*

Confessionem illam cùm *Eccius* & *Faber* jussi essent refutare: palam testati sunt, *sacræ scripturæ testimoniis everti eam non posse*. Ne tamen si prorsus silerent, turpiter id darent: quædam arrodere tentarunt, *oppositis Patrum sententiis:* ut in speciem habere aliquid ex antiquitate viderentur; quod cum Evangelicorum pugnaret doctrinâ. Sed ea talia fuere; ut, ipsorummet *Episcoporum* judicio, lucem ferre non possent. Itaque, nullis precibus, ab Imperatore Protestantes exemplum illius confutationis impetrare potuerunt. Prælecta obiter est, nec unquam in lucem venit: verum principibus instantibus Cæsar tandem respondit: *sè quidem exhibiturum ipsis exemplum, sed eâ conditione; ne quid ejus divulgarent, aut excudendum curarent:* cum non ignoraret, tali conditione nunquam illos accepturos.

Confessio Evangel. refutata.

Confutatio occultata.

Durantibus iisdem comitiis, utriusque partis Theologi à quodam magni nominis Episcopo invitati; ut familiariter de quibusdam religionis controversiis conferrent: cum ad sanctorum invocationem esset ventum; Cochlæus hoc eam argumento, scripturæ testimoniis destitutus, adstruere est conatus: *quòd scilicet mater Ecclesia hac in parte esset audienda, cui hoc visum fuisset*. Ibi tum *Brentius* subjecit; *quid si Pater diversum præcipiat?* Hoc inexspectatum responsum ille indignè tulit; cumque manifestâ aliquâ ratione refutare non posset; aliquoties non sine aliorum molestiâ repetivit: *Pater, Pater, Pater.*

Colloquiū familiare de sanctorum invocatione.

Etsi autem tum & à Cæsare & ordinibus Imperii reliquis, qui Romanum Pontificem pro Ecclesiæ capite agnoverunt, *Confessio* ista sit rejecta, & dogmata Pontificis adserta, additis gravissimis minis, *se fortunas omnes conjuncturos, sanguinem etiam, vitam denique ipsam impensuros; ut huic negocio finem imponant*; Evangelici tamen fortiter & constanter in semel agnita veritate, Dei freti auxilio, perstiterunt, nec ullis minis se ab illa avelli sunt passi, rem omnem Deo commendantes.

Minæ in Evangel. Pontificiorum.

Idem cùm *Melanchthon Brentium* ad alium quendam Episcopum adduxisset, & dixisset: *Reverendissime Domine, hic habemus sacerdotem Lutheranum cœlibem*; hic illum collaudare & ad perseverantiam hortari. Cum verò se ad conjugium natum esse intelligeret de mutando vitæ genere, postquam è comitiis ad suos rediisset, cogitavit, & uxorem duxit, *Margaritam Graterinam*, honesta illius loci

Ducit uxorem Brentius.

loci familia oriundam, viduam, pietate & pudicitia insignem matronam; ex qua sex suscepit liberos: de quibus superstites relicti tres,

Liberi ejus

Sophia, nupta D. *Eberhardo Bidenbachio*, Abbati Bebenhusano: *Barbara*, quam duxit D. *Theodoricus Snepfius*, & Filius Patri cognominis Professor in schola Tubingensi.

Vlricus Würtemberg. reformat. Ecclesias. Et Acad. Tubing.

Postea cùm *Ulricus* Princeps Wirtembergicus avitum recuperasset ducatum: animum adjecit ad repurgandas Ecclesias ab omnibus Pontificiis quisquiliis, quibus ut aliæ ad jurisdictionem Pontificiam pertinentes, scatebant. Et cùm scholæ publicæ seminaria sint Ecclesiæ & Reipublicæ & fontes ex quibus doctrina sincera hauritur: suam quoque Academiam, qua fuit sapientia, reformare in animum induxit. Quam ad rem cum viro pio, prudenti, gravi, erudito, spectatæ fidei, perito, & rerum multarum experientia edocto, opus esse intelligeret: *Brentium* ad hoc negocium verè arduum delegit, ejusque operam à senatu Hallensi annuam legatis missis impetravit: atque Commissarium scholæ constituit, qui ipsius nomine & authoritate eam reformaret; & ordinaret. Hic cum scholæ Professoribus, *Camerario*, *Fuchsio*, & aliis, utiliter plurimas, quibus etiamnum utitur, ordinationes, leges, statuta, & quæ ad Reip. literariæ gubernationem pertinent, sapienter disposuit.

Operâ Brentii.

Gradus scholasticos defendit Brentius.

Ibi cum essent parum æqui literis, aut honorificè de *gradibus scholasticis* sentientes, prorsusque abrogandos dictitantes: gravissimè se illis *Brentius* opposuit, veterem Ecclesiæ consuetudinem, ostendens & historiarum & Canonum monumentis confirmatum: ne sine publico piorum & probatorum Doctorum testimonio, ulli ad docendum admittantur: & hoc modo, ordine disci artes, humano generi & vitæ utiles: excitari etiam ad majorem diligentiam juventutis ingenia, propositis laborum præmiis. Hoc modo illis persuasit; ut de sua cederent sententia, & apud Principem obtinuit: ut in Tubingana schola *renunciationes graduum*, *qui aliud non sunt*, *quàm publica eruditionis*, *pietatis*, *& virtutis testimonia*, remanserint. Nec id solum egit, verùm cùm esset φιλόπονος καὶ φιλομαθὴς *Exodum*, *Psalmum quinquagesimum*, & alia quædam, eodem anno enarravit in Tubingensi schola: pro concione etiam populum docuit toto isto tempore, quo ibi fuit. Interim nactus occasionem in *Astronomia* multa didicit: ut rectè disciplinas Mathematicas intelligeret. Elapso deindè tempore, de quo convenerat, ad suos rediit. Instituta postea fuêre annis XL. XLI. colloquia Theologorum de controversis articulis *Haganoæ*, *Wormatiæ* & *Ratisbonæ*, quibus unà cum aliis delectis interfuit. Quid effectum sit in eis, *Acta* publicè edita testantur. Anno XLIII. cum Mense Augusto D. *Paulus Constantinus Phrygio* in Tubingana schola Theologiæ Professor, & Ecclesiæ Pastor, ex hac ærumnosa vita emigrasset, de

Gradus scholastici quid.

Enarrat sacra Tubingæ.

Et discit Mathem.

Interest colloquiis Theolog.

Phrygionis obitus.

successore Dux *Ulricus* & scholæ proceres soliciti; post multas deliberationes, in hanc iverunt sententiam; decretâ legatione ex Aula & Academia, in qua tamen tum plerique in religione dissentiebant; revocandum esse *Brentium*; cujus antea fuerant experti virtutem, eruditionem, ingenium & industriam. Ejus igitur operam expetiverunt, & ut id bonâ gratia fieret, à senatu Hallensi precibus contenderunt. Verum negarunt illi: se ejus posse opera carere; neque ille gregem fidei suæ commissum, & vocationem pristinam deserere, sibi integrum esse respondit. Re igitur infecta, domum legati redierunt.

In ejus locum Brent. vocatur.

Sed frustrà.

Bellum Germ.

Exarsit postea in Germania bellum, funestum illud & semper communi patriæ acerbum. Nam cum anno *quadragesimo sexto* authoritate Imperatoris & reliquorum ordinum Imperii, mense Januario repetitum esset colloquium *Ratisbonæ*: ut si quoquo modo fieri posset, certamina religionis pacificè componerentur; eique interesset *Brentius*: nunciatâ morte *Lutheri*, magnos sibi spiritus sumserunt Pontificii, rati illo mortuo, de religione jam esse actum. Propositæ sunt conditiones de modo & formâ colloquii Evangelicis valdè iniquæ. Itaque abrupto colloquio, non amplius placidis mediis, sed bello dirimendum religionis dissidium adversæ parti visum. In hoc intestino bello Imperator *Carolus* superior evasit absque prælio, principibus discedentibus, & incruentam reportavit victoriam. Civitates quoque Imperiales Cæsari se dediderunt.

Mori Lutheri Pontificios animat.

Cæsar Halam Suevorum venit cum milite.

Ibi cùm *Halam Suevorum* venisset Imperator cum exercitu, sub anni *quadragesimi septimi* initium: etsi *Brentius* sperarat, impetraturum se à capitaneo, ut ne militum præsidia domum suam recipere cogeretur, tamen utprimum eò *Cæsar* venit, nonnulli satellitum rectâ in plateâ, in quâ *Brent.* habitabat, irrumpunt, & ubi non actutum aperitur, vi fores effringunt. Hæc dum fiunt redit domum *Brentius*, reperitque milites ædes non manibus, sed pedibus ac bipennibus, quas *halabardas* vocamus pulsare. Ibi unus militum, cùm videret eum domus incolam esse, arreptâ bipenni pectori *Brentii* mucronem obvertit; seque illum, ni mox aperiant, transfixurum verbis gestuque minatur. Januâ itaque statim apertâ, aliquam multi irrumpunt: quibus, ut habebat, esculenta, & poculenta proponuntur. Interim *Brentius* literas & chartas in pluteos conjicit, serisque occludit. Sed cùm ferocire milites inciperent: necesse habuit familiam subducere; quam ipse per posticum è vestigio est subsecutus.

Brentii ibi periculum.

Sequenti die venit *Halam* quidam Hispaniensium Episcopus, cum comitatu suo & asinabus. Hic ejectis illis militibus domũ *Brentii* occupat: in bibliothecam ejus invadit, scrutatur chartas omnes, & literas, effractis etiam pluteis, & singula excutit. In illis inventæ literæ bellicis de rebus ad amicos; quæ ei periculũ crearunt maximum. Accesserunt & conciones,

Ædes Brentii ab Episcopo occupatæ. Bibliotheca excussa.

quas

quas belli tempore habuerat: *defensionem illam justam, non esse violationem fidei, alioqui non posse eos Dei auxilium invocare.* Hæc ad Cæsarem delata, & ut fieri solet, exaggerata, extremis ipsum exposuerunt periculis. *Brentius* itaque primùm cum suis in Xenodochium divertit. Postea cum senatus eum defendere non posset, in altissimam turrim se abdidit, illicque aliquantisper latitavit. Tandem urbe egressus die *Thomæ* Apostoli sub vesperam, relicta uxore, cum sex liberis, alienis indutus vestibus, per medios Hispanos salvus evasit, & ferè totam noctem, uno saltem comite, in agris oberravit.

Fuit itaque tunc non in nullo periculo, propter conciones à sa habitas potissimum, & literas, sed exitum tamen Deus ei dedit felicem. Nam paulo post Cæsare digresso, ipse *Halam* rediit, & officium, sicut antea fecit.

Sequente anno, *quadragesimo octavo* Cæsar devictis partim Principibus, partim captis, religionis negotium componere pro arbitrio instituit, parato adhoc per quosdam notos logodædalos libro, quem ordinibus Imperii omnibus proposuit, ac vehementer ursit, ut ab omnibus reciperetur. Videbatur is liber, qui jam olim etiam in hunc finem & usum sub incudem erat vocatus, viam monstrare ad pacem, tranquillitatem, & concordiam Germaniæ, & quædam nonnihil in illo puriora esse, quàm in Papatu docentur. Sed revera abnegatio sinceræ religionis, & reditus erat ad Papismum, cujus errores plerique, Idolomania multiplex, adeoque ceremoniæ omnes illic continebantur, & stabiliebantur. Varia de hoc libro, quem *Interim* vocarunt, dicta, scripta, picta, adeoque decantata sunt.

Ibi cum passim doctorum judicia à magistratibus requirerentur: *Brentio* quoque & Collegæ ipsius *Isenmanno* est exhibitus, ut suam de illo exponerent sententiam, quod etiam bonâ fide, apertè & candidè fecerunt. Damnarunt enim librum impietatis, cumque tota sacra scripturâ & fidei analogia, & doctrinam & ceremonias in illo scripto pugnare ostenderunt: Ideoque se nequaquam probare posse, neque unquam, quamdiu vivant, recepturos, sed potius vitam profusuros per Dei gratiam. Quod postquam Cæsar resciit, commissarium *Halam* misit, cum mandatis, ut vel vivum, vel mortuum Brentium abduceret, quòd hunc inter primos esse judicaret præcipuum, qui sua authoritate alios confirmare posset, ideoque plurimum referre arbitrabatur, si è medio esset sublatus. Fuerunt autem tum non vulgares, sed sapientia pollentes, qui hæc omnia *inscio Imperatore Carolo* fieri judicabant, per alium quendam qui autoritate apud Cæsarem valebat plurimum, cujus & consilio *Augusta* concionatores ejecti, & *Vlma* captivi sunt abducti.

Commissarius hic Cæsaris cùm *Halam* venisset, initio dissimulare omnia, & *Brentium* ad se invitare, ac benignè tractare cœpit. Deindè clam abducere, jam in hoc paratis equis, tentavit. Sed cum hoc non succederet, senatum civitatis convocat, eumque juramento adstringit, ut nihil illorum ullo modo, quæ ipsis sit propositurus, enuncient. Quo præstito ab omnibus exponit se in mandatis habere, ut Ecclesiasten *Brentium* secum abducat, quod si sua sponte illum sibi tradant, benè, & Imperatori rem ipsos gratam facturos, sin minus, sensuros iratum, qui oppidum sit oppressurus & alias horrendas minas addit. Accidit autem tum, Deo ita disponente, ut unus ex ordine senatorio tardius, jam præstito juramento, adveniret: cum legatus Cæsaris totus in hoc esset, ut persuaderet senatui, non curavit seriùs advenientem, nec juramentum ab illo exegit. Misso jam senatu ille è vestigio schedam scribit, hisce verbis: *Fuge, fuge, Brenti, citò, citiùs, citissimè.* Quæ scheda cum illi esset oblata per *Isenmannum*, amicum fidissimum, sedenti in cœna, cum uxore & liberis ipso Joannis Baptistæ die, statim de mensâ surrexit, negotium quoddam simulans, quo peracto mox sit reversurus, & egressus est comitante ipso *Isenmanno.* Non procul à portâ obvium habuit illum commissarium, qui interrogavit, ecquorsum sit abiturus? respondit Brentius, *esse in suburbio amicum ægrotum, quæ suam expetat præsentiam. Benè est*, inquit ille, *cras, ut convenit inter nos, mecum eris in prandio*: subjecit Brentius, *Deo volente*: atque ita abiit, incertus quò se conferret.

Monitus fugit.

Rursum igitur fugâ susceptâ latebræ, perinde ut *Athanasio* olim, quærendæ fuerunt. Interdiu in sylva quadam densâ latitavit, sub crepusculum vespertinum prodiit ad suos, qui in pago quodam ignoti agebant, hospitium præbente viro nobili. Manè sub auroram latebras suas repetivit, ne à quoquam conspiceretur, idque ab ipso septimanis aliquot est factitatum. Quod itaque fugâ sibi consuluit in summo vitæ discrimine positus, nullam meretur reprehensionem: sed in eo Salvatoris nostri secutus est mandatum, præsertim cùm non universalis esset persecutio, sed ipse solus ad necem quæreretur, reliquis symmystis extra periculi aleam constitutis, quo in casu Augustinus quoque fugiendum docet.

Latet in sylva.

Interea *Hallensibus* operam suam denuò obtulit, si aut vellent, aut possent eâ uti, paratum se ad officium faciendum, nec deserturum Ecclesiam fidei suæ commissam. Sin res cùm periculo conjuncta, nolle se, ut suâ causâ periclitentur. Referunt illi, negantque integrum sibi eum retinere; sua venia sibi suisque alibi, quocunque posset modo prospiceret.

Hospitium itaque illi oblatum est ab *Vlrico* Duce Wirtenberg. qui, sicut Abdias, *Brentium* abscondit, officiis omnibus juvit, occultarique ab intimo quopiam suorum, se inscio, voluit, ut si quando quæreretur, verè *ignorare se*, confirmare posset. Et verò prudenter id factum. Cum enim sub id tempus pius quidam in arce Wirtenberg. præfectus ageret: qui vicinos Pastores ad se evocabat, suspicio frequenter primum, mox, ut fit, ex suspicione rumor

Hospitium à Wirtembergico oblatum.

rumor subortus est: *Brentium illic latitare*; quem ministri salutatum accedant. Id ubi cuidam, qui omnia Cæsaris agebat nomine, renunciatum esset, illico commissarium cum mandatis ad ducem misit, qui è locis vicinis, militum manum, sicut tunc passim præsidia Hispanorum in agro Wirtembergensi erant, intempestâ nocte cogit, arcem circundat, ipse rectà ad Principem *Vlricum* contendit, & noctis concubio, Cæsaris jussu, Principis colloquium poscit. Princeps eo cognito, exponere mandata jubet. Ille significat, inaudisse Cæsarem, quendam hostium suorum in arce Wirtembergicâ latitare, velle itaque, ut nullâ interpositâ mora arx aperiatur. Princeps eo cognito, suum à secretis, qui solus rei erat conscius accersit, interrogatque: *num illic Brentius esset, nec ne* negante eo; iterum quærit: *certone sciat?* illo affirmante; permittit Princeps, ut Legatus arce apertâ quærat, si quem inveniat. Fuit autem tum temporis Brentius non in arce Wirtembergicâ, sed *Wittlingensi*, ubi commentatus est in *Psalmum nonagesimum tertium*, & tunc quidem cùm ad necem quæreretur, securus dormivit.

Iterum quæritur.

Basileam abiit.

Postea in loca tutiora, *Basileam* nempe, se contulit, Principe sumtus suppeditante. Humanissimè autem & perbenignè ibi, cum familiâ, est habitus. Sed, ut calamitas nulla est sola, cùm uxor *Margareta* ibi, longa tabe consumta, diem suum obiisset, & alia cum liberis ineunda ratio esset, in extrema Ducatus Wirtembergici orâ, & sylva Hercyniâ, in arcem, supra oppidum *Horrenbergum*, cum liberis est translatus. Ibi mutato nonnihil habitu præfectum se arci venditavit, & mutato nomine, Huldrich Engster se appellavit: Hebræo æquivalens Germanicum excogitans, & cognomine vernaculo Græcum aptans ἰγκαυστὴς, deflexâ leniter voce, ut Germanicum sonaret.

Mox alibi.

Mutat nomen.

Hoc in loco dum præfectum simulat, cùm conciones sedulo frequentaret, modeste Pastorem aliquando ex vicinio pago *Guttachio* defuncto oppidi Pastore eo translatum, aliàs bonum & pium virum, admonuit: *ne conciones ita protraheret*; ille nonnihil vel molestè ferens se à præfecto officii admoneri, vel ut joco luderet, respondit. *Vobis præfectis omnis mora in templo est molesta, sed non æquè in sympositis:* subrisit Brentius grataque ipsi fuit Pastoris παῤῥησία: & se præfectum haberi. Nec tamen per omnia benè potuit simulare præfectum. Nam nec more plerorumque istius farinæ hominum diras execrationes & blasphemias nominis divini evomere, nec compotationibus ad æquales haustus indulgere, aut similia facinora egregia patrare solebat, quod alii multi sibi permittunt. Ideoque cives illius oppidi varia de hoc præfecto etiam cogitabant & loquebantur.

Præfectum simulat.

Sed non ita benè.

Accidit postea, ut hic ipse Pastor lethaliter decumberet; ibi *Brentius* illum ex officio, quasi vicinitatis, & tanquam suum Pastorum humanitatis causa invisit, quod multas ex ipso audivisset salutares conciones, easque repetivit, & ut jam se ipsum iis, quibus alios solitus sit, consolaretur, admonuit. Quibus Pastor auditis erupit in hæc verba: *ô Domine, non es verus præfectus, quamvis studiosè simules, quicunque tandem sis.* Ibidem hic noster præfectus causas Politicas nullas cognovit, ab ejusmodi oneribus immunis, & privilegio quodam Principis exemptus, tantum nomine præfectus, meditationibus piis & scriptionibus operam dedit. Illic enim commentarios in *Iesaiam* Halæ cœptos, feliciter in solitudine absolvit: illic etiam *Catechismi explicationem* scripsit, quâ errores Pontificios & interimisticos plerosque non solum detexit; sed ex fundamentis sacræ scripturæ refutavit, suam confessionem edidit, ecclesiamque tempore tristissimo confirmavit.

Commentatur felicius præfectus.

Interea maximis stipendiis vocatus est à *Magdeburgensibus*: à Rege Angliæ *Eduardo* amplissimis promissionibus; à Duce Borussiæ *Alberto* Brandenburgico seniore, Episcopatum offerente: sed moveri se passus non est, quantumvis splendidis & amplissimis stipendiis & muneribus, ut propter pecuniam exteris potiùs, quàm patriæ operam suam adderet. Nec quicquam lucri aut commodi sui gratiâ, facere voluit; sed munera etiam verè Regia respuit, atque vel hoc suo exemplo, egregiè *Politicorum Sycophantarum* quorundam calumniam refutatum ivit, qui perpetuò in ore habent: *Theologos avaros, lucripetas ministros ecclesiarum*, ipsimet inexplebiles & rapacissimè Harpyiæ.

Vocatur à diversis.

Sed frugi.

Alterà respuit.

Calumnia in ministros.

Biennium itaque in exilio, variâ fortunâ jactatus, & incertis vagatus sedibus, cùm nullius sibi criminis conscius esset, propiùs *Tubingam* accessit, & ad *Ioannem Molitorem*, pastorem *Megerkingensem*, in locum ab hominum commercio remotum, sub autumnum anni *quinquagesimi* se contulit, quo Dux Wirtembergicus *Vlricus*, mense Novembri, fatis concessit. Huic cùm filius *Christophorus*, succederet, statim initio gubernationis de instauratione ecclesiarum suæ ditionis consilium cœpit, & *Brentium*, ut communicatis cum ipso sententiis, rectè omnia fierent, ad se vocavit. Nec verò clam id habuit Princeps, sed in arce suâ *Stutgardiæ* palàm eum fovit, & ecclesiis passim idoneos ministros præfecit: qui dispersos *Interimistico* tempore greges colligerent. Ab hoc pio instituto etsi multi Principum atque Episcoporum eum dehortarentur, ne sibi suisque periculi quippiam repudiato *Interim*, ejectisque sacrificulis, crearet, tamen fortiter in proposito perstitit, nil curans minas, nil diras, nil præsidia tum *Augustæ*, tum in Wirtembergici Ducatus oppidis, & arcibus imposita: sed cùm in *recessu*, ut vocant, *comitiorum* Imperialium præcedentis anni, perscriptum esse: ut *si quid Imperii ordines haberent, quod ad pacem & concordiam facere judicaretur, concilio proponerent*, conscribi *Confessionem à Brentio* voluit, *de præcipuis doctrinæ Christianæ & capitibus controversis*, concilio offerendam. Fecit id *Brentius* ineunte anno *quinquagesimo primo*: quo idem

Vocatur à Christoph. Wirtemb.

Qui interim repudiat.

Confessionem imperat conscribi. Factum à Brentio.

Prin-

Princeps, cùm omnium esset Ministrorum Confessio; &, uti solebat dicere, *viderent oculi*, quod non videt oculus, convocavit præcipuos suæ ditionis Theologos, quorum selecti fuere *decem*: ut consilia inter se conferrent. Isti igitur per aliquot dies Confessionem illam *ad analogiam fidei, & ad scripta Prophetica atque Apostolica*, examinarunt, suaque subscriptione approbarunt.

Brentius sub idem tempus ad secundas transiit nuptias, cum *Catharinâ Isenmanna*; virgine lectissima, quæ deinde per omnem vitam ipsum, jam annis gravem observavit, seduloque fovit. Neque enim Pontificum curavit, de sacerdotum vel conjugio vel digamia, decreta, cùm digamus non sit, qui priori mortuâ, alteram, ut caste vivat, ducit. Suscepit hoc in conjugio liberos *duodecim*, & superstites ex iis reliquit decem.

Confessio autem illa, de qua paulò ante, Synodo *Tridentinæ* est exhibita, à legatis Ducis Wirtembergici, * *Theodorico à Pleningen* & *Ioanne Heclino* Jureconsulto; quos subsecutus est *Brentius*, anno *quinquagesimo secundo*, cum aliis tribus Theologis, ut publicè in concilio, aut Confessionem synodo oblatam defenderent, aut decreta jam facta contraria refutarent. Hæ enim duæ viæ à Wirtembergicis legatis, cùm de modo procedendi interrogati essent à Cæsareis oratoribus, fuerunt propositæ, quod illi ad Patres se relaturos promiserunt. Verùm à Patribus illis nullum extorqueri potuit responsum: nec auditi sunt Theologi Wirtembergici, imò ne vocati quidem unquam, neque hoc ab ipsis impetrari precibus ullis potuit. Itaque dilapsis metu Italis Episcopis & aliis, ipsi quoque venia petita & impetrata domum redierunt; nec id sine periculo. Nec enim ignotum est, quid in *Constantiensi* concilio acciderit, & Patres de Pontifice Romano Theologis illis cavere noluerunt, qui concilio longè est superior, docetque *hæreticis* quos ipsi vocant, *fidem servandam non esse*.

Falsum autem est, quod apostata quidam, edito libello Germanico *de absurdis Lutheranorum*, scribere non dubitavit, se ex ore *Brentii* & *Valentini Vanniii* qui & ipse ad concilium missus, audivisse: *Wirtenbergicos nunquam, etiam à Patribus vocatos, comparere publico in confessu voluisse: nec Brentium unquam voluisse congredi; donec elector Saxoniæ Mauritius vi armatâ Oenipontem pervenisset, faucibus Alpium perruptis. Præterea Cardinalem Tridentinum multa ibidem in Brentium contulisse beneficia.* Certum est enim, & ex annalibus notum, arce *Erenberga* decimo octavo Maji captâ à *Mauritio*, postea illum demum venisse Oenipontem. Cardinalis autem Tridentinus, toto illo tempore, quo Tridenti Wirtembergici fuerunt, abfuit, sed cùm in reditu Wirtembergicis fortè occurrisset, celeribus equis Tridentum contendens; ubi Wirtembergicos esse inaudisset, de Brentio percunctatus, humanissimis eum verbis compellavit, ampliùs verò nihil.

Sequenti hyeme è vitâ excessit Præpositus ecclesiæ Stutgardiensis, qui ab eo, quo *Vlricus* Dux ditionem suam recuperarat, abfuerat Elvvangæ. In ejus ergo locum suffectus est *Brentius*, commendatâ simul inspectione Academiæ Tubingensis. Hoc in officio ad vitæ usque finem singulari vigilantiâ, prudentia & dexteritate, non sine incremento scholæ, & ecclesiarum Ducatus Wirtembergici, est versatus, concordiam inter ministros diligenter & officii ratione graviter conservavit, ac pro concione tum alia, tum *Pentateuchum Mosis*, *Matthæum* item & *Marcum* evangelistas enarravit. Sub id tempus F. *Petrus à Soto* Hispanus *Dillingæ*, oppido vicino, confessionem nomine suæ Ecclesiæ Catholicæ edidit, scholiisque additis Tubingensium confessionem, synodo exhibitam, deformare conatus est. Huic *Brentius* è sacra scriptura, & Patrum scriptis Apologiam opposuit, qua Protestantium doctrinam ita adseruit, contra Pontificiorum dogmata, & concilii illius decreta ita destruxit, ut vel cæcus Pontificiam idololatriam, erroresque verbo Dei damnatos palpare possit, & quod tum, si admissi & auditi Wirtembergici fuissent, coram in faciem dixissent, id scriptis illis editis toti Imperio & ecclesiæ est propositum.

Præpositus Stutgard. Brentius.

Petrus à Soto contra evangelicos scribit.

Refutat eum Brentius.

Anno deinde *quinquagesimo septimo*, de ordinum Imperii consensu, colloquium, idque postremum, *Wormatiæ Vangionum*, de controversiis ecclesiasticis, præside *Iulio Pflugio* Episcopo Naoburgensi, est institutum. Ad id *Brentius* quoque à Principe suo *Christophoro* est missus. Sed cum *de judice controversiarum in Ecclesiâ mota esset quæstio*, & Evangelici *sacram scripturam* normam judicii esse responderent, adversarii verò *consensum perpetuum* judicem esse contenderent, abruptum est colloquium Pontificiorum culpâ. Nam quod alii obtenderunt, Evangelicorum dissidiis id dissolutum esse, frivolum est. Petiverunt quidem sub initium colloquii Pontificii, ut condemnationes fierent ante congressum, sed à nostratibus responsum est, se in progressu colloquii in singulis articulis damnaturos esse non rectè sentientes, & quidem initium ab ipsis facturos, deinde ad alios quoque perventuros.

Colloquii Wormat. Ad id missus Brentius. Iudex controversiarum ecclesiæ quis. Cur abruptum id colloq.

Cùm autem *bellum Sacramentarium* illis temporibus recruduisset, *Brentius* non solùm eâ de controversiâ confessionem edidit, sed & adversariorum *Zvvinglianorum* dogmata refutavit, fundamentis *Lutheri* ex scripturâ, ab *unione personali*, & *communione idiomatum*, non verbali, sed reali; *à sessione Christi hominis*, per unionem facta, *ad dextram æterni Patris*, repetitis.

Confessio Brentii de cœna.

Circa eadem tempora gliscere cœperunt odia & simultates inter Principes Regni *Galliæ*, Rege propter ætatem nondum inaugurato. Dissidiis itidem super religione inter illos ortis, res ad motus spectare videbatur, sicut eventus declaravit. Expetitum autem fuit tunc à *Cardinale Lotharingo*, & fratre *Guisio*, quorum præcipua erat authoritas & potentia in Galliis, colloquium, cum Principe *Christophoro*, Duce Wirtembergico.

Addu-

Colloq. Tabernis Alsaticis indictum.

Adduxit ergo *Tabernas Alsaticas*, conventui isti dictas, Theologos quosdam, & in iis *Brentium*, sed quo consilio, incertum. Varia fuere postea à multis sparsa, omnium rerum ignaris, & conjecturas saltem secutis, propterea, quòd statim postquam proceres Galliæ à colloquio digressi essent, grassari in adversarios suos cœperunt. Hoc sanè extra omnem est dubitationem, *nec Principem, nec Brentium crudelis consilii alicujus fuisse auctorem, qui propter errores doctrinæ noluit cum Augustino in quenquam sæviri*: id quod testatus est in præfatione libri, paulò pòst editi, cui titulum fecit, *Recognitio*: quam hoc consilio scripsit, ut se siniströ illâ suspicione liberaret.

Psalmos enarrat.

Accrescentibus deinde annis, & ætate in senium vergente, ne ociosam prorsus & ignavam ageret senectam, ad alia jucundiora se contulit studia, *Psalmorum* dico *enarrationem*, & cum eorundem auctore cecinit: *Laudabo Dominum in vitâ meâ; Psallam Deo meo, quamdiu fuero*: cujusmodi meditationibus senectutis levavit tædium ac molestiam. Cumque in *Wirtembergico Ducatu* aliquot essent *monasteria*, monachorum olim latibula, de consilio *Brentii* ea Dux *Christophorus* convertit in scholas, in quibus juventus artibus dicendi, linguis & Theologiæ Principis imbueretur, & ad studia sublimiora præpararetur, earumque curam atque inspectionem *Brentio* demandavit. Singulis itaque annis bis singula obire monasteria fuit solitus, atque profectus discentium explorare. Et ut accenderet teneros animos ad pietatis studium & sacrarum literarum amorem: Psalmos in singulis enarravit.

Monasteria in scholas conversa.

Earum cura Brentio concredita.

Hic ipsius labor cùm non posset non amicis probari, rogatus ab iisdem, *Psalterium*, quantum per Principis & Ecclesiæ negocia licuit, explicandum, ac brevi & perspicuo *commentario illustrandum* suscepit, seque vitam cum Psalterio finiturum dixit, uti & factum. Pervenit enim anno mortem ejus prægresso, ad *Psalmum* usque *centesimum septimum*, in cujus commentatione cum sederet, scriberetque; subitò concidit, sed tamen postea se iterum collegit, cœpitque meliusculè habere.

Verùm ab eo tempore viribus exhaustus, laboribus confectus, gravis senectâ, quæ ipsa morbus est, & ad quam, ut ipse dicere solebat, tanquam ad aram omnia mala concurrunt, summum accepit dolorem ex immaturâ Principis sui * *Christophori* morte, cujus vitam ipse suâ vitâ & fortunis, si fieri posset, se redemturum confirmavit. Tandem febrili ardore die *Augusti decimâ septimâ* correptus, indies pejus habuit: unde facilè intellexit, vitæ suæ finem haud longè abesse. Quod igitur Dominus Deus *Hiskiæ* Regi per *Iesaiam* Prophetam præcepit; ut testamentum conderet, id sibi dudum *Brentius* dictum existimavit. Annis enim *quatuor* antè scripto est de suâ voluntate, idque suâ manu, testatus. Sed non more filiorum seculi hujus; qui de caducis potissimum agunt, verùm, ut pium & primarium Ecclesiæ doctorem decet, *de fide ac religione suâ*; in qua finire vitam hanc, & ad Filii Dei tribunal accedere vellet, est contestatus. *Hanc autem esse, quæ in sancta Prophetica & Apostolica Canonica scriptura, tribus symbolis, Apostolico, Nicæno, & Athanasii contineatur. Agnoscere se quoque & amplecti concilia, & scriptores Ecclesiasticos, quatenus cum illis consentiant. Sed tamen dissimulare non posse, in his contineri, quod cum illis pugnet. Præterea Augustanam confessionem se per omnia probare, & hanc esse suam quoque. Sentire se cum Lutherò. Et sua scripta testari, quæ sua fuerit, & sit fides, religio, & confessio, in qua etiam ex hac vitâ, Dei adjutis spiritu, constanter sit migraturus. Damnare autem se omnes hæreses, & fanaticos, qui ab ea doctrinâ dissentiant, inprimis Zvvinglianos, à quibus toto pectore abhorreat; quòd Spiritu mendacii & homicidii agitentur: ideoque se omnes hortari, ut sibi ab illis caveant, & collatis operis pro virili singuli hoc dent operam, ut arceantur.*

** Christoph. Dux Wittemb. anno 1568. d. 28. Dec. ætat. 54.*

Testamentū condit.

Fides & religio vera.

Testamentum hoc suum paucis ante mortem diebus, cum jam decumberet, à filio in præsentia ministrorum Ecclesiæ Stutgardianæ omnium, quos ad hæc peculiariter convocarat, prælegi & recitari, ejusque hos testes esse voluit. Postea privatam peccatorum suorum Confessionem edidit, ac petita & impetrata absolutione, *Eucharistiæ* sumtione fidem suam confirmavit, & viatico hoc instructus, ad iter se accinxit.

Vitur Cœna sacra.

Multis quoque symmystas ad consensum in doctrina & concordia est cohortatus, addita hac prædictione, *si locum admonitioni essent daturi, Deum laboribus ipsorum adfuturum.* Et hoc voluit sui esse μνημόσυνον omnibus illius Ducatus ministris: idque Psalmo confirmavit: *Ecce quàm bonum & quàm jucundum, habitare fratres in unum*: additditque eum se, vitam Deò prorogante, publicè enarraturum, sin Deo aliter visum, rogavit; alii ut suo id facerent loco.

Hortatur collegas.

Patientia in morbo.

Toto morbi tempore nullam non modò vocem, sed ne quidem signum impatientiæ ullum edidit, verum interrogatus *de valetudine & morbo*; respondere solitus est, *se meliorem*, sempiternam scilicet *appetere & desiderare vitam*. Liberos natu minores, Filio Doctori *Ioanni* commendavit, de cujus fide non dubitet, ideoque de illis se amplius prorsus non esse solicitum.

Mors quoque ipsa, ut valde optata illi, ita placida fuit, sicut totius vitæ mores suaves & elegantes. Die enim solis, quæ fuit *decima Septembris* circa pomeridianam *sextam*, in valdè dulcem incidit somnum, qui duravit usque ad horam matutinam *tertiam* sequentis diei Lunæ, ubi accessit, ut putatur, species apoplexiæ, quæ à medicis metuebatur semper, quam excepit profundus admodum sopor, qui duravit usque ad *duodecimam* ferè. Postquam evigilasset, *Symbolum Apostolicum* à ministro ecclesiæ est recitatum, audiente & intelligente ipso.

Finita

Finita recitatione interrogatur, *num in hac fidei confessione constanter ex hac vita esset emigraturus?* disertè respondit *Ja!* ita. Postea vocem amplius edidit nullam; sed absque omni perturbatione, aut motu vehementiore, cœpit paulò pòst animam agere, Deoque creatori, & salvatori unico Christo, cui fideliter per annos quinquaginta in vinea ipsius servierat, eique commendaverat, circa *primam* pomeridianam reddidit, completis *uno & septuaginta annis*, mensibus *duobus*, diebus *septendecim*, relicto suis ingenti sui desiderio. Moritur.

Sepultura. Sepultus est Stutgardiæ in templo collegiato, medius inter duos comites, non procul à cathedra, è qua Evangelii doctrinam gregi suæ fidei commisso, annos circiter *octodecim* magna cum gravitate, authoritate, & utilitate proposuit: funus efferentibus sex Ecclesiarum ministris; & comitantibus vicinis Pastoribus plurimis, aulicis omnibus, qui tum in oppido, Magistratu oppidano, & civium innumera multitudine, non absque lacrymis, Pastori suo postremum pietatis officium præstantibus.

Monumentum. Apposita ibidem tumulo elogia hæc leguntur, primum sub imagine ipsius Brentii:

Voce, stylo, pietate, fide, candore probatus
Joannes tali Brentius ore fuit.

Deinde in Tabulâ:

» Joannes Brentius natione Suevus, patria » Wilensis, Theol. clarissimus, Ducum Wir- » tembergensium Consiliarius, inter primos » repurgatæ Ecclesiæ instauratores fuit. Scri- » pturas Propheticas & Apostolicas in scho- » lis, sacris concionibus, comitiis Imp. » Rom. & lucubrationibus suis illustravit ac » propugnavit: confessionis causa exilium » constanter tulit, consiliis Ecclesiam & com- » munem patriam juvit, vitæ innocentia » professionem ornavit. Et cùm in hoc suo » curriculo quinquaginta & amplius annos » magno Ecclesiæ commodo elaborasset, pla- » cidè in Christo obdormivit, & summo » piorum omnium luctu hic sepultus est, » anno Dom. 1570. mense Septemb. die 11. » cùm vixisset annos 71. menses 2. dies 3.

Virtutes. Fuerunt in hoc viro virtutes egregiæ: illustris *Dei agnitio*, quâ ipsum ex verbo agnovit, sicut in illo Pater cœlestis se patefecit, edita promissione de filio Mediatore, cum Spiritu Sancto, quo illustratus sicut eum agnovit, ita & publicè confessus est. Præditus fuit *dilectione Dei & Ecclesiæ*, pro qua toties de vita est periclitatus, quam profundere paratus fuit pro fratribus. Deum, quem verè timuit ex verâ fide, variis jactatus casibus instar Davidis, invocavit: non semel, sed multoties miris modis servatus est & liberatus. In gubernatione Ecclesiæ, vigilans, prudens, futura prospiciens, præsentibus malis remedium facilè inveniens. In dijudicationibus dogmatum, nequaquam exemplo multorum præceps, sed valdè circumspectus. Nec facilè pronunciare solebat, sed prius rem omnem & totum negocium per circumstantias, & mentem illorum, de quibus ferenda erat sententia, & pronunciandum, cognoscere & inquirere summâ diligentiâ studebat. In confessione constans, nec facilè rumoribus credens, in periculis magno & infracto animo, quo alios perturbatos erigebat consolationibus à Dei præsentia sumtis, & longâ temporis experientia, ubi rebus desperatis propemodum, sæpè ex improviso Deus opem tulisset. In adversis patiens, omnibus quibus cum vixit, gratus, summis, æqualibus, inferioribus; in congressibus familiaribus mansuetus, humanus, sermo ejus sale, non atro illo, sed candido fuit conditus. Ac more vetustatis eruditæ, multa per Apologos graviter dixit, deque rebus arduis sæpè admonuit.

Pietas in parentes. Pietatem in parentes singularem edidit, dum ἀνθ' ἑστίας reddidit, non corporalia illa quidem, sed spiritualia, panem dico qui de cœlo descendit, & dat vitam hominibus Filium Dei, quem illi, non tam audito suo filio, quàm voce verbi divini, quod ipsis enarrabat, firma fide apprehendentes, in vera Redemtoris unici Jesu Christi agnitione, valere jussis idolomania, erroribus & superstitionibus Papatus, ex miserâ & ærumnosâ vitâ in cœlestem patriam migraverunt. Atque hac de causa non in loco consueto, ac à Pontificiis consecrato; sed extra oppidum in agro, absque ullis sacrificulorum ceremoniis abjecti & sepulti fuerunt.

Statura. Corporis statura fuit egregia & procera; firma valetudine usque ad grandævam senectam: latera habuit firma, unde & vox sonora & gravis. Nunquam decubuit aliquo morbo, nisi erysipelate: quod malum ipsi familiare fuit.

Scripta. Scripta ejus varia *Tomis octo* comprehensa diversis temporibus prodierunt, in quibus quæ contineantur elenchi librarii indicant. *Et hæc de J. Brentio ex oratione parentali habita à Jacobo Herbrando D. Theol. Sleidani Commentariis: Chytræi Saxonia: Crusii annalibus Suevicis: Epistola Brentii de exilio suo.*

JOACHIMUS MORLINUS.

© 1571. mense Jan. ætat. 57.

Joachimum *Morlinum* ephemerides editum produnt, anno à Christi natali, *millesimo quingentesimo decimo quarto*, die *sexto Aprilis*, dimidiâ hora post sextam matutinam. Ad publica auditoria adolescès cum aptus videretur, fundamentis nempe jactis, *Athenas* illas Saxonum *ad Albim* venit: temporis ibi & operæ precium, in literarum quâ sacrarum, qua philosophicarum studio, fecit. Docuit deinde variis in locis, *Wittembergæ* primum, postea in patriâ *Lutheri*, in patria item *Joannis Bugenhagii* Pomerani, diaconi atque subministri officio functus. Deinde idem fecit de consilio ac voluntate Lutheri *Amstadii & Gottingæ* pervetusto Saxoniæ oppido sub annum Christi *millesimum quingentesimum quadragesimū*, collega *Bartholomæo Wolfarto*: postea quoque *Sleusingæ* comitatus Hennebergici oppido, præter alia, Principum sede & ludo, celebri.

Wittemb. venit.

Docet ibidem. Item Islebii. Et Julini.

Sleusingæ.

Vocatur in Borussiam.

Sopito bello Germanico in *Borussiam Regiomontium* vocatus, ubi Princeps *Albertus* haud ita pridem scholam publicam aperuerat: incidit in συρράξιν illam insolentissimam, quam super articulo gravissimo *de justificatione hominis peccatoris coram Deo*, movit inquies ingenium Andreæ Osiandri, circa annum *quinquagesimum primum*. Eo in bello Theologico *Morlinus* ferè solus aciem sustinuit, coarguendo, tum concionibus tum scriptis, illius καινοφωνίαν. Catastrophe dissidii hæc fuit: ut cum neutra pars remittere ac concedere aliquid de sententia vellet; *Morlinus* exeunte anno *quinquagesimo secundo* fuerit dimissus; etsi plebs ad Principem pro eo supplex intercederet: Osiandro, qui Principis senis animum occuparat, in soho remanente.

Osiandri controversia.

Eam impugnat Morlinus.

Dimittitur invita plebe.

Brunsuicensi ecclesiæ præficitur.

Martinus Gerlicius.

Nicolaus Medlerus.

Ob insanum itaque illud dogma *Morlinus* exul in Germaniam reversus, *Brunsuicensi* Ecclesiæ docendæ regendæque fuit præfectus, collega *Martino Chemnicio*. Et fuit ea in urbe primus Antistes olim *Martinus Gerlicius*, collega *Henrico Winckelio*: alter, cùm *Gerlicius* Jenam rediisset, *Nicolaus Medlerus*; cui tertius hic successit *Morlinus*: *Morlinum* secutus est *Chemnicius*; & hunc *Polycarpus Lyserus*. Brunsuigæ ergo dum Ecclesiasten agit; variæ, ut *nullum ferè seculum feracius fuit Theologicarum rixarum, quam superius*, excitatæ fuerunt, super variis capitibus religionis controversiæ, utpote *de necessitate bonorum operum: de libertate voluntatis humanæ: de Adiaphoris*; *de particula sola in enunciatione illa:* Fide justificamur, & de aliis. Harum causa plerisque conventibus actionibusque institutis interfuit Morlinus.

Seculum decimum quintum ferax controversiarum.

Revocatur in Borussiâ. Fit Episcopus.

Anno autem *sexagesimo sexto* è Brunsuicensi Ecclesia in Borussiam revocatur; ac *Sambiensis* Ecclesiæ à *Sigismundo Augusto* Rege Poloniæ, & *Alberto* illo, seniore duce, in viam reducto, Episcopus creatur: quo in officio ad vitæ usque exitum permansit; atque tempus omne tum publicè docendo, tum domi commentando consumsit. Anno *sexagesimo septimo*, Regiomontii *Synodus* cogitur: cui cum *Morlino Chemnitius*, Brunsuiga, & *Georgius Venetus* è Pomerania vocati, interfuerunt. In ea repetitio corporis doctrinæ instituta & approbata: quique ex imbecillitate Osiandrismum amplexi, verbis castigati; qui contra perseverabant in errore, loco moti sunt: inter quos M. *Nicolaus Jagenteufel.*

Regiomontana Synodus.

In ea quid actum.

Nicol. Jagenteufel.

Absolvit tandem vitæ suæ in his terris cursum, sub initium anni *millesimi quingentesimi septuagesimi primi*, ætatis suæ anno *quinquagesimo septimo*: cùm frustra reclamantibus medicis sectionem in calculo vesicæ attentasset senex.

Obitus Morlin. Aliis mense Jan. aliis 13. Julii.

Fuit Lutheri sectator, & acer doctrinæ ejus in toto ministerio suo custos: ingenio solerti & fervido: id quod vel ex his Melanchthonis verbis * colligas: *Cùm heri*, inquit, *alteram Epistolam scripsissem, quam nuncius affert, postridie venit huc M. Rostochiensis Possellius vir doctus; qui mihi narravit certò Heshusium redire ad Academiam Rostochianam. Sed tamen gloriari, se ad disputationem accessurum esse Bremam. Cogitavi horum consiliorum architectum esse Morlinum, & is habet socios harum technarum artifices. Scribam Davidi Chytræo ne instituant disputationem theatricam, quæ non parvos motus excitatura sit, si procedat. Tibi etiam hortator sum, ut si te in certamen vocabunt, postules tibi quoque concedi, ut accersas Petrum Martyrem, me, & alios quosdam amicos. Novi genesin Morlini, & sæpe ei prædixi, eum moturum, quæ sedare non poterit.* In articulo de Cœna sententiam Lutheri retinuit: *quod Christi corpus in, sub, aut cum pane sit:* sicut sæpe dixit: **Du must nicht sagen/ Mum/ Mum: sondern du must sagen was dieses ist/ das der Priester in der Hand hat.** Adsecias autem habuit & habet etiamnum multos: qui sine tropo aut figura urgent hanc propositionem: *Panis est essentiale corpus Christi: aut substantia panis, est substantia corporis Christi:* quæ qualia sint, & quæ inde sequantur ἄτοπα: vident ii, qui sensus habent exercitatos in scripturis.

** Epistola ad Albert. Hardenbergium.*

Morlini sententia de Cœnâ.

Inter monumenta ingenii quæ reliquit, eminet *Psalmorum Davidis enarratio*; sunt ejusdem & hæc: *Catechismus Germanicus: Postilla* & explicatio summaria Evangeliorum dominicalium. *Refutatio* mendacii Theologorum *Haidelbergensium*, de Luthero: *De vocatione ministrorum*, & quatenus magistratui fas sit eos ab officio removere: *Defensio adversus* accusationem novorum *Wittembergensium* Theologorum, in libro cui titulus στρῶμα; cum *d. scriptione viri beati* ex primo Psalmo: *de peccato originis* contra Manichæorum delria; *Epistolæ ad Osiandrum*, & ejus responsiones. *Tantum de Morlino, ex Chronico Saxoniæ Chytræi; item ex Chronico Borussiæ, aliis.*

Scripta ejus.

CUNMANNUS FLINSCHBACH.

Cunmannus Flinschbachius natus est *Tabernis montanis*, inferioris Alsatiæ, ad *Vogesi* radices, oppido, virorum doctorum ferace, sub annum Christi *millesimum quingentesimum vicesimum septimum*, die *vicesimo quarto* Junii. Pater ei fuit *Jacobus*, vir sapiens, & sanctus, nec illiteratus; avus *Petrus*, ludi Tabernæ montani primùm magister, post in tabulario ibi à libellis, qui cognatione genus Melanchthoniorum attigit.

Ob. 1571. d. 11. Sept. ætat. 44. Tabernæ montanæ.

Pater Flinschachii.

Hujus autem pueri, literis adhibiti, cum ingenium esse ejusmodi præceptores animadverterent; in quo quasi in agro felici omnes bonæ artes facile essent plantandæ; cum parentibus egerunt, ut literis ipsum omnino destinarent. Itaque primis rudimentis in patria positis, *Argentoratum*, quasi ad frequentiorem doctrinarum mercatum est ablegatus.

Argentoratum mittitur.

Ea

Ea in schola per omnes classium ordines progressus, non tàm pietatis & linguarum, primarumque artium fundamenta jecit: quam eadem publicis prælectionibus firmissimè munivit; ac à viro diserto *Joanne Sturmio* linguam Latinam, Græcam à *Joanne Guinterio Andernaco*, Hebraicam à *Fagio* pleniùs percepit.

Cùm verò jam ut ad ætatem roboris, ita ad doctrinam cognitionis earum artium, quæ quasi fores cæterarum artium, & disciplinarum aperiunt, accessio facta esset: *Wittembergam* profectus est; ut & reliquas Philosophiæ partes adjungeret, & quam in delitiis habebat Theologiam penitus cognosceret. Eò cum venisset diuturnam quasi sitim discendo vix potuit explere. Nam quod unicè in votis antea habuerat, viros in omni disciplinarum genere excellentes, quâ publicè, quâ privatim audivit cupidissimè: ibi ipse studiorum leges atque ordinem præscripsit, à Melanchthone autem affine totus pependit: & biennium in linguarum studio, physices, mathematum, historiarum, omnisque antiquitatis memoriæ consumsit. Confecto hucusque studiorum curriculo, Magisterii ut vocant, titulo ornatus*, biennium itidem ferè, de Melanchthonis & cæterorum Præceptorum voluntate & adolescentum quorundam rogatu, privatim docuit, ac navatæ in studiis operæ specimen dedit: auspicatus à Græcarum *Demosthenis Olinthiacarum & Philippicarum* orationum explicatione. Deinde Mathemata exposuit, & expeditam *fastos componendi rationem*, omnemque *annorum seriem & historiarum memoriam* à mundi exortu revocavit. Postremo etiam *linguæ Hebraicæ rudimenta* ex Munstero tradere, ac *Jonam Prophetam*, aliosque aliquot ex minoribus Hebraicos fuit interpretatus.

Sed hoc ipsius studium atque operam pestilentiæ vis interpellavit. Itaque Academia etiam dissipata, Argentoratum revertit; ubi concionando aliquandiu se exercuit; conventus doctorum adiit: totumque divinarum rerum cognitioni sese addixit. Invitissimus autem *Wittembergâ* discesserat; cujus, quasi *loti Homericæ* dulcedine, captus tenebatur. Itaque, cum pestem illis de locis abiisse, & scholas redintegratas inaudiisset: totus in eo fuit; ut eodem rediret. Sed præter animi votum tunc accidit: ut, vocante Principe *Wolffgango*, Rheni Palatino, cujus munificentia aliquot jam annos in literis vixerat, *Bipontinæ* Ecclesiæ diaconatus, & reliquarum illius Ducatus Ecclesiarum gubernatio illi fuerit demandata. Ex Melanchthonis enim aliorumque judicio persuasum Principi jam erat; esse in eo homine & rectitudinem judicii, & constantiam in veris sententiis, ac singularem eximiamque actionum moderationem, & vero parem isti officio doctrinam.

Hac in provincia annos ferè *viginti* ita versatus est; ut in publici muneris administratione nihil, nihil in fide, nihil in vita fuerit ab eo desideratum. Ecclesiam suæ fidei commissam, & Ecclesiæ seminaria scholas studiosè diligenterque curavit: conciones & doctas & ordine bono dispositas habuit, tanta cum suavitate & efficacia: ut multæ earum quas juvenes ex eo audiverant, adultis etiam insederint. Cum collegâ *Hilsbachio* seniore amicè vixit: eique nec ambitiosè se prætulit, nec superbè aut importunè restitit: sed ut parentem carum habuit ac observavit. *Hilsbachius collega ejus.* Cæteros apud ministros, qui ad eam diœcesin pertinent, ob amorem, quo universos prosequebatur, ob præsidium, quod omnibus præstabat, in summo & precio & honore & veneratione fuit. *Charus ministris.* A civibus & reliqua multitudine omnem benevolentiam & caritatem in se transtulit, officio, fide, veritate, vitæ candore, iisque virtutibus; quæ pertinent ad mansuetudinem & moderationem; effecitque ut vix pastoris sui voci aut pedo vitæ sint uspiam oves tam libenter obtemperasse. Anno 64. mense Octobr. peste correptus lethaliter decubuit: ac non solùm corporis, sed animi etiam gravissimos sensit dolores. *Et civibus* *Peste correptus variè tentatur.* Omnes tamen tentationes Diaboli, Spiritus S. auxilio, clypeo verbi divini excepit, rejecit, fugavit. Nimirum fidelis est Deus, qui non patitur suos tentari supra vires. Nec verò constantia ipsius & fides, inque Ecclesia reformanda cura ac prudentia, angustis se patriæ terminis ac finibus continuerunt: sed & foras extulerunt, & ad aliorum Principum aures promanarunt. Itaque ad externas etiam Ecclesias rectè constituendas fuit evocatus. Nam & *Mompelgartensem* & *Hanovienſem* comitatus obivit, & utriusque Ecclesias ad decentem modum laudabilemque formam revocavit: grata maximè incolis & salutari lustratione & emendatione. *Reformat. alias Ecclesias.*

Præterea & ad maximi momenti controversiarum disceptationem & dijudicationem arbiter ab *Argentinensibus* fuit expetitus: & cum apud eos gravissimæ religionis dissensiones inter Theologos exarsissent; eas cum quibusdam aliis doctis & idoneis viris restinxit. *Componit controversias Theol. Argentorat.* Nec silentio hic prætereunda est legatio ad *Treviros*, quam obiit demandatam sibi à Principe *Wolfgango*, poscente id urbis senatu cum civium ad saniorem religionem facta esset inclinatio. *Ablegatur Treviros.* In ea quæ non criminationes devorandæ, quæ non pericula reformidanda, quæ non contentiones fuêre suscipiendæ? Nam prætextu religionis seditionem in civitatem inducere, collegia diripere, sacerdotum sanguinem exsorbere velle, in maledictis fuit audiendum; intestinum bellum civium, jam jam ad arma iturorum, & subitâ cæde omnia completurorum, extimescendum: & nunc cum *Archiepiscopo*, nunc cum ejus Consiliariis, vel scripto, vel sermone agendum; nunc cum *Latomo* in palatio, de fidei articulis in certamen disputationemque descendendum; nunc cum aliis aliisque dimicandum. Quæ tamen eo omnia pertulit animo; ut qui sibi omnia perpetienda *Ibi mendacia de eo*

perferendaque, si modò Ecclesiæ prodesse, & opem afferre posset, haberet omninò persuasum.

Abit in tractum Mosellanū. *Morbo in itinere corripitur.* In hac pastoritia cura & obeundi muneris solicitudine perpetuo versatus est multis annis, & paulo antè, quam vitâ excessit, tractum *Mosellanum*, ad Bipontinum Principem pertinentem, ex quo querimoniæ nonnullæ perferebantur, sibi adeundum, & in eo Ecclesias ordinandas componendasque censuit. Salvus iter ingressus, cùm rebus ex animi voto & Ecclesiæ fructu perfectis domum properaret: ex inopinato graviter commoveri corpus sensit ex toxico, ut suspicio fuit, à quodam pastore clam Pontificio, propinato. Domi cum nihil, quod ad valetudinis recuperationem facere videbatur, prætermitteretur; quartoque pòst die motus ventriculi nonnihil conquieisceret, ac spes somni, & ex eo levationis morbi esset; ecce præter omnem expectationem, assidentium etiam opinionem, nullo edito nec doloris nec commotionis vestigio, viri optimi & immortalitate digni vita morte intervertitur, non sine luctu piorum, die *undecimo* Septembris, anno à Christi nativitate *millesimo quingentesimo septuagesimo primo*, ætatis verò suæ *quadragesimo quarto*, ministerii *vicesimo*. Elatus est honesto funere Biponti ac in monasterio virginum monumento tali honoratus:

Moritur.

Epitaphiū.

D. O. M. S.

CUNMANNO FLINSBACHIO TABERNÆMONTANO DIACONO ET SUPERINTENDENTI VIGILANTISSIMO, CUM EVANGELIUM PER ANNOS XIX. HIC POSTREMIS ETIAM PASTOREM AGENS, PURE DOCUISSET: ALIBI REFORMATIONI ECCLESIARUM INTERFUISSET: UTILIA SCRIPTA EDIDISSET: DIE XI. SEPTEMB. ANNO M D LXXI. ÆTATIS XLIV. PIE CUM LACRYMIS BONORUM DEFUNCTO, MEMORIÆ ERGO HEREDES POSUERUNT.

HODIE MIHI
CRAS TIBI.

Epigram. Fabricii in eum. *Henricus Fabricius* Medicus & Rector quondam Gymnasii Hornbacensis amicum demortuum hoc elogio etiam celebravit:

FLINSBACHIUS LOQUITUR.

Flinsbachius Christi præco, fidusq; sacrorum
Antistes Gemini pontis in urbe fui.
Me commendavit gravitas, laudemque perennem
Judicii merui dexteritate mei.
Quos potui promtus juvi, soliique putavi
Nunquam me natum, ceu pecus, esse mihi.
Quoddam præsidium lugens Ecclesia, quoddam
Amisit Vogesius, me moriente, decus.
Hic placuit, Domino quas cogito sistere Christo,
Inter oves obita morte cubare meas.

Elogium ejus. Fuit vir doctus, pius, & officii sui satagens: ea morum gratia, quæ omnibus ipsum commendaret, faceretque; ut qui suavitatis ipsius gustum aliquem brevi conversatione percepisset; omnem cum ipso ætatem exigere optarit: ea etiam oris & corporis in eo fuit dignitas: ut primo adspectu hominum animos sibi conciliaret. Cum itaque, quod pulcrum est, sit amabile, ut Theocritus ait: floruit & Flinsbachius familiaritatibus clarissimorum virorum *Philippi*, *Chytræi*, *Eberi*, *Sturmii*, *Marbachii* & innumerabilium propè aliorum, quorum plerorumque demortuorum reliquæ sunt literæ, consuetudinis, familiaritatis, amicitiæ testes. *Amici.*

I. Gallus Flinsbachii Scripta. Reliquit, præter γνήσιον filium *Joannem Gallum* Medicum, monimenta à multis commendata: ut *Chronologiam*, primum Wittembergæ, deinde Argentorati editam: *Genealogiam Christi* & tabulis explicatam & justo volumine comprehensam: Basileæ ab Oporino excusam, & si quæ alia.

Ex narratione de vita ipsius M. S. & monumentis Pantaleonis Candidi.

LUDOVICUS RABUS.

Flor. sub ann. 1572.

Emmingæ in Sueviâ vitam orditur *Ludovicus Rabus*, alias *Gyncer*, anno Christi *millesimo quingentesimo vicesimo quarto*. In patria primis literarum fundamentis jactis, *Tubingam* abiit: Theologiæ studium cum elegantioribus Musis ac Philosophicis disciplinis ita conjunxit: ut testimonium publicum ejus Academiæ fuerit adeptus. *Renunciatur magister.*

Postea cùm *Argentoratum* accessisset: suamque doctrinam, ac virtutem aliis probasset: mortuo *Zellio* anno *quadragesimo quarto* successor ei datus, & in summo Argentoratensium templo concionator est constitutus. Sub id tempus Sphinx illa *Augustana*, toties decantata, prodiit. Eum in librum, utpote Pontificios errores stabilientem, cum aliis gravissimè invectus est hic Rabus. *Succedit Zellio.*

D. Theol. salutatur. Anno deinde *quinquagesimo tertio* Tubingam profectus, Theologiæ insignibus Doctoralibus est ornatus. Fuitque panegyris illa & actus admodum solennis: in quo trium, ut vocant, facultatum Doctores uno die renunciati sunt: *Theologi* quidem, *Jacobus Andreæ*, *Ludovicus Rabus*: *Jureconsulti*, *Christophorus à Gich*, *Anastasius Demler*, *Jacobus Kunigsbach*, *Ulricus Wolfhardus* Memmingensis, *Petrus Feurerus*: *Medici*, *Joannes Kobolt*, *Josua Baschar*.

Hedioni succedit. Argentoratum reversus officium suum strenuè ursit, tum publicè docendo, tum privatim commentando, de quibus laboribus postea. Eodem anno quinquagesimo tertio *Caspari Hedioni* in curatione studiosorum successit:

quo-

quorum *Argentorati* in *Wilhelmitarum* collegio quadraginta amplius tunc alebantur.

Interea *Ulmenſis* Reſpub. Eccleſiam à novæ religionis forma repurgavit: & puram Evangelii doctrinam inſtauravit, eiusque rei felicius perficiendæ cauſa *Rabum Argentorato* evocavit. Eò ubi commigraſſet, Paſtor eſt Eccleſiæ Ulmenſi præfectus: quo in munere ad exitum, niſi fallimur, vitæ ſuæ perſtitit.

Scripta reliquit hæc: *Hiſtoriam martyrum tomis* quinque comprehenſam: *Conciliationes locorum ſcripturæ* in ſpeciem pugnantium, & ſi quæ alia. Filium etiam reliquit, *Jacobum Rabum*; qui ab Evangelicorum religione ad Pontificiam, neſcio qua de cauſa, turpiter defecit; id quod & hodie loquuntur ſcripta ab eo ad patrem, ad Ulmenſes ſuos populares, & ad alios ſuper eo negocio. Reſponſum ipſi fuit ab aliquo rhythmis vernaculis edito ſcripto; cui titulus *Nycticorax*, in quo anonymus eum ex alluſione nominis & vitæ diſſolutæ narratione comparat rapaci & turpi corvo; ejusque defectionis ad Jeſuitas impietatisque in parentem occaſionem detegit. Adeo ſæpè illud *Homericum* * probatur:

Παῦροι γὰρ τοὶ παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται,
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τε πατρὸς ἀρείους.

Pantal. l. 3. Proſopographiæ: Cruſius in annalibus Suevicis: Geſnerus in Bibliotheca.

Scripta Rabi.

Jacobus Rabum apoſtata.

* Odyſſ.

JOANNES PFEFFINGERUS.

IN *Bavariâ* natum *Joannem Pfeffingerum* tradunt, ſub annum *milleſimum quadringenteſimum nonageſimum tertium.* A primâ adoleſcentiâ literis imbutus, & ſacris zelo quodam religionis addictus; poſtea repudiatis Pontificiorum ſuperſtitionibus, Evangelii veritatem eſt amplexus; quam & totius vitæ ſuæ curriculo conſtanter propugnavit.

E. 1573. d. 9. Ian. ætat. 80.

Wittemb. venit.

E. Bavariâ *Wittembergam* venit, anno Chriſti *milleſimo quingenteſimo viceſimo tertio:* ubi ad pedes *Lutheri* ac *Melanchthonis*, φωςήρων Germaniæ, ſacra, quod in votis unicè habuerat, coràm audivit: & audita alios quoque docuit. Poſtea cum anno *trigeſimo nono* duci Saxoniæ *Georgio* absque liberis mortuo, frater *Henricus* ſucceſſiſſet: *Lipſiam* vocatus eſt; & abolitis ritibus Pontificiis præconii Evangelici lætum initium ibi fecit, & quaſi ſitim diuturnam civium incredibili gaudio explevit. Idque factum eſt ductu & auſpiciis Lutheri: qui eodem accerſitus Pontificium ſtatum in Evangelicum convertit; ſucceſſu & celeritate tanta, ut cum Paſchali tempore Pontificii fuiſſent Lipſienſes, Penteco-ſtes feſto Evangelium pleno ore profiterentur.

Lipſiam vocatur.

Vir docet.

Manſit autem Pfeffingerus Lipſiæ hoc in docendi munere, ad vitæ usque exitum, inter varias turbas, bellicos motus, & religionis diſſidia: atque Eccleſiam Lipſienſem magna gravitate, cura, & moderatione rexit. Fatis conceſſit ipſe, vitæ ſatur, quippe qui periodum illam longiſſimam hominis a Moſe præſcriptam attigit, annum octogeſimum, anno Chriſtiano *milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio*, die *tertio* Januarii, Lipſiæ: ubi & honorificè tumulatus. Concio in funere ejus habita typis excuſa prodiit: ſed quam videre nobis nec dum contigit. Curriculum ergo ipſius bene longum in Eccleſiaſtico munere totos annos *quinquaginta quinque* comprehendit. Fuit ſtatura ejus probè compacta: vultus lætus, barba promiſſa, concio autem gravis & ſuavis: plenaque literatæ ſenectutis. Scripſit de *gradibus & vocatione miniſtrorum* in Eccleſia Dei; concluſiones ad diſputandum propoſitas; de *capite quinto Maccabæorum* concluſiones, cum *confeſſione* doctrinæ & fidei. Edidit quoque libellum Germanicum *de Adiaphoris*: Item alium *contra dolos & fraudes*, quibus divinam veritatem quidam labefactare conantur. Librum præterea *conſolationum* deſumtum ex verbo DEI. Extat ejusdem *methodica enarratio univerſæ hiſtoriæ JESU Chriſti*, additis formis precum, emendata ab auctore, paulò ante ſuum: ex hac vita exitum: concio inſuper in funere *Juſti Menii*.

Moritur.

Statura ejus.

Scripta.

Gregorius Berſmannus hoc elogio, ad effigiem ejus appoſito, defunctum ornavit:

Epigramma in eum Berſman.

Qui Pfeffingeri ſimiles in imagine vultus
Aſpicis, hoſpes, & hæc perlege ſcripta memor.
Bavariæ dedit hunc tellus in luminis auras,
Quem vita functum Lipſia condit humo.
Dicere longa mora eſt; per quot diſcrimina rerum
Hunc exercuerit dæmonis ira trucis,
Finibus extorrem patriæ, preſſumque ſuorum
Invidiâ, atque odiis turba profana tuis.
Dum venale Papæ cœlum, miſſamque peroſiis
Mavult eſſe tui portio, Chriſte, gregis.
Cui tu doctrinæ ſtudio, ſanctoque labore,
Atque operæ curâ conſiliique fide,
Addixit, moderansque ſcholas & templa gubernans.
Haud gravis imperii fulmine, pacis amans.
Teſtis erit juveni vitæ ſine labe peractæ,
Leucoris, & ſecli fama Luthere, tui.
Et tu religionis apex, divine Melanchthon,
Et tu, qui clarum de cruce nomen habes.
Poſtque hos conſilii conſors, ſociusque laborum,
Tu quoq; adhuc noſtræ ſpes, Joachime, Scholæ.
Orba ſui luget Paſtoris Lipſia fatum:
Amiſſumque gemit Miſnidos ora patrem.
Salve ſancte ſenex, decus ô venerabile morum!
Salve cœleſtum conſociate choris,
Matthæus Dreſſerus in ſexto millenario.

ABDIAS PRÆTORIUS.

E. 1573. d. 9. Ian. ætat. 49.

ABdias Godeſchalcus *Prætorius* anno Chriſti *milleſimo quingenteſimo viceſimo quarto*, die *viceſimo octavo* Martii, *Soltvvellæ*, vete-

Soltvvellæ patria Prætorii.

Magdeburgi fundamenta jacit.

veteris Marchiæ oppido natus, primùm in patriâ, postea *Magdeburgi* ad Academica studia præparatus est, quæ tum *Francofurti* ad Viadrum, tum *Wittembergæ* ad Albim, diligentiâ sibi propriâ continuavit.

Regit ludũ patriæ.

A linguarum itaque cardinalium, ut vocant, & omnis liberalis doctrinæ copiâ eleganter instructus, patriæ aliquandiu ludum gubernavit. Inde infelici illâ *de Adiaphoris* disputatione ortâ, *Magdeburgum* anno *quinquagesimo tertio* vocatus, scholam ejus urbis reddidit celeberrimam. Ita enim uno ore omnes docti existimabant & dictitabant, *doctiorem ejus scholæ gubernacula nunquam habuisse, & ne quidem habiturum.* Illi igitur acceptum ferendum, quicquid schola ea habuit habetve optimarum legum, Theologicarum disputationum, Philippicarum lectionum. Inter alia autem Prætorius etiam hanc ibi invexit consuetudinem; ut sub horarum initia & intervalla, intermisceretur symphoniacus cantus, quo & magistrorum & discipulorum vires nonnihil reficerentur.

Dein Magdeburg. Iudicium aliorum de ipso.

Cantum interponit lection.

Eo itaque in loco etsi ipse unicè in votis habebat & honestè vivere, & Spartam suam exornare pro virili, tamen cum in disputationibus scholasticis, *Melanchthonem* secutus, dixisset: *Evangelium esse prædicationem pœnitentiæ & remissionis peccatorum*, summam Theologorum incurrit invidiam, aliorumque odia & convitia. Quamobrem cum Antagonistarum impotens animus non solum doctrinam; sed & personam nomenque ejus leviter deformaret, pro *Godeschalco* *, *Abdias*, Hebræo vocabulo synonymo, appellari voluit: tandemque *Francofurtum*, anno *quinquagesimo septimo*, concessit.

Evangeliũ quid.

Incurrit odium Theolog.

* *Utrumq; significat servum DEI*, Gottes Diener.

Francof. ad Viad. concedit.

Ab Antinomis impetitur.

Evocatur in aulam Berlinens. Munus oratoris obit.

Verùm nec *Francofurti* quidem diu quietam sedem figere potuit; Antinomis certatim eum impetentibus & doctrinæ falsæ insimulantibus: qua asseruisset; *bona opera necessaria ad salutem acquirendam* esse. Quocirca ut & maledicis linguis & malevolis oculis subtraheretur, ab Electore & Marchione Brandenburgico in aulam *Berlinensem* evocatus, munus oratoris sæpè & feliciter tum in legationibus, tum in consiliis obivit. Specimen ejus hoc unicum esto. Anno *sexagesimo primo* mense Februario Berlini coram ipso Electore jussus est conferre de doctrina cum legato quodam Pontificio. Ibi tùm, ubi breviter summam fidei orthodoxæ exposuisset, tandemq; de bonis operibus addidisset, bona

Bona opera quæ.

„ opera ea esse, quæ fiant à justificatis, non à
„ justificandis: *Jesuita opposuit*, hominem fide
„ in Christum justificari, quod ad primam ju-
„ stificationem; bonis autem operibus quod
„ ad secundam. *Contra Prætorius*, plus *ergò*
„ operibus tribuitis, quàm fidei & Christo?
„ *Ibi Jesuita*, vos ergo Lutherani rejicitis
„ merita operum? *Responsum tulit*: Promis-
„ sio justificationis & vitæ æternæ tantum per-
„ tinet ad fidem; promissio præmiorum per-
„ tinet ad bona opera prælucente fide. *Sed*
„ *hæc hactenus.*

Cùm verò & aulica vita ipsi, quietis & otii literarii cupido, minus arrideret: *Wittembergam* reversus civiumque numero adscriptus, vitam egit privatam, atque auditorium aperuit frequens, docendo artes liberales, linguasque Ecclesiæ Dei & scholis utiles ac necessarias, disputationes insuper habendo de eruditis argumentis. Adscitus etiam fuit ibi in *collegium Philosophicum*, & Decani, ut vocant, munus anno *septuagesimo primo* gerens, inter alios magisterii gradu *Georgium Sohnium*, die *sexto Septembris* ornavit.

Wittembergæ agit.

Docet privatim.

Adjungitur Philosophis.

Ita de juventute studiosâ & re literaria benè meritus ad vitam meliorem abiit anno *millesimo, quingentesimo, septuagesimo tertio*, die *nono Ianuarii*, ætatis *undequinquagesimo*. Pridiè ante obitum vidit in somnio feretrum asferri, & cum interrogasset; ecquis esset? Responsum audire visus est: *Christum in sepulcro condendum, quem brevi sit secuturus.* A quo cum evigilasset, mortem haud procul abfore præsagit; simulque hoc: *Qui Christum sequitur, benè graditur, nec ambulat in tenebris. Christe, esto mihi misero peccatori propitius, & trahe me post te.*

Moritur.

Somnium ante obitum.

Scripta posteritati *Philologica & sacra* reliquit, de quibus sunt, *libellus de Poësi Græcorum*, cui accessit alius de generalissimis poëseos considerationibus: *de phrasibus Hebraïs* libellus aureus: de *discrimine sententiarum Lutheri, Sacramentariorum, & Pontificiorum*, in materia de cœna Domini, & de sententia sanâ & orthodoxa: *Analyses* paulò generaliores *locorum Theologicorum Melanchthonis*, propositionum formis accommodatæ: *Armeniorum de Trinitate* & Filio Dei Domino nostro Jesu Christo *confessio* cum notis. Coronidis loco addere placitum est regulas, *de bonis operibus*, quas adolescenti cuidam petenti præscripsit.

Scripta.

Regulæ de bonis operibus.

Prima est: *Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria; Nova obedientia est necessaria.*

Secunda: *Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria, tanquam res à Deo mandata.*

Tertia: *Non rectè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad salutem.*

Quarta: *Non rectè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad salutem impetrandam.*

Quinta, *non propriè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad retinendam fidem & salutem.*

Sexta: *Rectissimè dicitur, Bona opera sunt necessaria ad testificationem vel declarationem fidei, & salutis, ad declarandam fidem & salutem.*

Pantal. l. 3. Prosopogr. vitæ Theol. Wittembergensium.

BENEDICTVS ARETIVS.

C. 1574. d. 12. Sept. Bernæ.

INclyta & potens Helvetiorum civitas *Berna*, *Benedictum Aretium* dedit, qui in patriæ scholis bonis literis excultus, ad exteras abiit nationes, tum ingenii expoliendi, tum judicii varia rerum experientiâ firmandi causa. Ibi tum cum ad Cattorum Academiam, quæ

quæ *Marpurgi* floret, appulisset, in ordinem Philosophicorum Professorum adscriptus, Logicen, limam illam ingenii & normam veritatis, studiosæ juventuti explicavit.

Postea ad suos reversus, Theologiam publicè docere est jussus. Hoc in munere ea fide & industriâ est versatus, ut cum fructu alii ipsum audierint.

Cùm itaque annos complures Bernatum scholæ inservisset, de statione hujus vitæ avocatus est, anno Christi *millesimo, quingentesimo, septuagesimo quarto*, die *vicesimo secundo* Aprilis, honesta relicta nominis sui memoria.

Curriculum ejus hoc epigrammate *Petrus Nigidius* delineavit:

Hic etiam Bernas Benedictus Aretius olim,
Insigni Logices laude professor erat.
Et potuit plures nobiscum degere soles:
Sic gratus cunctis ceperat esse bonis.
Sed tamen hinc abiens quoque nostra Lycea reliquit,
Ad patriæ dulces cùm remearet agros.
Viliter docuit juvenes Dialectica nostros,
Linguis excellens, artibus atque bonis.
Explicuit Bernæ divini oracula verbi;
Et tandem in patria suaviter occubuit.
Edidit ante obitum paulo Problemata sacra,
Complexus libris optima quaque tribus.
Scripsit & in sacros bona Commentaria libros;
Reddidit & methodi lucida quæque modo.

Inter scripta ejus eminent, quorum hic fit mentio, *Commentarii* in novum Testamentum: *Problemata* sacra, sive loci communes, *& examen Theologicum.* Reliqua in bibliothecis recensentur. *Ex elogiis doctorum virorum, & P. Nigidii catalogo professorum Marpurgensium.*

GEORGIVS MAIOR.

NOrinberga urbs est Imperii, in Norico, celeberrima, splendida, ac populosa, sive à *Tiberii Neronis*, Turingorum Regi bellum illaturi castris, nomen initio adepta. Hac in urbe lucem adspexit Georgius Major honestis editus parentibus, anno Christi *millesimo, quingentesimo, secundo*, die *vicesimo quinto* Aprilis, dimidiâ horâ post primam pomeridianam. Puer admodum elementis artium cognitis utcunque, adductus est in terras Saxonicas jussu & sumtibus illustrissimi Principis *Friderici III.* Ducis Saxoniæ, Electoris, in cujus aulâ educatus est inter adolescentes symphoniacos. Civis factus est Academiæ Wittembergensis anno, postquam primùm instituta fuit, nono; qui fuit Christi *millesimus, quingentesimus, undecimus.*

Ac reperit tunc *Major* terras Saxonicas florentissimas Principibus, nobilitate, Academiis, urbibus, una defuit lux veritatis Evangelicæ, quam in Ecclesiis & scholis illarum terrarum non ita multò post Deus immensa bonitate accendit, ministerio inprimis *Lutheri*, anno postquam Wittembergam venit Major sexto. Eam deinde lucem paulatim auxerunt ii, quos Deus ei socios ac συνεργοὺς adjunxit, inter quos Princeps *Melanchthon*: qui scriptis methodicis confusas initio, & obscuras, & propter scholasticorum labyrinthos, perplexas controversias illorum temporum, summa dexteritate ac perspicuitate explicuit atque illustravit.

Cum renascente autem luce Evangelii, simul efflorescebant studia Philosophiæ sinceroris, *Melanchthone* artes illas repurgante & urgente. Occasionem itaque Major ex voto nactus, primum ad disciplinas Philosophicas alacriter incubuit, summumque Philosophici ordinis gradum consecutus Wittembergæ est.

Theol. dat operam.

Postea Luthero ac Melanchthone præceptoribus usus, sumtibus Principis & Senatus Norici Theologiæ diligentem dedit operam. Cum utroque enim, Luthero & Melanchthone, ut familiariter versaretur, ut quoties vellet utrunque adiret, & quæ opus erant interrogaret: ut privatim inter se conferentes de præcipuis doctrinæ controversæ capitibus, audiret, ut judicia cognosceret eorum de rebus maximis, denique ut ab utroque diligeretur, ornaretur: Dei singulari beneficio fuit consecutus, ut primum in Academia eis innotuit.

Familiaris Luth. & Melanchth.

Ducit uxorem.

Anno *millesimo, quingentesimo duodetricesimo* duxit uxorem virginem nobilem *Margaretam à Mochavv*, & cùm *Caspar Cruciger* è schola Magdeburgensi esset revocatus, hic Georgius Major, anno *undetrigesimo*; supra sesquimillesimum, *Lutheri* consilio ipsi suffectus est, secundus, post religionis reformationem, rector. Ibi cum in Augustiniano cœnobio minus commodè doceretur; effecit Major autoritate & consilio *Leonhardi Martii*, J. U. D. Syndici Magdeburgensis Reip. Helvetii natione, *Nicolai* item *Amsdorfii* & *Georgii Copi* Medici, ac inprimis *Vldarici ab Embden* viri nobilis; ut in *Franciscanorum* claustrum schola deduceretur. Id quod à Majore factum sub Michaëlis anni *vicesimi noni*. frustra renitentibus & frementibus monachis. Ferunt *Ioannem Hilten Isenacensem*, virum pium, & ipsum Franciscanum sic ad Guardianum uti vocant, illius monasterii Magdeburgici scripsisse: *claustrum Minorum Vinariense fiet armamentarium: Wittembergense granarium, Magdeburgense, schola juventutis.* Id quod hoc rectore completum in Magdeburgensi.

Succedit Crucigero Magdeb. schola.

Leonhard. Martius.

Transfert ibi scholã in Francis. claustrum.

I. Hilten de eo vaticinium, & alia claustris.

Rexit istum ludum Major fideliter annos *septem*, & fortassis omnem ibi ætatem exigere ipsi volupe fuisset, nisi salarii exiguitas & rei familiaris angustiæ alio eum compulissent. Nam cum à senatu Magdeburgensi accessionem aliquam petiisset: nec voti compos fieri potuisset, vocationem, quæ tum ei in manibus, secutus, & Superintendens *Islebiensis* est factus, anno Christi *trigesimo sexto Islebia Wittembergam* rediit, ibidem & professor Academiæ, & ecclesiastes in templo arci contiguo designatus,

Laborat angustia rei familiaris.

Fit Islebia pastor.

tus, atque anno *quadragesimo quarto* mense Decembri *Doctor Theologiæ*, ipse tunc Academiæ rector, cum *Ioanne Faberio* Monacensi renunciatus.

Doctor Theolog. creatur.

T. 1. Intim. Wittemb. p. 103. Colloq. Ratisb.

Anno *quadragesimo sexto*, cùm colloquium religionis causâ *Ratisbonæ* jussu Cæsaris institutum esset, venerunt eò ex Pontificiis *Petrus Malvenda Hispanus*, *Eberardus Billicus* Carmelita, *Ioannes Hoffmeisterus* Augustinensis, & *Ioannes Cochlæus*: ex Protestantium verò Theologis *Bucerus*, *Brentius*, *Major*, *Erhardus Snepfius*. Sed paulò pòst abruptum est colloquium, causas indicant Acta edita. Moto deinde bello Saxonico, *Major* in exilio cum conjuge & *denis liberis*, non sine præsenti discrimine palabundus erravit tantisper, dum sub exitum anni *quadragesimi septimi*, à Mauritio & Augusto fratribus, Saxoniæ Ducibus, gubernationi Ecclesiæ *Mersburgensis* præfectus, tandemque anno *quadragesimo octavo* recollectâ & instauratâ *Wittembergæ* Academiâ, pristinum in locum fuit restitutus.

Exulat.

Eccl. Mersburgensi præficitur Restituitur Wittembergæ.

Anno *quinquagesimo primo*, oblatæ ei sunt variæ, eæque luculentæ conditiones. Nam & à Rege Daniæ opera ejus fuit expetita, & à Principe Holsatiæ *Friderico* gubernatio ecclesiarum Slesvicensium delata, ab Electore verò Saxoniæ iter ad concilium Tridentinum decretum. Sed nihil horum factum, literis à Baltico litore serius missis, & consilio etiam Electoris mutato, qui ad tempus regimen Ecclesiæ in comitatu *Mansfeldensi* obire eum jussit. Præfuit Ecclesiæ illi annum unum, & sequenti *quinquagesimo secundo* *Wittembergam* reversus, quod reliquum fuit vitæ in munere sibi demandato exegit.

Variæ vocationes ejus.

Regit eccl. Mansfeld.

Sed cum nihil sit, quod non malè interpretando possit depravari, incurrit & Major in gravissimam invidiam & odium, quod aliquando, ut fuit Zelotes & sanctimoniæ commendator summus, dixerat, *fieri non posse*, *ut qui non studeant bonis operibus, salutem consequantur æternam, & bonorum operum studium esse necessarium ad salutem.* Adversarii enim ejus, de quibus antesignani fuerunt *Matthias Flacius* Illyricus, *Nicolaus Gallus* & *Nicolaus Amsdorfius*, propositionem hanc: *Bona opera necessaria sunt ad salutem*, interpretati sunt ita, quasi statueret Major, juxta Origenicam & Pontificiam synecdochen; *bona opera cum fide mereri remissionem peccatorum, & esse causam justificationis coram Deo.* Verum Major & Confessione publicè edita, & disputationibus testatus est; nunquam se ita sensisse, nunquam „ ita docuisse; sed totum justificationis nostræ negotium & salutis beneficium in so„ lidum acceptum retulisse, & referre miseri„ cordiæ divinæ, atque unici Salvatoris nostri „ Jesu Christi merito, idque sola fide accipi, „ quam bona opera, ut fructus certissimi, se„ quantur. *Quin imò disertè testatus est:* se „ propositione illa, quâ videret aliquos offen„ di, deinceps non usurum. Sed, quæ est hominum credulitas, ac calumniæ efficacitas, effugere suspicionem doctrinæ diversæ nunquam potuit. Adeò verum est illud, *calumniare audacter, semper aliquid hæret.* Imò eò dementiæne dicam, an impietatis, quidam progressi sunt, ut non dubitarint hæc axiomata propugnare: *Bona opera non sunt necessaria ad salutem: Bona opera officiunt saluti: Nova obedientia non est necessaria.* Sed super hoc argumento scripta *ipsa passim edita videantur.

Controversia ei mota de necessitate operum.

Adversarii ejus.

Purgat se Major.

Sententia ejus.

Paradisus & abjurat alienum.

**Confes. Melanth.*

Insenectute expertus Major est illud, quod in veteri versu Græco dicitur:

Φόβος τὸ γῆρας, ἢ γὰρ ἔρχεται μόνον.

Senectus gravis. Funera filiorum videt. Et nepotum.

Nam ad συμφορὰς illas Theologorum accesserunt variæ & graves calamitates domesticæ. Primum enim vidit funera *sex filiorum*, inter quos *Leonhardus* à rabiosâ cane vulneratus interiit, alii aliis morborum generibus exstincti sunt. Postea nepotum etiam aliquot funera extulit, tandem & filiæ, fœminæ præstantis. In his tamen afflictionibus patientiam ostendit Christianam, seque solatus est cogitatione communium ærumnarum, & exemplo filii Dei, cujus imagini conformes nos fieri oportet; crebro repetitis vocibus ex Jobo: *Dominus dedit*, *Dominus abstulit, sit nomen Domini benedictum. Si bona accepimus, mala cur non sustineamus?*

Longus ejus morbus.

Tandem & ipse Major post *triennii* ferè decubitum, senio & morbis confectus in cœlestis vitæ consuetudinem concessit *Wittembergæ*, anno salutis *millesimo*, *quingentesimo septuagesimo quarto*, die *vicesimo octavo* Novembris, cum in exilio terreno exegisset annos propemodum *septuaginta tres*. Corpus ejus terræ mandatum honorificè est in templo arci contiguo, ad sinistrum latus *Ioannis Schneidevvini* Jureconsulti clarissimi. Obitum ejus eruditis carminibus varii lugentes celebrarunt, è quibus tale est *Ioannis Lauterbachii* epigramma:

Mortuus.

I. Lauterbachii epigramma in eum.

Livor nocere cui nequit, laus optima.
Major ab æterno Patre multis obrute donis,
Celsa quibus nomen tollis in astra tuum;
Magnus es ingenio, major virtutibus, imò
Maximus in verâ cognitione Dei.
Fidus, ad ingenuas pueris industrius artes,
Monstrasti lætâ fronte Magister iter.
Egregium terris idem virtutis fuisti
Exemplum, quo sit vita regenda modo.
Quod summum est, Doctor scriptis & voce, salubris
Plantasti dias religionis opes.
Hinc monumenta tui relegens divina laboris,
Nemo non, salvus qui cupit esse probat:
Nocturna versatque manu, versatque diurnâ,
Proque tuo grates munere gratus agit.
Dum monumenta tui vivent divina laboris,
Perpetuo nomen vivet in orbe tuum.
Quod Livor memor nunquam miser eximet ævo
Perpetuo florens tempore nomen erit.

Scripta Majoris.

Prodesse Ecclesiæ Dei studuit, non solum viva voce in Concionibus, lectionibus, & judiciis, sed etiam *commentariis in præcipuos Evangelicos & Apostolicos libros*, aliisque lucubrationibus eruditis, quas cum Republica literaria communicavit. Sunt autem *opera* ejus *tribus tomis* distincta edita; quorum *primus* continet enarrationem epistolarum S. Pauli:

secundus

secundus homilias in epistolas dierum Dominicorum & festorum : *tertius* Homilias in evangelia Dominicalia & dierum festorum. Præterea separatim edita sunt multa, quæ in bibliothecis recensentur.

Hactenus de Majore Theol. ex ipsiusmet narratione, quæ exstat tomo 7. scriptorum Wittembergæ publicè propositorum : Item ex vitis Theologorum Wittembergensium, consiliis Theologicis Melanchthonis, & aliis.

MATTHIAS FLACIUS ILLYRICUS.

NOn fuit hic Germanus satu sed incolatu, nec uno nomine Germanis plus satis notus. Edidit eum *Illyrici* (hodie *Sclavonia* appellatur, Istriæ contermina) oppidum *Albona* ; sub annum Christi, *millesimum, quingentesimum & vicesimum*, die 3. *Martii*, familiâ, ut quidam, nobili ; ut alii, plebejâ quidem veteri tamen & numerosâ. Pater ei fuit *Andreas Flachius*, vir integer & honestus, mater *Jacoba*, ex nobili *Luciorum* familiâ oriunda.

Pater, qui & ipse ad virilem usque ætatem bonis literis operam dederat, cùm indolem in puero à studiis minimè abhorrentem deprehendisset, tenello ejus animo prima rudimenta instillavit. Postea patre è vivis exemto, filius à tutoribus, ut haud rarò fieri assolet, aliquantisper neglectus, ea quæ didicerat, ferè dedidicit. Verùm ipse suo judicio ad literas reversus, in patriâ *Francisco Ascerio* Mediolanensi, viro doctissimo, operam dedit.

Fundamentis eruditæ doctrinæ in patriâ jactis, *Venetias* missus est ; ubi *J. Baptistam Egnatium*, juxta forum B. Marci literas humaniores celebri famâ profitentem, audivit. Annos deinde natus *septendecim*, desiderio pietatis ac Theologici studii ardens, frequenter in templis psalmodias publicas juvit, totumque se Theologiæ mancipare, in animum induxit. Sed cùm videret, in Italiâ Theologiam non facilè alibi tradi ; quàm vel in monasteriis frequentibus, vel magnarum urbium Academiis, monachismum profiteri subiit, cùm tantæ opes ei non essent, ut diutiùs inde in Academiis vivere posset.

Communicato ergo consilio cum *Baldo Lupatino*, Franciscanorum provinciali, suo propinquo materno, dimidiam monasterio ejus bonorum partem obtulit eâ conditione, uti mox vel *Bononiam* vel *Patavium* in ejus ordinis aliquod cœnobium missus, ibi literis ac inprimis Theologiæ commodè vacaret. Probavit adolescentis consilium *Baldus* : omnemque eâ in re operam suam promisit. Interea explorato familiari consuetudine Flacii animo atque ingenio, monachatum dissuadere cepit, atque, si adeò discendæ Theologiæ cupidus esset, auctor ei fuit, in Germaniam se conferret, & ibi viris ubique doctis operam daret.

Baldus autem iste, ut & hoc ἐκ παρέργου addamus, paulò post in suspicionem hæreseos venit, ac Venetiis *vigimi* ipsos annos, situm squaloremque carceris, tandem in mari submersus supplicium fortiter pertulit. Usitatum est ibi, non ita rigidè in hæreticos, quos vocant, inquirere, sed in oblatos quovis supplicii genere sævire. Sed ad Flacium redeamus. *Baldi Lupat. aquis submersus.*

Hic ergò Baldi consilium secutus, perlectis aliquot Evangelicorum scriptis, abdicato monachatus desiderio, in Germaniam ante nunquam visam, omni penè viatico destitutus venit, ac primùm *Basileam*, anno *millesimo, quingentesimo, trigesimo nono*, appulit, ubi hospitio à *Simone* illo *Grynæo* amice exceptus, non solùm eo hospite, sed etiam præceptore in pietatis veræ capitibus usus est. *Basilea*, sub exitum illius anni, *Tubingam*, ubi *Matthias Garbicius*, popularis ejus, disciplinæ rigidus exactor, literas Græcas profitebatur, Flacius se contulit, ususque est hospitio *Garbicii*, pro facultatibus ipsius, non illiberali, & expertus *Joachimi Camerarii* ; qui eodem ante biennium venerat, & aliorum benevolentiam ac studium. *Venit Basileam Flacius.* *Inde Tubingam. Matthias Garbicius popularis Flacii.*

Inde discedens anno *quadragesimo primo*, supra *millesimum, quingentesimum*, *Ratisbonam*, ubi tunc comitia celebrata, transiens, *Wittembergam* est profectus, *Lutherum* & *Melanchthonem* in Theologicis, *Winshemium* autem in Græcis aliquandiu audivit : vixitque è didactro discipulorum suorum, quos privatim illic in Græcis atque Hebraicis instituit, hospitem nactus *Fridericum Bachovium*, Wittembergensis ecclesiæ ministrum. Hic tentationes, quibus *Flacius* tunc divexabatur, *de peccato*, de *ira Dei*, de *prædestinatione*, & aliis, primùm ad D. *Pomeranum*, deinde ad ipsum *Lutherum* detulit, quibus tandem post preces etiam publicè pro ipso habitas, literatum sacrarum auditis consolationibus, fuit liberatus. *Wittembergæ audit docentes. Et ipse privatim docet.* *Tentationes ejus.*

* *Melanchthon* quoque humanitate singulari ipsum complexus, vel quod à Tubingensibus venerat, vel quod præclarè de ingenio ejus speraret ; omnibus eum rebus adjuvit, augens & ornans hominem, suis etiam facultatibus sustentans. Id quod ab ipso in promtu erat cunctis. Ac *Flacius* quidem, cum mediocri Græcæ linguæ cognitione esset instructus, in condiscendam Hebraicam totus tunc incubuit : *Magistri* bonarum artium titulum ibidem consecutus, dataque ei est uxor, ac publicæ doctrinæ munus, de *Joannis Friderici* Electoris voluntate, anno *quadragesimo quarto*, adsignatum. * *Camer. in vita Melancht.* *Melanchthoni charus.* *Consil. Theol. Melancht. pag. 285.* *Salutatur Magister.* *Ducit uxorem.* *Constituitur Professor.*

Orto autem in Germaniâ bello, & scholis Saxonicis dissipatis, relictâ *Wittembergâ* *Brunsuigam* à *Medlero* invitatus abiit : ibidemque docendo famam nominis sui latè disseminavit. Sub autumnum anni *quadragesimi septimi*, bellicis motibus sedatis, *Wittembergam* ad munus pristinum rediit : ubi paulò pòst divulgato illo *Interimistico* libello, cùm * *Melanchthon* & alii, pacandæ ec- *Secedit Brunsuigam.* *Redit Wittembergam.* * *Consil. Theol. Mel. p. 104.*

cleſiæ causâ, *de rebus mediis*, & quæ *adiaphora* vocantur, remittendum aliquid ſtatuerent: ipſe, cum ὁμοψήφοις Theologis, *Lubecenſibus*, *Lunæburgenſibus*, *Hamburgenſibus*, & qui *Magdeburgi* * docebant, ſeſe oppoſuit, ac per res illas medias Pontificiæ religioni viam aperiri contendit. Ritus enim ac ceremonias hujusmodi deſinere eſſe *adiaphora*, cùm iis opinio cultus ac neceſſitas, Chriſtianæ libertati contraria affinguntur.

* N. Amsdorf. Nic. Gallus.

Adiophora quando non talia Conſil. Theolog. Melancht. pag. 89. Nic. Gall. Cum eo ſe conjungit Flacius.

Venit eodem tempore, relictâ ſtatione ſuâ, *Wittembergam Nicolaus Gallus*, fugiens periculum, quod imminebat iis, qui reclamarent Auguſtæ decretis. Cum hoc Flacius ſtatim ſe conjunxit, & diſcedentem ſic, ut nihil præ ſe ferret inimicitiarum aut ſimultatum, clandeſtino abitu *Magdeburgum* ſecutus eſt, nulla ſtipendii ſpe oſtenſa. Ea in urbe, toto tunc ab Imperio proſcriptâ, confidenter *Papatum*, *Adiaphora*, & quæcunque Auguſtanæ repugnare confeſſioni viderentur, oppugnavit. Prodiit quoque tunc, ne quid ad turbas ciendas deeſſet, *Oſiandri*, de *juſtificatione hominis coram DEO*, dogma: id Flacius inter primos refutavit, ac inſuper in *Schvvenckfeldii* deliria calamum ſtrinxit. Adornavit etiam tunc *Eccleſiaſticæ hiſtoriæ* commentarios, *centuriarum Magdeburgenſium* nomine celebres, ſocios laboris nactus *Nicolaum Gallum*, *Joannem Wigandum*, & *Matthiam Judicem*, omnes eccleſiæ Magdeburgenſis miniſtros, adjutus etiam tum ab aliis, tum à *Caſparo Nidpruckio* Conſiliario Cæſario, & *Joann. Baptiſtâ Heincelio* Auguſtano.

Magdeburgum abiit.

Vbi in alios ſcribit.

Centuriæ eccleſiaſt.

Hæc ad Albim agente Flacio, ſcholam novam aperuerunt *Jenæ* Duces Saxoniæ. Ad eam igitur excolendam evocatus & *Flacius*, venit eò anno quinquageſimo ſeptimo. Sed *quinquennio* ibi vix exacto, cùm inter ipſum, & *Victorinum Strigelium*, ſuper libero, quod Theologi vocant arbitrio, contentiones ac diſſidia eſſent orta, ſolum denuo vertit, ac *Ratisbonam* ad Danubium conceſſit: ubi antiquum obtinuit evulgandis varii generis ac ſermonis ſcriptis, epiſtolis atque commentationibus.

Vocatur Jenam.

Contentio de libero arbitrio inter ipſum & V. Strigel.

Ratisbonam abit.

Anno *ſexageſimo ſeptimo*, cùm *Antverpiæ* liberum religionis exercitium, unâ cum Senatu Eccleſiaſtico, ſeu Deputatorum Conſiſtorio, civibus eſſet permiſſum: vocatus eſt eò cum *Cyriaco Spangenbergio*, *Vorſtio*, *Hammelmanno* & aliis Flacius, qui Eccleſias Auguſtanæ confeſſioni addictas mutuis operis eo in loco conſtituerunt. Sed cùm paulò pòſt omnia abolerentur, miniſtrique illi dimitterentur, *Argentoratum* commigravit, ubi aliquantiſper ſubſiſtens notum illud *gloſſæ Novi Teſtamenti opus* edidit. Inde *Francofurtum* ad Mœnum conceſſit, uſus præſtantium ibi virorum patrociniis, cùm cæteroquin, ortis inter fratres ipſius ſuper dogmate *de peccati originalis eſſentiâ* rixis, à plerisq; deſereretur, inſimulatus *hæreſeos Manichææ*, paucis ipſum defendentibus; ac Lutherum eadem fuiſſe in ſententiâ confirmantibus.

Antverpiam vocatur.

Argentorat. commigrat.

Inde Francof. ad Mœnum.

Controverſiam de peccato originali movet.

Fatis concedit ibidem anno Chriſti *milleſimo*, *quingenteſimo*, *ſeptuageſimo quinto*, die *undecimo Martii*, ætatis *quinquageſimo quinto*, præſente *Adamo Lonicero* Reipubl. Francofurtanæ poliatro. Sepultus eſt ibidem exequias funebri concione decorante *Caſparo Heldenio Cronbergenſi*: quæ typis evulgata. Epicediis inſuper ac verſibus epitaphiis ornatus eſt à *J. Fraxineo*, *Chriſtophoro Irenæo*, *& aliis*.

Moritur.

Iac. Bidfard. in iconibus.

Fuit ingenium in hoc viro capax perinde & inquies. *Melanchthonem*, pacis ſtudioſum, totâ vitâ exagitavit *: *Interimiſtas*, *Adiaphoriſtas*, *Sacramentarios*, quos ipſe vocavit, *Schvvenckfeldium*, alios incurſavit: *formulam Concordiæ*, à *Jacobo Andreæ* editam, ſcriptis oppugnavit. *Melanchthoni* inter alia * affinxit, quaſi affirmaſſet: ἀκυρολογίαν, aut ἀκειβολογίαν aut λεπτολογίαν eſſe hanc formam loquendi: *Solâ fide juſtificamur*: quod ille, nunquam ſe dixiſſe, nunquam ſcripſiſſe, nunquam cogitaſſe, teſtatus eſt: imò hanc propoſitionem à ſe defenſam accuratiùs, & declaratam diligentiùs eſſe, quàm ab aliis. Conturbavit itaque calumnia bonum ſenem, & fregit robur cordis ejus.

Ingenium Flacii quale.

* *Thuan. l. 45. hiſtor. Inde Melvocat cum echidnam Illyricum, pag. 257. Conſil. Theol.*

* *Conſil. Theolog. Melancht. p. 119. 120.*

Quanquam verò cum aliis, tum inprimis paradoxo illo, *de peccati ſubſtantiâ*, non exiguas in eccleſiâ Chriſti turbas dedit, tamen ſuâ etiam laude defraudandus non eſt, ob egregia ſcripta, quibus aut *Anti-Chriſti* regnum oppugnatum, aut Theologiæ ſtudia ſtudioſosve ivit adjutum.

Peccatum eſt ſubſtantia Flacio.

Commendantur enim ex illis, primùm *clavis ſacræ ſcripturæ*, ſeu *de ſermone ſacrarum literarum* opus, in duas tributum partes, quarum prima ſingularum vocum atque locutionum ſacræ Scripturæ uſus ac ratio, Alphabetico ordine explicatur, alterâ, plurimæ regulæ generales proponuntur. Deinde, *Centuriæ eccleſiaſticæ hiſtoriæ*, integram eccleſiæ Chriſti ideam, quantum ad locum, propagationem, perſecutionem, tranquillitatem, doctrinam hæreſes, ceremonias, gubernationem, ſchiſmata, ſynodos, perſonas, miracula, martyria, religiones extra eccleſiam, & ſtatum Imperii politicum attinet, ex veteſtiſſimis optimisque hiſtoricis, Patribus, & aliis ſcriptoribus omnia congeſta Flacii potiſſimum conſilio, opera autem Wigandi & aliorum. Tertium locum facilè obtinet *Martyrologium* illud, quod hac occaſione compilatum ferunt. Contexuit Abbas *Joannes Trithemius* Catalogum auctorum. Hunc cùm vidiſſet Flacius; temperare ſibi non potuit, quin diſſimulatâ perſona & habitu, aliquot in Germaniâ monaſteriorum bibliothecas perluſtraret, quos commodè poſſet hiſtoricos etiam auferret: atque iſto adminiculo librum, qui *Catalogus teſtium veritatis* indigitatur, conſcriberet.

Scripta Flacii.

Clavis Scripturæ.

Centuriæ eccleſiaſticæ.

Martyrologium à Flacio quomodo collectum.

Keckerm. in method. Hiſtor.

Denique etſi in *Flacio* perfecta linguæ Germanicæ cognitio nunquam fuit, ut diſertè loquendi ſcribendive uſum haberet, libelli tamen ipſius nomen præferentes prodierunt, quos ipſe quoque pro ſuis agnovit. De illorum

tum numero sunt: *Liber* exponens causas, *cur ab Anti Christo discedere* Christiani omnes debeant, de *Scripturâ sacrâ ejusq; efficaciâ*, contra Schvvenckfeldium: *Confessio*, ut vocat, *Christiana de peccato originali*, contra Pelagianum ac Sophisticum accidens: *responsio ad* scripta *Christophori Lasii* de *peccato originis*, de *libero arbitrio*, de *conversione hominis* & *regeneratione*, aliaque permulta, de quibus bibliothecæ.

Hæc sufficiant de Flacio desumta ex historia Sleidani, Thuani, vita Melanchthonis à Camerario descripta, consiliis Theologicis Melanchthonis, & bibliothecis.

HENRICUS BULLINGERUS.

1575. 19 Sept. æt. 71.

Remogarta oppidum est Helvetiæ, qua iter ex Italia fit per *Alpes Lepontias* & *Lucernam* in Germaniam primam & Belgium, secundis fluminibus *Ursa* & *Rheno*: olim Austriacorum principum, hodie octo veterum pagorum imperium agnoscens. Hic natus est *Henricus Bullingerus*, anno Christi *millesimo, quingentesimo quarto*, die *decimo octavo* Julii, familia ante *ducentos annos* illic celebri, ac præcipuis honoribus functa.

Statim in ipsa infantia, ut à parentibus fuit observatum, bis de vita periclitatus, bis conservatus est. Primùm peste correptus, visus est animam agere, sed præter opinionem eorum, qui funus curaturi venerant, revixit. Deinde cùm parvulus fistulam inflans puerili more luderet, inter currendum lapsus, adeò illam graviter gutturi impegit, ut exanimis jacuerit, & quinque diebus cibum nullum admiserit.

1509.

Pater literarum peritus, supra modum eas amavit, ac filiolum hunc nondum *quinquennem* in trivialem ejus oppidi scholam deduxit, ubi statim indolem egregiam prodidit. Sed ea tempestate studia ferè erant nulla, ubivis locorum. Itaque imparem ingenio suo præceptorem nactus, non fecit eos in studiis, quos potuisset, progressus, etsi & æquales & ipsius magistri spem vicit.

Duodecimum ingressus *annum* à patre *Embricam* missus est, quod quidam existimant esse *Asciburgium* oppidum ducatus Clivensis, juxta Rheni divortium. Præceptoribus ibi usus est, *M. Casparo Glogovienſi*, *Petro Cochemensi Mosellano*, & *M. Joanne Ælio Monasterienſi*. Tradiderunt hi Grammaticam & prima studiorum rudimenta, ut tunc tempora, non infeliciter, quemadmodum sæpe amicis commemoravit. Ibi audivit *Aldi Manutii institutionum Grammaticarum* libros, *Ciceronis* & *Plinii* electas epistolas, itemque D. *Hieronymi*: *Virgiliana insuper & Horatiana* quædam, quibus adjuncta *Baptistæ Mantuani poëmata*. Nam qui tum scholis præerant, amabant politiores literas, simul tamen pio ac prudenti consilio scripta, quæ ad pietatem & mores formandos pertinebant, cum illis conjungenda existimabant, è quibus ornatus orationis petitur. Ideoque præstantissimis veterum *Mantuanum* conjunxere, cujus tum magnum erat nomen, & singularis doctrinæ existimatio. Exercebatur in ea schola juventus diligentissimè in *Grammaticorum* præceptis, tum *scribendo*, tum etiam Latinè *loquendo*, *disciplina morum* severa constringebatur, *religionis* quoque tum receptæ, magna cura & ratio habebatur, non ut verbis disceptarent, sed ut vita & factis sese pietatis studiosis ostenderent.

Baptist. Mantuani nomen olim.

Exercitia linguæ Latinæ.

Et disciplina in schola.

Fuit Bullingero hæc disciplinæ severitas non ingrata. Nam domi antea à parentibus ad pietatem adsuefactus, & natura bona, & virtutum studiosa præditus, sponte ea præstabat, quæ alii metu plagarum inviti faciebant. Adeò verò severioris disciplinæ studiosus fuit, ut tum quamvis puer adhuc, constituerit se *Carthusianorum* instituto adducere, quorum vitæ genus inter omnia monastica maximè austerum creditum. Attamen nihil temerè sibi faciendum existimavit, præsertim inconsultis parentibus, idque ut faceret & parentum consilia sequeretur, assiduum hortatorem habebat fratrem, ipso *octo annis* natu majorem, *Joannem*; qui tum in eadem schola literis operam dabat; & privatim ejus studia informabat. Hic postea Presbyterii ordine, ut vocant, suscepto, cum alibi in Helvetia, tum præcipuè apud *Uranios* aliquot annis ecclesiam pagi cujusdam rexit, & cum illis more gentis istius aliquoties in militiam abiit. Erat enim natura & ingenio hilari, animo magno atque paulò etiam audaciore, venationis & armorum quoque studiosus. Itaque cum *Uranis* prælio ad *Caranum* interfuit, & illis victis spoliatus omnibus rebus, inops & corpore vulneribus malè affecto domum rediit, atque ab eo tempore militiæ simul & Papistico sacerdotio valedicens, literis se denuò addixit, & ministerio ecclesiæ multis annis cum laude præfuit, ac tandem *Capellæ Tigurinorum*, anno *septuagesimo* supra *millesimum quingentesimum* mortuus est.

Cum religionis cura.

Ea Bullingero grata.

De Carthus. ordine amplectendo cogitat.

Joann. Bullinger frater Henrici.

Ejus vitæ periocha.

Deserit Pontific. & milit.

Docet Evangel.

Moritur, ætat. 86. An. 1570.

Porrò Bullingerus, de quo hic nobis sermo, *Embricæ* vixit *triennium*; & tunc à patre vestitum duntaxat & viaticum mediocre accepit, victum verò sibi comparare coactus, ostiatim canendo & mendicando, non quod patri opes deessent ad alendum filium, aut quod avaritia quadam sumtibus parceret, sed quod vellet eum reipsa experiri, quæ pauperum & mendicantium sit miseria, ut deinceps per omnem vitam cum ad egenos juvandos promtior, tum etiam in victu & vestitu frugi & modestus esse consueſceret &c.

Vivit pane mendicato Henric. Bulling.

Ex hac parca & severa cum patris tum Embricensis scholæ disciplina *Coloniam Agrippinam* venit, anno *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, cujus Academiæ nomen tùm celeberrimum erat. Nomen ibi dedit societati quæ *Bursa montis* vocatur, prælecti tùm magno studio *Logici libri*, non illi quidem sinceri, & ad usum accommodati, sed barbari & spinosis atque inutilibus disceptationibus re-

Coloniam venit 1519

Bursa montis colleg. ibi.

ferti, *Parva*, ut vocant, *Logicalia*, *Copulata Burſæ montis*, *vetus & nova Logica*, & præterea *Ariſtotelea* quædam, ſed ipſa quoque Sophiſtarum & barbarei luto fœdata atque contaminata. Fuerunt hæc ſtudia ingrata *Bullingero*, qui candidus & natura à Sophiſtica rixoſisque diſceptationibus, quibus tum ſcholæ perſonabant, erat alienus. Devoravit tamen iſthæc omnia patientia, ac *primàm*, ut vocant, *lauream* anno ætatis *decimo ſexto* eſt adeptus.

Logica qualis tradita.

Bullinger. Baccalaureus creatus 1520.

Interea cùm vanitatem iſtiusmodi ſtudiorum animadvertiſſet, & in ſocios egregiæ indolis rectiusque inſtitutos incidiſſet, neglecta *Burſæ montis Logica*, totum ſe dedidit audiendis viris clariſſimis *Matthæo Phriſemio*, *Arnoldo Veſalienſi* & *Joanni Cæſario*. Hi auditoribus ſuis tunc exponebant *Virgilii Georgica* & *Æneida*, *Horatii odas*, *Ariſtotelis de ſyllogiſmo & anima*; *Eraſmi de utraq; copia*, *Rodolphi Agricolæ de inventione*, *Ciceronis orationes*, *Pauli epiſtolam ad Romanos*, *Iſagogen in literas Græcas*, *cum Plutarchi Gryllo*. Hos igitur adſiduè tunc audivit, ſeque ſcribendis *epiſtolis*, *orationibus*, *dialogis*, *fictis narrationibus* exercuit. Domi legit *Quintilianum*, *Gellium*, *Macrobium*, *Plinium*, *Solinum*, *Melam*, *Juſtinum*, & *Eraſmi* varia. Scripſit eodem * tempore *duos dialogos adverſus* † *Pipercornum Judaum pro Capnione*: quem monachi & Theologaſtri tunc oppugnabant, de quo alibi.

Audit alios Præceptores. Et lectiones.

Exercitatio ejusdem.

Privatim quæ legerit.

* An. 1520. *Scribit pro Capnione.*

† *Vernaculè Præſerferon.*

Creſcebant ſub id tempus certamina Theologica. Itaque ne à vero aberraret: quærit è præceptoribus, quemnam potiſſimum ſibi cenſeant legendum. Remittitur ad *Lombardum*, cujus longo tempore præcipua fuerat auctoritas. Pater *Bullingerus*, evolvit diligenter Lombardum, adjungit & *Gratiani* decretum. Sed cùm videret veterum auctoritatem adduci, viſum eſt ipſos Patres legere & conſiderare. Habebant *Coloniæ* tum bibliothecam ſatis inſtructam monachi prædicatorii ordinis. Ad hanc aditum impetravit per *Georg. Dinerum* monachum popularem. Ibi in *Chryſoſtomi* incidit *homilias ſuper Matthæum*, legit, & *Auguſtini*, *Origenis*, *Ambroſii* quædam, inſuper *Lutheri de captivitate Babylonica*, de *libertate Chriſtiana*, de *bonis operibus*, domi ciam avidè perlegit, ſed expedire ſe è tricis errorum nec dum potuit. Vidit *Lutherum* propiùs ad veterum Theologiam, quàm ſcholaſticos accedere, obſervavit ſcholaſticos ſua Patrum teſtimoniis probare: Patres autem ipſos ſcripturarum niti auctoritate. Evolvit ergo ſcripturam, & præſertim *N. Teſtamentum*, cum *Hieronymi*, ac *veterum quorundam commentariis*, cepitque paulatim à Pontificia doctrina abhorrere, abjecitque propoſitum de *Carthuſianorum* vita amplectenda, mirabiliter delectatus libro *Melanchthonis*, qui *locorum communium* titulo prodiit.

Legit Lombardum.

Inde tranſit ad Patres.

Georg. Dinerus.

Lutheri quædam evolvit.

Sed hæret.

Accedit ad ſantes ipſos.

Magiſterii gradum anno ætatis *duodevicesimo* adeptus, (quo tamen poſtea nunquam uſus) domum rediit, ac annum totum paternis in ædibus ſtudiis atq; exercitationibus privatis exegit. Sub initium anni *viceſimi tertii*, *Capellam*, agri Tigurini cœnobium à *Wolffgango Jonero*, abbate eſt evocatus, ludoque literario præfectus. Manebat illi integra religio, nec quicquam ei negotii erat cum monaſticis votis & aliis ritibus, *munus* ejus erat, *monachos atq; aliquot bonæ indolis adoleſcentes in literis ſacris ac profanis erudire*. Interpretatus eſt auditoribus ſuis *Eraſmi paracleſin*, *compendium* item *Theologiæ*: *Melanchthonis locos communes*, omnesq; ferè *Novi fœderis libros*, idque Germanicè, quod monachorum quidam exiguum Latinæ linguæ uſum habebant, deinde & propter familiam abbatis ac vicinos, quorum haud pauci lectionibus iſtis intererant. Pomeridiano tempore *quatuor horis quotidie* tradidit *præcepta Grammatica*, *Dialectica*, *Rhetorica*, quædam *Virgilii* & *Ciceronis*, multa *Eraſmi*, cujus delectabatur ſcriptis. Conſumſit ibi *annos ſex* docendo partim, partim diſcendo.

Redit ad ſuos Capell. ludo præficitur 1523.

Ibi ejus quod officium.

Et lectiones.

Anno enim *viceſimo ſeptimo Tigurum* miſſus ab Abbate, per *menſes quinq; Zvvinglium* concionantem & in ſchola profitentem audivit: & *Hebrææ linguæ* operam dare cœpit, præceptore *Pellicano*: *Græcæ* etiam cognitionem, cujus fundamenta *Coloniæ* jecerat, auxit, ſub *Joan. Rhellicano*, *J. Jacobo Ammiano* & *Rodolpho Collino*, qui poſtea * diu in vegeta ſenecta lectionem Græcam cum laude ſuſtinuit. Domi verò plurima Latinè & vernaculè ſcripſit, quæ à *Simlero* † recenſentur, & pleraque in amicorum gratiam elucubravit, aut illis donavit, nullo reſervato ſibi exemplari. Commentaria tamen in novi fœderis libros poſtea Tiguri recognita & edita ſunt.

Mittitur Tigurum 1527.

Ibi audit Zvvinglium ad linguas diſcit.

* *Obiit hic Anno* 1578. *ætat.* 80.

Scribit plurima Bullinger.

† *In narrat. de vita & obitu hujus.*

Capellæ pervenit in amicitiam tunc *Wolffgangi Joneri* abbatis, *Petri Simleri*, *Zvvinglii*, *Oecolampadii*, *Vadiani*, *Halleri*, *Leon. Judæ*, *Ambroſii Blareri*, aliorum, præſertim *Bernæ* in publica diſputatione.

Amicos ſibi parat.

Mutata eſt eodem tempore *Tiguri* forma religionis, prohibitæ ſuperſtitiones & ambarvalia, ſublatæ *tumbæ*, ut dicebant *martyrum*, in quarum quibusdam nulla oſſa inventa, in quibus autem inventa, ea terræ mandata ſunt reverenter, non in præterfluentem abjecta. Remanebant *miſſa* & *idola* in templis, cautè agendum exiſtimante magiſtratu. Sed *Zvvinglio* informante, & idola & miſſa ſine tumultu, magiſtratus auctoritate, ſunt eliminata. Contulit *Zvvinglius* ſuam ſententiam cum viris doctis pluribus, & inter hos cum *Bullingero*, qui bona ei fide ſuam expoſuit ſententiam, quam ex fratrum *Waldenſium* & *Auguſtini libris* didicerat, ac tum totus in eo erat, ut Patrum judicium cognoſceret. Probavit *Zvvinglius* id, ſed monuit, ne cui id myſterii explicaret. Nondum enim tempus eſſe publicè id proponendi. *Tam mundus tunc erat opinione carnalis præſentiæ faſcinatus, ut nefas putaretur hac de re dubitare:* ac multorum conſcientiæ graviſſimè hoc dogmate * excruciatæ ſunt, quod id credere non poſſent & metuerent iram DEI, ſi dubitarent. Tandem *Zvinglius* paulatim de his ſuos ex verbo Dei erudire cœpit, & *Bullingero* ac aliis idem faciendi auctor fuit.

Religio Tiguri mutata. An. 1524.

Tumba martyrum

Zvvingl. confert ſuam ſententiam cum Bullingero.

" "

" "

" "

* *Vide vitam Pellicani.*

Itaque

Itaque ut *Tiguri* in frequentia populosa *Zvvinglius*, ita *Capellæ Bullingerus* paucis auditoribus doctrinam illam de sacramento Eucharistiæ proposuit, eamque scripto comprehensam *Steinero & Stockero Tugiris* misit. Secuta est ibi abrogatio Missæ, annoque sequente, *vicesimo sexto*, cœna Domini ritè juxta Christi institutionem ab Abbate, monachis, totaq; ecclesia celebrata, sublato etiam cantu illo monachorum, à plerisqae non intellecto. Monachi præterea ætatis integræ sed ad ministerium ecclesiæ inepti, opificia & mechanicas artes didicêre. Reformationem istius cœnobii duo impedierunt, *rusticanus tumultus & conflagratio domus Carthusianorum*, cui *Ittinga* nomen. Rusticos quidem tumultuantes & cœnobio inniantes, *Tigurini* senatus repressit auctoritas, suspicionem autem incendii, quo Capellani gravabantur, tempus sepelivit: *Bullingerus* autem tantum abest, ut animum desponderit, ut etiam longiùs paulatim progressus, non jam in cœnobio tantum, sed & extra illud in vicinia veritatem synodi jussu annunciarit. Anno etiam *vicesimo octavo* cum *Zvvinglio Bernam*, ad solennem disputationem, de qua antehac sæpius, abiit.

Anno *vicesimo nono Bremgartum* vocatus est, ubi jam antea pater ipsius ceperat publicè damnare Papisticos errores, sed quidam potentiores è civibus id non ferentes, eum urbe ejecerunt. Tandem tamen effectum est, ut cives oppidi *Gervasium Scholasticum*, virum pium & doctum, deligerent pastorem. Cùm verò *Bullingeri* nomen jam celebre apud Helvetios esset, multi civium ipsum quoque audire desiderabant. Vocatus igitur ab illis, ut in patria semel atque iterum concionaretur, consilio fratrum illuc abiit, & *decimo sexto* Maji, quæ erat dies *Pentecostes*, patriæ suæ Christum annunciare cœpit, tantumque effecit, ut jussu magistratus postridiè aræ & idola è templis sublata fuerint, & edicta promulgata de emendandis moribus contra *blasphemos*, *adulteros*, *ebrios*. Petebat senatus oppidi, ut maneret & docere pergeret. Quibus ille respondit, se senatui Tigurinæ urbis, atque etiam Abbati cœnobii obstrictum esse, sine quorum voluntate & consensu nihil agere possit. Missus ergò legatus *Capellam*, qui inde *Petro Simlero* comitante *Tigurum* venit: negotium civium consulibus & Tribunis proposuit, qui *Bullingerum* jussere in sua patria permanere. Mox ergo unanimi civium consensu sacris præfectus una cum collega *Gervasio* triennium ferè in hac statione permansit; ut Dominicis diebus à meridiè ac tribus proximis diebus manè concionaretur, & præterea singulis diebus ea hora, quâ ante vespertinæ preces decantabantur, Novi Testamenti lectionem, ad veritatem Græcam, tractaret. Accidit autem tunc Bullingero in patria idem ferè quòd Zvvinglio *Tiguri*. Cùm enim Evangelii negotium feliciter procederet, *Anabaptistæ*, quod ante Tiguri fecerant, ecclesiam nascentem turbare cœperunt. Cum his igitur publicâ disputatione congressus coram universa ecclesia, eorum conatus maxima ex parte infregit, & paulò post anno *trigesimo primo quatuor libros* vernaculâ linguâ *contra Anabaptistas* edidit, ac præterea *librum de censibus & decimis*. De his enim tum præcipuè contendebant, quærentes evangelii titulo & nomine novas tabulas, & immunitatem ab omnibus publicis & privatis oneribus. Eosdem libros *Leo Judæ* in Latinam linguam vertit, & ex elencho *Zvvinglii* multa intertexuit, postea verò auctor totum opus ad incudem revocavit, anno *sexagesimo*, cum multis in locis & præsertim in Germania inferiore Anabaptistarum numerus augeretur, ac sex libros Germanicè adversus Anabaptistas edidit, quibus Anabaptismi originem & progressum, & varias sectas eorumque præcipua dogmata exponit atque * confutat.

Eosdem refutat.

Interea graves in Helvetia motus orti: ac anno *vicesimo nono* miles à *Bernatibus Bremogartum* missus sed turbæ tamen istæ sine sanguine tum sopitæ fuerunt. Mox novæ belli causæ oblatæ, & tum alibi, tum *Bremogarti comitia Helvetiorum* habita, quo tempore Bullingeri concionibus sæpè interfuerunt non tantum veræ religionis socii, sed & Pontificiorum adsectæ, ut cognoscerent, quid & quomodo Evangelici docerent. Et in Bullingero quidem pacis studium omnes probarunt, qui suasit, *dissidium non armis ac mutuis cædibus, sed publica disputatione, commissis inter se concionatoribus, dirimerent*: verùm aliter fata ferebant. Ventum enim ad arma, & vincentibus his, qui Romanam sequuntur religionem, *Bullingerus*, cum patre, fratre, ac collega *Gervasio*, patria excedere jussus, ni præsentissimum vitæ adire discrimen vellet. Noctu igitur iter ingressus, evitatisque DEI beneficio hostium insidiis & manibus eorum, qui insequebantur, *Tigurum* venit, anno *trigesimo primo*, mense Novembri, ac triduo pòst in summò templo, petente id *Leone Juda* aliisque symmystis, concionatus est, hospitio exceptus cum suis à *Wernero Steinero*, amico veteri, qui *Tugio Tigurum* religionis ergo migrarat.

* *Scripsit & alia ut Chronic. Helvet. comm. in Dan. An.* 1529. *Turbæ in Helvetia ob relig. Comitia Bremogarti. Pontificii audiunt Bullinger. Ejus Consilium.*

Patria expellitur 1531.

Tigurum venit.

Wernerus Steiner.

Desiderabat tunc *Basilienses* ecclesia, post *Oecolampadii* obitum, pastorem. Nuncio ergo misso evocatus est à senatu *Bullingerus*, quod idem *Bernates* fecerunt. Sed mandante senatu Tigurino, abnuit, ac *Tiguri* mense Decembri à collegio ecclesiastico & senatu urbis renunciatus est pastor loco *Zvvinglii*, idque de ipsius *Zvvinglii* judicio, qui in castra profecturus, Bullingerum, si quid humanitus sibi accideret, successorem nominarat.

Evocatur à diversis.

Succedit Tiguri Zvvinglio.

Hoc ad munus tempore difficilimo vocatus, id operam dedit, ut afflictam graviterque concussam ecclesiam erigeret, confirmaretque. Insultabant tunc multi Evangelicis: edebantur libelli contumeliosissimi, mendaciorum pleni: *Joann. Faber* inter alios propter falsam doctrinam Tigurinos esse victos gloriabatur. Respondit publico scripto *Bullin-*

An. 1532.

Calumniæ & sarcasmi in Tigurinos. Io. Faber.

Respondet Bullinger. Defendit & Zvvinglium.

Bullingerus, ostenditq; *de religione judicium non ferendum ex felici aut sequiori successu.* Zvvinglium quoque *oratione de officio Prophetæ* edita, defendit, populum est solatus, calumnias modestè refutavit, multa dissimulando & patienter ferendo vicit, multis ad versum ipsum ac ministerium domi forisq; machinantibus. In eo autem totus fuit, ut à Zvvinglio inchoata absolverentur, & synopi quotannis binæ, concordiæ, consensusque & disciplinæ causa, instituerentur. Et cùm videret ecclesiam pluribus ministris opus habere, quando latè patet ager Tigurinus, multum in eo laboravit, ut justus studiosorum numerus publico stipendio, ad ecclesiæ ministerium educaretur. Initio quidem, cùm maxima pars opum ecclesiæ in presbyteros adhuc superstites erogaretur, exiguus admodum eorum fuit numerus, sed paulatim crescentibus ecclesiæ opibus, Bullingero subinde urgente, auctus est adeò, ut & vicinis *Turgeis*, *Toggiis* aliisque urbs Tigurina ministros suppeditarit. *Bibliothecam* quoque publicam, eo usque ferè neglectam, per *Conradum Pellicanum* in ordinem redigendam curavit, eamque plurimum bibliothecâ *Zvvinglii* coëmta additaque auxit. Nactus præterea collegam *Theod. Bibliandrum*, totum sese concionibus publicis dedidit; domique scribendo & commentando se exercuit.

Synodos constituit.

Curat studiosos Theolog. alendos.

Bibliothecam item ordinandam.

Zvvinglii bibliotheca.

Collegam Biblian. drum accipit.

Anno *trigesimo secundo Bucerus* concordiam inter *Lutherum* ejusque sequaces, & *Tigurinos* tentavit, conatus persuadere ministris illorum, dissensionem in verbis, neutiquam in reipsa versati. Tigurini, ut pacis sic cupidos, ita veritatis quoque ostenderunt. Amisit etiam tunc patrem *Bullingerus*, *sexaginta quatuor* annos natum, qui moriturus filium ad constantiam in doctrina & fide est hortatus, quæ unica sit & sola salutis via. Anno *trigesimo quarto* Bullingerus, nomine ministrorum Tigurinorum, *confessionem fidei* conscripsit, quæ *Constantiam* ad *Bucerum*, ubi & *Suevicarum* ecclesiarum ministri synodum habebant, missa, & *Buceri* & totius synodi judicio est approbata. Scripsit tum & *Orationem de Testamento seu fœdere DEI*, contra quosdam, qui omnia antiqui fœderis testimonia rejiciebant & aliam, qua *duas in Christo naturas* adserit divinam & humanam, occasionem præbente quodam *Claudio Allobrogo Serveti* emissario, à cujus veneno Helveticis etiam ecclesiis tum periculum. Anno *trigesimo quinto Georgius* Wirtembergicus Comes ecclesias suæ ditionis in *Alsatia* reformaturus, *Tiguro* ministrum evocavit. Missus ergo *Erasmus Fabritius* fuit, & Vivo Principe doctrina ritusque Tigurinis conformes manserunt, ipseque Princeps *Tiguri* commoratus *Bullingeri* consilio in multis religionis controversiis usus est. Sed post obitum ejus tota ferè ecclesiæ forma est immutata.

An. 1532. Concordia à Bucero tentata.

An. 1533. Patrem amittit Bulling.

An. 1534. Confessionem fidei scribit.

An. 1535. Georg. Comes Wirtemb. reformat.

De Bullingeri Consilio.

An. 1536. Concordia inter Lutheri & Helvet. tentata.

Concordiæ deinde conciliandæ causa aliquot *Basileæ* conventus habiti sunt, quibus omnibus *Bullingerus* interfuit, plurimumq; in eo laboravit, ut firma inter *Lutherum* & *Helveticas ecclesias* concordia iniretur: adeò ut quidam eum in suspicionem vocarint, quasi *defectionem ad Lutherum moliretur*. Sed ipse & verbis & factis se purgavit. Cùm enim ambigua quædam *Capito* & *Bucerus* usurparent: *Bullingerus* & ministri alii ut ea reciperent, adduci nunquam potuerunt, quin *Bullingerus* monuit, *a flexiloquentia abstinerent, qua concordia firma & stabilis fieri nunquam possit.* Et quid secutum sit eventus docuit. Interim tamen Bullingerus concordiæ non defuit, neque à se dissentientes damnavit, renovatoque certamine, quantum potuit ab omni verborum acerbitate sibi temperavit.

Interest conventibus Bullingerus.

Concordiam sperat concil.

Sed non insidiosam. Non damnat à se dissent. Bullng.

Anno *trigesimo octavo*, Bullingeri suasu magistratus Tigurinus *novum studiosorum collegium* instituit. Duo enim habet urbs illa pervetusta collegia, summi templi unum, à *Clodoveo III. Francorum* Rege fundatum. Hoc attributum est ministris ecclesiæ, & his qui publicè in schola docent, qui unà cum *administratoribus decem* numero in locum totidem canonicorum successerunt, reliqui reditus collegii in usum scholarum expenduntur, & studiosi adolescentes supra *quinquaginta* stipendium annuum, ut literis vacent, accipiunt. Alterum collegium à *Ludovico Germanico* Pii F. extructum, nobilibus virginibus olim dicatum fuit. Eò loci institutum est *novum collegium*, in quo *quindecim adolescentes* unà cum Præceptore aluntur, atque illis victus, vestitus, libri, omniaque necessaria liberaliter suppeditantur, idque Bullingerus suo consilio aperuit, & quoad vixit, amavit, & diligentem ejus curam habuit.

Collegi studios. novum Tiguri.

An. 1538 Clodov. colleg. ibi.

Ejus hodierna administratio.

Collegium Ludovici.

Venere his annis aliquot *Angli* nobiles *Tigurum*, qui Bullingeri hospitio usi sunt, & de præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, deque ecclesiæ ritibus & ceremoniis ejus sententiam diligenter perquirebant. Postquam enim *Henricus* VIII. Angliæ Rex jugum Papæ abjecit, *Anglorum* studia ad amplectandam puram doctrinam, quæ dudum ipsis illuxerat, magis accensa sunt. Qui igitur Tigurum venerunt, institerunt ad Bullingerum, ut aliquid regi suo scriberet, *de Scriptura & Episcopis*, de quibus multa in Anglia disceptabantur, quo confirmari possit in instituto suæ reformandæ Ecclesiæ. Is igitur obsequens scripsit ad *Henricum* Regem libros duos, primum *de Scripturæ sanctæ authoritate, certitudine firmitate, & absoluta perfectione*, ac his omnibus demonstratis, exhortatur ipsum, ut, omnibus hominum, decretis postpositis & neglectis, se totum verbo DEI tradat, & juxta Scripturas Canonicas omnia in regno suo instituat. Secundum verò *de Episcoporum*, qui verbi DEI ministri sunt, *institutione & functione*, contra superstitionis tyrannidisque Romanæ antistites.

Angli Bullingeri hospites.

Scribit ad Regem Angliæ Bulling.

Sequente anno *trigesimo nono* libros *de origine erroris* recognitos & auctos magna accessione,

An. 1539. Evulgat & alia scripta.

cessione, denuò publicavit, & præterea *Vigilii libros* una cum *Vadiani* ad se *epistola*, qua explicatur quæstio, *an corpus Domini nostri Jesu Christi propter conjunctionem cum verbo inseparabilem, sumat sibi alienas à corpore conditiones.* *Casparus* enim *Schvvenckfeldius* nobili familia natus apud Silesios, amicus quondam Zvvinglio & Helveticis ecclesiis, de corpore Christi docebat: illud *post assumtionem in cœlos & sessionem ad dextram Patris, ita deificatum & verbo exæquatum esse, ut non amplius sit creatura.* Hanc ejus doctrinam multi per *Sueviam* Viri nobiles amplexi sunt, eamque commendavit cum studium gloriæ CHRISTI, quam se asserere & huic uni studere cum suis gloriabatur; tum auctoris ipsius mores & vitæ integritas, quam plerique prædicabant, & præsertim singularis humanitas. Neque enim à se dissentientes convitiis, ut multi tum, consueverat proscindere, sed patienter ferre & amicè complecti. Cum verò multi hac super controversia Bullingerum consulerent: noluit ille pro sua modestia quicquam privato consilio respondere, sed & domi cum collegis de hac controversia deliberavit, & *Vadianum*, quo familiarissimè utebatur, consuluit: Cujus responsio doctè & accuratè conscripta, cum Bullingero admodum placeret, eandem aliis communicavit, atque ut veteris ecclesiæ sententia de eadem quæstione simul cognosci possit, *Vadianæ epistolæ*, conjunxit libros *Vigilii Martyris* olim contra *Eutychianum errorem*, conscriptos, in quibus humanæ naturæ veritas & veri corporis proprietas in Christo servatore, etiam in gloria existente, perspicuis ac solidis scripturarum testimoniis asseritur.

Anno *quadragesimo primo* pestis Tiguri grassata est: abstulitque Bullingero filium è tribus natu minimum, & matrem *septuagenariâ* majorem.

Añus *quadragesimus secundus*, eripuit duos in Helveticis ecclesiis celebres ministros *Joann. Zvviccium* Constantiens. in *Turgeæ* oppido, *Episcopi Cella* dicto: *Tiguri* verò *Leonem Judæ*, Zvinglii primum, postea Bullingeri collegam, utrumque multis annis ejus conjunctissimum. Hic Biblia, ut in ejus vita dictum, juxta Hebræam veritatem Latinè transferre cœperat, sed opus affectum à collegis deinde est perfectum. Ejus typis excusi exemplar, cum typographus eleganter compactum ad *Lutherum* misisset, monuit eum epistola Lutherus: *Ne sibi posthac quicquam mitteret, à ministris Tigurinæ ecclesiæ profectum. Se enim nullum cum eis commercium habere, & libros eorum nec recipere, nec legere velle. Nam ecclesias Dei cum eis communicare non posse. Multos quidem labores vos sustinere, sed irritos & frustraneos, quandoquidem & ipsi jam damnati sint, & alios quoq; miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaq; damnationis, & blasphemæ doctrinæ eorum nolle consortem esse, sed, quoad vivat, & precibus eos, & libris oppugnare constituisse.*

Hic Bullingerus videns, quo animo Lutherus in Zvvinglium ejusque doctrinam esset, quidve deinceps ab eo exspectandum, cum typographo egit, *opera Zvvinglii* conjunctim ederet, ut & præsentes & posteri cognoscerent, qualem doctrinam Helveticis ille ecclesiis tradidisset. Vernacula à Zvvinglio scripta, *Rodolphus Gualterus* Latinè vertit, addita apologia pro Zvvinglio & scriptis ejus. Bullingerus autem *commentariorum in Evangelium Joannis* libros *decem* edidit, eorumque exemplar ad *Melanchthonem* misit, qui literis ad eum scriptis opus probavit ac laudavit. Respondit Bullingerus anno *quadragesimo quarto Joanni* etiam *Cochleo*; qui librum contra Bullingerum *de scripturæ canonicæ & ecclesiæ Catholicæ auctoritate ediderat.* Refutavit & alio libello ejusdem *Replicam*, addita expositione, de *sancta Christi Catholica Ecclesia.* Edidit quoque *Commentarios* in Evangelium *Matthæi.*

Sub id tempus prodierunt in Saxonia *Lutheri annotationes in Genesin*: quibus passim acerbè in Sacramentarios invehitur. Mox submisit, frustra obsistente Melanchthone, *brevem confessionem de Cœna Domini*, in qua *Zvvinglium*, *Oecolampadium*, eorumque discipulos *Tiguri* & alibi, apertè hæreticos, sacramentorum hostes, æternumque damnatos dicit. De hoc libello ita Melanchthon ad Bullingerum. *Fortassis priùs quam hæ meæ literæ ad te perferantur, accipies atrocissimum scriptum Lutheri, in quo bellum de Cœna Dominica instaurat. Nunquam majore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare ecclesiarum pacem. Tollent cristas inimici nostri, qui defendant idola monachorum, ac rursus Ecclesiæ nostræ magis distrahentur, qua ex re ingentem capio dolorem. Nam privato periculo, quod nunc mihi impendet, etsi non est leve, tamen tantum non moveor, quantum Ecclesiarum nostrarum & literatorum distractionibus.*

Videbatur tunc aliis, inter quos *Bucerus*, Luthero jam seni, & benè de Ecclesia merito, & fortè ab aliis instigato, parcendum, nihilque respondendum, alii contra rescribendum, & quidem acriter, statuebant: cùm nec publicè nec privatim læsus vivis defunctisq; insultaret, cavendum ne veritas turpi silentio prodatur: non permittendum, ut unus plus reliquis omnibus possit: Lutherum ipsum, si viri doctique se opponant, diligentius rem expensurum, alios etiam ita commotum iri, ne tyrannidem exerceant, utque cunctantes apertè sententiam suam profiteantur. Bullingero itaque respondendi officium est demandatum, qui *Apologiam* edidit, adjuncto illo Lutheri scripto, ut omnia rectius inter se conferri ac dijudicari possent. Egit in eo scripto primum de *colloquio Marpurgensi*, & *concordia inter Lutherum atq; Helvetios* constituta, deinde *summam fidei doctrinæq; Helveticarum ecclesiarum* exposuit, postremò *crimen hæreseos* & *alia convitia* refellit. Missa est ea Apologia multis principibus ac reb. publ. per

Ger-

Opera Zvinglii.

Et Bullingeri in Joann. Commentarii.

An. 1544. Resp. Joh. Cochleo Bullinger.

Lutheri in Genesin. Comment.

Et brevis Confessio.

Qua Tigurinos damnat.

Melanchthon. de ea epistola.

Luthero an respondendum deliberatur.

An. 1545. Respondit Luthero Bullng. Summa ejus scripti.

Germaniam, & lecta avidè tum ab adversariis, qui de recrudescente dissidio in sinu gaudebant, tum ab Evangelicis, quorum multi diligentiùs rem totam pensitarunt, & rectius de sacramentis senserunt. Pleniùs deinde ut se explicaret Bullingerus, scripsit ac Londini edidit librum hoc titulo: *Absoluta de Christi Domini & Catholicæ ejus ecclesiæ sacramentis tractatio.*

*An. 1546. * Vita Lutheri.* Secuta est proximo anno mors * Lutheri & bellum Germanicum. Ibi tum à multis *Tigurini* accusati sunt: quòd *mortuo Luthero insultarent, in Domino quiescentem convitiis proscinderent, & gloriarentur, præ dolore ipsum mortuum, quòd Apologiæ non posset respondere, nolle item eos ferre, qui confessioni, nomine Helveticarum ecclesiarum Basileæ conscriptæ, & Luthero oblatæ se adjungerent.* Monuit de his *Bullingerum* Illustriss. Hessorum Princeps *Philippus.* Ille re cum fratribus comunicata, nomine omnium rescribit, ac primò *gratiis pro zelo pio, pro concordia ecclesiæ promovenda, & benevola admonitione actis, ostendit sibi plurimum dolere, quod turbulenti homines hujusmodi criminationibus falsis Helvetios in odium Principis ac aliorum adducere conen-*
" *tur. Nec enim esse moris Helvetici, ut*
" *quenquam in concionibus aut lectionibus pu-*
" *blicis ac Theologicis conviciis proscindant;*
" *nedum Lutherum, optime de ecclesia meritum. Et quamvis ipse Lutherus, in certamine sacramentario, contumeliosissimè Tigurinos appellasset, nunquam tamen eos, nisi honorificam ejus feciſſe mentionem. Constare autem ipsis, etiam tunc in Saxonia ministros complures non nisi cum contumelia Tigurinorum meminisse: Suermeros, Iconomachos, Sacramentarios, blasphemos nominare, imò Marpurgi, in ipsius Principis Academia, Theobaldum Thammerum in publicis lectionibus ipsos multis onerare probris. Petere igitur innocentiæ ipsorum rationẽ habeat, silentiumq; conviciatoribus indicat. Quod verò dicantur, expellere amplectentes Basileensem confessionem, in eo quoq; fieri eis injuriam. Neminem enim propterea a Tigurinis ejectum, neo quidem causam esse ullam, cùm inter ipsos sit consensio super eo dogmate, modò verba dextre intelligantur. Quod Tigurinis objiciatur, id ipsum fieri illis in locis, ubi Lutherani dominentur. Expendendum id relinquere ipsi Principi. Quod autem in aula Cæsaris sacramentaria controversia ipsi objecta sit, id sibi dolere. Sed auctores certaminis ipsos non esse, provocatos causam bonam deserere, aut famam vivorum mortuorumve negligere non debuisse. Certum ipsis, perseverare in ea fidei simplicitate, quam in confessione Basileæ publico nomine scripta professi. Sed plura à se exigi, ut nullam faciant mentionem spiritualis manducationis, tantum corporalem præsentiam confessi. Id per conscientiam facere non posse,*
" *multo minus cum Luthero confiteri, panem*
" *esse naturale corpus Domini, quod impii &*
" *Judas corporaliter non minus sumant quàm*
" *Petrus & omnes Sancti.* Hæc enim Lutheri verba. Ad hæc, *Lutherum cum suis scripsisse, excepta transsubstantiatione, de sacramento per omnia consentire cum Romanâ ecclesia, quod Tigurini neutiquam probare possint. Paratos tamen pacem servare, & concordiam tueri, modò ne petatur, ut ea dicant & concedant, quæ nec intelligere, nec alios docere possint. Postremo petere ne principes aut alii post hac quibuslibet fidem habeant. Semper se ad doctrinæ suæ rationem reddendam paratos, ac pacis studiosos fore.*

Tigurini quorum accusati.

Eos purgat Bullinger ad Land. gravium Hassiæ.

Convicia in Tigurinos.

Theobald. Thammerus.

Non displicuit hæc responsio Landgravio, amico *Tigurinorum*, interque eos Bullingeri, ad quem etiam ex castris, moto bello, aliquoties scripsit. Petiit idem, ut *Helvetii* evangelici auxilia mitterent Protestantibus, quod illi gravibus de causis renuerunt, & docuerunt, satius esse quiescere. Si enim evangelici suas copias mitterent, statim Romanæ religionis pagos suas quoque Cæsari missuros, qui hactenus, quamvis petente Cæsare ac Papa, suo exemplo quievissent. Aliquot tamen millia Helvetiorum absque publica auctoritate urbibus Imperii militarunt. Ministri, quod muneris ipsorum erat, pro pace ac Germaniæ totius salute, preces ad Deum, convocato populo tunc adsiduè conceperunt.

Landgravius auxilia petit ab Helvet. tiis bello Germ.

Abnuunt Helvetii & cur.

Victis deinde captisque principibus, *Georg.* comes *Wirtembergicus Tigurum* concessit, sæpe Bullingeri, ut nuper diximus, usus consilio. Venit eodem *Joann. Hopperus*, postea *Gloucestrensis* in Anglia episcopus & martyr, cum uxore, vixitque familiarissime cum Bullingero, & in omnibus religionis capitibus, inprimis de sacramentis, sententiam Helvetiorum exquisivit, & quid adversariis respondendum didicit. Prodiit anno *quadragesimo octavo*, monstrosus partus, quem *Interim* nominarunt, edictum Cæsaris; quo nervi sanæ doctrinæ incidebantur, de quo nolumus cramben sexcenties coctam. Hoc saltem addimus, & *Calvinum* & *Bullingerum* cum multis refutatum id iviſſe, sed typographos id scriptum, metu Cæsaris, evulgare noluisse. Quid autem peperit ille liber malorum, vel una *Constantia* ad lacum *Acronium* loquetur. Pulsi suis sedibus ministri multi, *Tigurum* concesserunt, humaniterque à Bullingero ac fratribus excepti, aliisque per Helvetiam evangelicis urbibus fuerunt commendati, etsi probè norant, sibi eos aliquando infensissimos fuisse, sicut & postea eorum nonnulli domum reversi, ac omnis humanitatis obliti, acerbissimè *Tigurinos* oppugnarunt.

An. 1547. Georg. Comes Wirtemb. Tigurum venit.

Joann. ibidem Hopperus Foxus in martyrol.

An. 1548. Interim Cæsaris. Refutatum à Calv. & Bulling.

In illis Germaniæ motibus, quæsiverunt *pagi Catholici* dicti ab evangelicis: *num se concilio universali, libero, & Christiano subjicere, ejusq; decreta amplecti velint?* Ardua visa quæstio, impium quippe, nolle probare concilium universale, & decreta à Spiritu sancto profecta, rursum periculosum, simpliciter adsentiri, cùm Pontificii istis titulis ornarent *concilium Tridentinum.* Consulti igitur ministri ecclesiarum, & apud *Tigurinos* deliberatione habita Bullingerus scripto respondit, cujus hæc summa. *Primò* ostendit, quæ

Evangelici an concilio se submittere velint? Disceptatur utrinque.

Respondet Bullingerus.

quæ rario fuerit conciliorum in veteri & Apostolica Ecclesia, & quæ hodie Pontificiorum. *Deindè* docet, quale concilium sit, à Cæsare in comitiis nuperis promissum *Tridenti* celebrandum. Indictum id postulante Cæsare, à Papa ex consilio cardinalium, inque eo Papæ nomine tres cardinales præsidere. Neminem jus suffragii ac sententiæ decisivæ habere, præter juratos Papæ prælatos. *Tertio* admitti quidem sub fide publica eos, qui Papæ contradicunt, sed ad hoc tantum, ut audiantur. *Præterea* in concilii indictione scribi, id convocari ad exstirpandas hæreses. Jam certum esse: doctrinam Evangelicorum à Papa & suis nominari hæresin, ipsosque hæreticos. Episcopos & reliquos evocatos juramento obstrictos esse ad defendendam Romanam sedem, & exstirpandos adversarios. *Quinto* sententias ferendas in concilio isto, non ex scripturis tantum: verùm etiam ex Patribus, traditionibus, & secundum Ecclesiæ suæ interpretationem. *Sexto* Episcoporum multos esse indoctos & turpis vitæ: quibus tamen ibi locus concedatur. Tale ergo cùm sit, quod jactetur concilium, non posse Evangelicos ei suam subjicere doctrinam. Neque hanc recusationem iniquam esse; cùm & *Paulus* Apostolus, & *Athanasius* atque *Ambrosius* Episcopi, se iniquis conciliis subjicere recusarint. Concilium æquum non recusari, si quando, per Dei gratiam, sperari possit: in quo judex sit Canonica scriptura: & certò constet ubi, quomodo, à quibus, & cur celebrandum: alioqui non esse tutum, subjicere se concilio, de quo non constet, quale futurum sit. Instituisse Evangelicos ab initio religionis causâ *colloquia* quædam & *disputationes* publicas: evulgasse etiam fidei suæ *Confessionem*, addita semper hac clausula: *si quis meliora edoceat, semper paratos fore: ut humiliter verbo Dei se subjiciant.* Quare si Christianum & liberum concilium, solùm ex scripturis Canonicis judicet, & de controversiis religionis pronunciet, paratos esse, illius audire sententiam. Placuit hoc concilium magistratui: & in eandem ferè sententiam plerique aliarum urbium Theologi suo magistratui responderunt. Etsi enim simplex promissio, *probaturos sententiam universalis, liberi, & Christiani concilii in Spiritu sancto congregati*, per se non fuisset impia: tamen quia aliter concilium Christianum Pontificii, aliter Evangelici intelligunt; satiùs judicarunt sententiam suam ab initio perspicuè exponere, quàm postea, ubi ad rem ventum fuisset, de verborum interpretatione ac sensu altercari.

Anno sequente *quadragesimo nono* facta est consensio, *Calvini* & *Genevensium* cum *Tigurinis* in re sacramentaria. Etenim multis videbatur *Calvinus* diversum quid à Tigurinæ Ecclesiæ ministris de cœna Domini tradere; ac *consubstantiationi* non nihil favere. Quare ut se ab hac suspicione liberaret, adjuncto sibi *Farello* Neocomensium pastore, *Tigurum* profectus cum ministris Tigurinæ Ecclesiæ de causa cœnæ contulit. Consensionis hujus formula à Calvino & Bullingero conscripta, ab reliquis Helvetiæ & Rhetiæ Ecclesiis approbata, & posteè in publicum edita est: atque hoc vinculo non tantum Ecclesiæ arctiùs inter se conjunctæ sunt; sed multi quoque viri boni alibi in agnitione veritatis confirmati. Adversarios autem consensio hæc magis irritavit; ut acerbiùs scriptis in Evangelicos inveherentur.

Fœdus Helvetiorum cum Rege.

Mortuo in Gallia *Francisco* Rege, ejus successor *Henricus* cum Helvetiis agere cœpit de renovando fœdere; & Tigurini non tantum à Regiis legatis; sed ab Helvetiis quoque hoc nomine sæpè appellabantur.

Ab eo Bullinger dehortatur.

Hic cum Bullingeri magnam esse authoritatem omnes nossent: qui suos à fœdere hoc dehortabatur; multis rationibus illi persuadere conati sunt: id utile reipub. fore; ideòque assentiendum omninò esse. Sed ille constanter in veteri sententia persistens, senatum populumque Tigurinum ab hoc fœdere est dehortatus; docens, *non esse jus aut fas homini; ut se mercede conduci patiatur ad fundendum sanguinem miserorum, & plerunque innocentum hominum à quibus nulla ipse unquam injuria affectus sit. Majorum, qui forti manu libertatem Helveticam asseruerint, mores imitandos esse: qui ab hujusmodi vitæ genere alienissimi, domi suo sibi labore victum parantes, nulli Principi se addixerunt, neque suam libertatem venalem habuêre. Hujusmodi fœderibus libertatem Helveticam, & exteris Regibus atque principibus prostitui multis rationibus adductis ostendit, & quæ incommoda hoc fœdus allaturum esset, commemoravit.* Facilè autem à Tigurinis obtinuit; ut isthoc fœdere abstinerent. Memores enim cladium, quas acceperant dum exteris regibus se addixerunt, & civilium quoque dissensionum, quæ inde exortæ fuerant: & cum his conferentes pacem & tranquillitatem, qua domi fruebantur: omnes in repudiando fœdere, & legibus veteribus atque consuetudinibus servandis consenserunt.

Helvetiorum majores.

An. 1550. Decades Bullingeri.

Anno *quinquagesimo* editæ sunt *decades sermonum* duæ *quarta & quinta*, *Eduardo* Angliæ Regi inscriptæ: & quia tum libera Evangelii prædicatio Anglis concessa fuit; frequentes literæ à Bullingero ad proceres aliquot Anglos, Episcopos atque Ecclesiarum ministros conscriptæ sunt. Respondit etiam ministris Ecclesiæ *Emdensis*, quibus tum proponebatur reformatio quædam nova introducenda in Ecclesiam, non dissimilis in quibusdam *Interim Cæsario*. Monebat, cùm constet *Papistas & Interimistas insidiari orthodoxæ doctrinæ, ut eam infamem reddant; ideoque ceremonias abolitas obtrudere: ut gloriari possint, eos ædificare, quæ antea destruxerint: monuit, inquam, caverent: ne veteres Papisticos ritus recipiant cum Ecclesiæ scandalo & dissipatione. Requirere Deum puram simplicitatem, & simplicem puritatem: quam ipse*

Respondet Emdensibus.

in verbo suo tradidit nobis perfectissimam. Ab hac non licere nobis deflectere, vel ad dextram, vel sinistram. Perseverandum igitur in iis, quæ ab Apostolis tradita: fugienda, quæ fugere præceperunt Apostoli. Decretum illud arridere multis: sed nihil aliud esse, quàm Isagogen ad Papismum. Clamitare adversarios quidem: eos, qui hæc rejiciunt, cerebrosos & pacis publicæ perturbatores esse: sed hoc immeritò Helvetiis impingi: qui ea sapiant, quæ scripturarum sint, & in his constanter perseverent. Ab illis potiùs turbari pacem; qui conscientias fidelium perturbent; & servituti Antichristi rursus subjiciant. Ornari multa titulo ἀσεβείας; quæ non possint defendi ullis scripturis: imo quorum pleraque cum scripturis ex diametro pugnent. Proinde standum in veritate; & sanctificandum nomen Domini. Simul etiam ad quæstiones transmissas ordine respondit.

Adiaphorum titulo multa ornata.

Anno *quinquagesimo primo*, mense Junio *Badenæ* in publico Helvetiorum conventu, nuncius Pontificius, allato, ut vocant, *brevi Apostolico*, petiit: ut Prælatos suæ ditionis *Tridentum* ad concilium mitterent, unâ cum doctoribus ipsorum & concionatoribus. Hortatus etiam est; ut majorum suorum exemplum imitentur, in reverentia & obedientia sedis Apostolicæ. Quæsivit denique, num Helvetii sedem Romanam libertatemque Ecclesiæ sint defensuri, ac rebelles punituri? De his Bullingerus cum collegis, non solùm à suis, sed etiam ab aliis, consultus, *librum* conscripsit; quo demonstrat *concilium Tridentinum institutum esse ad opprimendam veritatem:* qui Latinè quidem non est editus, sed *Italicè*, in eam linguam translatus & auctus, *à Petro Paulo Vergerio*, cui auctor legendum dederat. Summa hæc fuit. *Negavit* Bullingerus, Helvetios Evangelicos Papæ obedientiam ullam debere: cujus jugum pridem abjecerint. Romanum imperium illos agnoscere, à quo & privilegia multa habebant: neque tamen ad Imperii conventus venire, etiam à Cæsare vocatos; idque pravibus de causis: multò minus Romano Episcopo obtemperaturos in rebus animarum salutem ac fidem concernentibus; in quæ ipsi nihil sit juris. Prælatos in agro Tigurino, qui mittantur, esse nullos, & ne quidem consultum videri, ut Pontificii Prælati è publicis præfecturis, quarum imperium ad Tigurinos queque pertineat, mittantur: parci posse hac in re magnis sumtibus. Finem concilii esse, ut Papistica religio servetur: id verò Prælatos alioqui facere. Concionatores aliter vocari, quàm Prælatos: cùm in brevi nulla illorum fiat mentio. Verùm cum non de persona ministrorum; sed de doctrinâ agatur, judicio Papæ & concilii subjiciendâ, quemadmodum Cæsar postularit: etiamsi aliqui mitterentur, nihil id usui fore. Concilium nihilominus perrecturum, præsertim septem jam sessionibus habitis ac conclusis, quicquid illi proposuerint aut disputarint: nec posse vel ministros vel Ecclesias ipsas sese subjicere concilio. Nec enim celebtari Apostolico more: Tigurinis esse iniquum, utpote in quo præsideant Papæ mancipia; quos Evangelici hactenus accusarint. Tigurinos & alios inquè esse damnatos. Non recusaturos concilium liberum, universale, Christianum, veritatis inquirendæ causa indictum. Tridentinum non esse universale: cùm non omnia Christianitatis membra admittantur, neque Anglia & plura regna in id consentiant. Nec esse liberum & securum; cùm universa potestas sit penes solum Papam. Nec Christianum, cùm in eo non de Christi, sed Papæ honore agatur, & præter scripturam, secundum libros non canonicos & traditiones concludatur. Hæc ferè fuit summa.

An. 1551. Helvetii ad concil. Trid. vocati à nuncio Pontificio. Ejusdem postulata.

Bullingeri scriptum de Concil. Trident. Italicum. Summa illius.

Interea *Genevenses* in Ecclesia dissidium ortum fuit de *electione divina*, *Hieronymo Bolseco* medico publicè doctrinam *Calvini* oppugnante, & plebem, ne se ab eo seduci pateretur, hortante. Respondit ei Calvinus, erroremque testimoniis scripturæ, & D. *Augustini* compluribus revicit. Sed cùm ille in errore perseveraret, & consensum aliorum ministrorum, ac nominatim *Bullingeri*, jactaret: visum est senatui & fratribus Genevensibus sententiam eorum percontari. Respondit Bullingerus cum fratribus, & ita respondit: ut omnibus appareret: illum, qui docebat *electionem ex fide pendere*; *fidemque ipsam non minus ex proprio hominis motu, quam ex cœlesti inspiratione oriri*, malitiosè abuti *Tigurinorum* nominibus. Constat quidem *Bullingerum* multis fuisse suspectum; quasi non idem quod *Zvvinglius*, de *æternâ DEI providentia & electione*, deque *humano arbitrio* sentiret: sed qui sic judicarunt, injuriam ipsi fecerunt. Nam cum quidam in privatis congressibus & publicis etiam cætibus ita de his mysteriis disputarent, ut dicerent: *hominem etiam invitum cogi ad peccandum, & Deum causam peccati adsererent:* oppositi se eis, ac monuit: sobriè de tantis rebus loquendum: ne inde homines ansam arripiant, scelerum suorum culpam aliò derivandi & blasphemandi Deum. Itaque hoc studebat; ut doceret suos agnoscere *gratuitam Dei benevolentiam, qua nos absque ullius dignitatis nostræ respectu elegit: fidem semper præsicavit donum Dei esse idque gratuitum, per quam Christi efficiamur participes: viribus hominis non renati nihil esse attribuendum nisi corruptionem, culpã & pœnam.* Expositi autem in variis scriptorum suorum locis, quid de tantis mysteriis sentiret; maximè in *Decadibus sermonum*, in libris *adversus Anabaptistas*, & in *compendio Christianæ religionis*. Ac fuit revera summus consensus inter ipsum & *Calvinum* atque *Martyrem*; quod non tantum arctissima eorum amicitia confirmat; sed consensio etiam cum Calvino & Genevensi Ecclesia in re sacramentaria testatur, ubi ab initio summi hujus negotii paucis, sed dilucidè comprehenditur.

Hier. B. fecit. Calvin. dissidium super Electione divina.

Ad id Bullingeri pertinet. Quæ ipse Bonifac.

Suspectus aliis.

Sed non sua culpa.

Consensus inter Bullingerum, Calvinum & Martyrem.

Anno

A. 1552. Anno *quinquagesimo secundo*, quo bello tota ferè arsit Germania; cum domi pax esset, sed non sine annonæ caritate: Bullingerus scripta non pauca elaboravit, ad *consolandos afflictos* & ad *pœnitentiam excitandam* accommodata. Eo Germaniæ Principum bello *Landgravius Hassiæ* è captivitate liberatus, suisque redditus, literis ad Bullingerum datis petiit: *Thammerum*, si fieri posset, ab errore in viam revocet: misitque cum ipso Thammero virum nobilem, qui actioni interesset, *Fridericum à Thamm.* Bullingerus adhibitis aliis fratribus multi cum Thammero egit, sed frustras. Impugnabat autem *Thammerus* doctrinam de *fidei justificatione, scripturæ auctoritatem elevabat; ac scripturarum simplicem & Grammaticum sensum non pluris faciebat, quam Aristotelem quem scripturis æquabat: duo ponebat principia suarum disputationum, conscientiam & creaturam.* Audierunt illum Tigurini placidè, & humaniter ad ejus argumenta responderunt; ille contra adeò immodestè & ridiculè se jactavit, & vociferatus est: ut plerisque videretur non satis mentis compos esse. Damnabat tunc ex æquo *Pontificiorum & Lutheranorum* doctrinam, & nullum fidei dogma rectè ab illis tradi asserebat; posteà tamen ad Papistas defecit. Sub idem tempus mortuo *Eduardo* sexto Angliæ rege successit *Maria* soror ex Hispanica matre nata, quæ formam religionis ab *Eduardo* institutam mutavit; & regnum Angliæ denuo Romano Pontifici subjecit; atque eos qui veram religionem profitebantur, acerrimè persecuta est. Itaque multi viri nobiles, multi etiam doctrina clari in Germaniam, ac sequenti anno *quinquagesimo quarto* complures in Helvetiam venerunt: *Tiguri* peculiare collegium instituerunt, plurimum eos adjuvante Bullingero; qui cum ante *Henrici VIII.* temporibus cum Anglis amicitiam contraxisset, eo tempore arctiùs illis conjunctus fuit, & de multis cum ipsis contulit. *Locarni* ad lacum *Verbanum* collecta fuit hoc tempore piorum studio mediocris fidelium Ecclesia; sed quoniam ejus loci imperium ad duodecim pagos Helvetiorum pertinet: septem ex his, qui se Catholicos nominant, cæperunt agere de *pœna eorum, qui à Romana Ecclesia defecissent*, & illis *capitis supplicium* comminabantur. Cæteri se opponebant, & existimabant, eos non habere jus animadvertendi in ipso nomine religionis, propterea; quod in conventione pacis publicæ religionis libertas esset concessa. Illi contra existimare, nihil ad hos pertinere. Agitata est hæc res compluribus Helvetiorum conventibus: tandem sequestri ita controversiam composuere: ut *quotquot nollent Romanam religionem amplecti; Locarno, salvis facultatibus, emigrarent.*

Huic sententiæ ut subscriberent *Tigurini* nunquam adduci potuerunt; attamen quia suffragiorum numero vincebant adversarii, sequenti anno in exilium ejecti sunt supra *centum* homines religionis causa, quorum plerique Tigurum, nonnulli *Basileam*, aut ad *Rhetos* abiere. Laboravit multum ac diu Bullingerus cum cæteris ministris; ut Ecclesiam in finibus Italiæ constituerent, neque illis in hac re studium magistratus defuit: sed Pontificii omnem lapidem movere: ut hoc impedirent, atque ut creditur, non absque instinctu pontificis, cui letale vulnus videbatur, si cogeretur libertatem religionis & Ecclesiam Evangelicam tolerare in ipsa Italia. Postquam verò Locarnensium complures *Tigurum* venissent, nec Germanicæ linguæ usum ullum haberent: ne verbo Dei destituerentur, peculiaris Ecclesia ipsis concessa fuit, & honesto stipendio à magistratu oblato *Bernardinus Ochinus Senensis Tigurum* vocatus est: ut Ecclesiam Italicam moderaretur. Receptus autem est in ministrorum ordinem eâ conditione: ut subscriberet confessioni, & legibus atque statutis Synodi pareret; quod ultrò & libenter fecit, & sibi ecclesiam Tigurinã à multis annis præ aliis placuisse adseveravit: præterea confessione fidei edita sese ab Anabaptisticis aliisque perversis opinionibus alienum esse est testatus. Quare cum talis tùm esset aut haberetur: Bullingero præ aliis charus fuit, quem etiam nato sibi infante testem in baptismo adhibuit.

Locarnenses exules. *A. 1555.*

Tigari Ecclesia Italica.

Ei Berna. Ochinus præfectus.

Secuta sunt deinde varia certamina, cum *Joachimo Westphalo*, cum *Heshusio*, aliis. Agitatum * etiam fuit de *fœdere Helvetios inter ipsos renovando*, propter controversias quasdam. Ibi cùm pagi Pontificiæ religionis vellent, ut *sacramentum diceretur non tantum per Deum, sed & per sanctos:* Evangelici id renuerunt. Erant autem quibusdam in locis Politici: qui hac de re litem non esse movendam censerent: cùm & Judæo jusjurandum detur juxta suam fidem.

An. 1556. 57. 58. *Certamina.* *Bull. cum Westph. aliis.* * *A. 1559.*

Sed Bullingerus cum synamystis docuit; *juramentum esse invocationem DEI: ac sicut ipse solus invocandus, ita per ipsum solius nomen jurandum: omnemque falsi cultus speciem vitandam.*

Bulling. sententia.

Deinde post obitum summi illius *Melanchthonis*, multi ceperunt malè feriati cristas erigere, mortuo insultare, litesque in ecclesiam audaculè disseminare. In Polonia *Franciscus Stancarus, Christum tantum secundum humanam naturam mediatorem esse docuit:* atque ita disseruit de duabus naturis, ut non distinguere, verùm separare plerisque sit visus. Sparserunt & alias hæreses *Valentinus Gentilis & Georgius Blandrata*, vipera illa in sinu Ecclesiæ fota. Itaque *Calvinus* & *Bullingerus*, aliique ecclesiarum Helveticarum ministri, libris editis, literisque publicè & privatim scriptis, Ecclesias Polonicas juverunt, ac hæreses refutarunt. In *Saxonia* verò *Flaciana* factio omnes à se dissentientes publico judicio conata est damnare, & coryphæi ejus libellis editis, ac literis ad Principes quosdam missis, diu multumque laborarunt:

An. 1560. *Franciscus Stanc. doctrina.* *Valentin. Gentil. Georg. Blandr.* *Flaciani alios omnes damnant.*

Postulant Synodum. ut *Synodus publica* indiceretur: sed in quam admitti nolebant eos, quos *Sacramentarios* vocant, & *Osiandristas*, & *Schvvenckfeldianos*, & alios, jam antè à se damnatos. Hæc eorum publica & privata scripta, Germaniæ quidam Princeps ad *Bullingerum* misit, judicium ejus super his requirens. Respondit ille verbosè, & quod caput, ostendit; „Helveticis Ecclesiis „ fieri injuriam si à Synodo excludantur, tan- „ quam dudum damnatæ, cum nunquam „ causa legitimo judicio cognita sit. In Ger- „ mania nunquam hactenus de re Sacramen- „ taria in publica & legitima aliqua Synodo a- „ ctum esse, sed tantum colloquia quædam „ paucorum hominum instituta fuisse. Quod „ verò objiciant judicium comitiorum Im- „ perialium, id Tigurinis mirum videri, cum „ sciant suam ipsorum quoque doctrinam sæ- „ pè in comitiis esse damnatam. Quod si o- „ mninò audiendi non sunt, quos semel Lu- „ therus damnavit, cur Princeps Hessorum „ colloquium hac de causa Marpurgi insti- „ tuit, ad quod etiam ipse Lutherus venit? „ Adhæc ut maximè fuissent damnati; non „ tamen consequi, eos eo loco nunc esse, ut „ in conventibus Christianis nihil amplius „ cum illis agi possit. Novatianos fuisse da- „ mnatos, & tamen postea eorum Episcopum *Agelius. Episcop.* „ Agelium in concilium admissum: Arium „ fuisse damnatum in Synodo Nicæna: & ta- „ men nihilo minus causam Arianismi di- „ sceptatam esse Sardicæ, in quo conventu „ cum Orientales adesse nollent nisi exclu so „ Athanasio & Paulo, quos anteâ damnatos „ dicebant, corum petitionem ut injustam „ Occidentales rejecerunt: Donatistas quo- „ que olim damnatos fuisse; & tamen nihi- „ lominus in judiciis & conventibus ter po- „ stea auditos fuisse, multaque alia hujus generis illustria exempla commemorat. Ac ostendit *Jenensium Synodum parum differre à Papistico concilio*, ubi protestantium legati *Tridenti* neque ad disputandum, neq; ad controversias tractandas unquam sunt admissi, nimirum quod viderentur antea in habitis conciliis sæpè damnati. Item *eos Donatistarum more tantùm eos profratribus agnoscere qui cum ipsis consentiant, ecclesiamq; valde in angustum detrudere, & ad numerum hominum parvum contrahere.* Porrò quod dicant, se in illa sua „ Synodo solum velle agere de Synergismo, „ Majorismo, & Adiaphorismo, se mirari „ cur hos admittant, cum si illis credendum „ sit, & tres isti errores dudum sint damnati, „ adeoque non minus quàm Zwinglianis- „ mus juxta ipsorum hypothesin, excluden- „ di essent. Sed non obscurum esse, inquit, „ quid istos potiùs incitet ad hos errores di- „ scutiendos, & à causæ Tigurinæ cognitio- „ ne contra arceat: primum quud arbitren- „ tur, se non posse tàm facile in Helvetio- „ rum causa consistere; ut in altera, aut bre- *Melancht. parum aquilenen- ses.* „ vi tempore ipsam posse expedire. Deinde „ quod animi ipsorum Melanchthoni parum „ sint propitii, quem ut vivum vexarunt; ita mortuum non patiantur quiescere in Do- „ mino; virum alioqui de illis ipsis, & de bo- „ nis studiis optimè meritum: qui dum vixit „ laboriosiss. fideliss imusque in dicendo fuit. „ Videri igitur bonos istos modestia & chari- „ tate Christiana destitui, & nimia quadam „ ambitione laborare, qua cupiant sibi asse- „ rere hanc gloriam, quòd cæteris deficien- „ tibus soli purum Lutheranismum retinue- „ rint. Majorismi nomen in Helveticis Ec- *Majoris mus.* „ clesiis ignotum esse: de libero arbitrio, & „ de adiaphoris non obscurum esse quid illi „ sentiant. Jenenses verò, qui adiaphorismum „ oppugnant, multa Papistica in suis Eccle siis „ retinere, vestes Pontificias, lucernas, imagi- „ nes, privatam quandam confessionem & ab- „ solutionem parum à Papistica differentem. „ Negare ipsos ubiquitatem corporis à se do- *Jenenses grant Ubiquitat.* „ ceri & affirmari (etenim ab hac sententia tum alienissimi videri volebant, in quam ta- men postea plerisque eorum concessere:) sed Tigurinos mirari quomodo congruant „ ea in quibus se consentire affirmant cum „ Lutheri & Brentii scriptis qui ubiquitatem „ diserte defenderint: ut & plerique Saxonici „ Theologi. Magis itaque optare Tigurinos, „ quàm credere; illas ab Ubiquitatis doctri- „ na, & curiosis, quæ eam consequuntur, di- „ sputationibus, alienos esse. Videri præterea „ Jenenses nimium tribuere suæ Synodo: „ dum ex illa pollicentur principibus, omnia „ fore tuta & integra. Constare ex historiis; „ nunquam fuisse eam synodorum vim; ut „ prorsus lites tollerent, ac pacem Eccle siis „ solidam restituerent: cùm & sui temporis „ exemplis motus Nazianzen. scripserit: se „ hactenus non vidisse ullius Synodi utilem fi- nem, aut in qua res malè se habentes non magis exacerbatæ, quam curatæ fuerint. Nec tamen ideo nullam synodorum esse „ utilitatem. Conducere enim, si legitimè ce- „ lebrentur ad cognoscendas controversias „ quæ multos latent, id quod inprimis optan- „ dum de causa sacramentaria facili per se & „ aperta; sed longa altercatione & spinosis „ quæstionibus apud multos involuta. Deni- „ que pacem ex ejusmodi Synodo non spe- „ randam, si judicium faciendum sit ex pri- „ oribus actis. Illos enim omnibus velle præ- „ judicare: neque sententias vel minimum „ discrepantes ab ipsis audire.„ Subjunxit deinde Bullingerus *brevem summam doctrinæ Helveticarum Ecclesiarum:* cùm persuasum esset plerisque: Helvetios non solùm in re sacramentaria; sed in multis capitibus ab aliis Evangelicis dissidere.

Bulling. consultus respondet.

Agelius. Episcop.

Nimium tribuunt suæ Synodo

Nazianz. de Synodis dictum.

Synodorū utilitas.

Causa Sacramentaria quæ

Summa doctrinæ Helveticarum Ecclesiarum.

Ex illa synopsi colligi à quovis potest, non rejici prorsus *Augustanam confessionē:* nec tamen omnia illius simpliciter approbari; neq; tribui illi eandem cum scripturis auctoritatē. Exempli loco adducit *decimū articulum*, item quòd *Missam retineri scribunt, & confessionem auricularem, & potestatem Episc. concedi.* Concludit tandem: *nolle Helvet. excludi à cœtibus sanctorū pro Jenensium libidine, aut vocari ab ipsis tanquam*

Augustana confessio.

quam judicibus & actoribus, nec agnoscere eos dominos, Pontifices, censores, dictatoresve. Esse se perinde ministros Christi, ac suis donis ornatos, ut illos. Si synodus indicenda sit cum fructu, consultandum priùs de ea, non à paucis rixosis, sed omnium ordinum præstantissimis, qui consilia conferant, de loco, tempore, modo agendi, aliisque statuant.

An. 1561.

Anno *sexagesimo primo* concilium *Tridentinum* à *Pio IV.* Papa instauratum est, sed id Principes & ordines Imperii Protestantium recusarunt, idem fecerunt *Angli* & urbes Helveticæ. Cepit & *Blandrata* apertiùs se prodere in Polonia, & maximè accusare *Calvinum* ac *Bullingerum*, qui pacis conditiones cum Calvino quærere noluisset. Hac de causa *Nicolaus Radzivil Dux Olicæ & Palatinus Vilnensis Martinum Secovitium* cum literis ad Bullingerum misit, & de negocio *Blandratæ* ac pacificatione cum Calvino egit. Respon-
„ dit Bullingerus. Blandratam cùm Tigu-
„ rum venisset, semel tantum secum collo-
„ cutum, quo tamen in colloquio facilè ani-
„ madverterit, illum non sincerè de Filio
„ Dei sentire, pacificationis verò nullam ab
„ eo factam mentionem, tantum comminа-
„ tum esse, se contra Calvinum scripturum;
„ cui ipse responderit, satis alioqui conten-
„ tionum esse in ecclesia Christi, quas si ille
„ pergat augere, Deum vindicem fore. Il-
„ lum verò dira minantem & imprecantem,
„ discessisse. Si profiteatur Christum Patri
„ coæternum & consubstantialem, gaudere
„ Tigurinos, & Deum orare, ut ipsum hac in
„ fide confirmet, sin pergat involutè loqui,
„ cavendum Principi, ne sub patrocinio pie-
„ tatis ejus noceat puritati doctrinæ, id quod
„ aliis accidisset Principibus ita deceptis.
„ Consensum se approbare non posse cum
„ iis, qui in fide insinceri. Si Christus Pa-
„ tri non coæqualis, non coæternus Dominus
„ sit: *non posse esse caput Ecclesiæ, non Servatorem, non Pontificem seculorum omnium, uno verbo, fidem nostram inanem esse, ac nos „ vinci à Judæis & Turcis. Cavendum ergo ab iis, qui Arianismum aliasque hæreses ab Orco revocent, & subdolè disseminent.* Calvinus quoque *compendiolum historiæ Blandratæ*, cui hic notior erat, transmisit ministris Ecclesiæ *Vilnensis* & minoris Poloniæ. Sed *Blandrata* hypocrisi sua jam ita irrepserat: ut parum admonitiones profuerint. Postea & ibi & in Transsylvania docuit palam: *Christum Servatorem esse merum hominem.*

Sub id tempus prodiit *Joann. Brentii* liber, *de unione personali duarum naturarum in Christo, de adscensione in cœlos, & sessione ad dexteram Patris*: è quibus nititur probare substantialem præsentiam corporis Christi in cœna, quando ea personalis unionis ratio, ut ubicunque est divinitas, ibi etiam sit humanitas adsumta. Ediderat antè & Bullingerus tractationem verborum Domini, *in domo Patris mei mansiones multæ sunt*, qua demonstrat, spem & salutem fidelium certissimam esse, ac *cœlum, in quod adscendit Christus, & in quod suscipiuntur electi, locum esse in ecclesiis certum.*

Cùm autem *P. Martyr Brentio* respondisset *dialogo*, suppresso tamen Brentii nomine, antequam hic prodiret, editus est alter libellus à Brentio, in quo suam de Bullingeri scripto sententiam profert, idque jussu Principis, ut ait, & propter suam conscientiam, ac offensiones. Mirabantur multi, Brentium non provocatum à Bullingero, in certamen cum eo descendere super eo dogmate, quod tunc plerique in Saxonia ipsa oppugnabant. Ibi Bullingerus, ne veritatis causam proderet, respondere habuit necesse. Sed Brentius alium librum opposuit, cui titulum *de majestate Christi* fecit, in quo Helvetios insimulat negatæ majestatis Christi, negatæ omnipotentiæ Dei. Legit hunc librum Martyr, & indignè tulit, talem Theologum ita sophisticè suam agere causam, ac novum dogma pingere novo nomine. Sed morte præventus respondere non potuit. Eodem tempore, anno *sexagesimo secundo*, cum Helvetici ministri à concilio *Trident.* iterum, missa fide publica, vocati essent, & *Hessorum* Princeps ter ea causa ad Bullingerum scripsisset, denuo tractatum de recusatione istius concilii scripsit, qui tamen editus non est.

Martyr Brent. respondet. Brentius oppugnat Bulling.

An. 1562. Bullinger respondet. Brent. regerit.

An. 1562. Iterum ad Concilium vocati Helvetici.

Initio anni *sexagesimi tertii* rescripsit idem ad illum *Brentii* librum, *de Christi Majestate*: quod scriptum extat. *Bernardinus* etiam *Ochinus*, de quo supra, à Senatu Tigurino in exilium eo tempore missus est hac de causa. Ediderat eodem idem anno *dialogos triginta* Italica lingua, quos *Sebast. Castalio* Latinè convertit. In eorum uno *polygamiam* adserere conatus est. Hoc scriptum cùm contra fidem datam sine approbatione evulgasset, nomine Senatus à ministris monitus jussusque est, alio scripto scandalo ecclesiæ mederi, maculamque eluere. Sed cùm nihil obtineretur, jussus est urbe agroque Tigurino excedere. Petivit antequam discederet, à Bulligero commendatitias, sed hic negavit se bona conscientia id facere posse, etsi ob senectam ejus & liberos doleret. Inde *Basileam* venit, nidum quærens, sed nec ibi locus ei datus, Itaque in *Poloniam* abiit, quò ut venit, dicitur palàm *hypostasin Spiritus* S. oppugnasse. Sed nec ibi commorari ei diutius licuit. Quare in *Moraviam*, ad Anabaptistarum conventicula, se recepit, ubi & obiit. Hic *Ochinus* cùm incidisset in via in *Cardinalem Lotharingum*, suamque ipsi calamitatem exposuisset, quod cogeretur exulare *Dialogorum* causa, quos eo saltem animo scripsisse; ut *triginta veritates*, in vera religione à se observatas, creditu difficiles, à calumniis adsereret; simulque oblatis exemplis aliquot, rogasset ut legeret, ferunt Cardinalem respondisse, inspecturum se quidem, sed ubi non placuerint, mox combusturum. Adjecisse Ochinum, *se in peregrinatione sua observasse viginti quatuor errores in Ecclesiis Evangelicis, easque facilè reviсturum.* Tum Cardinalem sive joco sive serio, respondisse: *nimium esse quatuor, ut maximè viginti non adderet.*

Christi divinitas cur adjuranda.

Blasphema vox Blandratæ.

Glory pro Majestate

Bulling. scriptum.

Variè vagatur.

Colloquium Ochini cum Cardin. Loth.

An. 1564. Peste correptus Bulling. Restituitur.

Anno *sexagesimo quarto* pestis atrox urbem *Tigurinam* invasit, ipsumque Bullingerum corripuit tam graviter, ut omnes de vita ejus desperarent. Ipse quoque vocatis ad se ecclesiæ ministris valedixit, cum gravi admonitione. Postea Deo se commendans, in singulas horas exitum exspectavit. Sed piorum precibus donatus Ecclesiæque suæ est restitutus: amissa tamen eo morbo uxore, & una filiarum. *Ludovici Lavateri* conjuge. Ante hunc morbum iterum respondit *Brentio*, qui contra Bulligerum librum ediderat cum titulo: *Recognitio Prophetica & Apostolica doctrinæ, de vera majestate Domini nostri Iesu Christi ad dextram Dei Patris sui omnipotentis.* Eo in scripto iisdem ferè, quibus antea, utitur argumentis, ad ubiquitatem adserendam. In fine probare vult, *Zvvinglianos Lutheranorum sententiam mala conscientiâ oppugnare hoc argumento, quod illi cum his concordiam & pacem inire aliquoties studuissent.* Huic oppositum fuit Bulling. responsionem, quam inscripsit:

Amittit uxorem & filiam. Brent. iterum in Bull. scribit.

Qui respondet.

„ Repetitio & dilucidior explicatio consen-
„ sus veteris orthodoxæ catholicæque Chri-
„ sti Ecclesiæ, in doctrina Prophetica & A-
„ postolica de inconfusis proprietatibus na-
„ turarum Christi Domini, in una indivisa per-
„ sona permanentibus: adeoque de veritate
„ carnis Christi ad dexteram Dei Patris in
„ cœlo sedentis. In altera parte libelli argumenta, quibus carnis præsentiam ille probare nititur, confutat.

*An. 1565. Bulling. filias & amicos amittit. *Zvvinglii & Simler. conjuges Edit scripta.*

Sexagesimus quintus annus, peste denuo grassante, *duas* * *Bulling. filias* abstulit. Accessit ad domestica vulnera mors *Gesneri, I. Frisii, & Sebast. Guldibeccii*, novus item morbus, incredibiles calculi cruciatus, quibus tunc primùm vexari cepit. Inter tot tamen curas & molestias docendo officium fecit, & *homilias in Danielem* absolvit, ediditque. Publicata est etiam tunc *Helveticarum Ecclesiarum confessio*: cùm inquieti quidam non cessarent multa in vulgus spargere de dissensionibus illarum ecclesiarum, & criminari, quod de nullo ferè fidei dogmate puram rectamve teneant fidem. Scripserat Bulling. ann. superiori in cujusdam Principis gratiam confessionem, in qua præcipua dogmata comprehendebantur, & certa quædam doctrinæ forma proponebatur. Hanc cum fratrum quidam Principi ac viris doctis probari, audissent, eam communicari secum petierunt, ad judicandam *Bernam & Genevam* miserunt. Qui cùm & ipsi eam approbassent, actum est cum reliquis foederatis Evangelicis, eoque nomine *Rudolph. Gualt. Scaphusiam, Basileam & Mulhusium* est missus. Approbarunt itaque illam, ac subscripserunt omnes evangelicæ ecclesiæ per Helvetiam, una *Basilea* excepta. Hujus enim ecclesiæ ministri responderunt, nuper denuò editam Basil. Ecclesiæ Confessionem, cui omnes subscripserint. Quare non videri sibi necesse, ut alteri iterum subscribant. Rursus ab illis fuit petitum ut bona ipsorum gratia liceret honorificam illius Confessionis facere mentionem; ac testari, quod reliquis urbibus probetur, & inter se consentiant. Sed ne hoc quidem illis placuit. Itaque edita est ea Confessio cum subscriptione ecclesiarum *Tigurinæ Bernensis, Scaphusianæ, Genevensis, Neocomesis, Rhetiæ cis & ultra Alpes, S. Galli, Mulhusianæ, & Bipennium.* Eidem in *Scotiam* perlatæ ministri ecclesiarum subscripserunt, & consensum literis, à se subscriptis & Academiæ sigillo obsignatis, testati sunt. *Hungari* quoque fratres, in præfatione suæ Confessionis, quam blasphemiis ac furoribus *Blandratæ & Francisci Davidis* opposuerunt, apertè testati sunt, se probare per omnia confessionem, ecclesiarum Helveticarum & Genevensis. Probarunt eandem & *Poloni, Gallica* verò & *Anglica* Confessio cum ea per omnia consentiunt.

Confessio Bulling. à quibus approbata.

Basileenses renuunt.

Anno *sexagesimo septimo* evulgavit Bullingerus *Homilias in Iesaiam* Prophetam, quem ceperat pro concione publica Dominicis diebus interpretari ante *quinquennium.* Inscripsit eum librum *Philippo* seniori, *Hessorum* Principi, qui eodem anno cum dolore piorum & jactura Ecclesiæ obiit. Convenerunt sub idem tempus aliquot Germaniæ Principes; quibus, deliberatione de componendo certamine sacramentario, habitâ, visum est, Ecclesiis utile fore, & initium pacis, si utriusque partis Theologi nihil imposterum hac de causa edant, cùm ea scriptis satis superque disceptata sit, idemque *Wilhelmus Hessorum* Princeps literis ad Bulling. datis petisset. Impetratum hoc à *Tigurinis* facilè fuit, qui inviti hoc in certamen fuerunt pertracti. Sed recruduit non diu pòst sacrum bellum. Et in Gallia quidem Princeps *Condæus* subolfaciens insidias sibi paratas, legatum ad Helvetios misit *Ludovicum Seneschalcum Valentiæ*, qui mense Septembri *Tigurum* venit, *Bullingero* peculiariter à Principe commendatus. Verum interveniente mox Regis legato *Pomponio Belliuræo*, major pars legatum illum audire noluit. Itaque re infecta clam Tiguro discessit. Addidit Bullingerus tunc præfationem libro. *Simleri* de *æterno Filio Dei & Spiritu sancto*: qua confutat scriptum anonymi vellicantis *Tigurinorum* & *Haidelbergensium* judicium Polonis missum. Auctor illius ferebatur Cardinalis *Osius*; qui Arianis infestus, tamen *ferre non poterat, Polonos alibi, quàm apud Papam consilium in causâ religionis quærere.*

An. 1565. Homilia in Iesaiam. Eas domi conscribit & morbo impeditus genero Lavat. commendat.

An. 1568. Condæi legat. ad Helvet. Non auditur.

Bull. Osio respondet.

Anno *sexagesimo nono*, bello in Gallia flagrante, magnus ministrorum & aliorum piorum numerus, aut *Tigurinorum* præsidia aut *Genevam*, paratum semper piis hospitium, aut in vicina *Bernatum* loca, se receperunt. Horum plerique cùm magna premerentur inopia; laboravit sedulo Bullingerus non tantum domi, sed & extra Helvetiam, ut publica collecta inopia ipsorum sublevaretur. Amisit eodem anno filium *Christophorum Auranii* Principis castra secutum, ipsemet etiam graviter *ischiade & calculo* laboravit, ac inter dolores *vitas Pontificum Romanorum* in compendium, quod diu animo agitarat, contraxit. Sequenti anno *confutationem scripsit bullæ Pontificiæ*,

An. 1569. Exules Galli apud Helvet. Pro iis eleemos. colligit Bulling.

Christoph. Bulling. F. moritur. Pater Bull. ægrotat.

tificiæ, qua Regina Angliæ damnata, omnesque à fide ei data liberati fuerant per Papam. Liber iste in Anglia editus, atque in Anglicam etiam linguam est translatus. Amisit & tunc fratrem germanum *Ioannem*, Ecclesiæ ministerio diu & fideliter functum.

Sub finem anni *Wilhelm. Bidenbach.* edidit *testamentum Brentii*, quo exhortatur omnes, ne Tigurinis locum in Ecclesia Christi ullum relinquant. Ineunte ergo anno *septuagesimo primo Bullingerus* fratrum nomine respondit, suamque & suorum doctrinam adseruit. Eodem anno cùm in Gallia præcipui ecclesiarum ministri Synodum *Rupellæ* agerent, nec *Tigurini* legatos ad eam mittere possent, literas saltem miserunt, ad testandam consensionem mutuam in doctrina, & benevolentiam in universas Ecclesias Gallicas. Rescripserunt illi amicè, & quid potissimum egerint, exposuerunt. Sed interea à quibusdam, quo consilio incertum, sparsum fuit: Helvetios à Synodo Rupellana esse damnatos, quòd illic palam damnentur, qui in negotio cœnæ voce substantiæ & substantialiter nolint uti. *Scripserunt ea de re Helvetii ad* Bezam, *& Synodum* Nemausi *proximè institutam.* Beza *respondit*, nihil minus fuisse fratribus propositum, quàm eo canone ipsos damnare, qui eandem fidei Confessionem constanter tueantur. Sed Synodum hoc in capite Gallos quosdam spectasse, qui per panem & vinum solam energiam, h. e. effectum pro re ipsa statuendo imperitos turbarint. Quod ad vocem *substantiæ*; fratres, qui Synodo interfuissent, substantialem præsentiam una cum Helvetiis damnare: sed quia hoc ipsis perpetuò fuisset objectum quasi corporis & sanguinis κοινωνίαν inficientur, retinuisse vocem substantiæ, non ubi de eo, quod est præsens, sive eo loco situm, ubi nos sumus & cœnam celebramus, sed cùm quid nobis à Deo detur in cœna participandum, disseritur. Additam ante esse perspicuam istius vocis, totiusque adeo spiritualis per fidem communicationis, explicationem, ut minimè metuendum sit, ne vel μετουσίας vel transsubstantiationis monstrum per hanc rimulam in ecclesiam irrumpat. *Ad hæc* Bulling. Bezæ *rescripsit*, nefas sibi quodammodo videri, de tot tantorumque virorum animis vel tantillum sinistri concipere, & facilè sibi persuaderi, propter alios ea interposita esse. Sed utut res habeat, videri tamen decretum verbis paulò inconsideratiùs conceptum: *Damnamus eos, qui non recipiunt substantiæ vocabulum.* Quis enim, *inquit*, ignorat, nos ex eorum numero esse, qui id neque recipiunt, neque recipere unquam voluerunt. Consultissimum igitur videtur, ut cùm iterum Synodus coierit, hac de re fratres ita decreta sua temperent, ut omnibus ubiq; manifestum fiat, neq; de nobis, neq; de nostri similibus ubicunq; locorum fuerint canonem locutum esse. Neque dubitare se, quin fratres id pro sua pietate, & pacis studio haud difficulter facturi sint. Nihil enim proprium hic quæri, sed hoc tantum agi, ne condemnatio pariat suspiciones, dissidia, & contentiones Ecclesiis perniciosas. *Et ita postea factum.*

An. 1571. *Annona in agro Tigur. caritas. Et remedia quæsita.*

Eodem anno, cùm, propter insolitam hyemis asperitatem, infelix esset vini ac frumenti proventus, ac rerum omnium preciis auctis vulgus gravi fame premeretur, Bullingerus cùm reliquis Ecclesiæ ministris, ad Senatum retulit, ut preces publicæ instituerentur, & ratio iniretur, qua pauperum inopiæ succurri possit, ignavis & otiosis mendicantibus exclusis. Ac tunc supplicationes per urbem & agrum, tertiis quibusdam feriis, institutæ sunt, & in eleemosynæ ordine multum quoque laboratum. Durante autem diutius annonæ caritate, maximos sumtus Senat. Tigur. fecit, in vestiendis & alendis pauperibus non tantùm domesticis, sed exteris quoque gregatim eò confluentibus.

An. 1572. *Synodus Nemausi indicta. Admiralii ad Tigur. litera. Ei rescribunt illi.*

Sequenti anno 72. à fratribus Gallis Synodus *Nemausum* fuit indicta, petitumque à Tigurinis, ut & suos eò legatos mitterent. Scripsit & *Admiralius*, se, cognitâ concordia Tigurinæ Ecclesiæ cum Gallica, summo perfusum esse gaudio: monet, ut conservent eandem, ac petit, ut in fœdus, quod Rex icere in animo habeat, Tigurini consentiant, quod ecclesiis omnibus sit profuturum. Tigurini rescripserunt, ac gratiis actis pro benevola significatione, promittunt, daturos se operam; ut piæ ipsius voluntati studia & officia etiam sua respondeant. Orant deinde, ecclesiarum patrocinium fideliter suscipiat, & turbatores coërceat. Quod ad fœdus, in Senatus populique potestate & arbitrio id esse, quos putent, facturos quod rei Christianæ expediat. Ad Synodum etiam missæ literæ, quibus fraternè planè responsum, & causa triplex indicata, cur vocabulo *substantiæ* in confessione illâ sint usi. Actum eadem Synodo, de alia controversia. Quidam enim *Franciæ* provinciæ viri docti, formam disciplinæ hactenus receptæ oppugnabant, inter quos *P. Ramus*, eloquentiæ nomine celebris. Is cùm superioribus annis, bellum fugiens, Tigurum venisset, de doctrina sacra cum Tigurinis contulit, ac libros eis de Theologia à se scriptos legendos dedit. Qui non solum elegantes & diserti, sed etiam pii visi fuerunt. Tum autem contendit non adversus disciplinam, sed penes quos esset Ecclesiastica gubernatio. *Volebat* enim *non penes paucos, sed penes universam ecclesiam, esse judicium doctrinæ, electionem & abjectionem ministrorum, excommunicationem, & absolutionem.* Non interfuerunt Synodo, quamvis vocati: scripta tamen eorum a capite ad calcem palam recitata sunt, & approbata disciplina priùs usitata in Gallicis Ecclesiis, novæ autem opiniones explosæ. Injunctum etiam illarum partium Ecclesiis, ut omni studio flectere illos, & si non ad sententiam mutandam, saltem ad pacem fovendam mansuetè invitare conarentur.

Causa cur vocab. substantiæ usi in synodo Rupellana.

P. Rami de ea sententia.

Decisio ejus controversiæ.

Sed

Nuptiæ Pariſ. Sed nova & inaudita crudelitas, quæ Pariſiis exorta in nuptiis illis fatalibus, longè lateque Regnum Galliæ pervaſit, domeſticas & inteſtinas contentiones omnes ſuſtulit. Quam fuſius perſequi animus horret luctuque refugit. *Liber Bulling. de perſecutione.* Bullingerus tunc librum ſcripſit, *de perſecutione*, in quo graves Chriſtianæ Eccleſiæ perſecutiones enumerat, cauſas exponit, ad patientiam ac conſtantiam hortatur, & pœnas perſecutorum recenſet. *Stella nova in Caſſio. ſigno.* Viſa tunc *ſtella inſolens in Caſſiopeiæ ſigno*, tam ſplendida initio, ut cum Lucifero certare videretur. Varia variorum de ea exſtant judicia, multi exiſtimarunt; Deum ſignum dediſſe ad confirmandos ſuorum in tam atroci perſecutione animos. *An. 1573. Conſolatur & conſulit Bulling.* Sequenti anno plurimum occupatus fuit ſcribendis epiſtolis; quibus afflictos conſolabatur, aut petentibus conſilium reſpondebat, cujus generis non paucas in *Poloniam* miſit. Cùm enim ageretur de electione novi Regis, ſciſcitabantur viri Principes ejus gentis *de lanienа illa, de ſtatu eccleſiarum per Galliam, de moribus, naturа, & ſtudio Ducis Andium.* Excepit eodem anno Bullingerus reducem ex Italia *Eraſmum Michaelium Latum Cimbrum.* *Eraſm. Mich. Latus. An. 1574.*

Anno 74. inter alia edidit *reſponſionem, ad ſeptem præcipua accuſationis capita*, quæ inquieti quidam Tigurinis objecerant, ubi breviter *controverſiam Euchariſticam ab origine* ad illa usque tempora complexus eſt. *Hiſtoria controverſ. Euch. An. 1574.*

Sub initium *Octob.* anni 74. incidit Bullingerus in graviſſimum morbum, ſive *dyſuria* is fuerit, ſive ardor urinæ, certò affirmari non poteſt, medicis ipſis non idem ſtatuentibus. *Morbus Bullinger* Laborarat ſuperioribus annis lithiaſi, & infinitas arenas, calculorum quoque magnum numerum excreverat, ſed jam toto anno, & aliquot menſibus nullas arenas, neque calculos ſenſerat, urinam autem ſæpe, ſed parva quantitate, ingenti cum dolore & ardore aliquo reddebat. Hic morbus latera etiam vexabat, ac diu miſerè diſcruciavit, donec medio *Decembri* ita reſtitutus priſtinæ fuit valetudini, *Convaleſcit.* ut publicè docendo ſuum munus rurſus obiret. *Iac. Andreæ defend. Brentius Cui reſpondetur.* Allatum eſt tunc ſcriptum *Iacobi Andreæ*, quo teſtamentum *Brentii* à *Bidenbachio* repentè mortuo, evulgatum defendit. Et communi nomine miniſtri Tigurini reſponderunt, Bullingerus autem ſeparatim, quæ in ipſum ſcripſerat, diluit ac confutavit.

An. 1575. Patitur recidivam Bulling. Anno *ſeptuageſimo quinto, vigeſimâ quartâ* Maji, idem morb. qui anno ſuperiore, Bullingerum invaſit. Exiſtimatum eſt, ex vocis, & laterum contentione, qua diebus Pentecoſtes ſe docendo exercuerat, morbum ortum, aut ſaltem auctum fuiſſe, ac quiete accedente minus diuturnum futurum. Dolor omnis in excernenda urina, cujus tamen variæ fuere viciſſitudines. Aliquando enim eadem hora, quater aut quinquies natura urinam impellebat, magno impetu; ut prorſus fervens & ignita videretur, & in excernendo totum corpus tremebat & concutiebatur, rurſus nonnunquam copioſiſſima urina fluebat, ſed ne ipſa quidem absque cruciatu, verum tanta copia, ut potum, quo minimo utebatur duplo nonnunquam ſuperaret. Impetus etiam illi naturæ pellentis, modò crebriores modò rariores, erant plerumque acerrimi, nonnunquam verò aliquantulum remiſſi. Durarunt hi cruciatus *quatuor integris menſibus*, tentatis interea diverſis & variis remediorum generibus, quæ vel medici domeſtici præſcribebant, vel aliunde ab amicis mittebantur, ſed plerisque magis irritata quàm mitigata fuit atrociſſimi morbi vis. Ipſe interea omni hoc tempore verum fortitudinis & patientiæ exemplar in perferendis tantis doloribus præbuit. Nam, inter acerrimos dolores, nunquam illi verbum excidit, nec quisquam aliquem alium habitum corporis in eo animadvertit, aut aliquid quod eſſet indignationis aut impatientiæ indicium, ſed in ſummis doloribus, quò intentiores illi erant, eò ardentiùs ille Deum deprecabatur: remittente verò dolore, quaſi morbo jam omni liber, jucundè cum præſentibus ſermones ſerebat, non tantum cum domeſticis, verum etiam cum peregrinis, quorum multi videndi & ſalutandi cauſa ipſum accedebant. De ſe ipſo autem dicebat, ſi Deo viſum fuerit, mea opera ulterius in » Eccleſiæ miniſterio uti, ipſe vires ſufficiet, » & libens illi parebo, ſin me voluerit, quod » opto, ex hac vitæ evocare, paratus ſum illius » voluntati obſequi, ac nihil eſt quod mihi ju- » cundius poſſit contingere, quàm ut ex hoc » miſero & corruptiſſimo ſeculo ad Chriſtum » ſervatorem meum mihi migrandum ſit. So- » crates, apud Ciceronem in Tuſculanis, gau- » det ſibi moriendum eſſe, propterea quod » Homerum & Heſiodum & alios præſtantiſ- » ſimos viros ſe viſurum crederet. Quantò » magis ego gaudeo, qui certus ſum, me vi- » ſurum eſſe Chriſtum Servatorem meum, » æternum Dei Filium in aſſumta carne, & » præterea tot ſanctiſſimos Patriarchas, qui » ab origine mundi vixerunt, eximios illos » Dei Prophetas, Apoſtolos item Servatoris » noſtri, quibus pares mundus non habuit, & » omnes ſanctos qui unquam fuerunt. Hos, » *inquam*, cum me viſurum ſciam, & partici- » pem fore credam felicitatis eorum, quam » habent in Deo ſervatore ſuo, quidni libens » ex hac vita ad hanc piorum ſocietatem & » perpetua gaudia diſcedam? Denique om- » nes ejus ſermones huc ſpectabant, ut appareret ipſum totum jam in illius futuræ vitæ cogitatione verſari; ſic tamen ut ſemper nihilominus ſeſe paratum oſtenderet, ad perferendam patienter crucem, ſi Deo videretur eum diutius in hac vita & laborioſo munere miniſterii Eccleſiaſtici retinere. Atque multa alia ejus generis quotidiè cum amicis colloquebatur. Morbo autem nihil remittente, die 16. Auguſti omnes Eccleſiæ miniſtros & Profeſſores in ſuas ædes convocavit, qui ubi in muſæo ejus (illuc enim interdiu, ſi poſſet, ſe recipere ſolebat) conveniſſent; prolixam ad eos orationem habuit, *primò omnium gratias omnibus diligentiſſimè egit, quod ad ſe vocati ad horam conſtitutam veniſſent, deinde dixit ſe conſtituiſſe,*

Diuturnitas morbi.

Bullingeri in eo patientia.

Et oratio de ſe ipſo.

Socratis cur mortem libens appetierit.

Adminiſtros & profeſſores.

illis

illis in tempore valedicere, *dum integrum adhuc usum rationis haberet, ac demum de se verba faciens*, se inquit *agnoscere magnam quidem vim morbi, quam tamen facile Dominus depellere possit, quod si integræ valetudini à Domino restituatur, nihilominus & utilem, & ut speret, non ingratam fore illis orationem suam.* Atque dum de his rebus initio orationis verba faceret, lacrymas continere non poterat, quas tamen excusabat, ac testabatur, „ se non tam metu mortis, quàm „ charitate qua singulos complecteretur „ ad lacrymandum commoveri, adducens „ exemplum Pauli, qui cum in Mileto con- „ vocasset ministros Ecclesiæ, multis lacry- „ mis illis valedixerit. Non quod Paulo „ se conferat, qui suæ tenuitatis probè sibi „ sit conscius, sed ut summi Apostoli exem- „ plo ostendat, sibi vitio non esse verten- „ dum, quod absque lacrymis illis valedice- „ re non posset. „ Postea ad doctrinam accedens professus est, *se mori velle in vera Apostolica & orthodoxa doctrina*, atque ut omnibus constet, quæ sit illa, *Symbolum Apostolicum recitavit*, & addidit, doctrinam suam contineri & breviter exponi *confessione* „ Helveticarum Ecclesiarum, quam veram „ esse ex animo agnoscat, sic ut ne verbum „ quidem in ea mutatum velit. Brentio & „ Smidelino adversariis suis se inquiebat ex „ animo ignoscere, & quia eum ad tribu- „ nal Dei vocent, se libenter coràm DEO „ compariturum, certumque esse de victo- „ ria. Hortabatur deinde omnes, ut hanc „ eandem doctrinam, quam hactenus una „ secum professi sint, constanter in poste- „ rum etiam profiteantur, & Deum ar- „ denter orent; ut suo spiritu eos regat, ac „ in consensu sanæ doctrinæ & mutua con- „ cordia ipsos conservet. Cùm verò ebrie- „ tas Germanicæ nationis sit vulgare vitium; „ illud cavendum admodum esse dicebat. „ Eos enim qui huic flagitio obnoxii, non „ posse ædificare Ecclesiam & cum fructu „ docere populum; propterea quod etiam „ eorum benè dicta rideantur, & contem- „ nantur. Monebat etiam ut nullum locum „ dent calumniis, odio, invidiæ. Debere „ enim hæc vitia longè turpissima, aliena esse „ à ministro Ecclesiæ. Debere ipsos se mu- „ tuo amare & mutuò auctoritatem atque „ honorem tueri, & augere. Quando „ ministri severè vitia hominum taxant, sem- „ per existere aliquos è vulgo, quid id ægrè „ ferant, & de ministrorum severitate con- „ querantur. Turpe autem esse, si ministri „ tales confirment, & fratribus suis, qui vi- „ tia reprehenderint, invidiam conflent, „ tantum ut sibi conciliare possint improbo- „ rum hominum gratiam. Postea jubet, ut „ senatum, qui hactenus constanter veram „ doctrinam defenderit, ament & colant, „ & si opus sit, de rebus ad Ecclesiæ utilita- „ tem spectantibus, privatim erudiant. Et „ quia multa vulgò temerè sparguntur, etiam de optimis & potentissimis quibusque: „ cavendum illis esse, ne quidvis temerè „ credant & spargant: sed res certas & explo- „ ratas modestè proponant. Postremò de- „ nuò de suo in omnes amore testatur, se ha- „ ctenus omnes fratrum & filiorum loco ha- „ buisse, ipsos sincerè amasse, & seriò pro illis „ orasse Dominum: orare igitur se nunc, ut „ quicunque in ministerio successurus sit; se „ aliis ne præferat: sed eos amet & diligat, „ alii vicissim ipsum observent & colant, non „ illi invideant, non odio habeant. „ Atque ita gratiarum actione addita & versibus aliquot Prudentii recitatis orationem clausit.

Cæterum ut ministris præsentibus viva voce, ita Magistratui literis sua manuscriptis valedixit: literas tamen illas obsignatas, post mortem demum suam, ad Consulem deferri voluit. In his magistratum ad diligentiam „ in obeundo suo munere cohortatur; curam „ Ecclesiarum & scholarum illi commendat; „ pro beneficiis in se collatis gratias agit: & „ diligenter monet: qualem in suum locum „ ministrum deligere debeant; ac illis no- „ minatim Rodolphum Gualterum com- „ mendat; ut maximè idoneum successo- „ rem & Ecclesiæ DEI utilissimum. „ Literæ hæ post obitum ipsius, *in consessu ducentorum* magna universorum attentione lectæ sunt; & communibus suffragiis is, quem nominaverat in suis literis, substitutus est. Ab illa autem cohortatione, quam ad Ecclesiarum ministros habuit, superstes adhuc fuit *dies triginta duos.* Extremis verò morbi diebus, destillationes capitis eum vexare cœperunt, morbus plerisque literatorum infestus. Defluxionibus illis pectus paulatim repletum fuit, & difficilius deinde loqui poterat. Mansit tamen illi integer rationis usus, & postrema die quæ fuit *decima septima* Septembris, pauca verba fecit, nisi quod submissa voce precatus est; modò *quinquagesimum primum*, aut *decimum sextum*, aut *quadragesimum secundum* Psalmum, modò *orationem Dominicam*, modò alias preces: tandemque se quasi ad somnum componens, sub ipsum solis occasum animam suam Deo reddidit, die *decimo septimo* Septembris, anno *millesimo quingentesimo septuagesimo quinto*, ætatis suæ *septuagesimo primo.*

Mortuum luxerunt passim docti & pii viri: eumque carminibus suis ornarunt: de quibus hoc est *Theodori Bezæ*:

Doctrina si interire, si Pietas mori,
Occidere si Candor potest:
Doctrina, Pietas, Candor, hoc tumulo jacent,
Henrice, tecum condita.
Mori, sed absit, illa posse dixerim;
Quæ vivere jubent mortuos.
Imò interire forsan illa si queant,
Subitreque tumuli specum:
Tu tu illa doctis, tu piis, tu candidis,
Et non mori certissimis,
Tenaci ab ipsa morte chartis adseris,
Ipso probante numine.

Fœdus beatum! mortuum illa te excitant,
Et tu mori illa non sinis.
At hunc, amici, cur fleamus mortuum:
Qui vivit aliis, & sibi?

Elogium ejus virtutes & mores.

Fuit hic Helveticorum Theologorum summus; & confessionis illorum post *Zvvinglium* atque *Occolampadium*, propugnator acerrimus, ingenio miti, in docendo perspicuus, & simplicitatis amans; osor spinosarum & inutilium quæstionum: quibus multi ad ingenii ostentationem delectantur: in sermone humanus & comis ut erga domesticos ita & erga peregrinos: quos salutandi, aut interrogandi causa advenientes libenter admisit; promteque erudivit. Egregius inprimis in administratione Ecclesiæ: sive esset concionandum, sive expedienda publica Ecclesiarum negocia: cujusmodi multa, etiam ab exteris Ecclesiis, deliberanda proponebantur. In convictu frugalis & temperans: hilaris tamen & jucundus omnibus, quibus cum vivebat: ut qui semper adferret aliquid, quod delectare simul & juvare posset: verbo ut dicamus, *alter fuit P. Martyr Vermilius*: quo & cariorem alium vix habuit. Industria fuit tanta, ut ociosus esse non posset. Aut enim commentabatur; aut scribendis literis occupabatur; aut consilium petentibus respondebat.

* *A.* 1529. *Conjugii & liberi.*

Conjugem * duxit Bremogarti *Annam Adlischvileram*, honesto loco *Tiguri natam*. Ex ea suscepit *filios sex*, *filias quinque*: quarum unam *Huldarico Zvvinglio*, alteram *Ludovico Lavatero*, tertiam *Iosiæ Simlero*, ministris Tigurinis elocavit. Quarta nupsit *Henrico Trubio*, honesto civi; qui diu Senatus nomine publicam eleemosynam, & postea Xenodochii reditus administravit. Minima natu patri ad obitum usque fideliter inserviit, ac rem domesticam matre mortua administravit. Filii duo (unum enim mortuum surpa diximus ante patrem) ministerio Ecclesiæ functi sunt. Uxor obiit anno *sexagesimo quarto*, incredibili dolore mariti: qui cum vixerat citra reconciliationem ullam annis *triginta quinque*. Postea viduus vixit ad obitum usque annis ferè *undecim*.

Scripta.

Scriptorum ejus quædam antè attigimus: omnia autem ipse auctor in *tomos decem* digessit: de quibus bibliothecæ.

Ex narratione Iosiæ Simleri & I. Guil. Stuckii.

IOSIAS SIMLERUS.

Ao. 1576. d. 2. Iulii. ætat. 46. curr. Capellæ cœnobium.

IOsias *Simlerus* natus est *Capellis*, Helvetiæ Cœnobio, anno salutis nostræ, *millesimo quingentesimo trigesimo* die *sexto* Novembris, horâ *tertiâ* pomeridianâ, *Diethelmo Roestio*, & *Henrico Waldero*, Tigurinæ Reipub. consulibus. Puer statim ob pericula, à parentibus in urbem Tigurinam, ad secundum inde lapidem fuit transportatus. Pater ei fuit *Petrus*, vir pietatis, doctrinæ, & prudentiæ spectatæ: qui deinde ex cœnobio illo Capellensi ad Ecclesiasticum munus transiit. Summa huic cum *Bullingero*, cœnobii tunc doctore ac magistro, à quo ad veram religionem conversus fuit, familiaritas amicitiaque intercessit; quæ ab utroque mutuo amore atque officiis constanter postea ad vitæ finem usque fuit culta. *Wolfgangus* autem *Ionerus* cœnobii illius abbas, summa laude dignus, statim ab initio reformatæ religionis, concionandi suscepto munere, Petro Simlero omnem ferè rei familiaris ad cœnobium illud pertinentis curam administrationemque commisit. Post Capellanam verò illam cladem *Petrus Simlerus* cœnobium miserè direptum & spoliatum, suo studio, ac labore, reficiendum, & inprimis scholam dissipatam instaurandam curavit. Ob quod factum egregium merito à Magistratu Tigurino laudem reportavit; ab eodemque, ut in proposito perseveraret, vehementer fuit rogatus. Tandem cum politicis viris cœnobii illius procuratio fuisset commissa, Simleri pater totum se concionandi muneri addixit, quo singulari cum fide diligentia atque laude, ad extremum usque vitæ tempus cum fuisset functus, diem suum obiit, anno Christi *millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo*, die nono Julii anno ætatis suæ *septuagesimo primo*.

Petrus Simlerus pater.

Wolfgangus Ionerus.

Obitus Petri Simleri.

Avus Simleri paternus fuit *Rodolphus*, vir gravis & prudens, qui *Rinovii* præcipuum munus gessit, fato suo functus, anno salutis nostræ *millesimo quingentesimo trigesimo quarto*, ætatis suæ *octogesimo quinto*, sed nec patris, nec avi ætatem attingere, *Simlero* à Deo datum fuit.

Rodolphi Simleri avi.

Majores autem illius antiquitus sedem & domicilium rerum fortunarumque suarum habuerunt *Rinovii*, quod communis *Helvetiorum* ditionis est oppidulum, cùm vetustate, ut in quo Romani olim sua contra *Alemannos* castra habuisse creduntur, tum cœnobio antiquissimo *Benedictini ordinis*, in Rheni insula, clarum & illustre; licet ædificiis hodie parum admodum cultum visatur.

Rinovium opp. antiquum.

Mater hujus *Simleri* fuit *Verena Husera*, fœmina casta, religiosa, erga pauperes & inopes liberalis & benefica; ex honesta & antiqua *Huserorum* familia; qui *Vitoduri*; Tigurinæ ditionis oppido vetustissimo, in quo etiam Verenæ matris Simleri frater *Joannes* consulatu magna cum laude functus est. Hæc cum piè & concorditer cum marito suo *Iosiæ* patre, multos annos vixisset, omniaque illi conjugalis fidei officia præstitisset, anno salutis *millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto*, die *duodecimo* Martii, vitam cum morte, seu mortem potius cum vita commutavit.

Verena Husera mater Simleri. Vitodurum opp. Tigurinæ ditionis.

Obitus matris Simleri.

His ergò parentibus omni virtutum genere ornatis procreatus, illis sese quoad vixerunt, ab ineunte sua ætate, valdè obsequentem morigerumque præstitit. Ipsi vicissim, id quod piorum est parentum, nullis neque laboribus neque sumtibus pepercerunt; quo hic suus filius bonis moribus literisque excultus Christo & Ecclesiæ, quibus illum statim ab ortu suo consecrarant, tandem aliquando inser-

Educatio Simleri.

inservire posset. Cujus pulcerrimi sui voti egregiè compotes facti sunt, suorumque laborum atque sumtuum fructus, adhuc superstites cum incredibili animorum gaudio atque voluptate perceperunt. Erant autem ad liberalem hujusmodi filii sui educationem tanto promtiores & alacriores; quò plura in illo adhuc puero bonæ indolis ingeniique signa elucebant. Intelligebant enim, ut agri neglecti & inculti, quo sunt fertiliores, eò magis spinis & vepribus, & agrestium plantarum asperitate vastantur: ita animos, cum non coluntur liberali disciplina, quò clarior est illorum indoles, eò pluribus & gravioribus vitiis infici ac imbui.

Ac ipsi quidem principium huic operi, hoc est, piæ & honestæ filii institutioni manus admoverunt, apud quos *quatuordecim* annos puer vixit. Erat autem ipsis in sancto illo proposito, divinitus hæc oblata commoditas: quod tunc temporis *Capellana schola à Wolfgango Junero* ultimo abbate, primum instituta, adhuc florenti erat in statu, ex quo veluti ex agro quodam optimo & fertili, eodemque benè & diligenter subacto, viri & doctrinæ magnitudine, & vitæ sanctitate præstantes propagati sunt; quorum alii Reipub. alii Ecclesiæ, atque scholæ Tigurinæ egregiam operam navarunt. In illo itaque monasterio, ut primùm lucem hauserat, claram antiquissimorum monasteriorum licuit imaginem intueri, quæ nihil olim aliud, nisi *religionis literarumque ἀσκητήρια sive Gymnasia* fuerunt, in quibus pueri ab ineunte ætate, & pietatis & artium præceptis imbuebantur, quibus instructi patriæ ecclesiæque aliquando præessent, simul atque prodessent.

Cum *decimum quartum* annum attigisset, parentes animdverso illius singulari & ingenio & literarum amore, quo magnos brevi tempore in primis literarum rudimentis, quibus tenella ætas informari consuevit, progressus fecerat; in animum induxerunt, illum à se dimittere, & aliis quoque instituendum tradere. Nec enim semper utile est: ut parentes liberos suos diutiùs in sinu gremioque suo foveant, quippe cùm sæpè usu veniat; ut liberi matrum præsertim nimis molli & delicata indulgentia corrumpantur. Quamobrem filioli uniei absentiam atque desiderium, nec non sumtus, qui illis majores erant faciendi, ferre maluerunt; quàm ut quicquam, quod ad liberalem educationem faceret, negligeretur. Itaque anno Christi *quadragesimo quarto*, mense Martio *Tigurum* cum miserunt; & *Bullingero*, qui illum è sacro baptismo susceperat, ceu summo & intimo suo amico, in disciplinam tradiderunt. Hujus itaque domus, secunda *Simlero* pietatis & doctrinæ schola atque officina fuit. Et hoc ipse *Simlerus* in præcipua felicitatis suæ parte posuit: quòd *Bullingero* usus esset primum ἀναδόχῳ, postea magistro, denique etiam socero, uno parente.

Vixit apud *Bullingerum* annos ferè *duos*, & ita vixit: ut & illi & ejus familiæ, ob singularem vitæ morumque probitatem, modestiam, diligentiam, egregiosque in literis progressus, charus inprimis & jucundus fuerit. Postea anno *quadragesimo sexto* die *decimo quinto* Martii *Tiguro Basileam*, in celeberrimum Musarum domicilium se ex parentum voluntate contulit: ibique linguis & disciplinis politioribus, quibus ætas illa ad humanitatem informatur, non parum operæ atque studii impendit. Erat autem id temporis Academia illa hominum literatorum abundans, de quorum numero fuerunt *Borrhaus*, *Amerbachius*, *Münsterus*, *Acronius*, *Curio*, *Castalio*, alii. Hanc quoque divinitus oblatam discendi commoditatem minimè neglexit; atque *Conradi Lycosthenis* usus hospitio & convictu, *Acronio* quidem Mathematico in Astronomicis, *Cælio Secundo Curioni* in eloquentia potissimùm operam dedit.

Basileam se confert.

Doctores ibi tum insignes.

Non diutius tamen uno ferè anno *Basileæ* commoratus, inde *Argentoratum* profectus est. Florebant illic eo tempore *Sturmius*, *Martyr*, *Bucerus*, *Fagius*, *Herlinus*, *Sevenus*, *Dasypodius*, *Hedio*, *Niger*, *Conrad. Hubertus*, alii; insignia illius Academiæ lumina. Horum quosdam audivit: ac *biennium* ferè ibi in artium atque disciplinarum studiis exegit, Theologicis tunc quidem parum adhuc addictus.

Inde Argentoratū abit.

Triennio in peregrinatione literaria propè consumto, tandem ex emporiis illis duobus artium & doctrinæ domum rediit, magno cum gaudio parentum ac Bullingeri. Fuit id anno *undequinquagesimo*, mense Februario. Patriæ autem redditus, nequaquam, ut solenne multis, ocio, deliciis, ac voluptatibus sese dedidit: sed partim discendo, partim in urbe agroque Tigurino concionando, partim denique in scholâ docendo strenuè se exercuit: atque ita vix dum *viginti annos* natus Ecclesiæ scholæque inservire cœpit.

Redit ad suos.

Vbi discendo & docendo se exercet.

Inter hæc *Gesneri* etiam, infinitis occupationibus distenti; publicas docendi partes sæpissimè obiit: & modò *Astronomica*, modò *Geometrica*, modò *Arithmetica* tradidit. *Gesnerus* itaque perspecta Simleriani ingenii docilitate, plurimi ipsum fecit: & quibuscunque potuit stimulis ad artium & doctrinarum studia semper incitavit. Mox autem *Novi Testamenti* publicè explicandi munus illi impositum fuit, quod à Matthæi explicatione, anno salutis *quinquagesimo secundo*, suæ ætatis *vicesimo secundo*, feliciter exorsus summa fide, diligentia, & magno non modo populariorum; verùm etiam peregrinorum, *Anglorum* præsertim, eo tempore religionis ergo *Tiguri* exulantium, admiratione sustinuit. Anno *quinquagesimo septimo*, Martii *vicesimo octavo* die, Ecclesiæ ad D. *Petri* Diaconus electus Novi Testamenti professionem retinuit, & in Ecclesiæ ministerio, quod *quatuor* ferè annis obiit, suam fidem & diligentiam civibus

Gesneri loco docet.

Novi Test. interpres designatur.

Et diaconus ad D. Petri.

ita approbavit: ut omnibus charus esset, omnique honore dignus haberetur.

Surrogatur Bibliandro.

Postea cùm *Bibliander* rude fuisset ob senectam donatus: Simlerus illius docendi vices aliquandiu supplevit, *Martyris* collega factus. Summo isti Theologo summè gratus & acceptus fuit: adeò ut Simlerum sæpè magno aliquando Ecclesiæ ornamento futurum prædixerit. Moriturus etiam vel hoc nomine plurimum se sibi gratulari vehementerque gaudere, multis audientibus, affirmavit: quod illum, talem & tantum virum, sibi successorem fore speraret. Quæ quidem illius spes vana non fuit.

Martyris de Simlero judicium.

Cui succedit.

Nam in ipsius defuncti locum concordibus Doctorum senatusque Tigurini suffragiis fuit suffectus die *decimo nono* Junii, anni *sexagesimi tertii*. Collega autem, post Martyris obitum, usus est *Joanne Wolffio:* qui ipse etiam quantus vir fuerit, præclara illius literarum monumenta, quorum quædam extant, locupletissimè testantur. Hic primum ad *collegium virginum* pastor, postea, petente & ministerio & senatu, Bibliandri munus, *Ludovico Lavatero* id certis de causis recusante, obiit, una cum ordinaria sua functione. Tandem cum *Joann. Guilielmus Stuckius* in schola Tigurina Dialecticæ & Rhetoricæ Professor, in Bibliandri locum, peste anno *sexagesimo quarto* defuncti, succederet, *Wolfius* unanimi superiorum consensu, *veteris instrumenti* Professor est * designatus. Sed ad *Simlerum* redeat oratio.

Joann. Wolfius colleg. Simleri.

Ejus vita Compend.

** Moritur hic Wolf. Theol. anno 1572. d. 17. Nov. ætat. 50.*

Hic ergo Spartam egregiam nactus, non publicè tantum, verùm etiam privatim intraque domesticos parietes, multos discendi cupidos, & in iis nobiles quosdam & generosos viros, cum sacras, tum profanas, quas liberales vulgò vocant literas, magno studio docuit. Fuerunt autem frequentes hæ illius lectiones & publicæ & privatæ & ordinariæ & extraordinariæ, testes & judices singularis ipsius diligentiæ, industriæ, pietatis, doctrinæ, eloquentiæ, judicii atque memoriæ. Ac publicas quidem illas suas lectiones, ut in lucem, qua dignissimæ videbantur, ederet, multi illi sæpè docti vir auctores suasoresque fuerunt: sed ille, qua fuit modestia, aliorum scripta, ex quibus fructus aliquis ad doctrinæ studiosos redire posset, quam sua edere maluit.

Simleri labores, ac lectiones.

Edere illas non vult.

Commentarium in Exodum.

Vix tamen adduci tandem potuit; ut in *Exodum commentaria* scriberet. Ad has porrò prælectiones non longa illi præmeditatione opus fuit.

Promtitudo ejus in docendo. Memoria felicitas.

Quippe & subito & ex tempore de rebus gravissimis, vel Latina vel Germanica lingua illi optimè dicere longè facilimum fuit. Memoria enim, *Ciceronis* judicio rerum & verborum thesauro, *Plinio* autem necessario vitæ bono, adeò fideli omnium, longo antè tempore lectorum vel auditorum, felicissimo custode usus est; ut de illis interrogatus, tàm promtè respondere sit solitus, ac si eo ipso die ea legendo audiendove percepisset. *Bibliothecam* quoque illam *Gesneri* totam memoria visus est tenere; quippe cum de cujusvis auctoris scriptive nomine interrogatus, promtissimè ad unumquodque responderit; ut amicorum plurimi sæpenumero, non sine admiratione, experti.

Atque hujusce quidem & memoriæ & judicii felicitate fretus, non ordinata accurataque; sed vaga plerumque & tumultuaria quorumvis librorum scriptorumve lectione est usus: ita ut præpostero ferè ordine, à postrema sæpe libri parte lectionem orsus, modò hanc, modò illam paginam non tam perlegere; quàm quasi per transennam inspicere, nihilque annotare sit solitus. Et tamen nihilominus totius libri summa, præcipua capita, extrema cum primis, & prima cum extremis egregiè contexendo, acutè vidit, potuitque aliis explicare.

Tumultuaria Electio Simleri.

Verum hæc legendi ratio temerè aliis imitanda non est: quin potius quem sibi quisque auctorem proposuerit, eum ordine evolvat.

Aliis id non imitandum.

Cæterùm non docendo saltem; sed etiam scribendo, plurimum rei literariæ profuit. Nam cum podagræ morbus gravis & molestus, publicum ipsius docendi cursum sæpissimè interpellaret, & intra privatos parietes carcerem quasi compingeret: ociosus domi lectulo affixus non jacuit. Nam cum haud rarò podagræ compedibus ita jaceret adstrictus; ut nullum, præter linguam, corporis membrum liberum esset: ipse inter ipsos ictus morsusve doloris acerbissimi, memoriter è lecto amanuensi suo dictavit; quæ mox typis edita, viris doctis admirationi fuerunt. Quantum itaque de corporis viribus morbus ille detraxit: tantum ad ingenii vim videri potuit adjecisse.

Podagra laboriosa.

In morbi commentatur.

Sed quemadmodum *Gesnerum*, polyhistora illum, summum opus *de historia plantarum*, ad quod reliqua ejus scripta παρεργα videantur, absolvere conantem, in medio cursu fatalis oppressit hora: ita & *Simlerum* inter conatus honestissimos, inter exspectationem plurimorum excitatam suspensamque mors properata abripuit; ac de statione sua, summo Imperatore volente, decedere jussit. Podagræ morbus fuit ei hæreditarius: quo pater juvenis etiam dum laboravit: sed ætate ad senium vergente, eo fuit liberatus: ut vel hoc exemplo verum esse illud Plinii appareat: *podagram non esse morbum insanabilem.* Verùm haud eadem filius, qua pater, gavisus est felicitate: quin potiùs *podagræ calculique* sævitia, cum ingravescente ætate ingravescens, corporis illius vires sensim attrivit atque enervavit. Tandem itaque vigiliis ac insomnia, quam tum morborum dolores, tum adsiduæ meditationes & lucubrationes pepererunt, plurimæ in corpore ipsius sunt accumulatæ cruditates: quas cum nullis exercitationibus, ob corporis gravitatem, morborumque immanitatem conficere posset; malo-

Gesnerus in medio laborum abreptus. Idem Simlero accidit.

Podagra non est morbus insanabilis.

malorum vi naturæ vis victa & prostrata, mortem ei acceleravit. Et hunc talem exitum sibimet ipse, balneis & medicamentis frustra tentatis, prædixit; neque ullius metus vel minimum dedit signum: sed corpus & animam suam Deo adsiduis precibus commendavit.

Mortem sibi præsidicit.

Die itaque *secundo* Julii, anni *septuagesimi sexti*, in Domino exspiravit: somno consopitus beatissimo. Eodem quo discessit die, hora *quarta* pomeridiana, justa illi ex patrio more, summa civium frequentia, nec sine lacrymis facta sunt: corpusque eodem tumulo reconditum: quo *quatuordecim* antè annis *Petri Martyris*: ut qui animis vixissent semper conjunctissimi, corporibus quoque conjungerentur. Sed quod de *Simlero* idem Martyr morti vicinus prædixerat: *non diu sibi illum superstitem fore*: vaticinium fuit nimis verum. Laborum enim & morborum pertinacia fractus vivere desiit, cùm per ætatem longè diutius vivere potuisset. Fuit enim *quadraginta quinque* saltem natus *annos*, quando ultimum vitæ diem clausit.

Quam & placidè obiit. Funus ei factum.

Præsagium Martyris de Simlero.

Mortuum laudavit *Joann. Guilielmus Stuckius* oratione, quæ typis exscripta exstat. Carminibus etiam Epitaphiis immaturum optimi, & rei literariæ studiosissimi viri obitum, docti passim defleverunt: è quibus hoc est *Theodori Bezæ*:

Obitus Simleri.

Beza in obitum Simleri carmen.

Simlere, mi Simlere, quo superstite
Tot mortui revixerant,
Quos ira nobis numinis, tam pauculis
Ademit annis plurimos.
Simlere, quem tremuit renatus Arrius,
Tremuit renatus Eutyches;
Vastator ille Poloniæ, hic Germaniæ,
Lasi flagella numinis.
Heu subita & immatura te mors asferens
Quam multa tecum sustulit!
Lamenta amicis quanta, quot justissimos
Secum dolores attulit?
Quos inter ecce Beza quondam haudultimo,
His irrigat te lacrymis:
Beza repetito vulnere isto saucius,
Communis ad tumulum patris.

Fuit hic vir non solùm *Theologiæ*, sed & aliarum artium, quæ Theologiæ ancillantur, apprimè peritus: inprimis *Mathematum*. Et quidem, quòd mireris, eas ipsas scientias, tot tantisque difficultatibus obseptas: ut inde, *quod sine præceptore percipi nequeant*, μαθήματα sint dicta; ipse suo fere, ut ajunt, Marte didicit. Nam & in *Astronomicis* Basileæ ab *Acronio*, & in *Geometricis* Argentorati ab *Herlino*, qui peritiss. quidem Mathematum; sed in docendi munere, quod auditorium fortassis haberet minus frequens, non fuit adsiduus; & *in Arithmeticis* ibidem à Typographico quodam opifice, alias idiota, pauca admodum audivit. Itaque ut *Didymum Alexandrinum* ferunt, oculis captum, *Dialecticam & Geometriam* perfectè didicisse: & *Diodorum Stoicum Cicero* narrat, sine oculis Geometriæ munus tueri facilè potuisse: ita Simlerus sine externis oculis, magistris ac demonstrationibus interno καὶ θείῳ τῆς ψυχῆς ὄμματι abstrusas illas disciplinas perlustravit, & ita perlustravit: ut cum P. *Ramus* Tigurum venisset, eruditionem in eo non potuerit non summopere admirari. Nec lubet hoc loco disputare; *an Theologo Mathemata conveniant*: unum *Augustinum*, si *Platonem*, *Aristotelem*, *Pythagoram*, alios aversantur, osores illi talium audiant. Sic ergo * ille: *numerorum*, ait, *imperitia multa facit non intelligi, translatè ac mysticè posita in scripturis. Ac numerum & Musicam plerisque in locis ac sanctis scripturis posita, honorabiliter invenimus.* Idem intelligetur de Geometria & Architectonica. Nemo igitur in Theologo vituperarit hujus scientiæ studium, nisi *Aristippi* & *Epicuri* sequaces: aut * *Bonifacii Episcopi Moguntini*: qui ludibrium et iamnum erudito orbi debet.

Diodor. Stoic.

Mathem. an Theol. tractanda.

* August. l. 2 de doct. Christ. c. 16. & 38.

* De quo Aventin. in Bojor. ann.

Natura prætere à Simlerus fuit facilis, lenis ac placidus: ut planè ἀόργητος καὶ ἄχολος, iræ bilisque expers videretur. Et ab hac naturæ lenitate ne ipsius quidem podagræ, quæ homines aliàs morosos, difficiles, iracundosque reddit; nec calculi exquisitissimi dolores dimoverunt. Fuit præterea valde liberalis: ac patrimonii, quod à parentibus mediocre accepit, usum cum amicis, propinquis, pauperibus & peregrinis largiter communicavit. Qui studiorum gratia Tigurum venerunt peregrè; in domum victumque suum libenter admisit: & quibus potuit officiis beneficiisve juvit. Conviviis multos sæpè excepit: nec ipse amicorum conviviis defuit: quæ sermonum festiva urbanitate condivit: aliàs sermonis parcus, à garrulitate alieniss. imus.

Virtutes & mores Simleri. Lenitas.

Liberalitas.

Hospitalitas.

Amicorum popularium, quorum copia abundavit, congressu colloquiisque valde est delectatus; inprimis intima ei intercessit cum *Ludovico Lavatero* affine à pueritia necessitudo: cujus fidei testamentum suum commisit. Studiorum quoque historicorum magna illi cum *Ægidio Tschudo* Helveticarum antiquitatum studiosiss. fuit communio: quodque ille Germanicè, id Simlerus Latinè præstitit.

Amici.

Lud. Lavater.

Ægidius Tschudus.

Corpore fuit admodum procero, pingui, candido, & robusto: sed quod podagra paulatim debilitavit: facie ita liberali & amabili: ut in vultu, quasi in speculo, suavissimos ejus mores intueri liceret. In matrimonio vixit gemino, & honorato. Prior uxor fuit, *Elisabetha Bullingeri* filia: quam anno *quinquagesimo primo* duxit: anno *sexagesimo tertio* sine prole præmisit. Altera *Magdalena*, *Rodolph. Gualteri* filia, tribus filiis & una filia cum patrem fecit: quos omnes cum matre vidua superstites reliquit. In cultu victuq; neque sumtuoso nimis neque sordido, sed mundo & eleganti est delectatus. Rei familiari tantùm tribuit; quantum non indiligens debet paterfamilias.

Prosopographia Simleri.

Conjugium ac liberi.

Frugalitas & cura rei domesticæ.

Scripta Theolog.

Scripta ipsius partim *Theologica*, partim *Mathematica*, partim *Historica* sunt. Ex *Theologicis* sunt libri tres *de æterno Dei Filio, adversus novos Arianos, Tritheitas, & Samosatenianos:* quibus adjuncti *duo libri* adversus eosdem *de Spiritu sancto*: *Adsertio orthodoxæ doctrinæ de duabus naturis Christi Servatoris nostri,* opposita blasphemiis & sophismatibus. *Simonis Budnæi: Narratio veterum controversiarum de una persona, & duabus naturis Christi, una cum collatione controversiarum nostri temporis,* edita cum Latinis veterum scriptis de eadem controversia, quæ ab ipso recognita, & annotationibus illustrata, inque unum volumen conjuncta sunt, item *Apologia,* (ejus enim ipse auctor est) *ministrorum Tigurinæ ecclesiæ ad confutationem Iacobi Andreæ, pro defensione Brentiani Testamenti*: præterea *orthodoxa & brevis expositio, de vera Iesu Christi Domini & Servatoris nostri secundum humanam naturam in terris præsentia: responsio ad duas disputationes Andreæ Musculi, Theologiæ Professoris in Academia Francofordiana ad Viadrum, & Ecclesiarum Marchiæ superintendentis generalis, de vera, reali & substantiali præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in sacramento altaris*: qua prioris quidem disputationis propositiones ordine oppositis contrariis propositionibus confutantur, posterioris verò præcipua tantùm capita examinantur, item *responsio de Christo mediatore, adversus libellum Franciſci Stancari.* Ex Germanica etiam lingua in Latinam transtulit libros sex *Bullingeri adversus Anabaptistarum errores: Institutionem eorum, qui de fide ab Inquisitoribus examinantur,* quæ est *responsio ad articulos Bavaricos,* cujus Bullingerus auctor: *Bullingeri compendium Christianæ religionis,* ejusdem *adhortationem ad ecclesiæ ministros omnes: ut concordiam mutuam colant, veramque resipiscentiam fideliter doceant,* ejusdem libellum de *persecutionibus, quas ecclesia passa est, earum causis, & persecutorum pœnis: Othonis Werdmülleri pastoris Tigurini, paraphrasticam interpretationem orationis Dominicæ, symboli Apostolici,* & aliorum.

I Germanico in Latinum translata.

Mathematica Simleri.

In *Mathematicis* exstant ejus *duo* libri *Astronomici: descriptio quinque columnarum Ioann. Blum architecti, cum symmetrica earum distributione* è Germanico in Latinum translata.

Historica Simleri.

Felix emendator librorum ac criticus Simlerus.

Historica denique ejus sunt, *descriptio vitæ Gesneri, Martyris, & Bullingeri: Bibliotheca Gesneri secundùm locupletata & castigata, notæ in Æthici cosmographiam,* antea nunquam editam, item *in Antonini Augusti itinerarium,* quod collatione veterum M. S. plurimis locis emendavit. Fuit enim in corruptis librorum locis corrigendis, suæque integritati restituendis, mira εὐστοχία & solertia. Præcipuam autem hic laudem merentur ejus *duo libri de federe & repub. Helveticorum, descriptio Valesiæ,* cui adjunctus commentarius *de Alpibus.* Reliqua fatum absolvere non est passum. Et hic quæstio moveatur, *cur Deus* sæpè *impios* & stolidis, quos meritò ἐτώσια ἄχθη ἀρούρης dixeris, *diuturniorem vitæ usuram concedat, quam piis, & generi humano utilibus? Causa* est *duplex, una mundi ingratitudo* erga Deum & pios sapientesque homines. *Altera Dei amor & benevolentia* in illos, qua eos omnibus ereptos malis ad æterna gaudia præpropera morte transferre dignatur. *Tantum de Simlero ex narratione de illius vitæ & obitu à Ioanne Guilielmo Stuckio edita.*

Cur impii & inutiles diutius vivant piis ac utilib.

HARTMANNVS BEYERVS.

©. 1579. d. 11. Aug. ætat. 61.

H*Artmannus Beyerus*, parentibus *Guilielmo*, & hujus uxore *Elisabethâ* civibus Francofurdiensibus ad Mœnum, spectatis virtute & pietate hominibus natus est, anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo sexto*, in vigiliâ D. Hieronymi, sive *vicesimo nono* Septembris: qui *Michaeli* archangelo sacer. Parentes illi à puero eum piè educarunt, & primùm sub *Iacobo Micyllo*; deinde sub *Ioanne Mosero*, viris præstantissimis, præceptoribus suis, militiam literariam militavit.

Parentes.

Natalis.

Præceptores.

Ubi ex ephebis excessit, de consilio suorum, *Wittembergam* profectus, anno *millesimo, quingentesimo, trigesimo quarto*, paulò post ibi magisterii gradum cum laude obtinuit. At quia tunc diutius in Academia florentissima cum præstantissimis viris vivere cupiebat, cœpit privatim jam hoc, jam illud, certis discipulis prælegere, & explicare. Eo tempore conscripsit librum *Quæstionum Sphæricarum*, quem, & prælo subjectum in lucem edidit. Ac fuit hic labor illius felix, multisque gratus, ita ut per Academias aliquot Germaniæ ad annos complures, non alia præcepta Sphærica, quam hæc ab ipso conscripta, proposita fuerint juventuti.

Wittemb. proficiscitur.

Docet privatim.

Quæstiones Sphæricas edit.

Ibidem *Wittembergæ* uxorem duxit *Barbaram* anno *quadragesimo secundo* mense Januario. Tandem post obitum parentum in patriam reversus, certis conditionibus propositis ad ministerium à magistratu fuit invitatus. Redit itaque Wittembergam: & cum D. *Martino Luthero* de statu patriæ suæ confert, deque sua vocatione. Probat *Lutherus* egregiam voluntatem magistratus, hortatur vocatum, ut vocationem sequatur. Sistit se ergò in patriâ suo loco anno *quadragesimo sexto.*

Ducit uxorem.

Vocatur ad ministerii docendi in patria.

Quod secuit.

In ministerium ingressus talem se ad extremum usque diem vitæ suæ gessit; qualem ministerii dignitas, & qualem se gerere posse, quisque fidelium ministrorum optet. Instructus erat rerum Theologicarum, artium, disciplinarum & linguarum scientia; quibus accessit vitæ morumque integritas & innocentia, ita ut adversariorum nemo unquam vel ausus fuerit illum calumniis tentare. *Humilitas* animi illi fuit tanta; ut nunquam se aliis doctrinâ præstantiorem, majorem officio, auctoritate graviorem, rerumve usu superiorem habuerit.

Egregiè gerit.

In conjugio suam crucem expertus est, & vicissim sua etiam ex eo percepit commoda.

Conjugii ejus varietas.

Prima

Prima ejus uxor *Barbara* Wittembergensis anno *quinquagesimo tertio*, altero die ab eo, quo ipse cum dignitate & commodo suo in integrum restitutus fuerat (tempore enim Interimistico loco suo dejectus fuit) nihil bono nuncio recreata, diem suum obiit: fuit is nonus Aprilis, liberis ex eo conjugio nullis superstitibus. Alteram itaque duxit *Agatham* civem, qua & ipsa simul cum gemina prole morte sublata, tertiam sibi matrimonio conjunxit *Catharinam*, anno *sexagesimo secundo* Aprilis die vicesima secunda, quæ parentem habuit *Sebastianum Ligarium* Moguntinum, olim ejusdem ordinis & monasterii cum Luthero fratrem, postea verò reip. Francofordianæ Ecclesiasten, cui mortuo Hartmannus fuit surrogatus. Ex hac procreavit liberos aliquot, inter quos *Ioannes Hartmanni* Medicinæ Doctor, patriæque suæ Francofordiensis Physicus ordinarius: qui paternas virtutes famamque egregiè adseruit, publicatis plurimis literarum monumentis tùm suo Marte conscriptis, tum aliorum suis notis doctissimis illustratis.

Fuit valetudine sic satis firmâ, præterquam sub extremam ut fit ætatem, in qua in morbos graves incidit, donec postremo à Deo prorsus evocatus fuit, die undecimo Augusti, anno Christi *septuagesimo septimo*, cum annos *triginta unum* in patriâ suâ sacro ministerio verbi functus fuisset.

Præter supra commemoratū libellum Spiæricum, scripsit *in omnes libros sacros Bibliorum commentaria*, quæ apud hæredes pressa. Vertit etiam *Catechesin Ioannis Brentii* è Latina lingua in vernaculam, Brentio id ab ipso requirente. Sub nomine *Andreæ Epitimi* quædam *de Missa* edidit contra *Sidonium* Episcopum, & nonnulla contra *Theobaldum Thammerum* scripsit. Præ reliquis verò ipsius lucubrationibus laudem meretur *Epitome Bibliorum*, Germanicè ab eo edita. *Ex narratione de vitâ & obitu Beyeri, à Petro Patiente relictâ.*

Docet Tubing. Biberacum abit.

Accusatur ad Ferdin. Imperat.

Memoria ejus felicitas.

Scripta

Tres virtutes magistratui necessariæ.

Objectio Pontificiorum ex cant. Nun bittē wir den H. Geist.

CONRADVS WOLFGANGVS PLACIVS.

HIc *Roppenvveilera*, qui pagus est in Wirtembergico Ducatu, Martbachensis præfecturæ, circa annum Christi *millesimum, quingentesimum, trigesimum primum*, natus est parentibus honestis, cumque felix in puero sese exereret ingenium, literatæ vitæ generi destinatus, primisque artium elementis in schola patriâ est imbutus. Postea *Tubingensem* adiit Academiam, in qua Principis sui alumnis adscriptus, tantos in Philosophicis brevi fecit progressus, ut testimonium eruditionis publicam fuerit cum laude adeptus.

Ab eo sacrarum amplexus literarum studium, & solenne suum obtinens, supremum eadem in Academia *Theologi ἀξίωμα* consecutus, ibidem, cum eloquendi facultate polleret naturali, verbi divini aliquandiu præconem egit. Tubingâ *Biberacum* anno *sexagesimo* accersitus, accedente Principis Wirtembergici consensu, fidum Ecclesiæ ejus oppidi pastorem egit, unum & unicum Dei atque hominum mediatorem Christum docendo; afflictasque & postratas sensu iræ divinæ conscientias verbo gratiæ erigendo.

Et cum *Evangelium, crucis sit doctrina*, ipse quoque suum ἐπιβάλλον μέρος constanter exantlavit. Inter alia ad *Ferdinandum* Augustum delatus aliquando fuit super *sacrificio*, ut Pontificii vocant, *Missæ*. Sed Placius ex verbo Dei accusationem omnem ita diluit, ut calculo uniformi judicum fuerit absolutus. Donatus fuit itidem divinitus tum aliis ingenii bonis, tum memoriæ felicitate tantâ, ut auditorum suorum ad unum omnia nomina in promtu habuerit, perinde ut ille Imperator olim suorum militum.

E vita hac discedit anno Christi millesimo quingentesimo..... die 2. Mensis..... ætatis suæ anno.....

In usum posteritatis literis mandavit hæc: *Inquisitionem Catholicam*, hoc est, an in Papatu apud Angelos, Mariam virginem, divos cœlites, & per bona opera, gratiam Dei, justitiam, salutem, vitamque æternam inveniri possè, docendum sit. Ejusdem *apologiam catholicam*, adversus conciones D. *Gasparis Franci*: cui accessit *dialogus Petri Canisii* & *Gasparis Franci* de Catholico per I, & catholico per Y: denique fratris *Nasi* convitia contra formulam concordiæ: Concionem *de tribus virtutibus Magistratui necessariis*: ut de timore Dei, de amore veritatis, & de odio avaritiæ, ex c. 18. Exodi: Explicationem cygneæ cantionis: *Nunc dimittis*: Tractatum *de spectris & lemuribus*: *Artem moriendi*, deque *certa vitæ & mortis horâ*, in qua respondetur ad varias quæstiones. Scripsit etiam responsionem ad Pontificiorum objectionem: *Lutherani canunt*: Nun bitten wir den heiligen Geist um den rechten Glauben: derowegen haben sie den Glauben nicht: hoc est: *Petimus fidei veræ donum a te Spiritus sancte*: *ergo* non habent veram fidem. *Pantal. l. 3. Prosopogr. Crusius in annalibus, bibliothecæ.*

PAVLVS CRELLIVS.

COmmunem hic habuit patriam cum magno Luthero *Islebium*, ab æris fodinis dictam, ubi natus est anno Christi *millesimo, quingentesimo, trigesimo primo*, die *quinto* Februarii. Fundamentis, literarum & trium Principum linguarum, in patriæ ludo literario, mediocriter jactis, *Wittembergam* venit anno *duodequinquagesimo*, ætatis suæ *decimo septimo*, ubi magistro usus *Ioanne Marcello*, viro doctiss. *quadriennium* ipsum Philosophiæ, Theologia non neglectâ, operam dedit eam, quæ publicum ei eruditæ doctrinæ testimonium promeruit.

Alterum

Theolog. se dedit. Præficitur templo arcis. Et prof. constit. Doct. Theol. renunciatur

Alterum *quadriennium* Theologiæ soli dedit, quo absoluto vocatus est ad ministerium Evangelii in templo arcis, simul demandata lectione publica *Ioannis Forsteri* Theologi. Itaque de voluntate *Augusti* Saxoniæ electoris, sic postulante Sparta sua, insignibus doctoræ Theologicæ ornari se passus est anno *undesexagesimo*; ætatis suæ *duodetrigesimo* die *septimo* Decembris, competitoribus *Paulo Ebero, Cimbrio Erasmo Læto Dano, Ioanne Coglero Quedelburgensi*, promotore *Georgio Majore* Theologo. Officium autem illud satis arduum etsi suæ sibi imbecillitatis conscius, modestè recusaret, tamen auctoribus & suasoribus viris, quorum auctoritatem & consilium sequendum putaret, *Melanchthone, Ebero, Georg. Majore, Milichio, Winshemio*, aliis, obtemperavit tandem, & legibus facultatis Theologicæ se subjecit. Non admittunt autem ad gradum doctoris Theologi nisi eos, qui integro *sexennio* audierint enarrationes scripturæ Propheticæ & Apostolicæ, idque vel *Wittembergæ*, vel in Academia evangelii doctrinam amplectente. *Crellius* autem tum probavit collegio Theologico, non *sexennio*, sed *decennio* se audivisse doctores Wittembergæ *Bugenhagium*, J. *Forsterum*, *Melanchthonem*, *Eberum*, *G. Majorem*.

Qui ad gradum Doct. Th. Wittemb. admitt. Crellius decenniũ Theologos audivit.

Lectiones ab eo habitæ.

Enarravit in Academia illa inter alia *epistolam ad Romanos*, idque methodicè & luculenter, nec imitatus est quorundam maledicentiam & pugnacitatem, qui intempestivis reprehensionibus augent potius, quàm sanant Ecclesiæ vulnera, ac sunt, ut dicitur, *unguis in ulcere*. Nec tamen lentus in officio fuit, vel occultator; sed expresè sine convitiis testatus est, quid de controversiis tunc motis sentiret, seque præter Pontificios abhorrere ostendit à duabus potissimum sectis *Sacramentaria* & *Flaciana*. Dedit insuper operam, ut συμφωνίαν collegii prudenter tueretur, & quibus posset officiis foveret.

A quibus abhorruerit.

Misenam transfertur. Calv. resistit. Remigrat Wittemb.

Postea *Calvinistarum*, ut ajunt, machinationibus impetitus, *Misenam* translatus est mandato electoris, ibique adsessor consistorii superioris designatus. Quo in officio Calvinistis Lipsensibus & Wittembergensibus obstitit semper, donec anno *septuagesimo quarto* ab *Augusto* electore cum *Casparo Eberhardo* Wittembergam remigrare jussus, Professionem Theologicam & inspectionem suscepit.

Iterum Misenam.

Sed Wittemberga iterum anno *septuagesimo septimo* Misenam commigravit, sic jubente *Augusto*, reservato tamen sibi jure postliminii & professionis publicæ.

Præsagit mortem.

Ibi anno *septuagesimo nono* in vigilia adscensionis, quasi præsagiens mortem, ad suos dixit: *Crastino die, sic volente Deo, novam induam vestem, veteri inter filios meos distributa*, id quod domestici de novis indumentis, ipse vero de nova vita intellexit. Mane ad uxorem, caput monstrans, *hic* inquit, *arcus ruinam minatur*: tum illa medicamenta contra apoplexiam afferre, quo morbo ante biennium laboraverat, & ex quo etiam tum difficulter loquebatur atque incedebat: adhibere

Apoplexia corripitur.

fomenta, & talia, quibus cerebri roborandi vis est, accersere medicum atque chirurgum, sed incassum omnia. Itaque spiritum Deo reddidit die *vicesimo quarto* Maji, ætatis suæ *anno undequinquagesimo*, *Matthæus Dresserus* ad exequias ituros invita vit, ejusque manibus oratione parentavit. Monumento tale epitaphium est additum:

Quæ insignitus Matth. Dress. funus curat.

Epitaphium.

Hic situs est celebris doctrinâ & nomine Pauli
Crellius, ingenio magnus, & arte gravis,
Quem pietas, Musæque dolent, his vivere terris
Amplius in longos non potuisse dies.
Cui laudem, & gratam meruit sapientia famam,
Consilii bonitas, judiciique nitor.
Nam studiis florens tredecim Witeberga per annos
Tradentem audivit cœlica verba Dei.
Consiliis ejus lætata est Misnica tellus;
Iudicii assessor dum fuit ille sacri.
Ergo suis veluti meritis clarissimus unus:
Sic etiam multò dignus honore fuit.
Nunc tandem post lustra novem, tribus insuper annis
Adjectis, mortem non moriturus obit.
Ille solutus enim fragilis de carcere vitæ,
Cessit ad ætherei lucida tecta poli.
Hic Christi in gremio, moriens quem in vota vocavit.
Quem docuit, vitam cœpit habere novam.
Hic totus fulget cœlo velut Hesperus alto
Lætus in aspectu colloquioque Dei.
Præmia tanta ferunt, Christi qui dogmata tradunt,
Tantus honos doctos, gloria tanta manet.

Theologi functio gravis.

Objecit sese hic Crellius, gener *Georgii Majoris*, Theol. D. variis certaminibus; *Lutheri* inprimis doctrinam amplexus, quanquam & *Melanchthonis* visus est studiosus. Nullus autem vitæ humanæ gradus sustinet gravius onus, quàm ordo, cui doctrinæ cœlestis est explicatio & dijudicatio commendata. Itaque summa hic vigilantia agendum, doctrina purè tradenda, scriptura sobriè tractanda, officium vitæ moribusque ornandum, & magnorum virorum scripta ita evolvenda; ut quod bonum, retineatur, errores autem revincantur. Cæterum quæ de mortis * hujus *Crellii* genere, de spectro in ædibus ejus viso, vulgata, suo loco relinquimus, rei ipsius ignari, nec malè cupimus cuiquam.

*Laudatur Hofmanni. tractat. de carcerib. Pueri 7. 8. alibi. Scripta Crellii.

Scripta ipsius hæc recensentur: *commonefactio de verbis symboli*, credo remissionem peccatorum, & *de dicto Pauli*: Gratia salvati estis per fidem, non ex operibus, scripta propter corruptelas doctrinæ sincerioris de *justificatione*, de *pœnitentia*, & *bonis operibus*, adsperſa examini Theologico, quod *Ienæ* edidit *Tilemannus Heshusius*: *Harmonia quatuor Evangelistarum Germanica*, & si quæ alia.

Ex vitis Theologorum Wittembergensium.

NICO-

NICOLAUS RHODINGUS.

DREISÆ *Cattorum* prope *Zigenhainium* nascitur hic *Rhodingus*, anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, illo nempe tempore, quo & Evangelii doctrina, & artium ac literarum recta studia, in Germania nostra renascebantur. Puer statim magistris scholæ erudiendus traditus, feliciter prima elementa percepit, uno infelix, quòd matrem vix *octennis* amisit, novercâ surrogatâ.

E patrio ludo *Marpurgum* anno *tricesimo* est traductus, ubi in Pædagogeum receptus, sub *Casparo Rodolpho* ita in linguarum & artium Logicarum cognitione profecit, ut *tertio* anno post ad publica Academiæ auditoria sit admissus. In schola tunc Theologiæ studium rexit *Franciscus Lambertus Avenionensis*: qui monachos, solenni in disputatione coram ipso principe, Philippo seniore, & consiliariis, convicerat.

In publica schola primum tyrocinium vix anno uno exacto deposuit: deinceps in Philosophicis alacriter progressus, adeo ut anno ætatis suæ *decimo octavo* in patriam revocatus, ludo, in quo antea ipse didicerat, erudiendo sit præfectus. Sed cum ad altiora aspiraret, sequenti anno *trigesimo octavo Marpurgum* iterum venit, studia ursit: testimonium eruditionis petiit, tulitque brabeuta *Eobano* illo *Hesso*, poëta celeberrimo. Inter literarum autem humaniorum studia ipse etiam Rhodingus poëtin coluit, & carmina non insuavi vena condidit, de quibus postea.

Ibi ergo cum doctrinam ac pietatem omnibus probaret, scholæ Latinæ civicæ *Marpurgi*, quam à cœmiterio appellant, præfectus, eidem, ad annum Christi *quadragesimum primum* præfuit, simulque in Academia docentes, ac disserentes avidè audivit, de quibus facilè primas tulit, *Gerhardus Noviomagus*, cui paulò post *Hyperius* successit.

In pulvere scholastico cum aliquandiu sudasset Rhodingus de visendis exteris scholis cogitationem suscepit, unde rerum cognitione instructior, usu prudentior, consuetudine humanior rediret. Anno itaque Christi *quadragesimo primo*, adjunctis sibi comitibus tribus juvenibus politissimis *Lovanium* profectus est: inde *Dolam* Burgundiæ, ibique præsidis hortatu in pædagogeo *Dialecticam*, & *Græcam Cleonardi Grammaticen* docuit. Sed quod Pontificiæ subscribere religioni omnes eo loco docentes cogerentur, non amplius duobus mensibus ibi mansit.

Dola itaq; relicta *Parisiorum* Academiam, comite *Schimmel-pfenningo*, abiit: ibi ad annum usque Christi *quadragesimum tertium* commoratus. *Lutetia* in patriam reversus, doctrina & pietate auctus & ornatus, à *Philippo* seniore Landgravio *Joanni Buchio* adjunctus, in erudiendis filiis principibus junioribus ita versatus est, ut inprimis vera pietate, & literis dein humanioribus eorum animos imbueret & expoliret. Hoc in officio cum aliquot annis præclaram navasset operam, anno *quadragesimo septimo* ducta uxore, & nuptiis anno sequenti *Cassellis* celebratis, *quadragesimo nono* anno cum uxore *Marpurgum* ad professionem Rhetorices obeundam se contulit. Sub id tempus *liber Augustanus* etiam Hassiæ civibus fuit obtrusus, & quidem ita, ut in ejus approbatione salus principis captivi contineri diceretur. Sed nec quisquam librum approbavit, nec principi rejectio ejusdem obtuit.

Rhetorices professione *quinquennium* & amplius eo functus, anno *quinquagesimo quarto* mense Octobri *Melsungam*, inferioris Hassiæ oppidum, ad ministerium ecclesiasticum obeundum profectus est, ubi *annum* duntaxat *unum* commoratus, *Marpurg.* rediit. Mortuo enim *Joan. Rhodophanta*, ecclesiæ ibi pastore, unus Rhodingus ei muneri par judicatus est, tum à principe ipso, tum à viris doctis. Auspicatus est labores istos *Marpurgi* anno *quinquagesimo quinto*, mense Octobri, ætatis suæ *trigesimo sexto*, docente in schola Andrea *Hyperio*, cujus sententiæ de prædestinationis doctrina, à *Zanchio* tradita, Rhoding. cum aliis subscripsit.

Ibi cum & doctrinam & vitam omnibus egregiè probaret, ad consultationes etiam de religione sæpè domi forisq; est adhibitus. Nam ut de cæteris taceamus, ad duos celebres conventus Protestantium, à Principe *Philippo* seniore, cum *Hyperio* adductus est. Primus fuit *Francofurti ad Mœnum* anno *quinquagesimo septimo*, in quo de materia & forma colloquii, mox tunc *Wormatiæ* cum Pontificiis habendi, de ecclesiarum consensione stabilienda, non in doctrina solum, sed & in ritibus, deque disciplina instauranda, deliberatum fuit. Alter celebratus est *Naumburgi* in Saxonia anno *sexagesimo primo*: in quo *Augustanæ* confessionis renovata est subscriptio, & quibusdam, qui condemnationes in controversiis religionis, quæ tum agitabantur, urgebant, obviam itum est.

Præterea principes sui, dum in pastorali officio cum fide & diligentia versatur, tum alia ipsi munera, tum *inspectionem Theologicarum disputationum* demandarunt, ut & periculosæ quæstiones vitarentur, & altercationes immoderatæ iptius authoritate interpositæ sedarentur. Denique *Henrico Victore* Theol. Doctore & Professore in *Academia Marpurgensi* vita functo, cum successor quæreretur, unanimi Principum & Professorum suffragio id munus Rhodingo est adsignatum, ut juxta publicum concionandi munus in templo, in schola quoque Theologiam profiteretur. Suscepit eam functionem anno *septuagesimo sexto*, & ad mortem usque obivit. Atque hic quod ante sæpè recusarat, demum admisit, ut Doctor Theologiæ crearetur, postulante ita Academiæ & collegii instituto. Gessit eo in officio præterea summum magistratum, atque duplicem illam personam cum laude sustinuit.

Ii Cum

Ducit uxorem.

Migrat Marpurg.

Ecclesiæ Melsungan. præficitur.

Ioan. Rodophanta.

Marpurgi fit Pastor.

Interest conventibus.

Francofurti 1557.

Naumburgi 1561.

Inspector disputat. Theolog.

Henricus Victor Theolog.

⊖ 1576. d. 7. Ian. Ei succedit Rhoding.

Pastor, Professor, Rector.

⊖ 1580. d. 25. Sept. aet. 61. Diarium typod. Vitalis Rhod.

Marpurgum traditur.

Francisc. Lambert. Theol.

Profitetur ludo patr. Redit Marpurg. 1538.

Renunciatur Magist.

Discit Marpurgi.

Profectio Lovan. Discit Dolæ.

Parisios abit.

Eruditi principum fam. Hass.

Cum autem miserabilem ecclesiæ statum illa tempestate intueretur, & infinitarum discordiarum semina spargi sentiret, sæpè optavit, ut antè è vita avocaretur, quam in perturbationem illam rerum incideret. Hujus sui voti compos factus est anno *octogesimo*, mense *Septembri*. Cum enim *decimo nono* ejus mensis die à concione domum rediisset, nonnihil ægrotare cœpit, & morbo paulatim aucto decubuit. Ibi nulla tristitiæ significatione edita, patienter mortem expectavit, illud semper in ore habens: *Fiat voluntas Domini*. Tandem cum prænuncios mortis iterum sentiret, in lectum alium adscendere cupivit, quem suum & quietis lectum vocabat, & cui dudum hunc versum inscripserat:

Ut somnus mortis, sic lectus imago sepulcri.

Moritur. In eum lectum cum se collegisset, præter expectationem præsentium, in agnitione & invocatione Servatoris nostri leniter exspiravit citra doloris significationem, anno ut diximus *octogesimo*, die *vicesimo tertio* Septembris, vesperi sub *septimam*, cum annos *unum & sexaginta* vixisset.

Eruditio ejus. Fuit & hic Theologus pius, placidus, eruditus. Linguas Theologo necessarias ita calluit, ut Hebræam mediocriter gustarit: Græcam familiariter norit: Latinam vernaculæ instar tenuerit. In sacræ Scripturæ libris, veterum & recentiorum commentariis, historia ecclesiastica cum studio dies noctesque versatus est. In suggestum nisi præmeditatus non ascendit, inque eo nihil argutarum disputationum, nihil spinosarum quæstionum movit, alienus ab omni certamine ita quidem, ut pugnacem esse eum quidam maluissent. In tota vita nunquam adduci potuit, ut eorum, qui *Zvvingliani* & *Calvviniani* nominis invidia premuntur, condemnationi subscriberet, & disertè testatus est, se

Abhorret à certaminibus.

Vsitatas phrases retinet. ab usitatis phrasibus non recessurum, locuturum cum *Augustino* & *Cyrillo*, nec occasionem ullam turbis daturum, id quod & epistola quadam ad *Pantaleonem Candidum*, Bipontinum Superintendentem, anno ante mortem, & ad *Rodolphum Gualterum*, Tigurinæ Ecclesiæ antistitem, eo ipso quo obiit mense, confirmavit.

Mores & virtutes ejus. In victu fuit temperans, in convitiis modestus, in colloquiis humanus & facilis; sæpè etiam sine circumspectione, in omni vita simplex, humilis, patiens, crucis, laborum, injuriarum.

Labores. Sæpissimè uno die duas habuit lectiones in schola, & conciones in templo, Honores tantum abest ut affectarit, ut oblatos non semel recusarit.

Conjugiū. In conjugio castitatem & fidem coluit,

Liberi. *quindecim* liberorum parens, quos ex una uxore quâcum *triginta duos* annos sanctè vixit, susceptos cum institutione & commonefactione Domini educavit; superstites *tredecim* reliquit, filios *novem*, & *quatuor* filias. In catalogo eo, in quo liberorum natales consignarat, cum ut procreandi, ita scribendi finem fecisset, colophonis loco addidit, *Laus Deo pro ejus benedictione.*

Scripta. Inter ea, quæ elucubravit in indicibus librorum recensentur: *Exhortatio ad Germaniam, & precationes* aliquot *carmine elegiaco* conscriptæ, *exhortatio ad Germaniam, ut bellum à Papistis impiè concitatum armis extinguant* anno quadragesimo octavo. Laudantur & *Epithalamia* ejus, *epicedia*, *propemtica gratulatoria*, *monitoria*, & id genus alia carmina.

P. Nigidii de Rhodingo carmen. *Petrus Nigidius* hujusmodi eum elogio ornavit:

Patria Treisa fuit nato tibi, docte Rodinge,
Aprico solis condita Treisa loco.
Nutriit hæc eadem Cellum, fovet illa celebre
A vigili studio qui puto nomen habet.
Nutriit & nuper patriæ decus illa Magistrum
Kempion egregium conspicuumq; virum.
Prætereo Vlfexos, claros virtutibus ambos:
Doctrina notos; & pietate graves.
Quin & subticeo Grenizbacchum; quem puer olim
Dilexi juvenem, pòst juvenisq; senem.
Vrgeo propositum: puerum voluere Rodingum
Sectari Musas gnarus uterq; parens.
Formatorem igitur nactus doctumq; Magistrum,
In patria didicit grammata prima puer.
Inq; Academiam Marpurgum missus hic idem,
Ingenii specimen mox dedit egregii.
Res bene successit: geminam cepisse coronam
Vidimus: & titulos promeruisse duos.
Vtiliter primæ traduxit tempora vitæ,
Ingenuos pueros prima elementa docens.
Pòst etiam insertus Cattorum principis aulæ,
Instituit natos, magne Philippe, tuos.
A quo Lanicolæ rursus feliciter urbi
Redditus; illustri præfuit inde scholæ.
Rhetoricen docuit primùm; Dialectica deinde:
Et pulcram laudem clarus utriq; tulit.
Carminibus doctis etiam, quæ plurima scripsit,
Promeruit vatis nomen habere pii.
Tandem divinis studiis se tradidit ultrò;
Annos complures nil nisi sacra legens.
Mox Melsungiacam fama pertractus ad urbem,
Fit primùm verbi buccina clara sacri.
Bissenis autem vix mensibus ecce peractis,
Ad nostros rediit, sede vacante, lares.
Sic voluit princeps generosus, & ordo senatus:
Præfecti sacris sic voluère patres.
Successor factus Rhodophantæ quippe diserto,
Æquavit clari nomina tanta viri.
Præfuit hic populo viginti quinq; per annos;
Vir magnus zelo, sedulitate, fide.
Dignus, qui plures vivendo duceret annos:
Alq; aleret Christi pastor ovile pium.
Sed tres lanificæ secuerunt fila sorores:
Quid samus? heu paleæ: pulvis & umbra sumus!

Desumta hæc sunt *ex oratione funebri*, *Marpurgi* à D. *Georgio Sohnio* Theol. D. & Profess. ibid. publico habita: item *ex catalogo Professor. Academ. Marpurg.*

JOAN-

JOANNES MARBACHIUS.

Natus 1581. d. 17. Maji ætat. 60.

LIndavii ad lacum Bodamicum mundi hujus civis fit & ecclesiæ Christi, *Joannes Marbachius*, anno *millesimo, quingentesimo, vicesimo primo*, die *vicesimo quarto* Aprilis. Rudimenta etiam literarum prima percepit sub *Casparo Heldelino*, ludi tunc patrii magistro. Postea anno *trigesimo sexto Argentoratum* augendæ doctrinæ causa missus est, ubi præceptore *Bedrotto* usus, triennium ipsum in linguarum & artium humaniorum studiis posuit, temporisque & operæ pretium magnum fecit.

Caspar. Heldelin. Præceptor Marbachii

Exinde annum ætatis *duodevigesimum* ingressus, *Wittembergam* sese contulit, talemque se in omni literarum genere præbuit, ut ætatis anno *vicesimo* gradu magisterii cum laude sua fuerit ornatus. Conjunxit enim cum eruditionis doctrina, & quæ ei à natura inerat, facundia, studium pietatis, quæ gratiam suo cultori & apud Deum & apud homines parit. Itaque admodum juvenis ad ministerii sacri opus accessit: *Jenamq;* evocatus, annum ibi unum duntaxat Diaconum egit. Mox *Wittembergam* suam rediit, & Theologiæ totum se devovit. Ibi itaque decretus ei est atque collatus gradus Doctoratus Theologiæ, anno Christi, *millesimo, quingentesimo quadragesimo tertio*, die *vicesimo* Februarii, magno Luthero collegii tunc Theologiæ Decano.

Inde Wittemb. Magister renuncia. tur. Datet ejus

Hoc ornatus testimonio *Ienæ* in Ecclesiastico munere *Paulo Fagio* successor datus est. Ibi cum gnaviter officio fungeretur, fama de industria & virtute viri emanante, Argentoratum anno *quadragesimo quinto* evocatus, & ecclesiæ ibidem ad D. Nicolai præfectus est. Hoc loco in munere docendi plurimum profecit, & Patrum Ecclesiasticorum interpretationes super articulis fidei, cum sacra Scriptura studiosè contulit.

Ienæ Diaconum agit. Redit Wittemb. Fit D. Th. renuncia. tur. Ienæ succedit Fagio. Argentor. evocatur. ibi docet.

Inde sub exitum anni, *millesimi quingentesimi quinquagesimi primi*, ab Argentinensi Senatu cum *Joanne Sleidano Tridentum* ad Synodum missus est, ut fidei suæ & religionis, quam Resp. Argentoratensis amplexa erat, rationem redderet. Ibi mense Aprili cum *Joanne Brentio*, in ædibus Toletani comparuit, & uti publicè audiretur petiit. Verum fama de *Augusta* à Mauritianis capta. Tridentum paulo pòst allata, & synodum & actionem omnem disturbavit.

Mittitur Tridentum. Ea synodum disturbatur.

Eodem quo Argentoratum rediit anno, à Deo è terris evocatus * in beatorum consortium est *Caspar Hedio*, præcipuus tunc Argentinensis Ecclesiæ minister. In ejus locum omnium calculo surrogatus *Marbachius*, qui & docendo fidem probaret, & vivendo, quæ docuisset exprimeret. Sub idem tempus in schola quoque Argentoratensi provincia sacras literas de superiori loco explicandi, *Marbachio* est demandata, quam quomodo gesserit, testimonia tam hominum, quàm scriptorum loquuntur.

* An. 1552. d. 17. Oct. Surrogatur Hedioni. Et Professor schola designatur.

Anno *millesimo quingentesimo, quinquagesimo sexto*, cùm *Fridericus* Elector Palatinus rebus humanis exemtus esset, nullis relictis liberis, successit *Otho Henricus*. Is ecclesias suæ ditionis reformaturus, Argentorato *Marbachium*, viri probitate & integritate motus accersivit, & tum *Haidelbergæ*, tum in Palatinatu toto omnia ad Argentoratensis ecclesiæ formam disponere jussit. Id quod cùm diligentia singulari præstitisset, re confecta Argentoratum rediit. Initia itaque doctrinæ aliqua inter alios Palatinatus *Marbachio* etiam debet. Incruduit autem ea tempestate passim per Germaniam *dissidium* illud *sacramentarium*, quod omnes verè pii haud excitatum unquam, aut sublatum statim optarint, hodieque optant. In eo *Marbachius* quis suus esset sensus, libro edito declaravit, & ut in aliis, ita & in hoc argumento Luthero subscripsit.

Evocatur ab Othone Henr. El. Palat.

Dissidium Sacramentarium.

Luthero subscribit Marb.

Anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo*, cum conventus *Wormatiæ* religionis ergò haberetur, missus eò fuit & *Marbachius*, ubi quid actum sit, ac qua arte colloquium abruptum, explicatum est alibi. Demum Collegii *Thomani* Decanus & Academiæ Ephorus perpetuus designatus est, quo loco varios labores & certamina * suscepit & depugnavit.

Wormatiam mittitur.

Decan. coll. Thom. & Acad. ephor. constitut.

Tandem cum annis *triginta sex* munere suo Argentorati functus esset, caducam & miseram hanc vitam cum æterna commutat ibidem, anno Christi *millesimo, quingentesimo, octogesimo primo*, die *decimo septimo* Martii vitæ suæ anno *sexagesimo*. Defunctum *Joannes Pappus* hoc epigrammate est prosecutus.

* *In Annal. Sturmii & vita Zanchii.*

Ioh. Pappi epigr. in Marbach.

Doctorem puræ fidei, magnig, Lutheri
Discipulum, insignem religione virum:
Argentina diu fuit admirata docentem,
Divino afflatum numine Marbachium.
Nunc dolet extinctum mœsta, absentemq; requirit:
Sublatumq; videt charius esse bonum.
Impiger ille Dei verbum cum laude fideq;
Ædibus in sacris tradidit, inq; scholis.
Illius officio simul hic Ecclesia Christi
Crevit, & intactæ religionis amor.
Obstitit his Domini qui clam vineta revellunt,
Quiq; DEUM violant, & nova sacra movent.
Pastoresq; gregi sacro multosq; bonosq;,
Instructos magna sedulitate dedit.
Ergo, qui periit, vivit: quia nomen in orbe
Vivit, & in cœlis gaudia viva capit.

Fuit staturæ mediocris, & quæ nonnihil ad macilentiam inclinaret, in colloquiis familiaribus humanus & officiosus.

Statura.

Scripsit *de miraculis veris & falsis* dijudicandis ex verbo Dei, & *Confutationem Canisiani miraculi*, quod M. Eusenq. in libello de virgine Ottingana tantoperè prædicat Germanicè. Veram item ex verbo Dei *tractationem interioris & exterioris hominis* Germanicè. Concionem *de officio Episcopi*, & quis

Scripta.

ad hoc munus debeat assumi, item *de Cœna Domini* duo volumina. *Tantum de Marbachio ex Sleidani historia, programmate & aliis.*

JOANNES GIGAS.

Natus 1581. d. 12. Iulii ætat. 67.

Northusa.

NOrthusæ, quod est Thuringiæ ad sylvam Hercyniam oppidum non ignobile, *Joannem Gigantem*, felici ingenio poëtam, & sacrorum elogiorum præconem facundum protulit, *Maximiliano* I. Augusto rerum potiente, natum anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo quarto*, die *vicesimo secundo* Februarii.

Discit Magd. & Wittemb.

Docet in ecclesia & schola.

A puero optimis literis, primùm in patriâ, deinde *Magdeburgi*, ac tandem *Wittembergæ* excultus, variis & scholasticis & ecclesiasticis in officiis, plurimum exhausit laborum juxta & molestiarum; suamque industriam, studium ac fidem luculentè probavit. Artes enim humaniores & linguas docuit in valle *Joachimica* & *Mariaburgi*, utraque metallis fætâ, ac denique *Portæ ad Salam* in ludo illustri. Exinde in Silesiam evocatus, *Freistadii* ipsos *viginti septem* annos è suggestu sacra tradidit, & explicuit, linguâ vernaculâ perspicuus, atque ad captum auditorum ubique sese demittens.

In Silesiam evocatur.

Docet Freistadii.

Inde Suidnicii.

Postea ætate ad senium inclinante, *Suidnicium* venit, elegans Silesiorum oppidum, ubi in templo populum Christianum erudiendo, quod reliquum vitæ fuit, non sine ecclesiæ fructu aut laude suâ, exegit.

Decedit ibi.

Decessit ibidem, morte dudum præmeditata, *sexaginta septem* annis major, anno Messiæ exhibiti, *millesimo, quingentesimo, octogesimo primo*, die *duodecimo* Julii, epitaphioque est honoratus ejusmodi:

Epitaphium ejus.

Tumulus Joannis Gigantis Northusani:

Hic jaceo mundi satur, ast anima incolit astra:
Sanguis, Christe, tuus gloria spesq; mea est.

Doctrina ejus.

Conciones huic ministro non in labris, sed in corde natæ fuerunt, scripsitque se fidei suæ concreditos nihil docuisse præter *Mosen* & *Christum*, ac *militiam Christianam*, quam militarent freti ultimo Pascha. Inter amicos præcipuos ipse celebravit *Hieronymum Wellerum*, *Joannem Matthesium* Theologos, *Georgium Æmylium*, *Joannem Stigelium*, *Georgium Fabricium* Poëtas & Philologos.

Amici.

Laborat Melancholia.

Melancholia aliquando vexatus fuit gravissimâ, pro cujus liberatione Deo per omnem vitam gratias egit, illo Patriarchæ usus: *Minor sum cunctis miserationibus ac beneficiis tuis, Jehova.* Scripsit *poëmata* non pauca; ut sunt *Sylvarum libri* quatuor: *epigrammatum innocuorum* liber unus, scriptus in illustri ludo Portensi; *elegia* de duabus eclipsibus lunæ anni trigesimi octavi, *lugubre carmen* in obitum *I. Georgii* Saxoniæ Ducis filii, item *in mortem Erasmi*, *Encomium Lipsiæ*, *methodum scribendi* carmina. In Theologicis exierunt etiam ipso vivo, (à morte enim quicquam suorum edi prohibuit) *conciones* variæ, ut de ministris verbi, & eorum auditoribus, de *precibus*, de *vita æternâ*, de *vero & falso jejunio*, de *extremo judicio*, de *sanctis vivis in his terris*, de *passione Domini*, de *Baptismo*, de *certitudine religionis Christianæ*: adversus *Schwenckfeldii* fanaticos errores: de *Regeneratione*. Eminent inter omnia ejus scripta *Postilla Germanica*, & *Catechismus* homiliis explicatus, quibus multi ecclesiarum ministri adjuti fuerunt.

Scripta Philologica.

Theologica.

Emblematis quasi loco placet heic addere Georgii Fabricii epigramma, quo encomium illud Lipsiæ, carmine à Gigante scriptum ornavit. Id est ejusmodi:

Epigramma Fab. in encom. Lipsi. Gig.

Lipsensem egregiis ornavit laudibus urbem,
Ora Medusæo lotus in amne Gigas.
Non turres tantum decus addunt urbibus altæ:
Et facta artifici splendida tecta manu:
Quantum facundi suavissima Musa poëtæ,
Ductaq; Pierio carmina pulcra stilo.
Tecta ruunt, pereunt ipsæ cum turribus urbes:
Sed vatum laudes nulla ruina premit.

Tantum de hoc *Gigante Christiano & Theologo, ex scriptis ipsius, & bibliothecis.*

ZACHARIAS URSINUS.

Natus 1543. d. 6. Martii ætat. 49. Vratislaviæ.

ZAcharias Ursinus, Vratislaviæ, Silesiorum metropoli, urbe Germaniæ facilè pulcherrimâ, republ. benè constitutâ, natus est, anno Christi *millesimo, quingentesimo, trigesimo quarto*, die *decimo octavo* Julii, die Sabbathi, sub vesperam, familiâ honestissimâ, patre *Casparo*, avo *Conrado* Beer: qui *Neapoli Austriæ* civis in re sat lautâ fuit.

Conrad. Beer / Ursinus dictus, avus. Caspar Ursinus pater.

Hic *Conradus*, Ursini avus, miserat filium *Casparum* ad Academiam *Viennensem* studiorum causâ, ubi cum *Thoma Venatorio*, scriptis eruditis & piis claro, degens, haud mediocres in literis progressus fecit, erudiendis etiam quibusdam nobilibus *Stiriis* adhibitus, egregium ab iis pietatis & industriæ testimonium retulit.

Post *Vratislaviam*, anno Christi *vicesimo octavo*, profectus, ibi patriciis aliquot, & in his *Sigismundo Puchero*, primariæ auctoritatis viro, in instituendis filiis operam addixit; cui ita fidem & integritatem probavit, ut eum & officiis publicis, & affinitate fuerit dignatus. Nam munia quædam in Republ. illi sunt imposita, inprimis *Diaconiæ*, sive curandæ eleemosynæ. Quod munus ut sacrum, ita & ibi & in amplissimis regnis honorificum, hominem requirit fidelem, impigrum, prudentem, qui & pauperibus indigenis de necessariis prospiciat, & ecclesiastica bona ritè procuret. Præfuit ei officio *octennium* summâ fide, cumque eruditione, ac judicio, dicendique facultate polleret, à primario pastore *Ambrosio Moibano* cathedra ecclesiastica dignus est judicatus. Desponsa quoque ei tunc est è patritiâ familiâ, *Pucherianæ* consanguineâ, *Anna Rotha*; è qua hic Zacharias primogenitus est natus.

Castat Vrsin. Vratislav. venit.

Præficitur eleemosynæ.

Et ecclesiæ.

Parentes Zachariæ Vrsini.

Qui

Institutio prima.

Qui posteaquam puer ad scholam patriam accessit, statim indolem præclaram ostendit: & ingenii felicitate commilitones ante vertit. Mox in iis literis, quibus ætas puerilis informari solet, eos fecit progressus, ut anno *decimo quinto* ætatis, elegantis carminis haud minus, quàm solutæ orationis scriptione, summis scholæ præsidibus, *Ambrosio Moibano*, & *Joanni Morenbergio* suam diligentiam probarit, & accedente commendatione ludimoderatoris *Andreæ Winckleri*, anno sequenti ætatis suæ *decimo sexto*, ad Academiam *Wittembergensem*, uberioris doctrinæ capessendæ gratiâ missus fuerit, à Senatu, amicis, ac tribu mercatoriâ subsidio, ad illius temporis annonæ difficultatem tolerandam, adjutus.

Andr. Winckl. Moritur Wittemb. 1570.

Ingressus est *Wittembergam* anno *quinquagesimo secundo* calendis Maji, ac politiora humanitatis studia amplexus, sodalitia prava, otium ignavum, & ludos magis, quàm libros sectantia, & sibi quoque insidiantia, fugit ceu pestem, animum autem honestis ac seriis studiis intendit, insignes Academiæ doctores ac φωσφόρους, in quibus emicabat tanquam Hesperus *Melanchthon*, audivit sedulo biennium & ampliùs. Postea ob luem ibi gliscentem & contagii metum, primò *Torgam*, quò *Melanchthon* secesserat, deinde in patriam se recepit, honestissimo Melanchthonis testimonio ornatus, ibique hyemavit. Mox sequentis anni vere Academiam Leucoream repetiit, adjunctus patritii *Quirini Slaheri*, magni viri, *Joan. Cratoni* & *Joach. Camerario* amicissimi filio, cujus studia moresque graviter gubernavit, convictu *Viti Winshemii* usus.

Redit in Patriam.

Deinde Wittemb.

Wittembergæ commoratus est *quinquennium*, & eximiam linguarum, poëseos, artium Philosophiæ ac Theologiæ, scientiam, studio indefesso sibi comparavit. Itaque & *Melanchthoni* familaris ac dilectus; æqualibus carus & jucundus, doctissimis quibusvis viris, qui tum ex illâ Academiâ in universam Europam magno numero effundebantur, notus acceptusque fuit, quibuscum amicitiam scholasticam, tum aliis officiis, tum mutuis literarum commerciis aluit postea, & constanter auxit.

Melanch. literas chama.

Anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo septimo*, de consilio Imperatoris *Ferdinandi*, & principum Electorum Imperii, institutum fuit in urbe Vangionum colloquium, inter Pontificios & Protestantes, de modo componendi religionis controversias, quo eventu, alibi etiam à nobis est indicatum. Ad id *Ursinus*, quoque, *Melanchthonem*, ejusque Comites *Eberum*, & *Peucerum* secutus, abiit, haud absque venia & viatico senatus Vratislaviensis, unà cum *Joanne Fevinario*, Professore *Wittembergæ*; post etiam *Marpurgi*, & synodi istius clarissimos Theologos audivit, vidit, quæ agerentur, perspexit. Eâ opportunitate usus vicinas ad Rhenum urbes, & Academias invisit, *Argentinam*, *Basileam*, *Helvetiam* perlustravit, inde *Lausannam*, & *Genevam* se contulit, ubi *Calvinum* ac collegas audivit, & sibi conciliavit. A Calvino quidem & libellis à se tùm editis donatus est, quibus manu propria nomine præscripto testatus est amorem in Ursinum. Post adiit *Galliam*, ac per *Lugdunum* & *Aurelias* penetravit *Lutetiã Parisiorum*. Hic paulo diutius hæsit linguæ *Gallicæ* & *Hebrææ* ex doctissimo *Mercero* rectius addiscendæ gratiâ. Itaque sæpe dixit: *Mercero se multum in Hebraicis debere*. In reditu *Tigurum* delatus, ita tum urbe; tùm eximiorum illorum, quibus abundabat doctorum virorum consuetudine delectatus est, ut aliquantisper ibi commorari visum sit lubitumve. Tandem ex Helvetia per Sueviam *Tubingam*, *Ulmam*, *Norinbergam*, & *Franconiam* in Saxoniam ad præceptorem *Melanchthonem*, à cujus latere noluit avelli, reversus est. Ibi vix dum studia recolere cœperat, cum ecce literis à Senatu. Vratislavienſi, ano *quinquagesimo octavo* mense *Sept.* vocatur ad scholæ patriæ, quam *Elisabethanam* dicunt, gubernationem. Munus id honestissimum non detrectavit, ut qui patriæ natum se cogitaret, atque etiam cum laude & approbatione sustinuit:

Ante annos animumq; gerens curas j, viriles:

ac gessisset diutius, si per importunitatem quorundam commodè licuisset.

Calvinum salutat.

In Galliam abit.

Audit Mercerum.

Tiguri subsistit.

Redit Wittemb.

Vocatur in Patriam.

Præest schola.

Commissa erat *Ursino*, præter artium & linguarum lectiones, etiam explicatio libri *examinis ordinandorum* ad ministerium, à Melanchtone conscripti. In qua cum perveniisset ad locum de Cœna Domini proposuit ejus exegesin secundùm analogiam fidei, scripturæ, & antiquitatis orthodoxæ consensum, adeoque sensum ipsius autoris, Præceptoris Philippi γνήσιον, verum & germanum, quem ipse γνήσιος discipulus optimè perspectum habebat. Ibi statim *Ursinus* Sacramentarius à Demagogis proclamatus, & adversarios expertus est, quos prius amicos & fautores habuerat. Igitur ut fidei suæ rationem redderet isto necessario tempore, & erroris Sacramentarii famam aut culpam amoliretur, totam doctrinam de Sacramentis, *Baptismo*, & *Cœna*, propositionibus certis, nervosis, & accuratis complexus est, & quibus conveniebat, exhibuit, & communicavit, quæ Tom. I. oper. ejus insertæ leguntur.

Audit Sacramentarios.

Theses ejus de Sacramentis.

Hujus dissidii fama perlata Wittembergam, *Melanchthoni* dolorem magnum attulit, qui consultus etiam epistolam ad *Morenbergium* scripsit, quæ publicè exstat. Hortatus est idem *Melanchthon Ursinum* ad constantiam in tuendâ verâ sententiâ, vel ad reditum in Academiam, ut se melioribus temporib. servaret. Libet ejus sententiam ex epistola *Joannis Fevinarii* ad *Ursinum* adscribere: *Satis*, ait, *scio, te quærere, quid ad hæc Philippus? Ipse verò te hortatur ad constantiam in tuendâ verâ sententiâ, cum certamen planè jam motum sit, tamen quantum omnino fieri possit cum moderatione, & patientia summa, idq; suo exemplo. Exposueram ei quædam etiam antea, sed nunc quidem totum negotium, ac cum pia adme-*

Hortatur eum Melanchthon.

Ioan. Fevinarii ad Ursin.

admodum & reverenter scripseris, cùm de cæteris omnibus tùm de re ipsâ, dedi ei legendam tuam epistolam, quam recens misisti, ad verbum. Quâ lectâ, non credis, quale ejus de te fuerit judicium, & statim postulavit librum propositionum quem cum inspexisset tantùm obiter, cœpit laudare & ordinem & tractationem fundamentalem libri, addens, se omnino totum velle legere. Nam de eruditione tua se quidem hactenus sciviſſe, sed de tantarum rerum cognitione quæ in te sit, tàm illustre nihil comperisse. Vides igitur, in quâ nunc parte hæreas apud ipsum amicitiæ. Et pòst pauca, *Etiam tui mentionem faciebat, priusquam ego inciperem de te quidquam dicere. Si Zacharias*, inquit, *usus fuerit suo poetico spiritu, profectò ibit isti clamori obviam.* Hæc ille.

Dimissionem petit.

Ursinus, qui tum naturâ à rixis, tum certo judicio à contentionibus ecclesiasticis abhorreret, loco cedere maluit, ac à senatu missionem impetravit, honestissimo cum testimonio, eaque conditione: *ut, quandocunq; revocaretur, ad ecclesiæ, patriæq; usum, se facilem exhiberet, ac sisteret.* Factum id die septimâ pòst obitum Melanchthonis, *vigesima sexta* Aprilis, anni *sexagesimi.* Cum ibi ab avunculo suo, *Alberto Roth*, venerandâ canitie sene, interrogatus esset: *quônam animus esset abire?* respondit ei his verbis: *Haud invitus equidem exeo patriâ, quando veritatis confessionem admittere non vult, quam bonâ conscientiâ non possum omittere. Sed si viveret adhuc optimus Præceptor Philippus, alio non concederem, nisi ad ipsum. Nunc eo mortuo, conferam me ad Tigurinos, quorum etsi non est hic existimatio magna, tamen in ecclesiis aliis ita celebre nomen est, ut à nostris concionatoribus obscurari nequeat. Sunt enim illi pii, docti, magni viri, quibuscum agere, vitamq; transigere deinceps decrevi. De cæteris providebit DEUS.*

Excedit patria.

Sic excessit patriâ, die *vicesimo quinto* Junii, dolentibus optimis quibusque, quos in orthodoxâ fide, vivâ voce & scriptis, atque inprimis eruditissimis illis Thesibus de Sacramentis, confirmarat: quibus, reditum ejus maturum optantibus & sperantibus summum sui desiderium reliquit. Inter illos fuit *Joannes Crato, & Maternus Eccelius* intimi & familiarissimi. Quorum hic in æde *Vratislaviæ* primariâ, concionibus præclaris doctrinam sinceram modestè proposuit, at à nonnullis delatus Calvinianismi nomine, non ita longè pòst, eandem cum *Ursino*, exilii sortem subiit, & *Benshemii* in Palatinatu inferiore ecclesiam postea fideliter docuit, ubi & vitam in terris clausit. Ille verò Ursino peregrè profecto, subsidia pollicitus, ita ad eum: *Ego bonis caducis, ad ærumnosam hanc vitam necessariis, quorum usum mihi Deus concessit, tibi non sum defuturus, cùm tu sempiternos thesauros mecum communices. Vratislaviâ Ursinus Wittembergam* venit, ubi cum gaudio à Professoribus exceptus, atque collega expetitus, subsistere noluit, animo secum præcipuè volvens, aut præsagiens, à morte *Philippi*, cui vivo ingrati cuculi βλαυκοὶ non pepercerant, imò insidias, pericula, exilium struxerant; Academiæ mutationem imminere, quæ & secuta. Ad Helvetios ergo iter susceptit, *Tigurumq;* appulit die *tertio* Octobris, anni *sexagesimi*, quò eum *Martyris*, *Bullingeri*, *Simleri*, *Lavateri*, *Gualteri*, *Gesneri*, *Frisii*, virorum omni laude clarissimorum, pietas, doctrina, humanitas, ac consuetudo, cumq; illis ante biennium contracta amicitia, vel potiùs ipse Deus retrahebat. Sed & ipsimet eum ad se literis amantissimè invitabant: ut ex his *Joannis Frisii* deprehendere licet: *Hoc tibi, Ursine, omninò persuadeas, me tuâ causâ facturum omnia. Non te latet, quid tibi discedenti communicarim, ut si patriâ religionis causa pulsus esses, tibi apud me scires, quoad DEUS vitam concesserit, esse prospectum.*

Maternus Eccelius.

I. Crato ad Vrsin.

Wittembergam venit.

Inde Tigurum.

I. Frisii ad Vrs.

Ad hunc igitur se contulit, jucundissimâ usus consuetudine magnorum illorum virorum, quibus Tigurum affluebat, ex qua & fructus cœpit uberrimos. Nec enim otiosam ibi vitam egit: sed ad usum ecclesiæ se comparavit, præsertim à *P. Martyris* ore pendens, cui plurimum acceptum retulit, ut à quo scientiam solidiorem Theologiæ hausisset. *Gesnero* autem quàm charus fuerit, ex epistolis ejus ad *Cratonem* liquet.

Audit Martyrem.

Anno *sexagesimo primo*, posteaquam synodo Tigurinæ suam fidem, doctrinam, & pietatem abundè probasset, à summis illis viris & Theologis, ad talentum sibi divinitus commissum cum fœnore multiplici elocandum ecclesiæ, est exstimulatus. Advenerant commodùm eo tempore *Tigurum Haidelbergâ* missæ literæ à *Thomâ Erasto*, quibus Academiam eam idoneo Theologo destitui significabat. Expetiverat quidem elector *Otho Henricus* ante triennium *Petrum Martyrem*; suaserat etiam *Calvinus*, ei vocationi pareret, verùm quòd Martyr ætate gravis justam excusationem haberet: *Ursinus* autem ab ingenio acri & igneo, judicio exacto, doctrinâ variâ & exquisitâ laudatus, & Heidelbergensibus ipsiq; principi Electori esset commendatus, tanquam natus factusque ad docendum, & Germanus, & Germanicarum rerum & ecclesiasticarum controversiarum probè gnarus, ac juvenis, & laboriosus: *Heidelbergam* vocatus *nono* Septembris eò appulit. Statim adhibitus est ad erudiendos adolescentes studiosos in *collegio Sapientiæ*, quam Spartam ornavit egregiè omnes partes implens præceptoris & magistri fidelis. Paulo pòst ei fuit additus *Conradus Marius* JC. pòst consiliarius ecclesiasticus. Conciones etiam aliquas habuit ad populum, à quibus tamen pòst abstinuit, quòd ea in parte sibi minus ipse satisfaceret.

Vocatio Heidelbergensis vocationis.

Docet in colleg. Sapientiæ.

Conrad. Marius.

Anno sequenti *sexagesimo secundo*, ætatis 28. perspecta jam illius ingenii vi, & doctrinæ copiâ, summaque docendi facultate & dexteritate, præter id, quod in collegio Sapientiæ gerebat munus, ad publicam etiam professionem *Locorum communium* est vocatus, ac secundum leges Academiæ, & facultatis

Locorum communium professor designatur.

Dr Theol. Doctor.

tatis Theologicæ, *Doctoris titulo*, non tam lubentu suo: quàm jussu & imperio alieno decoratus, *vicesimo quinto* Augusti. Postridie senatui Academiæ adscriptus, mox intra unius hebdomadis spacium auspicatus est publicas lectiones, habita *oratione de locis Communibus*, quæ post obitum ejus, ex reliquiis bibliothecæ, in lucem est producta. Professoris officio functus est ad annum usque *sexagesimum octavum*, quo successit ei D. *Hieron. Zanchius*.

Collegas.

Collegas habuit *Petrum Boquinum*, *Immanuelem Tremellium*, hunc Veteris, illum Nov. Test. Professores, pietate, doctrina, scriptis clarissimos, eosque sibi conjunctissimos, qui unâ manu, concordibus votis, Zionа & Hierosolymam Palatinam exædificarunt. *Quinquennium* autem docuit *Locos Communes*, eâ perspicuitate & soliditate, ut si pertexuisset, integrum sacræ Theologiæ corpus haberemus, & tale, quale diu desideratum à piis optari potuisset.

Catech. Palat. quæ occasione scripta.

Præter ordinarios istos in Academia & Collegio Sapientiæ labores, fuit etiam adhibitus deliberationi de *Catechesi Palatinâ*. Cum enim ecclesiarum & scholarum ministri dissentaneos Catechismos, unus *Brentii*, alter *Lutheri*, quidam sua commenta proponerent, optimus Elector, ut ad harmoniam, & uniformem hypotyposin sacræ doctrinæ cunctos revocaret, à Theologis pleniorem & planiorem Catechesin scribi jussit. Id ab *Ursino* quoque factum cum laude, sicut ex operibus ejus quisque colliget.

Impugnatur.

Anno *sexagesimo tertio* lues pestilens aulam, curiam, Academiam, Collegium Sapientiæ dissipavit, ac locis disjunxit, *Ursinus* autem domi remansit, & *commentariolum de mortalitate*, *& consolationibus Christianis*, in usum popularem, conscripsit; qui è Tevtonico in Latinum sermonem est conversus.

Ursinus vindicat.

Eodem anno *Matthias Flacius Illyricus*, *Heshusius*, & alii quidam haud ita pridem editam Catechesin *Heidelbergensem* adorti sunt chartis dentatis, & hinc inde nonnulla cavillati (totam enim impugnare non fuerunt ausi) potissimum *de Christi adscensione*, *præsentia*, *Sacramentis*, *cœna*; & pium opus instaurationis ecclesiarum in Palatinatu, calumniis & obtrectationibus passim in vulgus jactatis, haud parum remorati. Hic eorum conatibus occurrendum ratus, pius Princeps *Fridericus* Elector, uno quodam apologetico scripto lingua Germanica, veritatem & innocentiam vindicari, & in aspectum etiam imperitorum, ac lucem, tenebras mendaciorum fulgore suo pellentem, proferri jussit, eamq; curam *Ursino* commendavit, ut iniquas Catecheseos censuras dilueret, sinceram autem doctrinam tueretur, quod ipse quàm fideliter aut feliciter præstiterit, haud ignorant, qui legerunt illud scriptum.

Cùm autem non modò profanum vulgus tribunitiis clamoribus conviciatorum incitatum, sed majorum etiam gentium Dii, à suis Theologis persuasi, Electori *Friderico* plurimum negotii facesserent, attamen nihil aliud exprobrarent magis, quàm quod in articulo de Cœna Domini novam, peregrinam, ab Augustana Confessione damnatam doctrinam inveheret; Electori visum est, apertam hoc de capite confessionem publicari, quod effectum, *Exegesi veræ doctrinæ de Sacramentis*, *& Eucharistiâ*, jussu magistratus ab Ursino, nomine Collegii Theolog. sic scripta, ut plurimorum oculos in Germaniâ aperuerit, animosque vel ad orthodoxam fidem, vel ad moderatiora consilia, sensaque & judicia meliora de Palatinâ confessione traduxerit. *Exegesis vera doctrinæ de Sacram. & Cœna*

Colloq. Maulbrunnense.

Anno sequenti 64. Ursinus etiam ad colloq. *Maulbrunnense* vocatus ab Electore *Brentii & Smidlini* ubiquitatem ita revicit, ore primum, post etiam calamo, ut iisdem argumentis ab alis etiam, tum Lutheri sequacibus, tùm Pontificiis explosa fuerit. Sed aliorum etiam adversariorum invectivas in nostros sub id tempus accuratis libellis confutavit, qui in lucem sunt prolati. Sub idem tempus etiam Electori *Friderico*, Pædagogea, vel scholas illustres, *Ambergæ*, *Heidelbergæ*, & *Neuhusii Vingionum* instituenti, consilio suo adfuit, formam docendi, modum discendi, & regendi præscripsit, ac pro accurato suo judicio, quo valebat plurimum, in multis alis magnisque rebus, quæ ex usu Reip. forent, prudenter admonuit. Unde pio Electori carus adeò fuit, ut cum à *Bernhardo* per *Benedictum Aretium Heidelberg.* eo nomine missum, anno *septuagesimo primo*, ad professionem Theologiæ in *Academiâ Lausannensi*, vocaretur & missionem peteret, eam impetrare haud potuerit. Nam, quod clementiæ & propensionis summæ testimonium, Elector sua manu, id quod & alias facere solitus scriptis literis, serò illum multis allatis causis ab ea profectione retraxit, & ἐκόντα ἄκοντί ε θυμῷ detinuit, oblata ipsi benignissima sua gratia, & data optione collegas unum aut alterum adsciscret, ne laborib. corpus, etsi natura firmum ac robustum, exhauriret. Unus enim ipse supra *triennium* omnes in eo Collegio curas instituendi & gubernandi tunc sustinebat, collega autem ex voto nusquam apparebat. Itaq; discipulum *Jacob Kimedontium*, virum insigni ingenio, doctrina, & virtute, socium ac συμμάτην sibi adscivit, anno *septuagesimo secundo*. Paulò post conjugium iniit, cum *Margaritâ Trautuinia*, honestâ matronâ, ex qua unicum suscepit filium *Joannem*, ecclesiæ deinde ministrum, paternæque virtutis hæredem. Ipse Ursinus autem nihilo remissior in officio fuit gubernandæ juventutis, aut segnior in adornandis utilibus monumentis. *Pædagogea in Palat. instituta.* *Vocatur à Bernatib. Ursinus.* *Jac. Kimedontius Collega Ursini.* *Conjugium Ursini.*

Confessio fidei.

Anno *septuagesimo quarto* de mandato Electoris *Friderici*, composuit *confessionem fidei*, *de DEO*, *de Persona Christi*, *& Cœnâ Domini*, quæ opposita fuit vesanis cujusdam malè feriati calumniis, de *seminibus Arianæ hæreseos Heidelbergæ sparsis*, à quâ tamen quantum abhorruerit pius Elector, & Ecclesiæ Palatinæ, facta seria, pœna severa, & scripta orthodoxa testantur, & testabuntur.

In

In aliis autem occupationibus, quibus ingenii & corporis vires, cum publico commodo, impendit *Ursinus*; totus in eo fuit, ut discipuli tum sanæ *Philosophiæ*, & præsertim *Logicæ* præceptis, tum orthodoxæ *Theologiæ* cognitione, quàm optimè imbuerentur, & ad scholarum atque ecclesiarum ministeria διδακτικώτατοι redderentur. Et sanè ex ipsius officina prodierunt innumeri ac celeberrimi domus Domini architecti, quorum illa studio præclarè & in *Belgio*, & alibi est exædificata. Ac floruit illud Pietatis ἀσκητήριον usq; dum vivis exemto *Friderico* III. mutatio sat nota incidit anno *septuagesimo septimo*. Tum enim, quotquot Lutheri dogmata omnia non amplecterentur, sunt exautorati, atque in his etiam scholastici alii & alumni Collegii *Sapientiæ*, postridie Cal. Octobr. Octiduo post dimissus est & *Ursinus* cum collegâ *Kimedontio*. Verùm privatam ille vitam diu non egit, ad quam tamen inclinabat eâ ætate, senectutis ingruentis incommoda præsentiscens. Nam illustriss. & fortiss. Dux *Joann. Casimirus* illico eum ad se vocavit, ut qui sciret, quanti eum patet Elector *Fridericus*, à quo & commendatus erat filio *Casimiro*, fecisset & quanto usui sibi scholæq; futurus esset. Adventarunt etiam mox senatus *Bernatum* literæ, quibus invitabant eum in urbem suam, ut *Aretio*, aut *Basilio Marquardo*, Theologis succederet. Instigabant insuper *Musculus*, *Gualterus*, *Lavaterus*, *Hortinus*, ancipitem etiam ac dubium aliis ex locis reddebant alii.

Discipuli Vrsiniani.

Mutatio religionis Haidelberga.

Dimittitur Vrsinus.

Vocatur à Ioann. Casimir. Palat.

Et à Bernatibus.

Sed Duci *Casimiro* certum erat, *Ursinum* à se non dimittere, cui ut operam suam adderet, rationibus haud exigui momenti à *Christophoro Ehemio* cancellario, *Wenceslao Zulegero*, & *Petro Beutrichio*, consiliariis, persuasus fuit. Cumque optimus Princeps *constanter & sincerè*, secundum *symbolum* suum, orthodoxam fidem propugnare, & ejus rei causâ *Neustadii* novam Academiam aperire deliberatum haberet, eam de *Ursini* quoque consilio constituit. In ea præter alios aliarum disciplinarum magistros, voluit, ut & duo Theologi scripturam sacram docerent. Itaque vocati D. *Hieronymus Zanchius*, & D. *Zacharias Ursinus*, qui post Zanchium biduo migravit *Neapolim Casimirianam*, die *tertio* Maji, anno *septuagesimo octavo*. Ejusdem deinde mensis die *vigesimo sexto*, lectionem publicam, enarrationem *Jesaiæ* cepit, quem Prophetam quàm enucleate quamque ἀκριβῶς exposuerit: nullus, qui vel inspexerit commentarium, ignorat.

Neustadii schola aperta.

In ea docet Vrsinus

Cùm autem ita libris & literis affixus, exercitia corporis & valetudinis curam negligeret, incidit in ægritudinem, è qua vix anno sequenti se recollegit, & decimo octavo Sextilis ad docendi munus rediit.

Morbo affligitur.

Præter *Theologicas* autem, in studiosorum usum *Logicas* etiam scholas habuit. Hoc loco clariss. Viri *Joannis Sturmii* de *Ursini* lectionibus judicium placet adjicere, quod ad laudes viri non parum facit. Hic ergo; *Ursinum*, inquit, *aliquot scholis audivi. Absq; arrogantiâ & ostentatione, prudenter, definite, distincte omnia explicat, quæ auditorem faciant eruditum, & benè judicantem etiam paucis mensibus. Digni isti duo*, (Zanchius & Ursinus) *ad quos ex longinquis regionibus multi conveniant.* Hæc Sturmius *Neustadii* Anno LXXXI.

Judicium Sturmii de Vrsini lectionibus.

Auditoribus suis tunc edixit: *ut si quid minus in lectionibus adsequerentur, aut aliàs scrupuli quippiam haberent, id in chartâ consignarent, & sibi sub finem lectionis cujusque traderent, se tum domi cogitaturum de objectis, ac eorum solutione sufficienti, eamq; sub initium sequentis lectionis allaturum, ut omnes simul eam audiant, & expendant, an sint satisfactum sit.* Hoc pacto se labore responsionum extemporanearum, quæ non semper adeò possunt esse solidæ, ac omni ex parte perfectæ, liberatum, studiosos autem benè præmeditatis solutionibus ἀπροσκόπως rectius informatum iri. Quod disputandi genus utilius eo, quod ubique ferè receptum, judicavit.

Ratio ejus dicendi.

Præterea multos utiles tractatus, & libros intra biennium illud: inprimis *Admonitionem Neustadianam* anno *octogesimo primo* nomine communi conscripsit. Ac licet ob continuas vigilias, curas, meditationes, scriptiones, imbecilli valetudine, ἀτροφίᾳ, aliisque morbis gravibus obnoxius esset: tamen ab officio, & laboribus docendi abduci non potuit, sed tanquam fortis Dux in acie, & statione suâ perstitit: usque dum vis major eum afflixit, & lecto affixit, è quo tamen epistolas, & scripta, præcipuè *considerationem commonefactionis Chytræi*, suo amanuensi dictavit, nullam etiam tum animi quietem captans, sed pro ecclesiæ commodo sollicitus, plura quoque monumenta post se relinquere cogitabat, ut *refutationem Jesuitarum*, præsertim eorum dogmatis, *de justificatione*, *Samosatenianorum*, *Schvvenckfeldianorum*, & *libri Georgii Cassandri*, qui dum Papatum reformare simulat, stabilit & commendat æque, ac aperti hostes.

Admonitio Neustadiana.

Valetudo Vrsini afflicta.

Electo discat libris & epist.

Georg. Cassandet.

Sed aderat fatalis hora, quâ cursu suo completo, post agona præclarum decertatum, coronam illam amarantinam gloriæ, à cœlesti Agonotheta accepit. Obdormivit enim in Domino, dulci qui si somno sopitus, adstantibus familiaribus, die *sexto* Martii, anno Christi *millesimo, quingentesimo, octogesimo tertio*, sub horam *sextam* vespertinam, ætatis suæ anno *undequinquagesimo* climacterico. Sepultum est corpus ejus *octavo* Martii *Neustadii*, in choro templi à *Ruperto* rufo Palatino, *Academiæ* Haidelbergensis fundatore, magnifice conditi, sic volentibus superioribus. Ipse enim sine pompâ, ut vixerat, ita etiam communi publicoque cœmiterio humari cupierat. Ibidem ei monumentum, honoris ergo, in templi parte interiori, positum est à Scholarchis & Collegis hujusmodi:

Inter labores occidit.

Funus.

Monumentum.

CON-

CONDITUM HIC EST CORPUS ZACHARIÆ URSINI URATISLAVIENSIS, THEOLOGI SINCERI, PROPULSATORIS HÆRESIUM DE PERSONA ET COENA CHRISTI, VOCE ET STYLO ACERRIMI, PHILOSOPHI ACUTI, VIRI PRUDENTIS, MODERATORIS JUVENTUTIS SEVERI, EVOCATI EX HAC VITA ANNO DOMINI M. D. LXXXIII. ÆTATIS SUÆ XLIX. DIE VI. MARTII.

MEMORIÆ ET HONORI COLLEGÆ IN CHRISTO CARISSIMI ET OPTIME MERITI,

NEAPOLITANA NEMETUM SCHOLA GRATITUDINIS ERGO P. C.

Mortuum oratione funebri laudavit V. Cl. *Franciscus Junius* in schola tunc Neapolitana apud Nemetes Theologiæ Professor: & carminibus Epitaphiis deflerunt viri in omni doctrinarum genere præstantissimi: quæ operibus adjuncta leguntur: de quibus nos hoc Bezæ abscribendum duximus:

D. Opt. Max. S.

Varia carmina in Ursinum.

Ursinum dederas unum, Deus optime, nobis,
Sufficeret nobis tua qui penè omnia solus,
Sive homines ille humana ratione doceret,
Artibus excultus cunctis: sive entheus illum
Spiritus arcanos depromere pectore sensus
Jusserat: & sacri quatientem lampada verbi,
Discutere errorum nebulas: cuneosq; ruentum,
Divinis fretum telis, hinc inde luporum
Rumpere, tutantem Christi divinitùs agnos.
Ergo quid Ursino properatâ morte peremto,
Crediderim superesse gregi; qui sicut in uno
Cuncta habuit quondam, sic cuncta amisit in uno?
Sic ego multa gemens & planctibus æëra complens,
Quum Deus excelsa miseratus ab arce gementem,
Pone modum lacrymis, inquit, vobisque sibique
Vivit, qui vitam impendit vobisque mihique.
Ergo, Ursine, absit nobisque, tibique, Deoque
Ut te viventem, deinceps ceu lumine cassum
Ploremus stulti, quem tot tantique labores
Æternum æternæ consecravere saluti.
Et quibus hosce lupos tecum victricibus armis
Fregimus, in media nobis cùm morte relinquas,
Nempe etiam nobis verè post funera vivis,
Et vives, donec cœlorum regia tecum
Feltci excipiat functos certamine cunctos.

Moves & virtutes 1. 2. Tim. 3. v. 2. seq.

De reliqua vita & virtutibus ejus plura non dicemus: sed paucis rem totam complectemur. Non fuit Ursinus ex iis, quos ultimis temporibus Apostolus venturos * dixit: φιλαύτους, φιλάργυρους, ἀλαζόνας, ὑπερηφάνους, ἀσχόλους, ἀσπόνδους, φιλησύνους μᾶλλον ἢ φιλοθέους, quales haud pauci reperiuntur hac ætate quoque inter eos, qui se profitentur Theologos. Ab his abfuit longissimè. Nihil sibi tribuit: *Theologiæ Studiosus*, quàm *Doctor* dici maluit. Rei privatæ minimè cupidus: à donis Principum abhorruit: ea quoque literis deprecatus; adeò non placuit illi, quod plerisque, carmen Homericum,

ἐ γὰ δόπτελντ' ἐςι θεῶν ἐελκυδέα δῶρα.

Si beneficiis ejusmodi uti voluisset, aut etiam abuti gratia Principum; opes acquisivisset, sed his haud inhiavit, ipse supra sortem prope liberalis.

Pietas, morum probitas, & gravitas ex omni vita relucebant. Τετράγωνος teres, atque rotundus erat; sibi semper similis & constans: φιλόπονος; temporis parcus, quod inscriptio Musæi innuit:

Inscriptio Musæi Ursiniani.

Amice, quisquis huc venis,
Aut agito paucis, aut abi;
Aut me laborantem adjuva:

Fuit tamen ὀξύχολος, ut sit in ejusmodi ingeniis. *Quo enim quisque solertior & ingeniosior: hoc docet iracundius & laboriosius.* Fructus laborum ac institutionis ejus omnibus sunt noti ac manifesti; ut nihil attineat amplius adferre: αὐτὸ γὰ πρᾶγμα σαφῶς διείργει.

Scripsit, ut supra attigimus, *commentarium de mortalitate & consolationibus Christianis; Admonitionem Neustadianam: epigrammata* item ad *Joannem Frisium* Tigurinum, hospitem suum. Post obitum autem ejus opera ejus collecta & edita sunt, partim à filio hærede unico, partim à gratis discipulis, *D. Davide Parco*, *D. Quirino*: & ab hoc quidem postremò omnia, quæ haberi saltem potuerunt, collecta, *tribusque tomis distincta* evulgata sunt, præterquam quæ ipso vivo sine nomine suo prodierunt. Nam quòd esset ab omni κενοδοξίας specie alienus, & non personas cum personis; sed causas cum causis, rationes cum rationibus contendendas existimaret: nomen suum supprimi voluit; & necubi adscriberetur, diligenter cavit: contrà quàm hodie factitant *famæ aucupes*, & quos tenet *insatiabile scribendi cacoethes.*

Scripta.

Posthuma ejus.

Coronidis loco placet subjicere *testimonium geminum*, cujus & suprà alterius facta mentio: quo optimus vir & Theologus *Ursinum* verè ornavit. Primum est ei datum anno 1552. cùm ob pestis contagium Wittembergâ se in patriam reciperet: estque ejusmodi:

Testimonium Ursino à Melanchth. datum.

S. D. Omnibus lecturis has literas.

Sua cuique virtus præcipua & vera commendatio est. Cùm igitur extent Latina & Græca carmina Zachariæ Ursini Uratislaviensis eruditè scripta: prudentes & docti viri, lectis illis, suo judicio probabunt

„ bunt ingenium, ſtudia, & voluntatem
„ ejus. Nam & genus verſuum ſplendidum
„ eſt; & res ex fontibus doctrinarum ſum-
„ tæ ſunt; & ſonant ejus Muſæ veram de
„ DEO doctrinam, & virtutum laudes.
„ Propter has virtutes & vir clariſſimus Qui-
„ rinus Slaher ſtudia ejus ſuâ liberalitate ad-
„ juvit. Oſtendit & Senatus inclytæ urbis
„ Uratislaviæ, ſe de ipſius ingenio benè
„ ſentire. Quanquam autem habet Zacha-
„ rias hæc teſtimonia virtutis illuſtria: ta-
„ men & à me literas petivit; ut amicitiæ
„ noſtræ ſignum in hac migratione ſecum
„ auferret. Dedi igitur ei hoc & judicii &
„ benevolentiæ teſtimonium. Spero Zacha-
„ riam Urſinum, DEO juvante, uſui & or-
„ namento fore Reipub. quia natura ejus eſt
„ avida & capax optimarum artium. Didi-
„ cit igitur linguam Latinam & Græcam,
„ initia Philoſophiæ, & incorruptam do-
„ ctrinam Eccleſiæ Dei. Et animi pieta-
„ tem verâ invocatione DEI, & honeſta
„ morum gubernatione exprimit. Ac ſpe-
„ cimen ingenii, ſtudiorum & voluntatis e-
„ didit, ita ſcriptis carminibus: ut eruditis
„ & propter verſuum elegantiam, & re-
„ rum gravitatem placeant. Eſtque virtus
„ digna laude, quòd cùm vena ingenii ſingu-
„ lare Dei donum ſit, ut hanc autori ſigni-
„ ficationem gratitudinis reddat, ſuo eum
„ dono celebret. Etſi autem in his publi-
„ cis periculis, & metu vaſtationum, quas
„ Turcica arma minitantur, multorum vo-
„ luntas erga literas fit languidior: tamen
„ ſciamus, voce divinâ utrumque prædictum
„ eſſe, in hac ſenecta mundi & futuras eſſe
„ majores generis humani confuſiones,
„ quàm fuerunt antea; & tamen Filium Dei
„ collecturum eſſe Eccleſiam æternâ etiam in-
„ ter Imperiorum ruinas, & hoſpitia ei ſerva-
„ turum. Hac verâ conſolatione ſe quoque
„ confirmet honeſtiſſima civitas Uratislavia;
„ & petat, ac ſperet à Filio Dei proteſtationem
„ adverſus barbariem Turcicam, nec deter-
„ reatur, quo minus Eccleſiam ornet, & bo-
„ nis ingeniis opem ferat; ſicut diu jam fa-
Maſſiliæ. „ cit. Magna fuit laus veteris Maſſiliæ,
„ quod mores civium honeſte rexit, & fo-
„ vit artes. Hæc officia ſunt civitatis neceſ-
„ ſaria. Sed accedere hoc debet, ut ſit urbs
„ hoſpitium Eccleſiæ Dei. Quare Uratis-
„ lavia & diſciplinam civium honeſtè regit
„ & tuetur artes, & præbet hoſpitium Eccle-
„ ſiæ, eamque omnibus officiis ornat. Ideò
„ Senatui patriæ hunc Zachariam præci-
„ puè commendo. Oro autem Filium Dei
„ Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; ut
„ gubernet Zachariam, & faciat eum σκεῦος
„ ἐλέους, & organum ſalutare Eccleſiæ, & ſuæ
„ animæ. Datæ Wittebergæ, anno 1552. die
„ Jacobi Apoſtoli, filii Salomes.

Philippus Melanchthon
manu propria.

Alterum Teſtimonium ejusdem Melanchthonis Urſino datum anno 1557. in Conventu Wormatienſi, ſic habet:

S. D. Omnibus lecturis has literas.

Dulciſſime dictum eſt in Græco poëmate:

Ἐκ τῶν Μουσάων ἀγαθὸν κλέος ἀνθρώποισι.

Cùm igitur hic Zacharias Urſinus na- „
tus in familiâ honeſtâ inclytæ urbis Ura- „
tislaviæ, à Deo facultate ſcribendi carmen „
ornatus ſit, & mores ejus ſint honeſti & „
placidi; dignus eſt & benevolentia bono- „
rum virorum, & laude. Vixit in Acade- „
miâ noſtrâ circiter ſeptennium, & omni- „
bus honeſtis viris apud nos propter eru- „
ditionem, venam, bonos mores, & veram „
invocationem Dei, carus eſt. Scit autem „
in veteri Heracliti verſu ſic deſcribi vitam „
eruditi viri: „
Πολλὰ πλαγχθῆναι διζήμενον, ἔμμεναι ἐσθλὸν:
id eſt, peregrinari diſcendi causâ, & ta- „
men retinere morum integritatem. Hoc „
conſilio peregrinationem hic Zacharias „
ſuſcepit; ut doctorum & bonorum viro- „
rum de doctrinis judicia audiat. Retinet „
autem morum integritatem, & quia pe- „
ctus ejus luce divinâ regitur, & quia ho- „
neſtorum virorum familiaritatem expetit. „
Ut autem aditum ad viros eruditos & ho- „
neſtos habeat, hoc ei teſtimonium tribui: „
qui quidem ſtatim ſuo eum judicio com- „
plectentur, cùm eruditionem & mode- „
ſtiam conſideraverint. Oro autem eos, „
ut perficiant: ut ipſe etiam experiatur ve- „
rum eſſe verſum ſupra recitatum; Muſas „
decus & honeſtorum hominum benevo- „
lentiam eorum cultoribus adferre. Datæ „
in urbe Vangionum, Cal. Octob. an. 1557. „

Philippus Melanchthon
manu propria.

Tantum de Urſino, ex oratione Franciſci Junii & Quirini Reuteri Theologorum.

LUCAS POLLIO.

©. 1588. d. 11. Julii. ætat. 47. Natalis.

U*Ratislaviæ* Sileſiorum in hanc lucem pro-
greditur *Lucas Pollio*, anno à Chriſti na-
tali *milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto.*
Elementa pietatis prima literarumque cum
Grammatices utriusque rudimentis, in patrio
Ludo, citò percepit. Erat enim ingenio ad-
modum capaci, & puer ipſe ardebat amore do-
ctrinæ adeò: ut nullum laborem, moleſtiam
nullâ avocari ſe à ſtudiis humanitatis paſſus ſit.

Educatio.

Franco-furtum mittitur.

Jactis itaque feliciter fundamentis, uberio-
ris ingenii fructus percipiendi cauſa, *Franco-
furtum ad Viadrum* acceſſit: ubi publicis Pro-
feſſoribus operam dedit: nec privatim ſibi de-
fuit. Ea in ſchola cùm annos compluſculos po-
ſuiſſet: munificentia ampliſſimi Senatus & li-
beralitate quorundam civium patriæ adjutus,
Wittembergam venit: & virum de Eccleſiis
ac ſcholis Chriſtianis præclarè meritum *Phil.
Melancht.* avidiſſimè audivit. Exercuit ſe eo-
dem tempore in *Logicis*, in *Rhetoricis* & *Græca
linguæ*, cujus præcipua quadam ſiti tenebatur,
progymnaſmatis, adjunctis & *Phyſicis* & *Ethicis*
diſciplinis.

Inde Wittembergam. Studiaſui ejus.

Wit-

Docet Vratislaviæ in schola.

Wittembergæ à senatu evocatus operam scholæ *Elisabethanæ* suam addixit: suoque loco juventutem fideliter in rudimentis Catecheseos ac Grammatices instituit, moresque formavit. Nec caruit ipsius labor successu. Nam ubi cum pietatis studio certat diligentia: ibi non possunt non fructus existere uberrimi; quemadmodum Deus ipse apud* *Jesaiam* Prophetam promisit: *Electi mei non laborabunt in vanum.*

* Isa. 65. 23.

Exercet se concionando.

Cum autem Deus ab utero matris eum elegisset; & organum salutare Ecclesiæ, & in vinea Domini operarium solertem destinasset; ipseque *Pollio* naturæ quibusdam arcanis stimulis ad cœlestium literarum cognitionem raperetur: simul ac ex Academiâ, ut diximus, domum appulit: concionibus ad populum habendis sese exercuit in æde *Hieronymiana:* ubi etiamnum juvenes, in templo & choro ibi servientes, Theologiæ candidati ad ministerii sacri usum se præparare adsolent.

Melanchth. amplium.

Meminerat enim *Melanchthonem* sæpe id studiosis, à se discedentibus, suasisse: ut juxta scholasticas operas concionando ingenia excolerent, ad publicum ministerium aditum sibi apperirent. Exercitationes equidem istæ ita feliciter *Pollioni* ceciderunt: ut etiam tunc ob perspicuitatem & sermonis vernaculi simplicitatem, à multis amaretur atque observaretur.

Lipsiam ablegatur.

Senatus *Vratislaviensis* ubi non obscurè intellexit, juvenem hunc donis à DEO ornatum esse non vulgaribus, judiciique dexteritate, & eloquendi facultate; ut ad majora aptior fieret, sumtu publico *Lipsiam* ablegavit, Theologiæ & Hebrææ linguæ imprimis cognoscendæ causa. Egit eo loci aliquot annis, & tum doctrinæ profectus, tum morum elegantiam ita probavit omnibus; ut in notitiam & amicitiam interiorem Theologorum plerorumque & summorum virorum pervenerit.

Diaconus ad Elisabethæ constituitur.

Accidit sub id tempus, ut in templo *Elisabethano* locus Diaconi vacaret. Eam functionem ut ipse susciperet Senatus Mœcenas ejus munificentissimus voluit. Paruit vocationi *Pollio*, & cum concionando, tum aliis ministerii laboribus ita perfunctus est: ut Paulino illi mandato, & exspectationi Senatus abunde satisfecerit. Conciones siquidem habuit frequentissimo auditorio; cum doceret *piè*, & non nisi *utilia, necessaria,* atque *ad captum vulgi accommodata.* Itaque tanta floruit apud omnes gratia: ut quandocunque & ubicunque peroraturus fuisset, auditores nunquam defuissent.

Docet cum fructu.

Vix dum *biennio* Diaconatus officio præfuerat *Pollio:* cum *Adamus Curæus* Freistadianus, Pastor Ecclesiæ *Vratislaviensis* immatura morte ex maligna febri superatus, ad æternam Dei & bearorum consuetudinem emigravit. Docuerat Evangelium Christi ea in urbe *annis* amplius *quatuordecim:* vixerat annos *triginta novem*, menses *quatuor*, dies *quindecim.* Hic cum de surrogando in ejus locum fideli Doctore deliberaret Senatus, *Pollio* unus omnium visus est maximè idoneus & dignus eâ Spartâ, ut arduâ ita venerandâ.

Adam Curæus, mo-ritur.

Ei surrogatur Pollio.

Suscepit *Pollio* cum invocatione auxilii divini id officium, & Christi χειποτονίᾳ auxilio Spiritusque sancti gratia adipirante, ad extremum usque ἀγῶνα inter continuam corporis imbecillitatem, fideliter gessit, sine lite, sine scandalo, aut offensione alicujus, præter officium. Erat instructus subsidiis ad ministerium necessariis: facundia & arte ad docendum, delectandum & permovendum apta: cognitione sanctæ linguæ, aliarumque disciplinarum copia tanta, ut pro suggesto sacro & re nata, ad usum quemcunque artificiosè transferre nosset: judicio acerrimo, ut occultissima quævis statim perspiceret & caperet.

Tantis his donis divinitus ornatus præcipua doctrinæ Christianæ capita & quasi medullam, ita concinnè, ita eleganter ac perspicuè tractavit: ut singulis annis præcipua religionis nostræ, argumenta percurrerit, & tam doctis quam indoctis, pueris ac senibus non solum gratus, sed & utilis fuerit.

Practica Theologiæ.

Non autem solum *Theoreticam*, sed & *Practicam Theologiam* calluit: & ad usum in vita communi, in exercitiis precum, atque afflictionum omnia quæ docebat, aptissimè transtulit, eoque tum summis tùm infimi ordinis, domesticis & extraneis, gratus fuit atque acceptus.

Legem acuit.

Legem divinam vehementer acuit, & in vitia sui temporis vulgaria tantâ cum acrimonia invectus est: ut aculeos in animis omnium, non planè ἀπηλγηκότων reliquerit; sæpè etiam, ut fit, dum nemini parcit, offensionem quidem incurrerit: quam tamen ex mandato Dei & exemplo *Prophetarum* atque *Apostolorum* non curavit.

Offensiones non curat.

Evangelii itidem dulcissima prædicatione animos prosternatos, & sensu iræ divinæ perculsos erexit, & ad spem gratiæ divinæ ac salutis æternæ traduxit: adeoque nullam concionem habuit: ejusmodi malagmatum expertem. Gregem Domini juxta mandatum Apostoli fideliter monuit de cavendis lupis, de fugiendis Pseudoprophetis & spiritibus seductoribus: ut in explicatione *Actorum Apostolorum*, Epistolæ *ad Romanos*, quæ clavis est scripturæ totius: ac denique examinis *Theologici Melanchthonis* apparuit.

Evangelio erigit.

Cum autem ex *Psalmo Mosaico* didisset illud; *Doce nos numerare dies nostros: ut induamus animum sapientem*; mortis memor fuit semper, & in omnibus ferè concionibus ultimæ horæ commonefecit auditores; ut metu judicii extremi, & certò venturæ mortis à peccatis deterreret ferociores, & ad obitum beatum præpararet. Ut enim ipse præter salutem æternam nihil quæsivit in hac vita: ita id omnibus concionibus egit: ut auditores suos ad pœnitentiam vocaret; nec quenquam eorum condemnari videret.

Psal. 90.

Votum Pollionis.

Sæpe itaque cum *Auguſtino* idem publicè optavit; *ut quemadmodum in templo terreno eſſent coacti: ita & in cœleſti illo templo æternum unà viverent.* De materiis, quas pro concione explicare animus erat, libenter cum aliis contulit, aliorumque judicia exquiſivit. Confeſſionem ſuam de omnibus fidei capitibus accommodavit, ut propheta

Iſ. 8.

monet, *ad legem & teſtimonium*, ad normam dico Bibliorum, ſymbolorum Oecumenicorum, ac confeſſionis quam *Auguſtanam* vocant. Docuit veritatem in pace: omiſſis quæſtionibus illis intricatis: de quibus Apoſtolus poſteriori ad *Timotheum* ſecundo. Breviter id in optatis habuit, id unicè ſemper egit: ut veritatem Evangelicam, ſicut à *Luthero*, ejusque συνεργῷ *Philippo*, à quisquiliis ſuperſtitionum expurgatam, ad poſteros propagaret & ſartam tectamque conſervaret. Temporis rationem habuit accuratam: cum noſſet, *habenti datum iri*;

Diligentia ejus.

quotidiè *Bibliorum* codicem attentè legit; ut *Antverpiæ* variis linguis editus eſt: *Patres* item Græcos & Latinos ſua quemque lingua, una cum *hiſtoria Eccleſiaſtica* & *Politica* evolvit: quæ pertinax diligentia & ſecundo loco concionandi vehementia, & vocis contentio, valetudinem ejus non parum læſiſſe putatur.

Vita privata.

Privata in vita vidiſſes virtutem illarum exempla expreſſiſſima: quæ divus * *Paulus* in

* 1. Tim. 3. Tit. 2.

Eccleſiæ doctore requirit: *Temperantiam* in victu, *affabilitatem* mixtam gravitate, inprimis *precandi* ardens *ſtudium:* ut vere ſicut

Ezech. 22.

apud prophetam dicitur: *murus contra rupturam fuerit.* Cœnæ Dominicæ uſu ſæpius fidem ſuam confirmavit: deploravit quod rariùs conciones frequentare per valetudinem poſſet, quas tamen ratione officii ipſe habere deberet. Sermones ſale non conditos oderat, nec ferre poterat: ſuam

Epheſ. 6. 4.

familiam & liberos educavit *in doctrina & monitis Domini.* Summa: omnes ſuas curas, omne ſtudium & laborem, ad gloriam nominis divini retulit: id quod & *Symbolo* innuit ex Pſalmo deſumto: *Benignitates Jehovæ in ſeculum canam.* Et quanquam

Pſal. 89. Symbolum Pollionis.

ἀναμάρτητος non fuit, uti nec Prophetarum, nec Apoſtolorum ullus: tamen infirmitates, & nævos ſuos agnovit, deploravit, & ut Chriſtianum decet, illo Salomonis ſe

Prov. 24. Eccl. 7. 20.

erexit: *ſepies in die cadit juſtus:* & ex Eccleſiaſte: *non eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, ac non peccet.* Sæpe etiam hæc talia ex eo audita ſunt: *ſum paratus & cupio emigrare de hac vita, in qua non ſolùm omnia plena ſunt miſeriarum, & calamitatum: ſed, quod deplorandum, omnia referta ſunt peccatis: cupio* inquam, *in eam vitam emigrare, in qua nullum erit peccatum, nulla miſeria, aut deſtructio.*

Morbus & valetudo.

Cum ergo aliquot annis infirmiore valetudine uſus fuiſſet, doloribus diuturnis calculi exhaùſtus: in DEI patris voluntate acquievit: & crucem ſuam patienter bajulavit.

Hebr. 12. 6.

Noverat enim ex ſcripturis Domini: *quem diligit Dominus, ſolet caſtigare: & flagellat quemcunque filium agnoſcit.*

Sæpe in morbo Paulinum illud uſurpavit: *cupio diſſolvi, & eſſe cum Chriſto:* & cum medicorum conſilium ſecutus, medicamentis uſus eſſet, dixit: *quod facio, ideò oportet faciam: ne videar* ἰδιογνώμων, *aut media contemnere, ac Deum tentare:* ſubjecit & illud Apoſtoli: *In dies ſingulos morior.*

2. Cor. 15. 31.

Conſolationis loco plurima ſacræ ſcripturæ dicta recitavit, & recitanda ſibi ab aliis curavit; de quibus hæc; *quis eſſet mihi in cœlis præter te, Jehova, & præter te nullo delectior in terra: deficiente carne mea, & animo meo, rupes animi mei & portio mea Deus in ſeculum.* Item

Pſal. 73. 25.

hoc; *Severè caſtigavit me Jehova, ſed morti non tradidit me;* & ex Jeſaia; *Jehova tibi erit luci perpetuæ, & completi erunt dies luctus tui:* & ex Pauli ad Romanos; *Abraham minimè debilis fide, non conſideravit ſuum ipſius corpus jam emortuum: ad promiſſionem Dei non addubitavit infidelitate; ſed corroboravit ſe fide, tributa gloria Deo, ac plenè perſuaſum habens, eum quod promiſerat, poſſe etiam facere:* Item, *ſtatuo, minimè eſſe paria, quæ præſenti tempore perpetimur, gloriæ in nobis retegendæ:* Item, *Fidelis eſt DEUS, qui non ſinet vos tentari, ſupra id quod poteſtis: ſed una cum tentatione præſtabit etiam exitum; ut poſſitis eum ſufferre.* Ex *Auguſtino* etiam, *Chryſoſtomo*, *Gerſone*, & aliis, quædam ἀθυμητικὰ & ἀθυμητικὰ uſurpavit; uti & ſacræ cœnæ uſu fidem ſuam quatuordecim ultimis diebus, quibus lecto fatali fuit affixus, confirmavit, recitatâ confeſſione & pœnitentiæ ſignis præclaris editis; poſt communionem gratias egit Deo creatori, redemtori, & ſanctificatori ſuo: Magiſtratui, civibus non ſolum divitibus, ſed etiam pauperibus, qui Deum pro ſe deprecati eſſent.

Pſ. 118. 18. Iſ. 60. 20. Rom. 4. 19. Rom. 8. 1. Cor. 10.

Admonitio collegæ.

Collegas cohortatus eſt ad concordiam, fidem, conſtantiam & patientiam; *manete*, inquit, *in charitate, & animorum conjunctione; habete ſalem apud vos; pacem invicem ſectamini, ut his octodecim annis Dei gratia factum; tum Deus benedicet vobis, & aderit, quicquid, tandem ſequatur. Si vos tempeſtas aliqua deprehendet; prudenter agite, & orate: nec ex navicula exſilite, annunciate Chriſtum crucifixum. Si cum Maria & Joanne ſub cruce Chriſti ſteteritis: certò, ut Danielem à leonibus liberavit, ita & vos proteget, adſeret, & ad gloriam evehet.* Tandem ultima Julii, anni *octogeſimi tertii* derepente animo defecit; ubi & ipſe identidem *Jeſum Chriſtum* ſalvatorem ſuum invocavit, & filios duos in genua procumbentes orationem Dominicam recitare juſſit; cui natu grandior ſubjecit hoc Bernhardi:

Preces ejus ex Bernhardo.

Quocunque loco fuero;
Jeſum meum deſidero.
Quàm lætus cum invenero,
Quam felix cum tenuero.

Item

Item hoc.

Qui jacuisti mortuus,
In petra rex innocuus,
Regas me quæso miserum,
Pro quo dedisti pretium:
Ac per tuam clementiam
Deducas nos ad gloriam.

Item:

Ne quæso, more judicis,
Quid egerim, quid dixerim.
Quid cogitarim, pondera:
Peccata sed mea omnia
Tuo cruore deleas.

Ab his prælecti sunt ipsi Psalmi, *sextus, vicesimus tertius, centesimus decimus octavus, ex quinquagesimo primo & nonagesimo primo quadam: aliquoties caput decimum septimum Joannis: octavum ad Romanos, concio ipsius sexta de vita æterna*; dicta alia, ut *Genes.* 32. *Non dimittam te*; ex Ps. 35. *Dic animæ meæ, salus tua ego*; item Jer. 17. *Sana me Domine, & sanabor.* Item:

Vesperа jam venit nobiscum Christe maneto,
Extingui lucem nec patiare tuam.

Ultimum tuum verbum in cruce, sit ultimum verbum meum in hac luce: fac ut sim in requie, propter tua vulnera quinque. *Quatuor* voluit sibi agonizanti inculcari. 1. *Consolationes de remissione peccatorum.* 2. *Consolatones de DEI præsentia in afflictionibus & morte ipsa.* 3. *De finali conservatione, quod Deus electos suos contra peccatum, mortem, Sathanam & infernum ad vitam æternam conservare velit.* 4. *Verba illa Christi*; Et ibunt in vitam æternam: *sic*, inquiebat, *ad eum, cui hoc mandarat, sic officio veri pastoris fungeris.* Ad dicta recitata sæpè dicebat; *hoc cor consolatur, hoc cor exhilarat.* Semel etiam, *utinam loqui possem, audiretis profectò Spiritum Sanctum in me habitare.* Janua aperta dicebat: *O Domine aperi mihi januam misericordiæ tuæ!* Et paulò pòst erectus alacri voce: *Jam ingredior in vitam æternam.* Ita inter vota & preces animam Deo suo reddidit post *octavam* vespertinam, die, ut dictum, *ultimo* Julii, anno ætatis suæ currente, *quadragesimo septimo*; sepultus honorificè eodem in templo, in quo Christum docuerat. Edidit librum tum pium tum eruditum, in quo *septem concionibus* vernaculâ habitus, *de vita æterna* agit: quem non solum suæ confessionis homines omnium ordinum in delicis habuerunt atque habent; sed etiam adversariorum nonnulli, minus morosi, probaverunt. Istæ conciones post auctoris obitum, in Latinum translatæ sunt à D. *Abrahamo Metzrad*, equite Holsato, anno ætatis ipsius *septuagesimo quinto*, Christi millesimo sexcentesimo quarto. Prodierunt etiam ejus nomine *decem quadragesimales conciones de judicio extremo*; *duæ conciones de Inferno.* Plura fortè indices librorum. *Desumta hæc sunt ex concione funebri habita à Francisco Virlingo, diacono ad D. Mariæ Magdalenæ.*

Quatuor inculcari sibi moriens mandat.

Pii moriuntur.

Exigua. Conciones de vita æterna.

Abrahamum Metzrad equitem Holsat.

ABRAHAMUS BUCHOLTZER.

Ob. 1584. d. 4. Junii. ætat. 55. curr.

Bucholcerorum nomen clarum jam olim fuit & nobile: cùm in amœnissimis Isli Mismici spaciis avitæ incolerent prædia; & non opum duntaxat amplitudine; sed honorum quoque dignitate florerent. Verum quod multis illustribus accidit familiis; idem Bucholcerorum posteris usuvenit: ut quorum lautior olim & affluentior res fuerat, eorum singulari Dei consilio contraherentur postmodùm comprimerenturque facultates. Itaque cùm annus à beatæ partu Virginis *millesimus trecentesimus octogesimus* numeraretur; in civium Brandeburgensium numerum *Joannes Bucholcerus* primus venit, & hujus ex *Joanne* filio nepos *Vincentius*, circa annum *millesimum quadringentesimum quinquagesimum primum*, Dahmæ, quod oppidum sex milliaribus Wittembergâ Saxoniæ distat sedem rerum & fortunarum suarum collocavit. Quæ res tantum abest, ut Bucholceris fuerit dedecori; ut ab eo demum tempore & virtus eorum & pietas, in quibus solis vera nobilitatis vis residet, Germaniæ innotuerit; cum quod ampli nomen generis opulentia tueri non possent, illud literarum & ingenii gloria illustrare fuerunt annisi. Etenim qui à *Vincentio* Bucholcerianæ stirpis propagati sunt surculi, *Georgius, Christophorus, Andreas*: in hoc sibi uno elaborandum esse duxerunt, ut non adumbratam virtutis ac sapientiæ divinæ pariter & humanæ imaginem, sed eminentem effigiem consequerentur. Neque verò non respondit honestissimis conatibus felicissimus eventus.

Joann. Bucholcer.

Vincentius Bucholcer.

Georgius enim *Bucholcerus* Theologorum sui in Misnia seculi doctissimus, diligentissimus, prudentissimus denique fuit habitus. Hinc illi summi in disciplina sacra honores decreti: hinc divinæ voluntatis publicus ad populum Lipsicum designatus interpres: hinc eidem Monachorum Marpurgensium à viris principibus demandata fuit reformatio: cujus usque adeò rasi fratres fuere impatientes: ut virum juxta & Theologum optimum veneno sustulerint. *Christophori* autem ingenium majus fuit, quàm quod patriæ contineretur limitibus. Consedit in Oenipontis oppido, ubi perspecta optimis quibusque virtus ejus ad summa Reipubl. gubernacula hominem, quamlibet externum, subvexit. Quæ tanta cum prudentiæ laude moderatus est, ut non ita multò post à *Friderico* III. & hoc defuncto, à Maximiliano I. Impp. Romanis ad secretiora consilia describenda fuerit adscitus; & utriusque Imperatoris nomine splendidas aliquot legationes obierit.

Georgius Bucholcerus.

Veneno è monachis tollitur.

Christoph. Bucholcerus.

Charus Imperatoribus.

Hic vetusta nobilissimæ familiæ insignia renovavit, eademque *canis Venatici* adscriptione, beneficio Imperatoris anno *millesimo quadringentesimo octogesimo octavo*, auxit;

Insignia Bucholcerorum.

quæ etiam posteris ipsius sequenti seculo Divus Ferdinandus Roman. Imp. duplici diplomate Cæsareo clementissimè confirmavit. Similis in *Andrea* emicuit industria, qui peragratis præcipuis orbis Europæ provinciis, septem linguarum cognitione excultus domum rediit, & rempatriæ publicam multos annos laudabiliter administravit. Filium hic habuit *Georgium* ecclesiæ B. Nicolai *in urbe* * *Arcloa* præpositum, cujus nomen etiam hodiè eruditis notum est ex epistolis publicatis, quas ad ipsum scripsit magnus ille Melanchthon.

Andreas Bucholcer.

** Berlini.*

Parentes Bucholcer.

Hoc patre anno Christi *millesimo, quingentesimo, vigesimo nono*, mense Septembri, *die vigesima octava*, vesperi intra *horam quintam & sextam*, Schönavii propè Dahmam ex honesta fœmina *Anna Ioresiâ*, matre, ortus & procreatus fuit *Abrahamus*, quo de nunc agimus, *Bucholcerus*. Quemadmodum ergo *Demosthenis & Platonis* eorumque hominum, quorum ingenia imitaretur, statuas in villis M. Tullius habuit, ita Bucholcerus vivas pietatis & doctrinæ, quas intueretur, imagines patrem avumque domi suæ habuit, quorum industria institutus, una cum lacte nutricis, puræ vitæ amorisque literarum naturalem succum imbibit.

Paulus ab Eitzen/ præceptor Bucholc.

Florebat tum temporis in gymnasio *Colonienſi* ad Suevum fluvium *Paulus ab* Eitzen: cui cum in disciplinam traditus fuisset, diligenter & assiduè discendo tantum æqualibus suis præstitit, ut in sui admirationem & vitæ & ingenii parentes converteret. Nam quæ res commendant discentem maximè, attentio in doctore audiendo, meditatio in eo quod prælectum est ediscendo, solicitudo in expositi autoris exemplo imitando; contentio in omni genere scriptionis & dictionis exercendo, eæ in Bucholcero puero eximiæ fuerunt.

Mittitur ad Acad.

Quocirca pueritiæ studiis jam informato doctores in Academiis quæsiti, *Francofurdianâ* ad Viadrum primum, deinde *Wittembergenſi*, liberalibus studiis & professoribus in omni artium genere clarissimis tum affluente. Plutarchus autor est: Demarathum Corinthium Philippi Macedonis amicum dicere solitum: Μεγάλης ἡδονῆς ἀπολελεῖφθαι τὸς μὴ θεασαμένους Ἕλληνας Ἀλέξανδρον ἐν τῷ Δαρείου θρόνῳ καθήμενον: *maxima voluptate fraudatos Græcos, qui Alexandrum in Darii solio sedentem non conspexerant.* At verò Bucholcerus infelices eos pronunciabat, qui ante instauratam veritatis Evangelicæ doctrinam & nati essent & denati, felices autem, qui superius illud, quod *decimum quintum* à Christo incarnato numerabatur, seculum attigissent, rursumque inter hos se inprimis beatum censebat, ὅτι τοῖς μελλόχθοσι χρόνοις ἀπήντησιν ἡ γένεσις αὐτοῦ, quod Melanchthonis ætate natus esset, cujus in viri verius, quàm in Platonis labris, non fictæ illæ Charites; sed gratiæ divinæ stupenda χαρίσματα resedissent. Hunc igitur ex omnibus sibi delegit præceptorem, inque ejus usum & familiaritatem omni arte irrepsit, & ex pectore illius sincerum lac doctrinæ cœlestis, acri discendi cupidine suxit, quod multis aliis postea ipse instillavit. In augusta illa Saxonum schola commilites habuit inter alios *Thomam Hubnerum*, post consiliarium Brandenburgicum, *Ioannem Sagerum* Lubecensium medicum: *Simonem Vnvvirdium*, qui viderunt quàm industrius in quærendo, quam attentus in audiendo, quàm impiger & celer in excipiendis Melanchthonis vocibus esset, quarum, tametsi non lenta sed celeriuscula oratione uteretur Melanchthon, nullam tamen ei excidere passus fuit; quam non protinus arreptam in suum myrothecium referret. Et sanè si quod res est, dicendum, quæ Melanchthonis in textus quos vocant, Dominicales, *hypomnemata*, ab *Ebero* primùm, deinde ab aliis in lucem emissa sunt publicam, eorum non minimam partem Bucholceri industriæ debemus.

Bucholcerus cur se felicem prædicarit. Melanchthonis laus

Eum imitatur Bucholcer.

Th. Hubn. Ioann. Sager Sim. Vnvvirdi.

Hypomnemata Melanchth. in Evangelia Dominic.

Incidit autem flos ætatis & studiorum ejus in acerbissima illa tempora; quibus in ipso pacificæ Ecclesiæ sinu quidam hypocritæ ambitionis œstro perciti classicum canebant, litemque sincerioribus doctoribus *de Adiaphoris, de necessitate bonorum operum, de justitia essentiali, de communicatione idiomatum Physica*, aliisque fidei Christianæ capitibus movebant. Hic cum non tantum libros editos avidè perlegeret *Bucholcerus*: verum ex Melanchthone quoque intra privatos parietes scisciatari percontarique subtiliter soleret, de præcipuis certaminum singulorum momentis, accendi sibi lumen à Melanchthone singulare sensit ad omnes illarum controversiarum fontes rectè perspicueque pervidendos, & ad errores quoslibet dexteritate quadam admirabili dijudicandos. Neque verò, qui multorum mos est, quæ à magistro Melanchthone didicerat, sibi vendicavit, sed cum quid de eo proferret, hoc se beneficio divini Melanchthonis consecutum esse affirmabat.

Controversiæ Theolog. tunc motæ

Eas dijudicare discit ex Melanchth.

Inter alia autem posteritatis memoria dignissimum judicabat responsum illud, quod anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio*, mense Februario à *Melanchthone* tulerat, postquam ex eo jussu Electoris Marchionis *Ioachimi II.* magnanimi & pii Principis quæsivisset: *quidnam sibi vellent vocabula concreti & abstracti, quæ in omnium contra Franciscum Stancarum disceptantium ore esse Elector Ioachimus animadverteret, & nunquid doctrina de Filio Dei non explicari, & à Stancari, aliorumque erroribus vindicari posset?* Melanchthon, ajebat Bucholcerus, audita ex me quæstione Electoris, cum sciret, Electorem amare brevitatem & perspicuitatem, spatium sibi ad meditandum sumsit, meque postero die in examine ordinandi cujusdam ad ministerium sacrum adesse jussit. Assum ego, sedebant suo loco Philippus cum Pastore, Diaconis, & Doctoribus Theologiæ; è regione suum tenebat locum ordinandus, consessum hunc studiosorum cingebat corona, quam proximè accedere quisquam posset. Ibi tum Philippus propositis variis quæstionibus de *lege*, de *Evangelio*, de *justificatione*, de *fide*, de

Quid vocabula Abstracti & Concreti in doctrina de persona Christi prosint.

Interest examini cujusdam ordinandi.

bonis

bonis operibus, de *ecclesia*, de *usu sacramentorum*: profert postremo loco & ξάτημα illud Electoris Brandenburgici: *Quid esset usus vocabulorum in doctrina Concreti & Abstracti de communicatione idiomatum?* Quam quæstionem cum dissolvere ordinandus non posset; Philippus, more solito, proximos è studiosorum corona compellat. Quærit ex uno, tacet, quærit ex altero & tertio; tantundem respondent. Relicta circumstantium corona ad assessores se convertit Philippus. Erant excitati auditorum animi, qui quo plures ignorarent, quos interrogarat, tantò avidiùs exspectabant certam doctioris alicujus sententiam. Sed tacentibus his quoque senioribus & Theologiæ ipsius Doctoribus, ardent omnium animi cupiditate audiendi ipsius Philippi sententiam. Omnibus ergò tacentibus, Philippus ipse his verbis ad quæstionem Electoris respondet:

In doctrina de persona Christi duo sunt consideranda:
Unio naturarum in unam personam, &
Distinctio duarum naturarum.
Unio exprimitur prædicatione in concreto:
Distinctio exprimitur prædicatione in abstracto.
Concretum igitur necesse est retineri propter unionem:
Abstractum verò propter distinctionem naturarum.

Auditis his Philippi vocibus tam brevibus, tam rotundis, tam perspicuis, referebat porrò Bucholcerus, ingentem omnium applausum fuisse consecutum: nec temperare sibi præ admiratione & lætitia potuisse ætate jam provectâ & senili corpore *Pomeranum*, & pastorem & destinatum examinum præsidem, quin repentè surgeret, ad ordinandum accederet, porrecta manu humerum ejus leniter pulsaret, atque his verbis idiomate Pomeranico cohortaretur: **Datt merckh wol/ ick wils ock mergcken/ick bin so alt worden/und heve datt so korte min levelang nit gehört.** Hoc est: *Age sis memor hujus sermonis, insculpam etiam ipse has voces animo meo. Ego ad hanc provectus sum ætatem, & hanc doctrinam tanta verborum brevitate & perspicuitate nunquam audivi.* Ipsum etiam Electorem Marchionem, ingenio acerrimo, & judicio gravissimo Principem, cum Philippi responsum referentem audivisset patrem suum *Georgium* præpositum, in has magna cum admiratione prorupisse voces: **Man muß doch Philippum lassen einen Mann seyn / Es hätte es doch kein ander so kurtz fassen können.** Hoc est: *Relinquenda omnino est palma ingenii, pietatis & eruditionis Philippo. Nullus Doctorum tanta brevitate quæstionem hanc tanti ponderis & momenti explicare potuisset.*

Sed ut ad institutum, non in una Theologiâ solùm *Bucholcerus* adolescens elaboravit, sed ex omnibus disciplinis libavit, quodcunque specie necessitatis aliquem movere posset. In literarum quin etiam *Græcarum* & *Hebraicarum* consectanda cognitione operam collocavit tantam, quantam collocare necesse est eum; qui hominis nomen eruditi & verbis sibi vendicare & re vult ipsa tueri. Deindè cum annum ageret ætatis *vigesimum sextum*, confecto jam studiorum curru, *Wittembergâ* profectus in Silesiam contendit, animo visendi amicos, & regionem, amore literarum literatorumque nobilem lustrandi cupido, nihil minus cogitans, quàm Silesiam & virtutum suarum exercendarum theatrum, & defuncti cadaveris sepulcrum futuram. Salutat *Gorlitii Georgium Vihmannum*, ocellum urbis, alios alibi, peragratis primariis urbibus *Freistadii* ad *Ioachimum Curæum* clarissimum illum & Medicum & Philosophum, divertit: cui roganti, velletne *Grunbergam* quoque oppidum Freistadio vicinum, videre? animum sibi esse respondit, non singula Silesiæ oppidula, sed celebriores tantum urbes obire. Vix ab hoc sermone semestre abierat, cum senatores Grunbergici de schola patria instauranda consultantes, ad nominationem viri cujusdam docti *Bucholcerum* Principem ludi novi moderatorem è Saxonia deliguut, hunc-que illi honorem liberali conditione per *Lucam Cunonem* Ecclesiæ Pastorem deferunt. Audierat enim revera & veritate Bucholcerum liberalium artium esse magistrum, non illum quidem publicis Academiæ ornamentis insignitum, sed privato Melanchthonis judicio confirmatum. Perlectis senatus literis rem Bucholcerus cum Melanchthone communicat, consilio se juvet petit, staturum se judicio ipsius promittit. Fuit Melanchthon, si quisquam alius, umbræ scholasticæ amantissimus, atque idcirco de sese jam senex scripsit: *utinam ego, etsi tantum humilis fuissem pædagogus, tamen in tali Pædagogia ætatis imbecillioris mansissem, de qua dicit Filius Dei*: Non est voluntas patris, ut pereat unus de parvulis istis. *Quantum solatium est pio pædagogo, assidentibus castis angelis, sedere in cœtu incontaminato juniorum, qui Deo placent, & docere tenera ingenia, ut rectè agnoscant & invocent Deum, & deinde organa fiant utilia Ecclesiæ, & suis animabus?* Author igitur & tum fuit Bucholcero suo, munus delatum susciperet; susceptum fide & diligentia expleret; idque inprimis operam daret, ut adolescentes ad sese in Academiam mitteret omnibus Grammaticæ præsidiis instructos. Obsecutus Præceptoris consilio Bucholcerus, operam suam senatui Grünbergico condicit, quæ res dici non potest, quantæ ipsius æqualibus admirationi fuerit. Mirabantur enim hominem ingenio magno doctrina eleganti, judicio gravi & acri, qui in Academiæ oculis tot annos gloriosè vixerat, ad excolendos puerorum animos, & quidem in obscuro loco, sese demittere. Stetit nihilominus in eo, quod judicatum fuerat, Bucholcerus, omnium dehortationum ab amicis sibi suggestarum nervos unico Prophetæ Regii dicto paululum deflexo, elidens: *Psallam DEO MEO ubicunque fuero.*

In Silesiam abit.

Vocatur Grünbergam.

Consulit Melanchth.

Scholastica vitæ dignitas.

Addicit operam suam schola.

Grun-

Docet Grunberga, cum laude.

Grunbergam igitur, anno Christi, *quinquagesimo sexto, vicesimo tertio* Januarii, ingressus est, cumque eo omnes bonæ literæ: quo in loco tantò majore vixit gloria, quantò oppidum, ante illa tempora ignobile, fama eruditionis & institutionis suæ felicis clarius reddidit. Etenim vix signum sustulerat, cum magnus ad scholam concursus factus est, nonnullique ex vicina etiam Academia Marchionum Brandenburgensium, celebritate *Bucholceri* illecti, in scholam ejus trivialem secessêrunt. Est autem, ut παρέργως id addamus, Grunberga oppidum in Silesiæ inferioris & Marchiæ confinio, qua septemtriones fulgent, in valle situm longè amœnissima, quam puriſſimæ scaturigines rivulique limpidissimi, ut montes ipsos cultissima vineta commendant; unde & nomen invenit GRUNBERGÆ. Sed utcunque virerent colles, utcunque florerent valles, aridi, non viridis appellationem montis meruerat olim, quando superstitionibus Monachorum refertæ valles æquè, ac montes fuêre; omnesque veri cultus & pietatis erga Deum venæ in hominum pectoribus exaruere. Tum verò profligatis, ex schola quidem barbaris, ex ecclesia autem idololatria, meritò à *Bucholcero* THALLORIS nuncupata fuit, cum florere schola, florere Ecclesia cæpit, & ipsemet herbescentem pietatis viriditatem, è teneris puerorum mentibus, velut plantulis, doctrinæ suæ institutis, elicuit. Neque verò cives duntaxat Grünbergici uberrimo ingeniorum, diligentia Bucholceri quasi exultorum ac satorum proventu sunt gavisi, sed Melanchthonis etiam tam præclarum fuit de Bucholceriana juventutis informatione judicium; ut *subsidiis Academicis probè instructos censeret, qui è ludo Thalloreo ad se venirent.*

Grunbergæ descriptio.

Thalloris dicta.

Judicium Melancht. de institutione Buch.

Hinc Bucholcero, circa annum *quinquagesimum nonum* discipulos nonnullos sibi coràm examinandos sistenti, respondisse accepimus: *Non esse cur examinaret adolescentes Grünbergicos. Hoc se persuasum sibi habere, rudes & impolitos esse non posse; qui à politissimi judicii homine Abrahamo Bucholcero essent informati.*

Contrahit matrimonium Bucholcer.

Cæterum cum ex Mosaicis mundi originibus didicisset, hominem societati & conjunctioni vitæ natum esse, ac præpotentis Dei sapientiam legitimis nuptiis unum uni alligasse, ad matrimonium animum adjecit anno *quinquagesimo septimo*, quo eodem *Anna, Laurentii Calmanni*, honorati apud Grunbergenses civis & reipubl. Notarii filia ipsi est desponsa, nuptiis in *vicesimum sextum* Julii anni *quinquagesimi noni*, propter teneram sponsæ ætatem, dilatis. Conjugium & felix & concors & fœcundum fuit, de quo dicere possis, dominatum in eo fuisse amorem, non illum terrestrem, cœcum, abjectum & in vilissimarum rerum, formæ pecuniæque admiratione occupatum; sed cœlestem, oculatum, virtutis rerumque verè pulcerrimarum & cœlestibus similium cognatarumque affectatorem, quemadmodum *Pausanias* * amores istos eruditè distinguit.

* In symp. Platonis. Amphytria.

Atque ut *Amphytria Euripidaus* dixit: *se parvorum nepotum curam non asspernari, sed illos secum φιλόξογον, manu ductare, seque hoc officium viro bono dignum judicare:* ita benignissimum Bucholcerus partem erga liberos se præbebat; nihilque prius habebat aut antiquius, quàm ut tenelli ipsorum animi veræ pietatis succo imbuerentur.

Innotuerat jam fama eruditionis ejus Silesiæ universæ, & doctorum plerorumque consensu singularis gloria civitati isti concessa videbatur; quæ *Bucholcerum* auditura esset religionem sacram profitentem. Itaque certatim de eo accersendo Magistratus laborarunt. Pastoratus illi honorem detulit *Sprottavia* anno *sexagesimo tertio*, detulit *Fraunstadium* anno *sexagesimo octavo*, detulit *Lubena* anno *septuagesimo primo*, obtinuit tamen doctorem hunc *Sprottavia* & ad annum usque *septuagesimum tertium* detinuit, quo Illustrissimæ Principis *Catharinæ*, Henrici Ducis Brunsuicensis olim conjugis, tum vero viduæ voluntati paruit, & in *aulam Crosnensem* migravit, partim, quòd familiæ Brandenburgicæ multis nominibus esset devinctus atque obstrictus, partim, quòd tenui, aut potius nulla esset valetudine in oppido Sprottano. Anno insequenti religiosissima Principe piè & placidè defuncta *Eleutheropolin* eum pertraxit nobilis & generosa fœmina *Euphemia*, fortissimi, & historicorum hujus seculi scriptis celebrati Heroïs, Equitis aurati *Fabiani Belloquerii* conjux: cujus ille urbis Ecclesiam, frequentia civium venerabilem, ita complexus est, ut ne tum quidem ab eâ avelli se passus fuerit, cum honorifico oblato stipendio ab Illustrissimo & laudatissimo Principe *Anhaldino Ioachimo Ernesto* anno *septuagesimo octavo* appeteretur.

Vocatur à variis.

Docet Sprottavia. Migrat in aulam Crosnensem.

Inde Eritsladium. Euphemia Fabiani à Schönfeld uxor.

Causa autem cur Bucholcerum summi pariter & infimi ambierint, & tot civitates doctorem sibi expetiverint, non fuit nulla, nec fuit una. Nam principio singularis ei inerat in docendo suavitas & suavis dexteritas, quæ novam ei subinde accessionem, ad nominis gloriam attulerunt. Verbo ut dicamus, quem ille verum & germanum Evangelii nuncium *doctrinæ puritate, eloquentiâ naturali, vitæ postremo integritate* definivit, ejus pulcerrimum omnium *Bucholcerus* fuit exemplum. Detestabatur cum *Melanchthone communicationem Idiomatum Physicam, præsentiam Christi in cœnâ sacra*, ut eam post ascensionem in cœlos usque ad hoc tempus Ecclesia orthodoxa celebrat, & cœna ipsius Christi cum discipulis prima, eandem esse docebat: *prædestinationis doctrinam* à sanioribus Ecclesiarum doctoribus nostra memoria dilucidè explanatam, Paulinam esse disertè fatebatur. Inprimis verò locum *de hominis coràm Deo justificatione*, nucleum illum religionis nostræ, inculcare auditoribus suis singulis concionibus solebat: quem à beatæ memoriæ viro, *Martino Luthero*, anno *quadragesimo quinto*, se

Docendi suavitas Bucholcer.

Verus Evangelii nuncius quis.

Doctrina Bucholc.

didicisse

didiciſſe gloriabatur. Et quid multa? ſunt in medio ſcripta ejus *Chronologica*, quæ non ſeriem ſolummodò temporum, ſed genuinam ejus de primariis fidei capitibus confeſſionem quoque continent.

Facundia vndem. Ciceronis eloquentia.

Jam facundiæ Bucholcerianæ vix parem reperias! Ciceronis dicitur tanta vis fuiſſe eloquentiæ, ut pro Ligario dicens, arma de imperatoris quantumvis irati manu excuſſerit, & miſero ſupplici veniam impetrarit. Quod cum legimus, tantum non obſtupeſcimus, & profectò deprecationis Ligarianæ effectus iſte fuit ſingularis. At Bucholcerus in roſtra ſua, & mediæ concionis ſuggeſtum nunquam aſcendit, quin de cordibus hominum ipſis, quos ferè vellet, affectus excuteret. Templum ingrediebatur quis ſenſu iræ divinæ perterritus: Deum immortalem, quanta fidei voluptate perfuſus domum redibat! Calamitatum angore & tentationum fluctibus quaſſabatur alius; non doloris tantum allevationem, ſed propoſitum etiam ſibi ingenerari ſentiebat, mala quæque forti conſtantique animo perferendi. Erat omni vitiorum cœno contaminatus aliquis, flexanima orationis hujus Suada, niſi planè deſperatus eſſet, corrigebatur. Vivida nimirum in Bucholcero omnia fuerunt, vivida vox, vividi oculi, vividæ manus, geſtus omnes vividi. Adeò ſeſe in illo divini ſpiritus virtutes conſeruere. Hinc auditorium ejus ita commotum oratione Bucholceri conſtat: ut, licet non niſi finita hora altera peroraret, nullum tamen audiendi tædium, vel è media cuiquam plebe obrepſerit. His tot tantisque à Deo donis cum ornatus eſſet, illud laudabile imprimis erat, quod quam vitæ aliis commendabat integritatem, eam ſuo vellet exemplo confirmatam. Ad pietatem, ad temperantiam, ad juſtitiam hortator erat ſuis, is videlicet, qui ex pietate, temperantiâ, juſtitia totus compoſitus eſſe videbatur. Ab avaritia ad liberalitatem avocabat alios, ipſe nimirum liberaliſſimus, & ab omni avaritiæ ſpecie alieniſſimus.

Vita integra.

Melanchth. ἀντιγραφα

Philippus Melanchthon interrogatus aliquando ab optimo Principe *Mauritio* Saxoniæ Electore, *numquid ipſi ſumtuum & rerum neceſſariarum deeſſet?* penuriam omnem diſſimulavit, juſſus deinde ut, quod vellet, peteret, reſpondit: *habere ſe ſuum ſtipendium, quo ſit contentus, neque ſe ullum ὑπόσαγμα expetere*: juſſus iterum, *quando*, inquit, *omninò aliquid petere cogor ab illuſtri celſitudine veſtra, miſſionem peto.* Quo audito, Mauritius illum obſecrare, ut in ſtatione maneret, tum autem cum admiratione & ſtupore quodam dicere: *neque vidiſſe, neq; audiviſſe, neque habuiſſe, vel habere ſe jam nunc illius ſimilem, qui non tantum petere nihil audeat, nec velit, verum etiam qui ferre non poſſit, ut detur ſibi aliquid, & qui præter oblatam Electoralem munificentiam nihil aliud, niſi miſſionem petat.* Inſigne profectò hoc ἀντιγραφείας exemplum fuit in Præceptore *Melanchthone*, quod diſcipulus *Bucholcerus* felicisſimè ſtuduit æmulari. Nam illuſtriſſima Princeps *Catharina Brandenburgica* prædicare ſolita fuit, hunc unum in aula ſua cæterorum familiarium diſſimilimum eſſe; quod illi aſſiduè & importunè flagitarent, hic contra ne teruntii quidem munus abs ſe unquam petiiſſet, &, quæ eſſet ejus avaritia, ultrò etiam oblata munera non acciperet. Nimirum *gratiam munerum, quàm munera, & Theologiæ fructum, quàm fortunæ maluit.*

ἀντιγραφεὺς

& Bucholcerus.

Humilitas.

Humilitatem quidem certè veram, non illam ſub demiſſis oculorum palpebris, aut depexa aut obſoleta deliteſcentem lacerna; ſed in ipſo corde reſidentem, quî potuit monſtrare luculentius, quam quod expugnari ſe tot amicorum precibus paſſus non eſt, ut ſplendidus aliquod, & ſe dignius vitæ genus, ſcholaſtico ſuo (uti vocabat) regno præferret, quod item, cum aliorum candidas de ſuis omnibus cenſuras libentiſſimè admitteret, eas tamen amavit, atque exoſculatus eſt maximè, quas videret adfectui ac amori quàm minimum largitas: ἀλαζονείαν verò καὶ βαυκοπαυρηγίαν tribunitiorum quorundam doctorum, ſcripta ac dicta ſua omnia, tanquam prætoria, adorari jubentium, imitatus nunquam: ſed ex animo ſemper fuit deteſtatus. Quanti etiam illud eſt, quod, ſi quando in literis amicorum nonnihil de ſuis, tametſi veriſſimis laudibus, ſparſum cerneret, non modo ſine inſigni modeſtia id non legebat: ſed *terreri ſe etiam laudationibus illis tanquam fulminibus, dicebat, qui nihil in ſe magni videret, ne corpus quidem.* Nimirum *ut quisquis eſt laude digniſſimus, ita minimè libenter ſuas audire ſolet laudes.*

Amat cenſuras amicorum.

Candor Bucholceri

Candorem autem viri eximium & penè ſingularem, parum candidè agam, ſi tacitus præteream. Huic enim virtuti per ſe pulcherrimæ grande precium raritas addidit noſtro quidem ævo. Quæ tamen *Bucholcero* tam individua adhæſit comes: ut nihil unquam dixerit, ſcripſerit, niſi dictitante animi affectu: nihil ab aliis dictum, ſcriptum, factum in ſiniſtram rapuerit partem, ſed *dextrè omnia* ſit *interpretatus.* Itaque ex ſuo ingenio alios æſtimanti, proindeque cum omnibus apertè agenti, non rarò ἐυσέβεια illa fraudi fuit, ut deprecari hanc culpam & candoris pœnas dare fuerit coactus. De controverſiis præſertim Theologicis, quoniam libertatem ex nobili *Philonis* ſententia amicitiæ præferendam ratus, liberè & apertè cum amicis conferebat, in ejusmodi ſæpe incidebat amicos, qui arrepta ex aliquibus vocibus calumniandi materia, hæreſcos inſimulare & traducere optimum virum non erubeſcerent, fruſtra obteſtante ipſo, dextrè data dextrè acciperent, & Chriſti exemplo ad auditores provocante, quorum vox de ſua confeſſione ad ejusdem Chriſti tribunal teſtimonium verax eſſe dictura.

Affabilitas ejus & sales.

Tincti præterea erant sermones ejus leporibus eruditis, quos ille, si quis alius, prudenter & feliciter norat adhibere. Discedebat anno *quinquagesimo quarto* in aulam Brandenburgicam ad erudiendum Principem *Ioachimum Fridericum* Electorem *Thomas Hubnerus*, & jam postremum valedicturus erat Abrahamo suo, cui ille: *Quandoquidem ex scholastico aulicus futurus es, præcepto mihi instruendus es ad omnem vitam utili.* Hubnerus audire gestit: Ille, *fidem diabolorum tibi commendo*, inquit. Id ubi mirum visum homini, subjiciens Bucholcerus, *nosti*, ait, *diabolos credere & contremiscere. Hoc igitur tibi monitum semper in promtu situm esto, promissionibus aulicis credere quidem, sed caute, sed timide.* De illo παντοχοσιας Apostolo dicere solebat: *Ille circulus est, cujus centrum in ditione Wirtembergica circumferentia in totâ Germaniâ, imo ubique.* Si quando etiam audire cogeretur; quam fœdè beati *Melanchthonis* sui nomen laceraretur, subjiciebat: *Quidam sunt anathema secundum dici, quidam secundum esse; Philippus est anathema secundum dici, illi secundum esse; malim egò tamen cum Philippo anathema secundum dici, quam cum illo secundum esse.* Amico cuidam, quorum nescio qua de re expostularat, charitatem illi objicienti, quæ secundum Apostolum omnia sufferat, respondit; *etiam charitatem nonnunquam justè irasci & justissimè de proximo conqueri.* Ita etiam joci *Bucholceri*, quod de Socrate dictum, utiles fuerunt amicis.

Fides diabolorum aulico commendata.

Timiditas Bucholcero objecta.

Cæterùm timiditas quædam *Bucholcero* à quibusdam objecta est; quòd, cùm eximiis à Deo dotibus esset decoratus, in certamen tamen cum rabiosis illius seculi Theologis noluit descendere. Nos verò ut *Bucholcerum* ab omnibus nævis non planè liberamus (nec enim ἀναμάρτητον fuit) ita aliquas ipsum causas habuisse videmus, cur à Theologorum bellis sacris refugerit. Equidem ex perpetuâ vitæ subductione & comparatione, amorem in *Bucholcero* pacis, cupiditatem rixandi nullam prorsus comperimus. Quod ipse juvenis sæpè ad amicos; *Desii*, ajebat, *disputare, cœpi supputare, quoniam illud dissipationem, hoc collectionem significat.* Accesserunt & alia, vidit de religionis Christianæ negotiis controversias Ecclesiis orthodoxis moveri ab iis, quos nulla unquam amoris Dei scintilla calefecerat: vidit ex diuturnis Theologorum rixis, utilitatis nihil, detrimenti plurimum in Ecclesias redundasse.

Pacis studiosus

Rixæ Theologorum.

Bucholceri cura in docendo.

Quapropter omnis ejus cura in hoc erat, ut auditores, fidei suæ commissos, doceret *benè vivere & beatè mori.* Et annotatum in adversariis amici ejus repererunt, permultos in extremo constitutos agone gratias ipsi hoc nomine egisse, quòd *ipsius ductu, servatorem suum Iesum agnovissent, cujus in cognitione pulcrum vivere, mori verò longè pulcerimum ducerent.* Atque haud scio, an non hoc ipsum longè Bucholcero coràm Deo gloriosius sit futurum, quam si aliquot contentiosorum libellorum myriadas posteritatis memoriæ consecrasset.

Neque tamen sine negotio transegit, si quo ad illi à publicis occupationibus, aut à valetudine affecta fuit otium. Aut enim *patrum ecclesiasticorum* scripta, aut *historicorum profanorum* monumenta legendo percurrit. Quibus in authoribus tam feliciter versatus fuit, ut non minus scitè, quàm verè publicis quidam literis asseveraverit, *universam antiquitatē in Bucholceri pectusculo latuisse reconditam.* Cumq; fortè inter studiorū labores lectionis cursu ad *Iubilæorum supputationem* deferretur, & verò concursum *Sabbathi* & *partitionis terræ*, secundum rationis *Funcciana* filum deprehendisset, aliosque item tempore *undecennalem* interregni sub *Uzja* Rege Judâ, ab eodem *Funccio*, contra scripturæ fidem, omissum animadvertisset, cœpit de *chronologia* diligentiùs contexendâ cogitare, saxumque hoc Chronologicum tam pertinaci volvit studio, ut priùs non quiesceret, quàm effectum, quod voluit, daret. Hinc nobis illi libri nati sunt: *Isagoge Chronologica, index Chronologicus, Catalogus Coss. Romanorum, Chronologia magna*, qua licet vix dimidiam partem confecta, omnium eruditorum oculos & admirationem in se convertit.

Studiis ejus privata.

Desiderat mortem Bucholcer.

In Funccii Chronologia quæ notarit. Chronologiam conscribit.

Libri ejus Chronologici.

Componit versus epitaphios.

Inter hos ergo labores dum versatur, anno *octogesimo tertio*, cum gravi rursùm morbo conflictatus est, ejusdemque anni mensis *Februarii* die *duodecimo*, conjugem, omnibus virtutum ornamentis insignem, *novem liberorum* matrem, amisit. Firmior igitur factus, familiæ suæ prospecturus, uxorem duxit alteram; ex qua nullam suscepit prolem, jamque editionem secundæ Chronologiæ partis meditabatur. Sed quæ est rerum humanarum instabilitas, inter ipsas illas curas longiore vita dignum ingenium, anno *octogesimo quarto* extinctum est, die *decimo quarto*, mense *octavo*, die *septimo*, *Freistadii* Silesiorum. Quem annum à Lutheri natali *centesimum* fatalem sibi futurum ipse prædixerat, anno septuagesimo septimo.

Cum morbis ei res est.

Amittit conjugem. Ducit alteram.

Moritur.

Postremum vitæ comes.

Quanquam autem celebre est veterum sapientum dictum: *Philosophiam esse meditationem mortis*, tamen & sterilis & injucunda est meditatio mortis Philosophica. Nihil enim in morte invenit præter formidabilem illam naturæ destructionem. *Bucholcerus* autem *medium*, ajebat *inveni inter esse & non esse; nempe fieri. Fio, quod non sum, & cum non ero, tunc ero.* Sic philosophari inter miserias, inter ingruentis mortis terrores; sic dictorum scripturæ sententiam experientiâ magistrâ discere, eorum veritatem praxi suâ aliorumque exemplis cognoscere & confirmare, hanc demum Philosophiam & sapientiam dicebat salutatem, & plenam solidæ voluptatis. Unde nec genethliacorum minas, pericula ex astris denunciantium, magnopere morabatur. Communem agnoscebat piorum omnium genesin, ubi *in horoscopo est Iehova pater æternus; in medio cœli Messias Iesus Christus, in sexta Spiritus sanctus, in secunda, angeli eorumque* λειτουργία. *in tertia, Diabolus, peccatum, & ira Dei; in quarta, Moses cum suo decalogo, in quinta*

Philosophiam meditatio mortis qualis Bucholcero. Quomodo mortem meditatus.

Genethliacos non curat. Communis omnium piorum genesis.

Pro-

Prophetæ & Apostoli cum suo Symbolo; *in septima sacramenta*, *in octava pœnitentia*, *fides*, *spes*, *dilectio*, *in nona*, *pater noster*, *precatio*, *crux*, *patientia*, *in undecima*, *mors*, *in duodecima latissima resurrectio à mortuis*, *& beatitudo vitæ æternæ*: ubi Deus erit omnia in omnibus, & *Saturnus* non supra nos, sed infra nos conspicietur, luens pœnas suæ in nos sævitiæ & malitiæ. Hæc cogitantem non admodum posse, ajebat, infausto positu, vel Saturni, vel Satanæ, moveri.

Differat mortem Bucholcer.

Sæpè etiam ad amicos, ingravescente jam ætate, scribens affirmabat; *se quidem semper ante id, hæc, quemcunque in angulum vocanti DEO, cum patre Abrahamo respondisse*: Ec-
„ ce adsum, Domine mi: sed tum demum
„ libentissimè sic responsurum, si vocet tan-
„ dem ex his angulis in beata immortalitatis
„ spatia, nihil sæque expetere jam dudum;
„ atque amabilissimam piæ placidæque mor-
„ tis horulam, mirari autem, tam diu illam
„ differri, suumque imbelle corpusculum,
„ tanquam malum vasculum, non citius fran-
„ gi. Itaque quos sepulcro suo incidi voluit versus, eos maturè contexuit. In quo illud memorabile est, quòd qui anteactorum eventuũ harmonias magna inquisiverat industria, idem epitaphii sui & dici sepulturæ congruentiam, quasi divinitùs edoctus attigerit. Sepulcri sui columnam ex ovis perditæ inquisitione desiderabat: Votum ratum Deus esse voluit. Est enim terræ illo ipso die demandatus; quo parabola Evangelica *de ove perdita*, Ecclesiæ publicè explicabatur, versiculi autem ipsi hi sunt:

Componit versus epitaphios.

Hic pie Christe, tuo recubat quæsita cruore,
Inque tuo gremio parvula dormit ovis.

Reddidit hæc animam balanti voce fidelem;
Huic pastor dicas, intret ovile meum.

Postrema ejus concio.

Verè etiam Bucholceri κύκνειον ἆσμα fuit ea, quam postremam habuit, concio, quando æger jam, & deportatus à bajulis in templum, illo, qui alter à Dominica Pentecostes festus celebratur, die; tanto verborum splendore, tamque suavi devoti animi affectione, de animæ fidelis, & beato hominis Christiani ex hac vita discessu disseruit, ut omnium eruditorum in urbe Freistadiana consensu, sic tum sit judicatum; *cæteros concionatores à Bucholcero semper omnes, illo autem die etiam ipsum à sese superatum.* Interpretabatur præclarum illud Servatoris nostri de salutis humanæ causis pronuntiatum; quod Johannes in Evangelicæ suæ historiæ caput tertium retulit. Cumque multa de Dei erga nos amore accuratè, multa de Filii Dei perpessionibus eruditè, de fide denique apositè multa dixisset, ac tandem orationis cursu ad fidei finem, qui verbis istis, *Non pereat, sed habeat vitam æternam*, continetur, perveniset, & sese & auditores suos certissima illa vitæ æternæ promissione, mirificè oblectavit, identidem ista verba repetens: *Non pereat, sed habeat vitam æternam.*

Postea semper decubuit donec placidè exspiravit; cum paulò antè amicis & collegis audientibus confessionem edidisset, & hisce clausisset:

Scis Christe à verbis tuis nunquam discessi:
Ad crassas opiniones nunquam accessi.

Quemadmodum autem eum propter elegantiam ingenii suspexerunt eruditi, propter judicium in rebus sacris exquisitum honorarunt Principes, ita ob virtutem amarunt omnes boni. Amici.

Inprimis amicitia illi dulcis & fida intercessit, non cum Silesiæ solum decoribus, *Ioachimo à Berge*, trium Imperatorum consiliario, *Georgio à Dyhrn*, Quæstore per utramque Silesiam Cæsareo. *Andrea Dudithio*, *Ioanne Cratone*, utroque *Rhedingero*, patre & filio, *Sigefrido Rybischio*, *Iacobo Monavio*, *Martino Schillingo*, *Alberto Ursino*, *Daniele Engelharto*, *Ioanne Hermanno*, *Laurentio Scholtzio*: *Barthol. Sculteto* Mathematico, *Sebastiano Hoffmanno*, *Ioachimo Maistero*, *Laurentio Ludovico*, *Martino Mylio* & aliis: verum etiam cum aliarum regionum claris doctrinâ & authoritate viris, *Lamberto Distelmeiero* Cancellario Brandenburgico, *Bartholdo à Mandesto* Electoris itidem Brandenburgici Consiliario intimo, *Theodoro Zvvingero*, *Michaele Beutero*, *Wolfgango Amlingo* & aliis, familiarissimè tamen à primo adolescentiæ flore tribus potissimum usus fuit, *Gaspare Hoffmanno* Archiatro Brandenburgico, *Ioachimo Curæo*, *Thoma Hubnero*: ac cum Hoffmanno quidem non amoris tantum sinceritatem, sed nativitatis, sed mortis ipsius annum & mensem, imò ferè diem habuit communem.

Edidit tum ipse, tum post obitum ejus hæredes, *Chronologicam Isagogen*: *Chronologiam* deductam ab initio mundi ad exilium usque Israelitarum in Babylone; *Indicem Chronologicum*, quem *Godofredus* filius, & post eum D. *Abrahamus Scultetus* Theolog. auxit, *catalogum consulum Romanorum*, opuscula item alia, quæ exstant in officinâ Comeliniana. Prodierunt ejusdem *epistolæ chronologicæ* ad D. *Davidem Paræum* & *Eliam Reusnerum*, *admonitio* insuper *ad chronologiæ studiosos* de enodatione duarum quæstionum chronologicarum: *annum nativitatis & tempus ministerii Christi concernentium*, ab *Elia Reusnero* propositarum. Præter chronologicas istas meditationes reliquit & alia lectu suavissima, *de consolatione decumbentium*; de *idea boni pastoris*: de *concionibus funebribus*; & si quæ talia, in scriniis hæredum & amicorum latitantia. Scripta.

Hactenus curriculum Bucholceri delineatum ex narratione historica Nicolai Ecoii, & scriptis aliis.

FRIDERICUS WIDEBRAMUS.

℗. 1585. d. 2. Maji ætat. 53.

ORtum *Friderico Widebramo* dedit *Pesnecium*, Voitlandiæ oppidum, anno Christianæ epochæ, *millesimo, quingentesimo, tricesimo secundo*, mensis *Iulii* die *quarto*. Parentibus natus est honestiss. patre *Bonifacio Widebramo*, & matre *Anna Stappia*, quæ filia fuit consulis ejus oppidi, *Friderici Stappii*. Ac patrem quidem admodum puer ad cœlestem vitam & consuetudinem præmisit, pòst ab avo materno educatus, quod ingenio esset εὐφυεῖ, ad studia literarum adhibitus fuit; primùm in patriâ, mox *Neoburgi*, & demum *Isenaci*: qua in urbe tum temporis egregii formandæ juventutis artifices, *Medlerus* & *Rosinus*, florebant. His duobus cum indoles & ingenium probaretur, & ipse sibi non deesset, felix fuit pueritiæ illius institutio, & *disciplina severior, quæ firmat ingenia, & apta reddit magnis conatibus*; ut ait Seneca.

Parentes Widebrami.

Anno ætatis suæ *decimo septimo*, Christi Jesu *millesimo quingentesimo quadragesimo nono Ienam* Thuringorum, tanquam ad mercatum bonarum literarum, missus, optimos eruditæ doctrinæ & pietatis doctores, & morum gubernatores, adolescens sortitus est. In horum numero erant, *Erhardus Snepsius*, S. Th. D. cujus in dicendo δεινότητα & ubertatem, illi qui vivum in laudatissima Tubingensi Acad. docentem audierunt, olim non satis celebrare poterant. *Victorinus Strigelius*, Melanchthon. γνήσιος discipulus: *Ioan. Strigelius*, *Poëta*, & vir optimus, cujus institutione & exemplo excitatus Widebramus, naturalem illum impetum ad Poëticen, ardentiorem & firmiorem in sese fieri sentiens, carmen initio componere, tandem etiam magna ubertate suavitateque fundere cœpit.

Ienam mittitur.

Biennio post, Jena, in quo oppido eo tempore nondum erat Academia privilegiis instructa, *Wittemberg.* profectus est, ut *Melanchthonem* audiret. Etsi hoc autem illi cum multis commune fuit, felix tamen præ aliis idem fuit, singulari benevolentia & amore tanti viri, & quòd doctrinam religionis, quæ ab eodem piè tradebatur, rectè didicit. Ut enim *Aristoteli* perhonorificum fuit, quod annos *viginti Platonem* docentem audivit, eique familiaris fuit: *Theophrasto* verò *Lesbio* & *Menedemo Rhodio*, quod Aristotelis γνήσιοι fuissent auditores, & σύσκολοι: ita profecto & Widebramo magnæ laudi est, quod Melanchthoni mores, ingenium, harmoniam Musicam & Poëticam, ac inprimis veram erga Deum pietatem ita probavit, ut ei charissimus & acceptissimus esset.

Wittemb. abit.

Arist. viginti annis Platonem audit.

Magisterii Philosophici testimonium (quo magni illi viri, *Melanchthon*, *Camer Gryn.* alii contenti fuerunt) in eadem Academia, virtute & doctrina sua consecutus * est, cum hoc studio ipsi esset, quod Anacharsi, qui ad Crœsum Lydiorum Regem scribens, olim testatus est, *se ideò Athenis in contubernio eruditorum, quàm Sardibus in aula vivere malle, ut aliquando doctior, & melior in patriam redire posset.* Sequente anno, ducta Isenaci uxore Elisabetha, consulis *Ioan. Noëdemi* filia, pietatis, pudicitiæ, & industriæ œconomicæ laude conspicua virgine, maritus factus, de sacro & publico munere, in quo Dei consilio, & aliorum utilitati, pro eo talento, quod acceperat, servire posset, cogitare, atque legitimam vocationem expetere & expectare cœpit. Itaque cum *Melanchthon* senatui Servestano hortator esset, *Widebramus* ab hoc ad gubernationem scholæ vocatus, de pueritiæ studiis optimè meritus est, quum, ut ait Fabius, ipse præceptor nec haberet vitia; nec etiam ferret. Sed cùm optimus quisque præceptor, ut idem Fabius, frequentia gaudeat, exacto biennio, bonâ cum omnium pace, *Isenacum* migrans, sibi delegatum Rectoris in ejus oppidi scholâ munus suscepit; eoque fideliter aliquot annos functus est. Etsi autem imperitis rerum æstimatoribus humile istud vitæ genus videtur, & in pulvere scholastico versari, inq; eo florem ætatis consumere molestum, aut indignum homine ingenioso, quia tamen præceptoris opera ad hoc prodest plurimum: ut pueris honesta faciat jucunda; quemadmodum *Plutarchus* alicubi monet, ac verè *Cicero* dixit: *nullum munus melius majusve Reip. adferre possumus quam si doceamus & erudiamus juventutem, tis præsertim moribus & temporibus, quibus illa prolapsa est, ut omnium opibus refrenanda atque coercenda sit*, quantum respub. Christiana ludimagistris doctis, ad docendum aptis, laborum tolerantibus, disciplinæ amantibus, debeat, certè obscurum non est.

Ducit uxorem.

Vocatur Servestam ad ludi gubernationem.

An. 1577. Isenacum migrat.

Præceptoris dignitas.

Ut autem virtus & doctrina in obscuro esse nequeunt, *& mediocres honores tempus auget, immodicos abolet*, ut *Theopompus Pylys* rescripsit, sic Widebramus super pauca fidelis, super multa constituendus, diutius latere non potuit. Vocatus enim literis publicis *Ienam*, in efflorescentem Academiam, linguæ Latinæ profess. egit, ex Virgilio & Cæsare, ac Dialecticen expoluit. Cum autem ibi quidam ἑτεροδιδασκαλοῦντες, parum æqui essent Melanchthonis doctrinæ & consiliorum æstimatores, atque adeò iis omnibus, qui hæc probantes, delectabantur memoria virtutum, doctrinæ & meritorum in rempub. Christianam tanti viri, infesti essent, factum & ut humanissimis literis *Peucer.*, doctissimi ac optimi quidam viri, *Wittembergam* accerserentur, ac eò quoque sese conferrent. In horum numero fuit *Matthæus Wesenbecius*, & hic *Widebramus*; qui illud Ciceronis probans: *Nihil bono viro ac quieto magis convenit, quàm abesse à civilibus controversiis*, cedendum sibi τῇ θυμομαχίᾳ & odiis quorundam hominum censuit, sicut sæpè boni viri vehementibus ingeniis cesserunt, ne majores motus in Ecclesia aut repub. excitarentur. Venit eò anno *sexagesimo nono.*

Ienam vocatur.

Inde Wittembergæ.

Factum est deinde, anno *septuagesimo*, ut unanimi consensu, Ecclesiæ, Senatus & Academiæ Wittembergensis, cura Pastoris ejus Ecclesiæ, post obitum *Pauli Eberi*, Wide-

Pastor ibi declaratur.

* *An. 1555. ætat. 22.*

Widebramo, seriò tantam provinciam detrectanti, demandata sit. Tanti muneris functionem, quum diu multumque citra ἀνάγκασμον, suscipere recusasset, amplexus tandem fuit, cum hac protestatione, ut cæteri Theologi, si quando res ita postularet, consilio & auxilio sibi præstò essent.

Non multò pòst de voluntate Electoris Saxoniæ *Augusti*, unà cum aliis quibusdam doctissimis viris, Theologiæ Doctoris gradu & testimonio est ornatus. In horum numero fuerunt viri bonorum amore ob virtutem & ὀρθοδοξίαν dignissimi, *Henricus Mollerus*, quem doctissimum: *Caspar Cruciger*, quem disertissimum, *Widebramum*, quem pientissimum, pronunciasse accepimus *Peucerum*: *Nicolaus* itidem *Selneccerus* Norinbergensis, *Ioannes Bugenhagius* Wittembergensis junior.

Audierunt Widebramum ingenuè magni quidam viri fassum esse, se, cum ad ministerium ecclesiæ accederet, alienum à sententia, quam de Eucharistia quædam Evangelicæ Ecclesiæ profitentur, hoc tantum habuisse, ut judicaret, odio non habendos nec hostilibus anathematismis & virulentis scriptis insectandos, qui aliter sentirent. Sed cùm incidisset in quosdam doctos & exercitatos homines, qui iis argumentis orthodoxam de sacramentis doctrinam defenderunt, quibus non nisi responsionibus ab ipsomet Luthero in polemicis scriptis traditis, satisfieri posse opinatus fuerat, ubi vidisset, nullum argumentum ita solidè ab eodem confutari, paginas interdum ironiis, sarcasmis, & aliis vocibus respergi, lacrymis se præ dolore paginas illas madefeciisse, dixit.

Anno *septuagesimo secundo Dresdam* cum collegis vocatus est, ubi consensu Theologorum, qui tum erant in ditione Electoris Saxoniæ *Formula consensus* deliberata & edita fuit. Sequente anno Thuringiacarum Ecclesiarum inspectioni, unà cum aliis quibusdam Theologis, interfuit.

Interea dum hæc fiunt, Dominus Jesus respexit optimum virum, & eodem tempore veritatis circa rem Eucharisticam fulgore mentem ejus magis magisque illustravit, & eundem veritatis comitem crucem gestare jussit. Nam sequenti anno, qui fuit *septuagesimus quartus*, ob diu multumque denegatam subscriptionem Torgensium articulorum, de *controversiâ Eucharisticâ*, ipse una cum collegis *Christophoro Pezelio* Plauensi Variseo, in templo arcis concionatore, *Caspare Crucigero* Theol. Professore, *Henrico Mollero* Hamburgensi, sanctæ linguæ doctore, M. *Wolfgango Crellio* Misnensi, Logices Professore, *Caspare Peucero* Med. D. & Academiæ Inspectore, certis expressisque conditionibus, quarum testes se fore Lipsenses quidam Theologi receperant, eisdem subscripsit antè menstruo carcere multatus. Sed conditiones illæ postea neglectæ, nec editæ fuerunt.

Postea *Naumburgum* est relegatus, ubi triennium commoratus Psalterii ἑρμηνεῦον ver-

sionem, quam Christo Domino in carcere voverat, absolvit. De exercitiis privatis, eo in oppido frequentatis, amicis recitavit hos versus:

Hic studiis miscere preces lacrymasque solebam:
Tristis in exilio cum Widebramus eram.
Solus eram, nec eram tamen illo tempore solus:
Quando suo mecum numine Christus erat.

His deinde alios quatuor adjecit, adeoque epitaphium sibi ipse scripsit:

Liber ab exilii dimissus carcere tandem,
Kursus in exilium triste profectus eo.
Patriaterra vale, cœlestis patria salve,
Qualibet esi forti patria terra: vale.

Exacto triennio exulare jussus, id quod illi & cum aliis bonis commune, & patrimonii causa difficile ac singulari damno fuit, cùm loca quædam adiisset, hospitium tandem honestum & functionem sanctam obtinuit in valle *Decianâ*, benignè eum vocante, & tanquam Eliam exulem suscipiente, illustri Heroe *Ioanne Comite Nassovienſi*, cujus ea fuit animi tum magnitudo tum pietas, ut Christi servos ac testes, nequaquam in cujusquam alterius gratiam sibi judicaret aspernandos. *Exulare jubetur.* *Suscipitur à Ioan. Nassovio.*

Ut autem vir bonus κοινὸν ἀγαθὸν, commune bonum est, nec quicquam aliud majori studio habet, quàm ut multis prosit, ita Widebramus non tantum Ecclesiæ, cui tum præesse cæperat, piè tum docendo tum vivendo, sed etiam vicinæ, cùm Ecclesiarum inspectione ipsius fidei & curæ demandata fideliter defungeretur, plurimùm profuit.

Anno *septuagesimo nono*, Senatus Bremensis rogatu, & venià illustris Comitis ac Domini sui, *Bremam*, unà cum D. *Christophoro Pezelio*, est profectus, ob dissidia quædam, inter verbi Dei ministros tum ibidem glisscentia; quæ, Deo ipsorum consiliis benedicente, utriusque diligenti moderatione, studio veri, & gravitate simplici, sunt sopita. *Bremam proficiscitur.*

Quadriennio pòst, collega *Caspare Oleviano*, Ecclesias in eâ ditione Solmensi, quæ subjecta inclyto Comiti *Conrado à Solms, Braunfels, & Domino in Muntzenberg*, reduxit ad sinceritatem puritatemque doctrinæ Apostolicæ, & ceremoniarum primitivæ Ecclesiæ. *Reformat ecclesias in comitatu Solmensi.*

Vocatus tandem ab illustrissimo Principe *Ioanne Casimiro*, Comite Palatino ad Rhenum, Haidelbergam, anno *octogesimo quarto*, ut deliberationibus de Ecclesiis & scholis rectè regendis, unà cum aliis quibusdam Senatoribus Ecclesiasticis, & interesset & præesset, accidit illi id, quod est in vetere proverbio, *Mala senium accelerant:* & *Vocatur Haidelbergam.*

ἅψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καλὰ γηράσκουσι.

Quippe repente homines curisque malisque senescunt.

Docendi enim laboribus, curis de ecclesiâ, incommodis exilii, injuriis adversariorum fractus & confectus, denique hecticâ febre,

ad quam & alia symptomata accesserunt, correptus; piè placideque *secundo* Maji manè intra quintam & sextam decessit, verè iis annumerandus, de quibus dictum est: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur, quoniam requiescunt à laboribus suis.* Funus postridie ei factum & hoc programmate indictum:

Ubi mortuus.

Funus ejus

Rector Academiæ Haidelbergensis, EBERHARDVS, Comes Solmensis, & Dominus in Müntzenberg & Sonnenwalde/ omnibus omnium ordinum Doctoribus, Candidatis, & toti studiosæ juventuti S. P. D.

HERI mane febre hecticâ consumtus, piè & placidè obiit, vir reverendus, & omnium bonorum memoria & amore dignissimus, D. Fridericus Widebramus, S. Theologiæ excellentissimus & orthodoxus Doctor. Qui cùm per omnem vitam suam piè, justè, & temperanter vixerit; & in vitæ suæ catastrophe, fidem erga Dominum Iesum Christum, charitatem ergà totam Ecclesiam, constantiam in veritatis professione, patientiam, & alias virtutes sic omnibus qui eum invisere solebant, probaverit, ut nemo non cum fructu sanctum senem & intueretur, & alloqueretur; dignissimus enim verò est, cujus exequias sua præsentia exornent omnium Professionum homines. Hortor itaque Academiæ hujus Doctores & Professores, literatam Nobilitatem, studiosam Iuventutem; ut frequenter paulò ante secundam horam pomeridianam accedant ædes, in quibus eximius hic DEI servus postremos vitæ suæ dies sanctè & cum desiderio migrandi ad Christum, cui vixit & mortuus est, clausit. Benè valete. Perscriptum 3. Maji. 1585.

Sepultus est ad D. Petri in choro, additâ epigraphe ejusmodi:

Epigraphe tumuli.

D. O. S.

Fridrici hæc tegit urna Widebrami
Doctoris pia membra, quem Nariscis
Pesnicum genuit, Salæ Albidosque
Lycea excoluêre, & audiêre;
Id magnum Lyricâ magistrum in arte,
Cunctis Oenotriæ æmulum Poëtis;
Hoc sacræ quoque præsulem cathedræ
Insignem pietate. Sed professum
Constanter meliora, trux Erinnys,
Discordes quatiens faces ubique,
Inclusit Neopyrgicis catastis.
Excepit Decium exulem trienni
Fractum carcere: quinque vix & annis,
Cum lustris tribus ac novem peractis,
Haidelberga benigniore fato
Gratis occuluit solutum arenis.
Sic manes Pietas polo beatos,
Indiditque perenne nomen ævo.
At tu, quisquis ades, memor, fugaces
Anni quàm volitent; vicesque nostri
Quàm circum instabiles rotentur ævi:
Sic vivas pius, & mori memento.
Ac dum vivifico tubæ fragore
Surgant excita, dic: cubent benignè hic
Fridrici pia membra Widebrami.
Elisabetha Widebr. uxor marito carissimo desiderii ergo P. C.
Anno Domini M. D. LXXXV. die 2. Maji, reverendus & clariss. vir D. Fridericus Widebramus, S. Th. D. Eitelbergæ piè obiit, nat. annos LIII. M. II. D. II.

Toto illo tempore, quo decubuit, submisit se potenti manu DEI, ac de vitâ æternâ, de suâ ad Christum migratione, cum J. *Iacobo Grynæo*, & aliis optimis viris libentissimè est collocutus. Cùm ei recitasset *Grynæus* historiam de *Babyla* martyre Antiocheno: qui cum grandævâ conjuge & aliquot filiis ductus ad supplicium, ubi spectator fuisset necis filiorum, cervicem feriendam præbens, dixit *: *Revertere anima mea in requiem tuam, quia Iehova benefecit tibi; liberasti animam meam à morte, pedem à lapsu, oculos meos à lacrymis, ambulabo in luce viventium:* ibi Widebramus valde delectatus, recitavit verba Pauli: *Cupio migrare hinc, & esse cum Christo*: testatusque est, se desiderio clari conspectus DEI, & liberationis à toto peccato, vehementer affici. Rogavit præterea & illum Grynæum, & alios præstantes viros, ut testes essent sui sermonis, quo professus esset: *se jam in actu postremo vitæ suæ, cum sensu gaudii spiritualis, doctrinam illius Ecclesiæ de Eucharistiâ, & de spirituali communione corporis & sanguinis Christi, ad cujus cognitionem serò vocatus esset à Domino, probare; ejus cognitionem sibi gratulari, & in ea acquiescendo ad Christum Dominum migrare.* Alio quodam die Grynæo dixit: *Tu verò testis mihi esto, quòd sanctè, in fide Christi Iesu sim mortuus.* Gratias etiam suo nomine agi voluit pro beneficiis Principi J. Casimiro, ejus conjugi, ac hujus parenti Duci Saxoniæ, D. Augusto Principi Electori. Hoc unum valde est questus: quòd cùm eo animo Haidelbergam venisset, ut regni Christi negotiis promovendis reliquum vitæ tempus optimè collocaret, adversâ valetudine præpeditus, minus præstitisset, quàm voluisset. *Responsum contra illi est*, magnum quiddam esse Ecclesiæ causa puras ad Deum attollere manus, concipere pias preces & δοξολογίαν, publico privatoque nomine Deo gratias agere, pro spirituali & corporali benedictione: ac eo nomine, & ipsum & alios pios, plurimum prodesse Ecclesiæ, etiam quando per valetudinem munia cætera obire non possunt. „

Sermones ejus in morbo. Babylæ martyris voces.

*Ex Psal. 116.

Confessio ejus.

Reliquit ingenii monumenta non contemnenda, venusta & pia *Poëmata*, quæ propter elegantiam magnis illis viris *Melanchthoni & Camerario* probata fuerunt, quorum partem primam heredes ac generi anno 1601. ediderunt, reliqua adhuc premuntur, pietatis & eruditæ elegantiæ studiosis, non injucunda nec inutilia, si ederentur, futura.

Scripta

Hæc de Widebramo ex oratione parentali à Barthol. Pitisco habita, præscribente I. Iacobo Grynæo, item ex monumentis Haidelbergensibus.

SIMON

SIMON SULCERUS.

BErnæ Helvetiorum honestis parentibus natus est *Simon Sulcerus*, anno Christi, *millesimo, quingentesimo octavo*. In patrio ludo Præceptore *Rubello* usus, prima literarum fundamenta feliciter jecit: suosque æquales ingenio ac diligentiâ facilè superavit.

Bernâ postmodum sese *Lucernam* contulit, ubi sub *Osvvaldo Myconio*, qui celebrem ibi scholam aperuerat, plurimùm in linguarum artiumque cognitione profecit. Inde *Basileam* venit, atque in Mathematicis *Henricum Loricum Glareanum*, popularem suum, domesticum habuit præceptorem.

Comparatâ itaque linguarum & artium humaniorum supellectile haud contemnendâ; animum ad Theologiæ studium appulit, in quo *Basileæ Oecolampadium & Paulum Phrygionem*, *Argentorati* verò *Bucerum*, *Capitonem*, ac *Hedionem*, egregios nactus est magistros. Eruditionem autem ipsius cum vitæ integritas eximia commendaret, testimonio *Basileæ* publico ornatus, ac Philosophiæ Magister, anno Christi *trigesimo primo*, ætatis suæ *vicesimo tertio*, renunciatus fuit, eidemque post Academiæ instaurationem *collegii Oeconomia* & administratio commendata: quo ipso tempore, ductâ in matrimonium Basileæ, ex honestâ *Meriunorum* familiâ, uxore, patremfamilias agere cœpit.

Paulò pòst *Bernenses Respubl.* vitæ ejus ratione intellecta, eum ad se vocavit, atque bonas artes suâ in urbe profiteri jussit. *Bernam* itaque regressus, ad tempus linguarum & artium bonarum præcepta tradidit, atque multorum discipulorum concursu omnibus bonis innotescere cœpit. Verum cum ipse ad majora natus esset, & summo desiderio sacrarum literarum teneretur; aliquot annis pòst *Basileam* rediit, atque *Münsterum* in Hebraicis, *Grynæum* verò in Theologicis audivit. Alebantur tunc *Basileæ* publicis sumtibus in monasterio Prædicatorum, Magistratus jussu, adolescentes quidam delecti tanquam Ecclesiæ & scholarum seminarium. Eorum institutio & cura cum *Sulcero* commissa esset, functionem eam magna animi moderatione suscepit, & interea Theologico studio ea dexteritate incubuit; ut jam tum præclaram omnibus de sese spem præberet.

Ortum erat paulò ante id tempus sacramentarium dissidium in Ecclesiis reformatis. Quod cum non sine ingenti piorum omnium dolore, latius latiusque serperet: *Sulcerus* sub annum nativitatis Domini *trigesimum octavum* ad Saxonicas Ecclesias profectus, cum ipso *Luthero* câ de re amicè contulit. E Saxoniâ domum reversus, *Bernam* est in patriam ad ministerium Ecclesiarum vocatus, pastoralique præfectus muneri, anno ætatis suæ *tricesimo*. Quam vocationem *Sulcerus* sinceriores religionis amore secutus, singulari assiduitate, & naturali facundiâ per *annos decem* subivit, ita ut & Ecclesiam atque scholam ibi ornaret, & cunctis bonis esset gratissimus. Nam in potenti eâ Republ. nihil intra aut extra urbem intermisit; quod ad Ecclesiarum incrementum, & Christi gloriam propagandam facere videretur.

Bernæ autem lite illa Eucharistica quoque exorta, *Sulcerus* quietis cupidus, locum mutavit, atque Basileam studiorum alumnam, anno Christi *quadragesimo octavo* supra *sesquimillesimum*, rediit. Ibi cum aliquantisper sine docendi munere vixisset, sacrisque lectionibus frequens interesset, postea collegii *Augustiniani* Oeconomia ipsi est commendata. Sequenti deinde anno cum *Wolfgangus Wissenburgius*, ob perpetuas humorum destillationes & vocis raucedinem, ministerio Ecclesiastico minus vacare posset: *Sulcerus* in ejus locum suffectus & ad D. Petri docendi munus obire jussus fuit. Anno deinde *quinquagesimo secundo*, post *Münsteri* obitum Hebraicæ linguæ professio eidem est commissa. Quo in utroque officio cum industriam diligentiamque probaret omnibus, eodem anno statim post *Osvvaldi Myconii*, pastoris Basileensis mortem, unanimis superiorum votis ejus in locum ipse surrogatus atque summi templi pastor fuit constitutus.

Et quasi id non satis esset oneris, triennio pòst *publica* quoque *professio*, explicandorum *Veteris Testamenti* librorum, huic eidem Sulcero est delata. Istis in officiis omnibus, id sibi curæ datum propriè existimavit, quod Apostolus ab omnibus mysteriorum divinorum Oeconomis requirit, fidus ut reperiretur: πεῖς ἁμὸν ὁ ἐν οἰκέτῃ. Eo fine privatas quoque instituit συζητήσεις, lectiones, atque concionum μελέτας ἀδολεσχικὰς, in gratiam discentum, & in singulis illis sacris progymnasmatis, quid cuique deesset, quidve ipse desideraret, amicè & candidè monuit, atque ita sanctæ Theologiæ candidatos ad munia Ecclesiastica eleganter præparavit.

Deinde cum anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo, Carolus* Badensis Marchio suæ ditionis ecclesias reformare statuisset, *Sulcerum* cum D. *Iacobo Andreæ*, & D. *Iacobo Herbrando*, Wirtembergicis Theologis, in superiori Marchionatu ei negotio præfecit; atque ad Augustanæ Confessionis formulam omnia disponere jussit. Solitus postea etiam fuit *Sulcerus* vicinos in Marchionatu ministros accedere, quemque sui officii admonere, & ut ritè omnia peragerentur operam dare, idque tantâ animi mansuetudine & affabilitate; ut à plurimis *Præceptor*, ab aliis *pater* appellatus habitusque fuerit.

Anno *sexagesimo tertio* promerente id pietate, erudita doctrina, atque virtute sua, totius Academiæ autoritate & voluntate *Theologiæ Doctor* fuit renunciatus. Eruditio enim ejus atque animi virtutes omnibus fuere perspectæ. Trium linguarum, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ præclaram notitiam sibi comparavit: artes dicendi feliciter percepit; Mathematica

Redit Basil.

Succedit Wissenburgio.

Deinde & Munstero.

Et Myconio

Commendatur eidem professio Theolog.

Industria ejus.

Progymnasmata sacra.

Adest reformationi in Badensi Marchionatu.

Doctor Theolog. salutatur.

Eruditio ejus.

matica studia excoluit; atque etiam Philosophorum & Medicorum studio non vulgarem operam impendit. Quod ad Theologiam attinet, sacram scripturam cum antiquorum Patrum lectione sibi familiarem reddidit, atque de omnibus dogmatis insigne judicium acquisivit. Itaque & publicè pro suggestu, & in scholis è cathedrâ veteris & novi instrumenti libros apertè, distinctim, propriè & summa cum gravitate explicuit: idque non sine auditorum magno emolumento.

Cum ita bonum certamen certasset atque cursum suum consummasset, ad beatam piorum in cœlis triumphantium consuetudinem abiit, anno Christi *millesimo, quingentesimo, octogesimo quinto*, die *vicesimo secundo* Junii, ætatis suæ *septuagesimo septimo*. Sepultus est Basileæ in templo cathedrali cum epitaphio monumento ejusmodi:

Obitus.

Epitaphium

C. S.
SIMON SULCERUS
THEOLOGUS
ÆDIS HUJUSCE ANN. XXXIII.
VERUS VIGILANSQUE
ANTISTES,
UTRAQUE MANU VINEAM DOMINI
SUI EXCOLUIT,
SCHOLAM THEOLOGICAM EREXIT
ATQUE REXIT:
FIDA DOCENDI ADSIDUITATE
SUSPICIENDUS,
VITÆ SANCTIMONIA ET
PROBIS MORIBUS
IMITANDUS.
VIXIT ANNOS LXXVII.
⊙ AN. SAL. CIↃ IↃ XXCV.
XXII. JUNII.

Scripta. De scriptis ejus hæc recensentur, primum *Acta Synodi Bernensis* è Germanico in Latinum juvenis transtulit, atque aliquot *præfationes* bonis authoribus conjunxit & edidit. Collegit etiam ex utriusque linguæ sacris & profanis authoribus *locorum communium thesaurum*, quem tanto studio ac artificio in certas dispositi arculas; ut de quacunque re sit dicendum, amplissimam in promtu habeas materiam.

Hæc de Sulcero ex lib. 3. Prosopograph. Pantaleonis, monumentis Basileensibus, & elenchis librorum.

LVDOVICVS LAVATERVS.

⊙. 1585. d. 15. Iulii.

PAtria *Ludovico Lavatero* obvenit *Tigurum*, urbs Helvetiorum clarissima. Literarum primis rudimentis expolitus, tantum in publicis scholis labore & ingenio eruditæ doctrinæ adjecit: ut utilem aliis operam potuerit navare.

Tigurum, patria Lavat.

Docet ibi. Edit scripta sua & aliena.

Quamobrem in patria & scholæ & Ecclesiæ ministeri, voce scriptisque fideliter utramque erudivit ac illustravit. Protulit tunc in lucem non suas solùm, sed & aliorum lucubrationes, præsertim *Henrici Bullingeri*, soceri sui.

Mortalem vitam desiit vivere anno Christi *millesimo, quingentesimo, octogesimo sexto*, die *decimo quinto* Julii.

Obit.

Inter scripta ipsius laudatur *historia de ortu & progressu* controversiæ Sacramentariæ; & *tractatus de spectris, lemuribus, fragoribus, variisque præsagitionibus*, quæ plerumque obitum hominum & magnas clades præcedunt. Hic liber *Latinè, Germanicè, Belgicè, Gallicè & Italicè* sæpius perhibetur recusus. Cætera ejus monumenta in elenchis librorum habentur. *Ex elogiis doctorum virorum.*

Scripta ejus.

MARTINVS CHEMNITIVS.

⊙ 1586. d. 8. April. ætat. 64.

MArtinus Chemnitius natus est *Britzæ*, veteris Marchiæ oppido, sub annum Christi *millesimum, quingentesimum, vicesimum secundum*, parentibus quidem honestis, sed tenuibus; utpote cujus pater lanificio victum quæritarit. Adolescens itaque cum variis difficultatibus, studiorumque impedimentis, ob rei familiaris angustiam conflictatus, tandemque pertinaci industriâ, & labore improbo, qui omnia vincit, eluctatus est.

Primis literarum rudimentis in patriâ scholâ cognitis, *Magdeburgum* venit, ubi firmiora artium & linguarum fundamenta jecit. Exinde Philosophiæ studia *Francofordiæ ad Oderam*, sub agnato suo *Georgio Sabino*, amplexus; *Wittembergæ* eadem, unâ cum Mathematicis præcipue sub *Melanchthone* aliisque Professoribus ursit absolvitve.

Magdeburgum venit. Inde Francofurtum ad Oderam. Et Wittbergam.

Inde *Sabinum Regiomontium* Borussiæ secutus, scholæ oppidanæ ibidem præfectus, & gradu Magisterii in prima ejus Academiæ promotione ornatus est. Postea Bibliothecæ Principis instructissimæ præpositus, honestum in aula locum habuit, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo*. Theologiæ studio totum se dedidit: Duci Borussiæ ob studium Matheseos atque Astrologiæ sanioris, & singularem quandam in eo studiorum genere dexteritatem, & εὐτοχίαν, præcipuè charus, eoque nomine etiam a Marchione Brandenburgico *Ioanne* in honore habitus. Gratus etiam charusque fuit plerisque, qui tum præcipui in aula, omnesque Chemnitio, ob modestiam & simplicitatem, ad amicitiam suam honestum & liberum aditum patere voluerunt.

In Borussiam Sabinum sequitur. Schola præficitur. Felix in matheseos.

Charus principi & aulicis.

E Borussia & ex aula, in qua triennium ferè quidvis potius, quàm aulicus consumserat, cum sub annum, *quinquagesimum quintum*, pertexendorum studiorum causa ad Academias redire vellet: honestè & liberaliter à Principe suo *Alberto* literis donatisque ornatus ac dimissus fuit. Denuo ergò *Wittembergam* reversus, ac Melanchthonis convictu usus, publica ipsi ab eo *locorum communium* prælectio est mandata; sub cujus primordia *Brunsuigam* à Senatu evocatus commigravit, cui

Dimittitur ex aula. Iterum Wittembergam venit.

Migrat Brunsuigam

cui Ecclesiæ *triginta* ipsos annos primo coadiutor, deinde Superintendens, quo tempore gradu Doctoris Rostochii decoratus est, præfuit; summaque tum fide, tum laude & concionibus & lectionibus publicis inservivit.

Expetitur a multis.

Expetita interea opera ejus est à Rege *Daniæ Friderico*; ab Electoribus, *Palatino Ludovico*, *Saxone Augusto*, & *Brandenburgico Joanne Georgio*: à Principibus, *Joanne Marchione* Brandeburgico, *Alberto* Borussiaco, & *Julio* Brunsuicensi; ab ordinibus Evangelicis *Austriæ*, aliisq; celebribus Rebuspub. Consiliis præterea ipsius in negociis Ecclesiasticis usi sunt Elector Brandeburgicus *Joannes Georgius*: Duces Brunsuicenses & Luneburgenses, *Julius* & *Guilhelmus*.

Moritur.

Postquam ergo labores pro asserenda contra adversarios orthodoxa veritate infinitos exantlasset, Philosophus juxta & Theologus, neque veritatis bonarumque artium studio, neque laude officii facile cuiquam secundus: tandem laborum mole fractus, viribusque corporis exhaustis, anno Christi *octuagesimo sexto*, octavo Aprilis, suæ ætatis anno *sexagesimo tertio* completo, ministerii sui *trigesimo tertio*, in constanti ejus doctrinæ, quam vivus voce & scriptis tutatus fuerat, confessione, omnis carnis viam ingressus, animam suam Christo commendavit, inque eo piè & placidè *Brunsuigæ* obdormivit: ingenii, eruditionis, judicii, & moderationis laude, apud ipsos etiam adversarios sibi parta, nominisque memoria ex editis monumentis in Christiano orbe immortali relictâ.

Concilii Tridentini decreta refutat.

Inter labores ejus primas facilè obtinet ille, quem dogmatibus, decretis, & canonibus, concilii Tridentini examinandis & refutandis impendit, utilem sane omnibus veritatem amantibus. Ipse etiam inter primos exstitit, qui *naturam, artes & doctrinam Jesuitarum* Germanis, quantum illis temporis patuit detegere cepit. Ita enim ad Electorem * Brandeburgicum: *Interest Principum Germaniæ rectè nosse: qualis si nova illa secta, quam Romanus Pontifex præcipuè in perniciem ecclesiarum Germaniæ creavit: & quid ab ea exspectandum sit illis, qui eam in sinu fovent. Occupati hactenus fuerunt collocandis & proferendis suis nidis: & ne ipse suo se indicio sorex, priusquam nidum rectè composuisset, proderet, scriptione magna ex parte abstinuerunt: vel certè si quid scripserunt; ita involverunt ambiguis generalitatibus, ut quid secta hæc præ cæteris proprii haberet, non facilè posset deprehendi. At hodie aperta sunt omnia; nihil enim est, quod Sophistæ illi summâ impudentia, ut Thaidis Babylonicæ, cui perfricta frons, cultores, defendere non ausint.*

Jesuitarum naturam detexit.

* In præfatione libri.

Georgius Calaminus hoc ipsum elogio ornavit:

Epigramma in eum Calamini.

Magnum terra virum, magni post fata Lutheri,
Si quem felici Teutonis orbe tulit:
Certe Chemnitius fuit is: monumenta librorum,
Hercule vel dignus quod labor ille probat:
Impia tum Latiæ decreta examinat Hydræ:
Fœta Tridentino quæ parit illa solo.
Enitea syderei tutans & jura senatus,
Pugnando Christi pro grege victor ovat.

Et tantum de Chemnitio, ex ipsiusmet scriptis, aliorumque elogiis.

PRIMUS TRUBER.

Ao. 1586. d. 29. Junii ætat. 87.

Rosterlicium patria Truber.

ROsterlicii pago *Carniolæ*, sub ditione *Baronum ab Auersperg*, tribus milliaribus *Labaco*, metropoli illius provinciæ, natus est *Primus Truberus*, parentibus piis ac bonis, anno Christi, *millesimo quingentesimo octavo*, quo *Maximilianus I.* Venetis bellum movit.

Salisburgi, elementa prima discit.

Puer admodum à parentibus *Salisburgum* missus literarum condiscendarum causa, ubi rudimenta percepit, *Viennam* Austriæ ablegatus, pane ibi publicè mendicato vixit: uti tunc & illic & alibi moris.

Inde Viennæ.

Deinde ubi Episcopo *Tristano* annotuit, cui *Petro Bonemo* nomen; symphoniacis ejus est adjunctus; charusque prænobili fuit.

Pet. Bonemus.

Ejus commendatione, anno *millesimo quingentesimo vicesimo septimo*, *Laceæ* in tractu *Raschacano*, parochus est ordinatus, & anno *millesimo quingentesimo quadragesimo secundo* canonicus designatus ad *Martini Fisternatis*.

Fit parochus. Et canonicus.

Accidit autem, ut sub id tempus mulierculæ quædam malæ famæ, in *Carniolâ* & *Styria* inferiori, jactitarent apparitiones, nescio quas, *Mariæ*, *S. Rochi*, *Sebastiani*, *Trium regum* & aliorum divorum; qui peterent hic in hoc, ille in alio loco, monte, valle, sylva, vel campo, fanum sibi dedicari sacrarique: ni id fiat, immissuros illicò pecudibus & hominibus diram pestilentiam, agris & vineis calamitatem. Quæ ubi ad imperitum dimanavere vulgus; concurrerunt undiquaque, quasi œstro perciti, & adductos *boves*, *vitulos*, *oves*, *linum*, *lanam*, *ceram*, *gallinas*, *& pecuniam*, ut facultates cujusque erant, obtulerunt divis illis, unde magnis sumtibus delubra extructa: quæ acres defensores, tum monachos & sacrificos omnes, tum Episcopum inprimis Labacensem cui plurimum ea res emolumenti adferebat, invenerunt.

Mulierculæ apparitionum jactatrices.

Templa divis exstructa.

Ejusmodi idololatricos cultus cum ferre *Truberus* non posset, nec deberet; cum symmystis quibusdam eos publicè taxavit, monuitque plebem; *in Christo solo & uno Redemtore quærerent salutem; pœnitentiam agerent; vitam emendarent; de cætero non tantillum solliciti.* Et, quod mireris, hæc talia Episcopus Tristanus *Bonomus*, & *Christophorus Rauber*, & *Franciscus Cazianerus* Episcopi Labacenses, tulerunt veritatem agnoscentes.

Truberus idololatr. taxat.

Quod ferunt quidam Episc. Labacenses.

Verum cum quidam *Urbanus Textor*, præsulis Labacensis dignitatem esset nactus, principio statim ægerrimè tulit disputationes illas, *de fide sola justificante*. Itaque confecto bello Germanico, anno *millesimo quingentesimo quadragesimo septimo*, in aulâ *Ferdinandi* tantum effecit: ut *Truberus*, cum duobus synergis *Paulo VViero* & *Georgio Dragolicio*,

Urban. Textor non item.

Accusat Trub.

custodiæ mandandi essent. Et quidem duo posteriores capti inque carcerem compacti sunt: *Truberus* autem omnibus suis beneficiis exutus, & plus quàm *quadringentorum florenorum* libris spoliatus est ab illo Urbano Episcopo: qui deinde *Donavverdæ* casu improviso collum fregit. Cum ergo spem sibi *Truberus* omnem adipiscendi alicujus officii præcisam animadverteret; consilio cum piis fratribus communicato in *Germaniam* superiorem concessit. Multum quidem ordines, *Carniolani* proceres, nobiles & cives solicitè egerunt, unà cum Austriacis: ut confessio Augustana & Truberi præsentia concederetur: atque obtinuerunt tantum: ut, frendentibus Episcopis ac monachis concederetur ei quidem in Carniolâ habitandi, sed non concionandi potestas.

Deponit & spoliat Bibliotheca Trub.

Miserè perit.

Concedit in Germ. Trub.

Habitat in Carniolæ.

Anno *millesimo quingentesimo quadragesimo octavo*, nova orta est persecutio, quæ Carniolanâ provinciâ eum ejecit.

Ejicitur inde.

Primum itaque *Norinbergam* venit, inde promotione *Urbani Regii* ad ministerium *Rotenburgi* ad *Tubarum* vocatur; ibi uxorem primum duxit, fideliterque Ecclesiæ servivit.

Docet Rotenb. ad Tubarum.

Anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo*, Campensi Ecclesiæ præficitur, & *octennium* Evangelio docendo ibi occupatur.

Et Campis.

Anno *millesimo quingentesimo sexagesimo*, à suis Carniolanis revocatur. Itaque resignato Campensi officio ad suos remigrare statuit; sed impedimenta talia inciderunt; ut vocatio irrita fuerit.

Revocatur à Carniolanis.

Impeditur reditu.

Proindè per literas à proceribus certior factus, diutiusque in Germania subsistere jussus, ab illustrissimo Principe Christophoro Wirtembergico, Pastor *Auracensis* est constitutus, ubi annum servivit Christi Ecclesiæ.

Auraci docet.

Cum autem antehac invenisset artem lingua Wandalicâ scribendi, antea nunquam visam, nec in literis nec libris usurpatam: subsidio Principis *Christophori* Wirtenbergici; & conjunctis operis aliorum duorum; officinam Typographicam instituit Wandalicam; quam ad rem plurimum contulit liberalitas generosi Domini *Joannis Ungnadii*; qui unice id egit: ut Ecclesiæ Carniolanæ ædificarentur hoc modo.

Invenit artem Wandalicæ scribendi.

Instituit officinam Typogr. Wand.

J. Vngnadii liberalitæ.

Iterum postea *Labacum* vocatus, permissu Principis Christophori anno *sexagesimo secundo*, eò abivit: sed statim à Sophistis suis hostibus calumniis impetitus, in aula *Ferdinandi* Augusti; ad tribunal Episcopi Labacensis citatus, intrepidam suæ fidei confessionem cum fructu edidit. Neque enim antea constabat aliis diversæ religionis certò; quidnam doceret *Truberus* & Evangelici alii. Hac confessione edita in officio est relictus, laborantibus pro eo proceribus Carniolanis.

Labacum redit.

Accusatur ad Cæsarem.

Edit fidei suæ confessionem.

Spargebantur tum variæ à variis calumniæ de doctrinâ *Truberi* & collegarum: quasi perperam doceret *de Sacramentis*, quasi *baptizarent infantes in fluminibus præterfluentibus*; quasi *à Pontificiis baptizatos rebaptizarent*, quasi *magistratum omnem tollerent*, & ejusmodi sexcenta. His motus Wandalice vertit & evulgat ecclesiarum Saxonicarum ceremonias & examen *Philippi*, sine titulo tamen & præfatione. Id quod malevoli eò acceperunt: ac si in contemtum Archiducis Caroli vergeret. Iterum ergo, quantumvis deprecantibus & laborantibus pro ipso vehementer ordinibus Carniolanis, exire patria jussus est.

Calumniis gravatur.

Evulgat examen Melanchth. Wandalicè.

Iterum expellitur.

Reversus *Tubingam*, primùm Ecclesiæ *Laufenæ* præficitur: exinde quamvis Suinfurtum invitaretur, cum semestri ibi fuisset: tamen ut Typographicis operis adesse posset Tubingæ, non procul ab eâ *Derendingam* translatus est. Anno *sexagesimo septimo* cum ordines denuò de Trubero revocando agerent in aulâ Archiducis, ipse ab amicis rogatus, ut à Turcis captivis in eâ provinciâ *Alcorani* exemplar conquireret, ejusque versionem impetraret. Venit igitur in Carniolam, & à Turcis exquisivit fidei ipsorum in Alcorano comprehensæ, exemplum: examinatis duobus Turcis altero Wascha quodam, altero sacerdote; redit in Germaniam, animadvertens se non gratum Pontificiis in Carniola esse hospitem.

Docet Laufenæ in Suevia.

Transfertur Derendingam.

Alcorani versionem molitur.

Vixit *Derendingæ* in annum usque *vicesimum*, suoque officio, quantum per valetudinem licuit, diligenter præfuit, concionando, Sacramenta administrando, ægrotos visendo, omnibus benefaciendo. Nam inprimis in pauperes liberalis pro facultatum modulo fuit, etiam in indignos. Et si divitiis corradendis studuisset, hereditatem suis ampliorem relinquere potuisset. Nam, præter stipendium ordinarium, quotannis à Carniolanis habuit annuos *ducentos thalaros* pro laboribus fidelibus. Unde ei merces ampla speranda, quod non tenax, non avarus, non prodigus fuit: sed in domesticos præcipuè fidei largus.

Liberalis in pauperes.

Honorarium ejus stipendium.

Deus ei vitam prorogavit ad annum usque *septuagesimum octavum* inter tot casus & calamitates, & senectam crudam viridemque largitus est; ita ut satis officio ad extremum usque ferè diem facere posset. Nam pridie, quam lecto affigeretur, ægro vicino solandi causa adfuit. Deinde *vicesimo primo Junii* morbo repentino oppressus est, usus prius cœnâ Domini in præsentia plurium, à D. *Dietrico Snepfio* consolationes è sacris cum singulari devotione audivit: interrogatus, clara voce confirmavit, se ita credere. Suos autem auditores ad constantiam est cohortatus. Filiolæ suæ die *vicesimo sexto Junii* preces præivit. Eodem die periodos ultimas in *Postilla Lutheri* Oeconomica absolvit, Wandalicè interpretando.

Ætas Truberi, & senectus vegeta.

Morbo corripitur.

Vertit Postill. Lutheri.

Cùm quidam pastor die *vicesima septimâ* Junii officii causa ad eum accessisset, & in agone jam constitutum crederet; ac præsentes ad precationem hortaretur: Truberus clarâ voce; *textum, textum*, inquit, volo: Text/ Text her: das ist/ man soll ihm nichts als lauter Sprüche auß Gottes Wort vorsprechen. Inprimis audire expetivit *Psalmum vicesimum tertium*. Die *vigesima octavâ* Junii cùm nominum, quæ apud se alii fecerant, memini-

Consolationem ex sacris litteris petit.

Remittit debitoribus nomina. Expirat.

miſſet: omnia illa debitoribus remiſit: poſtea invaleſcente morbo inter preces placidè exſpiravit, *die viceſima nona* Junii, anno Chriſti *milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto*, ætatis ſuæ *ſeptuageſimo octavo*. Honeſtè ante portam templi *Deredingenſis* humatus, concionem habente *Jacobo Andrea*, Academiæ Tubingenſis tunc cancellario. *Martinus Cruſius*, cui cum Trubero amicitia interceſſit, hoc defuncto Epitaphium ſcripſit:

Epitaphium à Cruſio.

Vir tumulo hoc ſanctus de Sclava eſt gente ſepultus,
Primus: qui Chriſti nomine multa tulit.
Tranſtulit in patriam divina volumina linguam:
Sparſit in Eoas dogmata ſancta plagas.
Pulcrè certavit: curſum ratione peregit:
Nunc ipſum in cœlo pulcra corona manet.

Scripta Sclavonica.

Hic, ut ſupra diximus, primus cepit Sclavonicam linguam Latinis literis ſcribere, & in eam traduxit hæc:

1. *Catechiſmum.*
2. *Novum Teſtamentum.*
3. *Locos communes Theolog.*
4. *Auguſtanam confeſſionem.*
5. *Eccleſiaſticam ordinationem.*
6. *Examen Melanchthonis.*
7. *Poſtillam Lutheri.*
8. *Pſalterium Germanicè explicuit.*

Promovet Evangelii

Atque his ſuis laboribus effecit *Truberus*: ut Evangelii doctrina non ſolùm in ducatu Carniolæ; ſed & Carinthiæ ac finitimarum regionum, imò in ipsâ Turciâ fuerit propagata.

L. Vngnad. curat in Slavon. linguam multa in ſeverenda. Quorum opera uſus.

Inter alios patronum, ut diximus, habuit egregium, æternaque memoria dignum, generoſum Baronem *Joannem Vngnadium à Sonneneck*: qui multa pia noſtratium ſcripta in *Sclavonicam* vel *Croaticam* linguam transferenda curavit: & ad Turcicas gentes, ut Chriſtianiſmo imbuerentur, transportanda: opera uſus hujus *Truberi*, Carniolani, *Stephani* conſulis *Hiſtriani*, & *Antonii Dalmatæ*, in Tubinganâ *Georgii Gruppenbachii* Typographia. Hic, cùm ſub rege *Ferdinando* Styriæ & *Carinthiæ* præfuiſſet: contulit ſe in ſcholam Wittembergenſem, & ad vicinas Eccleſias: ut in doctrinâ ſincerâ magis confirmaretur. Deinde ab Illuſtriſſimo Principe *Chriſtophoro* Würtembergico receptus, *Uraci* diu habitavit, poſt *Tubingam* commigravit. Obiit anno Chriſti 1565. in Boëmiæ arce ſororii *Joachimi Schlickii VVintricia*, admodum ſenex: inde *Tubingam* transvectus, ut juſſerat, magnificè in S. Georgii eſt ſepultus. *Jacob Andr. in concione funebri: Cruſius in annalib. Sueviæ, Part. 3. lib. 12. cap. 11.*

Typogr. Styriæ & Carinthiæ.

Migrat Tubingam. Moritur in Boëmia. Sepelitur Tubingæ.

THEODORICUS SNEPFIUS.

N. 1526. 8. Nov. ætat. 61.

CElebris eſt regio Germaniæ Sueviæ, ad *Neccarum* flumen, *Greichgœa*: quam à gente, ſeu novis colonis Græcis, qui olim eâ in Germaniæ parte, bellorum occaſione, conſederint, quaſi Τρῳῶν γαῖαν nominatam, eruditorum quidam divinant. Peperit hæc regio viros aliquot eruditione ac virtute præſtantes: in quibus eminent *Melanchthon, uterque Chytræus, Hieronymus Gerhardus* Wirtembergicus Procancellarius, alii.

Greichgœa regio.

Wimpina oppidum.

Eſt autem eâ in regione oppidum *VVimpina*: juxta quod *Cocherus* amnis, è ſalinis Suevicis, & *Jaxta* è finibus Franconiæ delabentes, Neccato miſcentur: cui antea, à quodam Cornelio conditore, *Cornelia* nomen; poſtea ab Hunnorum crudelitate, quam tum in viros, tum in fœminas inprimis, præcidendo earum mammillas, novo exemplo exercuerunt, *VVimpina*, quaſi Weibpein/ fuit appellata. Hoc in oppido calendis Novembribus, anno Chriſti *milleſimo quingenteſimo viceſimo quinto*, natus eſt *Theodoricus Snepfius*, patre *Erhardo*, Theologo clariſſimo, matre verò *Margarita*, conſulari ibidem familiâ oriundâ.

Natalis Snepfii.

Puer domi Paternæ educatus eſt liberaliter, primum *Marpurgi*, quo pater evocatus erat, magiſtro uſus *Chiliano Lingelſinio*, cognato ſuo; tum etiam patre ipſo, quantum per occupationes fieri poterat. *Marpurgo* cum patre *Stutgardiam* venit: ubi commendatus eſt inſtitutioni *Alexandri Marcoleonis*, juventutis informatoris tunc eo in loco celebris. Ibi in commilitio habuit tum alios, tum *Jacobum Andream*, de quo poſtea, *Joann. VVellingium, Ferdinandi* regis poſtea Cancellarium, virum ad ſumma & opum & honorum faſtigia ſublatum, *Anaſtaſium Demlerum* JCtum clariſſ. & *Bidenbachios* Joannis filios quatuor, adoleſcentes tunc, ingenii dotibus excellentes, poſtea viros ad ſummos honorum gradus, tum in politiâ tum in Eccleſiâ evectos. Hiſce cum condiſcipulis ac convictoribus ſuis, & ſub domeſticâ patris, & publicâ Marcoleonis diſciplinâ, tantos brevi tempore fecit progreſſus: ut, patre officii ratione abſente, aut religionis cauſa peregrè profecto, ipſe patris, in examinandis docendisque condiſcipulis, haud inepte partes obiret. Erant autem præter Bidenbachios in convictu Snepfiano tunc & alii, inter quos *Joann. Bengel* ac *Raimundus Voglerus*, viri deinde inſignes. Hos omnes pater *Snepfii* in convictum receperat, filii excitandi cauſa. Verè enim elegiographus ſuaviſſimus:

Commilitones. I. Welling.

I. Bengel. Raimund. Vogler.

Tum benè fortis equus reſerato carcere currit:
Cùm, quos prætereat, quosque ſequatur, habet.

Ut autem certas in equorum pullis notas obſervant mangones: & ſua habent generoſi canes indicia: ita in hominis indole prodendâ natura ſeſe maturè oſtentat: & Snepfius hic, qualis aliquando futurus eſſet, vix dum deguſtatis literis, manifeſtis præ ſe tulit argumentis. Locum enim aliquem conſcendens in ædibus editiorem, ex eo, tanquam cathedra, nunc condiſcipulos ſuos, alcaritate magnâ, & quadam gravitate, more ſcholaſtici profeſſoris docebat: nunc domeſticos ex eodem tanquam ſuggeſtu, concionatoris inſtar ſermone non

inepto sic informabat, sic concionem instituebat, quasi ad eam & a tate major & instructior eruditione habendam ascendisset. Itaque æquales etiam tùm præceptoris sui titulo eum salutare fuerunt soliti: & verè multorum ipse fuit præceptor, ut eventus & sequens narratio loquetur. Erat tùm ei inter alios, *Jacobus Andreæ* commilito, excitatissimi adolescens ingenii: qui duo quadam arcana ratione, tantam ea ætate & vita consecuti dicuntur auctoritatem, ut tanquam præceptores, à reliquis condiscipulis, certatim consulerentur, & interrogarentur: quibus ipsi singulis ita satisfecerint: ut nescire se dixerint reliqui; utrum ex præceptoribus ordinariis, an ex his suis commilitonibus plus addidicissent.

Iacobus Andreæ, Snepfii æqualis.

Pater ergò hanc in filio φιλομαθίαν videns, cum summa φιλοπονία conjunctam, πολυμαθίαν ejus aliquando secuturam, spe minimè fallaci concepit: utque currenti, quod ajunt, calcar adderet, ex triviali eum schola ad publica Academiæ *Tubingensis* spacia misit: ubi anno *millesimo quingentesimo trigesimo nono*, ætatis suæ *decimo quarto*, die quinto Novembris in civium Academicorum numerum à Doctore *Balthasaro Kæfelino* Rectore fuit relatus. Anno sequente cùm ob æstum intensissimum siccitatesque, tùm vini longè præstantissimi proventum memorabili, cum diro Tubingæ incendio domus septuaginta duæ, vel ut *Crusius* 69. conflagrassent, ac Snepfius ea in urbis parte Musæum haberet: jacturam haud levem rerum, & supellectilis fecit librariæ. Hic eam Philosophiæ principiis hauriendis navavit operam: ut anno *quadragesimo primo* decimo septimo Calend. Julii, Decano Philosophico M. *Michaele Vajo*, unà cum *Jacobo Tachtlero*, primæ laureæ consecutus sit honorem.

Tubingam mittitur Snepfius. Incendium Tubingæ.

Cùm autem sequenti statim hyeme pestis *Tubingæ* oborta esset tam gravis: ut Academiæ Senatus necesse habuerit de transferendâ schola consilium suscipere: aliis Facultatibus, ut vocant, alio secedentibus; parens *Snepfii* filium ad se *Stutgardiam* revocatum ita esse voluit; ut privatâ eum institutione erudiret: eidemque cum aliis in ædibus Doctoris *Cnoderi* Physica *Velcurionis* traderet. Hæc translatio etsi filio parum in studiis fuit damnosa: tamen quò serius Magisterii honores adipisceretur, neglecto sic completionis, quam vocant, & publicas audiendi lectiones statuto, effecit.

Pestis dissipat scholam Tubing.

Snepfius Stutgard. revocatur.

Anno elapso, cùm pestilentia remisisset: & omnes Academiæ ordinis veteres suos nidos repetivissent: Snepfius quoque verno tempore anni *quadragesimi tertii Tubingam* reversus, *Dominico VVeingoldo* Academiæ Syndico cohabitavit, mensa usus *Ioannis Benigni*, oratoriæ Professoris tum celebris: seque ad Philosophiæ studium, gradumque Magisterii prensandum toto animo convertit.

Redit Tubing.

Anno ergo *millesimo quingentesimo quadragesimo quarto*, cùm pater mense Februario summos in Theologiâ honores consecutus esset, filius patris insistens vestigiis, præceptoribus *Scheckio* in Physicis, *Veglero* in Ethicis, *Benigno* in Rhetoricis; Decano Philosophico, *Conrado Schotto* Tagersheimensi, summos in Philosophiâ honores impetravit. Candidati tunc fuerunt septendecim, interque eos *Iacobus Tachtlerus*, *Georgius Liblerus*, *David Chytræus*, viri suo quisque loco magni.

Præceptores Snepfii in Phil.

Postea, sicut generosæ mentes quiescere nunquam possunt, totum ad Theologiæ se studium retulit, animo quieto non futurus tantisper, dum ad summum & ipse sacrâ in scientiâ culmen conscendisset. Sub id tempus *Magister* domus & gubernator Ducalis stipendii *Tubingæ* est delectus. Occupabat id tum partem Contubernii alteram, quam *Modernorum* vocabant; quæ postea in domum Augustinianam translata. Hanc functionem Snepfius magna cum diligentia subivit, laborum sociis *Hieronymo Gerhardo*, Doctore postea jurium & Procancellario Wirtembergico, *Martino Frechto*, S. Theologiæ Licentiato, & *Ioanne Hildebrando* linguarum Professore. Neque tamen mores hic tantùm & disciplinam rexit; sed etiam alumnorum ejus loci juvit studia: linguamque Græcam ipse & opus Homeri divinum est interpretatus: ut interim maximos in Theologia faceret progressus.

Theologiæ dat operam. Eligitur magister domus & ducal. stipend.

Docet ibid.

Postea cum anno *quadragesimo octavo* pater Snepfii *Erhardus* ob *Interim* illud repudiatum, *Tubinga* discederet: filius licet parentum abitu varioque rerum statu vehementer turbatus, Tubingæ tamen remansit, inque officio regendi stipendii ducalis perseveravit. Cumque paulò post tempestas Reipubl. nonnihil subsedisset, ac tranquillior rerum facies ostenderetur: de matrimonio ineundo cogitare cœpit. Erant *Ioanni Brentio*, tunc exuli, filiæ quinque: & ex iis duæ Barbara & Sophia jam ante in Gynæceum ducis *Christophori* receptæ, reliquæ sublatâ è vivis matre, cognatis & amicis commendatæ. Cùm ergò anno quinquagesimo primo ob pestilentiam Stuccardiæ grassantem; Dux *Christophorus* Tubingam aulam transtulisset: Snepfius alterius, in Gynæceo Wirtenbergico versantis, puellæ Brentii filiæ, honestissimo est amore incensus; quod sibi in memoriam revocaret, quam olim *Halæ* Suevorum & *Brentius* & pater *Snepfius* viri in omnibus ferè tunc temporis comitus & conventibus conjuncti præstatæ fraternâ benevolentia, de liberis suis olim matrimonio jugandis, per jocum dixissent. Ad patrem ergò, cognita prius virginis per proxenetas voluntate, *Sindelfingæ* in territorio ducis Wirtembergici tunc agentem, profectus, uxorem eam sibi dari petit: petitam impetrat, impetratam celebratis Enningensi in arce secundo Martii sine pompa ulla nuptiis, domum ducit, socero Brentio postero statim die periculosum iter ad concilium Tridentinum ingresso: de quo in vita Brentii fusius & oportunius.

Temporis Interimistico manet Tubingæ.

Ducit uxorem.

Sequenti anno *quinquagesimo tertio*, cum sub variis præceptoribus *Snepfio* patre, *Brentio* socero, *Frechto*, *Kenfelio*, & *Buerlino* Theologiæ

giæ Theoreticæ operam dediſſet; ut quæ didiciſſet; ad uſum transferret, *Derendingenſis* Eccleſiæ parochus delectus viceſimo nono Septembr. qui *Michaëli* Archangelo ſacer, primam habuit concionem; eique loco, verbum divinum plantando, ſic præfuit; ut, vicinitatis oportunitate lectiones quoque Tubingæ ſcholaſticas audiret, & brevi ſummos ad honores in Theologia aſpiraret. Itaque ubi in Theologica decennium jam palæſtra & diſcendo, & diſputando, & pro ſuggeſtu docendo exegiſſet: ac anno *quinquageſimo quarto*, die 4. Maji, præſide *Iacobo Beuerlino*, de peccato originis publicè præclareque diſputaſſet: eodem anno Theologiæ Doctor eſt renunciatus, conſorte honorum eorundem *Ruberto Durio* Superintendente poſtea Marchionatus Badenſis.

Hoc tempore memor veteris illius tum Stutgardiæ ceptæ, tum Tubingæ ſemper fideliter continuatæ, ac perpetuæ tanquam Pyladææ conſuetudinis, quæ ipſi cum *Eberhardo Bidenbachio* intercedebat: arctiore neceſſitudinis vinculo ſibi eundem obligandum duxit. Itaque apud ſocerum ſuum effecit; ut alteram filiam *Sophiam*, quam adhuc Brentius ſolam habebat virginem, *Eberhardo Bidenbachio*, juveni pietatis, modeſtiæ & eruditionis famâ ſplendidiſſimo, uxorem elocarit: atque ſic novo neceſſitudinis & affinitatis vinculo amicum veterem arctius ſibi obſtrinxerit.

Sed Snepfii doctoralem dignitatem ac luculentum pietatis & eruditionis teſtimonium, major etiam officii dignitas excepit. Anno enim mox conſequenti, *Nurtingenſis* Eccleſiæ paſtor & vicinarum Decanus (ſpecialem vocant) conſtitutus, è pago Derendingano, cum familiâ profectus eò, primam ibi, die purificationis, habuit concionem: idque muneris vigilantiâ ſummâ deinceps adminiſtravit. Neque tamen hoc loco ſtudiorum & vitæ degendæ perpetua ſedes à Deo erat fixa; quamvis ob amœnitatem, præterfluentem Neccarum, ſoli fertilitatem, & imprimis incolarum humanitatem eo delectaretur. Nam, exacto nondum toto biennio, à ſenatu Tubingenſis ſcholæ ad ſacras publicè docendas literas eſt vocatus: ut quo in loco ſuam ipſe doctrinam accepiſſet, eodem aliis quoque ſimili felicitate eandem impertiret, idque hac occaſione.

Cùm ſub finem anni *quinquageſimi ſexti*, *Martinus Frechtus* Doct. Theol. & Profeſſ. in Tubingenſi ſcholâ diem ſuum obiiſſet: & *Balthaſ. Keuſelius*, qui ſolus aliquandiu docuerat, rude donatus eſſet: quin etiam Eccleſiæ Tubing. paſtor, D. *Iſemannus*, *Anhuſium*, quod cœnobium eſt in ducatu Wirtenbergico, abiiſſet præſul deſignatus: Snepfius Profeſſor nominatus calendis Febr. anni *quinquageſimi ſeptimi*, Tubingam Nurtingâ venit: ac decimo ejusdem menſis die, de conſuetudine Academ. publicam habuit orationem. Poſtridie in Hebraicis, quæ futuro Theologo cumprimis neceſſaria, profitendi auſpicatus eſt munus: & quarto ab hoc die *Prophetam* auguſtiſſimum *Danielem* exorſus: quo eodem, ſacramento dicto ſenatorio, in conſilium Univerſ. ſcholaſt. eſt receptus.

Ad Colloquium Wormat. miſſus.

Erat ſub idem tempus inſtitutum *Wormatiæ* Colloquium: ad quod cùm de Wittembergicis præſtantiſſimi quique Theologorum, à ſuo Duce mitterentur; adjunctus illis fuit & hic *Snepfius*. Venit eodem cum Saxonicis pater Snepfii *Erhardus*: ubi poſtremum ſeſe mutuò ſalutarunt. Nam ſoluto colloquio, reverſus *Jenam* ſequenti anno *quinquageſimo octavo*, pater vitam piè concluſit, ut ſupra diximus. Filius autem in dies ut doctrinâ & rerum uſu; ita honore crevit; ut diceres patris gloriam, ſi non ſuperaturum, certè æquaturum. Cùm enim nullo certo inter ſe ordine concionandi partes Theologi Tubingenſes tunc obirent: Dux *Chriſtophorus*, quæ fuit ejus in propagandâ per ſuam ditionem Evangelii doctrinâ inſomnis cura, de Tubingenſi Eccleſiâ & ſcholâ, quæ reliquarum ſeminaria atque fontes, unde verbi divini aquæ in omnem ſuam ditionem emanarent, eſſe volebat, ſolidè conſtituendis ſeriò cepit cogitare. Et ut muturaret conſilium, fecit immatura mors *Iacobi Beurlini*, recens Eccleſiæ Præpoſiti, & Academiæ Cancellarii delecti.

Eccleſia & ſchola Tubing. inſtauratio. Snepfius fit Paſtor & Superint. generalis.

Quare ſequenti anno *ſexageſimo ſecundo*, per *Ioannem Brentium*, qui fortè tunc Bebenhuſii negocii cauſa agebat, loco Eberhardi Bidembachii præſidis Bebenhuſiani, *Iacobum Andreæ*, præpoſitum & Cancellarium: *Theodoricum Snepfium*, paſtorem & generalem Superintendentem: & *Iacobum Heerbrandum*, Decanum clementer ordinavit: & conjunctim verbi miniſterium obire juſſit.

Snepfii labores.

Itaque tres iſti eo, ut dictum, modo & Eccleſiæ à Principe præfecti, & à ſenatu ſcholæ Theologiæ publicè docendæ deſtinati: aſſiduo ſtudio non Tubingæ tantum, ſed & alibi locorum immenſos auctus dederunt. Nam hic, de quo nunc nobis ſermo, *Snepfius* gravissimos ſacræ ſcripturæ libros, pro concione, facundè nerveſque explicavit, præter *Dominicalia Evangelia*, *Epiſtolas*, & quas *Feſtorum* temporisque ratio, qua læta, qua triſtis, ſuggeſſit dicendi materias: *Ioannem* Evangeliſtam: *Acta* Apoſtolorum, & *Pſalterium* omnis doctrinæ cœleſtis, conſolationum, gratiarum actionum, præcationum, & vaticiniorum Oceanum. Et hoc in officio toto *quinque luſtrorum decurſu* fidum ſe & conſtantem paſtorem declaravit. Cumque anno *ſexageſimo ſexto* & rurſus *ſeptuageſimo primo* peſtis Tubingenſem civitatem affligeret: juſtisque de cauſis, Academia tota Eslingam, Imperii urbem traducta fuiſſet: ac ſchola Snepfii operam vehementer deſideraret: triſtiſſimus autem tum in oppido rerum eſſet ſtatus, & commiſeratione digna ſolitudo: ipſe Eccleſiaſtici muneris rationes, alterius multum antecellere videns, ut ſefidum paſtorem exhiberet, magno & infracto animo, ſolus ex univerſitate ſcholaſtica, reliquis in tutiora ſe loca recipientibus, perſeveravit, & concionando conſolandoque oves ſuas intrepidè, ſalubriterque curavit.

Officium generalis inspect.

Cum autem præter hoc munus generalis esset ecclesiarum Inspector: ac proinde *bis quotannis* certis temporibus quid querelarum defectusve in singulis Ecclesiis comperisset, quid omittendum; quid addendum, quidve emendandum censeret, in Ecclesiastica Stutgardiæ Synodo referre cogeretur, ne aliquot absentia dierum officio suo deesset, apud Præsulem Bebenhusianum, affinem suum, ut id muneris adimpleret Stutgardiæ, utriusque pestis tempore obtinuit. Matrimoniales insuper controversiæ, cùm ad Inspectoris cognitionem pertinerent, antequam Ecclesiast. Ducali Consistorio, siquidem is dirimere non posset, traderentur, erat *Snepfius* in hoc officio tanquam oraculum, ad quod omnes Decani, Speciales, Pastores, certatim ex omnibus locis confluebant consultum: si quid gravioris casus, ad legitimâ gubernationem corrigendam accidisset. Scholæ quoque oppidanæ, quæ ecclesiæ Reiq; pub. seminariũ est sumè necessarium, curam ex officio suscepit studiosè, Rectoremque tunc ejus M. *Eusebium Stetterum*, cum collegis sibi habuit commendatissimum & ut in vitæ genere laborioso, atque ad vulgus contemto, gnaviter pergerent omnes, propositis rationibus gravissl. animavit.

Matrimoniales controversiæ ad Snepfiũ delatæ.

Scholam oppidanam curat

Ut autem ipse ad officii laudes, ac rationes summè elaboravit, ita sui similes quàm plurimos esse cupivit. Unde, quos Theologicum in Tubingensi schola collegium, propter doctrinam & vitam honestè pieque transactam, aliaque pia & necessaria requisita, dignos judicarat, qui gregem Dominicum quibuscunque in locis, Evangelio ac verbo divino pascerent, eos ipse, ut plurimum, finita concione, ecclesiastica, Wirtenbergens. Ducatus constitutione, habita denuo prius ad populum conciuncula, fusisque ad Deum precibus ita sacrosancto inauguravit ministerio, ita officii sui admonuit, ita metum & trepidationem ex eo neglecto de gravissimis exspectandis pœnis incussit, ac tandem post manuum impositionem benedictionem & confirmationem addidit, ut non inaugurandus modò, verùm etiam circumstantes suarum partium non sine horrore commonefierent.

Ordinat ministros Ecclesiæ.

Scholasticum Schnepfii munus.

Et hac ratione alteram sui muneris partem Ecclesiasticam obivit, in alterâ tamen & scholastica nullo modo fuit alius. Nam cùm ab initio statim professionis suæ oracula *Veteris Instrumenti* Prophetarum explicare jussus esset: tanto successu laborem difficilimum subivit, ut & ad auditores fructus plurimum & ad ipsum laudis haud minimum redundarit. Nam linguarum Principum *Latinæ, Græcæ, & Hebreæ* apprimè fuit peritus, & Philosophiæ cognitionem, ut & dicendi facultatem sibi præceptoribus, *Camerario, Scheckio, Benigno*, egregiam comparavit. His usus adminiculis ad exquisitam facilemque methodum omnia sic revocavit, sic applicavit, ut non legere aut profiteri, sed pingere, & in speculo tanquam oculis contemplanda proponere videretur. Prudentiam verò dexteritatemque in tractandis omnibus adhibuit summam, ut necessaria tantum & utilia auditoribus traderet, omissis inanibus scholasticorum cavillationibus & rixis. Quamobrem *Biblia* sibi fecerat *quatuor linguarum*, Germanicæ, Latinæ, Græcæ, Hebraicæ, familiaria. Legerat & patres diligentissimè: *Basilium, Nazianz. Chrysostomum, Augustinum, Bernardum*, alios, inprimis autem Lutherum. His ommibus adjunxerat non Ecclesiasticos tantùm; sed alios etiam Historicos & Politicos libros. Fideliter idem & candidè præceptionum Theologicarum usum, tum in sacris scriptis rectè percipiendis, tum in materiis, ad dicendum ab ipso, imitandi causa, facilitate artificii ac solertiâ singulari propositis, demonstravit. Et quia, vel memoriæ quælibet inter docendum audiendumve mandare, vel eadem excipere dextrè integreque scribendo, difficile est, scholas suas, quas *prælectiones* vocant, sicut & *conciones* delineatas, & à se domi cogitatas, non solùm suis auditoribus; sed quibusvis aliis describendas, promtissimè solitus est communicare: usque adeò, ut in ædibus suis illæ hospites plerumque viderentur. Quod quemadmodum in Præceptore luculentum est fidelitatis argumentum, sic improbitas est longè maxima, & ingrati prorsus discipuli signum, talia ad describendum humanissimè tradita, & accepta; auctori & domino suo non restituere, aut ad quæstum faciendum retinere, id quod *Snepfio* non ab uno accidit.

Diligentia ejus in docendo.

Communicat auditoribus lectiones & conciones.

Discipuli Snepfii.

Cæterùm discipulos reliquit ferè innumeros, quibus non *Wirtembergicus* tantùm *Ducatus*; sed aliorum quoque regnorum, provinciarum, & civitatum Ecclesiæ scholæque usæ, quos nominatim hic recensere non est necesse. Fuit autem discipulis ejus ad felicem adipiscendam imitationem cumprimis utile: quòd studiosis & Theologiæ candidatis, earum doctrinarum ac præceptionum, quas in scholis quotidie explicabat, tanquam exempla quædam ad imitandum *exercitia* pro concione *ex ordinariis textibus ac libris*, proponere fuit solitus. Unde factum, ut, quemadmodum alii & Academici & oppidani cives conciones ejus diligentissimè frequentabant, ac summâ cum attentione audiebant, ita sacris initiati deditique mysteriis unam hujus Ecclesiastæ ac Professoris concionem negligere, nefas duxerint, gloriosum contra, & suo tempore fructuosum arbitrati, diligentiâ quoad ejus fieri posset maximâ, etiam hyeme, etiam frigore manus & atramentum constringente, calamo festino excipere, & tum hujus, tum aliorum ejus παραγραφῶν, non modò scholas, verum etiam homilias quamplurimas, manu descriptas habere. Has illi conquirere, has adservare, has κειμηλίων instar custodire. Itaque *Snepfius* id suis laboribus est consecutus, non modò ut in agro Wirtembergico, sed aliis etiam longinquis in locis celebraretur laudibus, & quocunque scripta ejus, eodem & fama illustris perveniret.

Exercitationes ejus Theologicæ.

Vixerunt tunc *Tubingæ* præter Germanos variarum regionum, *Itali, Galli, Boemi, Vngari*: qui omnes summa cum voluptate hunc

& in

& in ſchola & in templo docentem audiverunt, non tantùm orationis in eo ſuavitatem; ſed & multiplicis eruditionis theſauros, varietate rerum, tanquam aromate vario, conditos, fragrantiſſimisque omnibus ex diſciplinis floſculis, conſperſos admirati. Et cùm quidam, non Theologiæ, ſed legum civilium ſtudioſus, aliquando cur Snepfium audiret? eſſet interrogatus: *Rhetoricam*, inquit, *audio, Prophetarum exemplis illuſtrari.*

Verum enim vero non ſolùm Eccleſiæ Tubinganæ paſtorem generalem Superintendentem, Academiæque Profeſſorem egit *Snepfius*: ſed aliis quoque publicis iisque graviſſimis, functus eſt muneribus. Nam & *ſenator* fuit *Academiæ* per ipſos triginta annos prudentiſſimus, & facultatis *Theologicæ Decanus* multoties, & *Academici ærarii præfectus* aliquoties, quem ſummum ibi Deputatum vocant, & *cancellarii partes*, abſente *Iacobo Andreæ* religionis reformandæ, aliquoties ſuſtinuit, & *Recloratum*, quæ dignitas in ſcholis habetur maxima, non ſine laude ſcholæque fructu geſſit ſæpiùs.

Hic ergò cùm concionando, profitendo, ſcribendo, commentandoque, Spartam, quam nactus erat, pro virili ſuâ exornaret, fieri non potuit; ut nominis ſui fama iis, quibus Suevia clauditur finibus contineretur, ſed deſiderium ſui apud exteros & longinquos etiam excitavit. Nam *Boruſſiæ* Dux & literis clementiſſimè ſcriptis, & vivâ legati nobiliſſimi *Sebaſtiani Parthenii* voce, Regiomontium eum evocavit, primariumque Academiæ Profeſſorem, nec non totius provinciæ Superintendenten expetivit. Præterea illuſtriſſ. Dux *Saxoniæ Erneſtus*, defuncto clariſſimo Theologo *Iuſto Iona*, literis ultrò hunc evocavit, ac tanto viro ſucceſſorem *Eisfeldiæ* eſſe voluit. *Brunſuicenſium* quoque Reſpub. operam ejus in Eccleſiæ miniſterio, & generali Inſpectione obeundâ, ſummè deſideravit. Deſideravit eandem Reſpubl. *Halenſis* in Suevia, deſideravit etiam *Haulbronnenſis* ſenatus: ſed fruſtra & incaſſum omnes. Nam his omnibus, amplis ſanè conditionibus, *Tubingam* ipſe, cui omnia, tanquam alteri patriæ, deberet, anteponendam cenſuit, & alteri quidem illorum Principum reſpondit, *à ſuo Duce, cujus tot ac tanta exſtarent in ſe merita, ſine crimine ἀχαριστίας diſcedere, & ſibi charam Tubingam deſerere ſe non poſſe.* Hoc tamen non ita intellectum volumus; quaſi uni ſemper adhæſerit loco, nec ullas prorſus peregrè res expediverit, ut collegæ duo reliqui D. Andreæ, & Heerbrandus.

Etſi enim Eccleſiæ Tubingenſis erat paſtor, quem abeſſe aut abire longiùs à grege ſuo non conveniebat: tamen quod Princeps & in rebus arduis judicium ejus, & doctrinæ copiam politæ cognitam haberet, peregrè ſæpiùs eum quoque ablegavit, resque ei momenti maximi commiſit. Vixdum Profeſſorem in Tubingenſi ſcholâ conſtitutum, anno *quinquageſimo ſeptimo* ad colloquium Wormatienſe miſſum fuiſſe ſuprâ diximus. Nota deinde eſt *Erfordiana* legatio, quàm Tubingenſium Theologorum anteſignano D. *Iacobo Andreæ*, & politicis aliis, anno *ſexageſimo primo* ſubivit. Non longè poſt anno *ſexageſimo quarto*, ad colloquium *Maulbrunnenſe*, cum aliis Wirtembergicis Theologis, fuit miſſus. Demandata ipſi fuit & *Fuldam* legatio, quam cum conſultiſſimo viro, *Chiliano Bertſchio*, veteri Wirtemberg. conſiliario, confecit. Notiſſima inſuper eſt *Marpurgenſis legatio*, quippe quæ & literis mandata. Cùm enim omnes ibi Theolog. D. diem ſuum obiiſſent, à Duce Wirtembergico, petente Senatu Marpurg. Academico, eò fuit ablegatus, ut inſignia Doctoratus clariſſimo illi ac reverendo ſeni *Lonicero*, conferret. Abiit, venit, contulitque illi gradum in Theologia ſummum, qui, *Eberhardo Snepfio* patre, Marpurgi degente, ipſum hunc Snepfium tunc adhuc puerum, manibus ſæpe ſuis geſtarat. Hæc autem omnia uti expedierit, nihil attinet dicere, cùm in eo omnia fuerint eximia.

Chilianus Bertſch.

Ad excellentium autem illam non parum ei attulit adjumenti: quòd toto ferè vitæ ſuæ tempore, Dei beneficio, conſtanti integraque fuit uſus valetudine, parumque expertus morborum, præter quàm quod fluxionibus & eryſipelate ſeneſcens aliquoties eſt tentatus. Unde licet eum jam vitæ terminum attigiſſet, quem magna hominum pars nunc quidem non adſequitur, eâ tamen fuit alacritate, eoque vigore, qui facilè longiorem ei vitam promitteret. Sed tamen cùm & ferrum vetuſtate uſuve conſumatur, & agri fertiles nunquam intermiſsâ fœcunditate exhauriantur, corpus quoque hominis, immodicis, vitiari laboribus neceſſe eſt, & animorum impetus adſiduâ exercitatione frangi.

Valetudo Snepfii.

Poſtquam ergò curſum ſuum confeciſſet, fidem ſervaſſet, jamque coronæ amarantinæ accipiendæ tempus adventaret, ſenis quoque Snepfii mens haud obſcurè ἀναλύσεως ſuæ tempus præſenſit. Duo potiſſimum ſenes, adeoque omnes morituros curare diligenter convenit: *alterum* ut *de ſua fide* in rebus divinis, *alterum* ut *de voluntate* in rebus humanis à morte ſuâ poſteris liquidò conſtet. Utrique ſenex Snepfius ita piè prudenterque proſpexit, ut maturas admodum, quod Chriſtianos decet, de morte cogitationes ſuſcepiſſe videretur. Confeſſionem enim ſuam, exemplo patris, quid de ſingulis fidei ſentiret capitibus, ſcripto comprehendit. Quæ res à magnis aliquoties viris neglecta, multarum ſæpe controverſiarum in Eccleſiâ cauſa fuit. Deinde & cæteris de rebus ac bonis externis poſt obitum ſuum à ſuis rectè adminiſtrandis, *teſtamento* facto, ſic diſpoſuerat, ut in re nulla controverſiam oboriri poſſe crederet. Non ita multis ante mortem diebus cuidam amicorum haud vulgari de dentibus quibusdam, ſibi delapſis, atque voce ſic nonnihil exaſperatâ, conquerens: *Deus*, inquit, *ſerie brevi veniet, & hanc ruinoſam domunculam totam deſtruet.* Aliquoties in explicatione pſalmorum, ad quos, omnium ordine Prophetarum monumentis

Duo ſenibus curanda ante obitum.

Confeſſio Snepfii.

Teſtamentum ejusd.

Fit edentulus.

mentis bis absolutis, tanquam ad cygneam cantionem transierat, *ibi se vitæ suæ sibi terminum posuisse*, pronunciavit, inprimis verò cum ad finem etiam psalmos perduxisset, & monumenta *Iobi* auditoribus suis petentibus, quibus lubenter, etiam in magnis gratificari solebat, interpretaretur, idem haud vana divinatione repetivit. Unde etsi alias in id sedulò semper elaborabat, ne prælectionibus immoraretur, in Jobo tamen consueto more celerius, & quasi magnis itineribus progrediebatur. Ac ut temporis, rerum preciosissimi, posset aliquid redimere, citiusque portum tangere: *Paraphrasin in Iobum* perspicuam filiorum natu maximo, juveni erudito, feriatis à studiis diebus, auditoribus dictandam commendabat. Accessit huc & illud præsensionis cujusdam divinæ signum, nequaquam silentio premendum. Caniculares illi qui vocantur dies, in omnibus Academiis ferè Professores à suo docendi munere liberant. Professor verò senex Snepfius antè superioris ætatis illas caniculares ferias ultrò studium suum, toto illo feriarum tempore, in Jobo procedendi promtissimum auditoribus aliquoties obtulit.

Paraphrasis Snepfii in Iobum.

Qui tamen laudatissimus ejus conatus finem haud est assecutus. Finire enim Snepfium, quod cæperat, divinæ providentiæ non placuit, sed ad mediũ tantum venire, & attigisse se medium, verè mediũ & optimum effusè ipse est lætatus. Cum enim in medio Jobi locum illum *de resurrectione, statuque mortuorum*, consolatione plenum, dulcissimumque omnibus morientibus explicaret, visus est singulari quodam affectu, & divino rapi spiritu. Præsensit nempè divinus ejus animus, brevi pòst secutura resolutione, corpus in magnæ matris gremium repositum, ad glorioſissimam illam Jobi in extremo die resurrectionem præparatum iri. Quare ultimam, *septimo* ante obitum die, prælectionem tanta habuit alacritate, tantâ gestuum, tantâ vocis contentione, quantâ nunquam usus antea fuisse ab ejus auditoribus fuit judicatum.

Vltima lectio Snepfii.

Ac sanè sicut *Basilium* scribunt, in Ecclesiâ ministerio vacantem, suam ex ergastulo carnis emigrationem inchoasse, ita planè & Snepfius in illa domo, in qua frequentissimè versatus erat, suæ hoc ex mundo emigrationis fecit initium. Cum enim die Dominico vesperi concionem habuisset ultimam, ac populo suo, præcipuè servis & ancillis, mnemosynon, ut digressuri facere consueverunt, reliquisset, & officii rationem diligenter inculcasset, ac proximo die *Mercurii* postremum fuisset professus, cumque die sequente Jovis concionibus & publicis precibus destinato, finitis rebus divinis, in adyto templi, sui muneris causa esset, ecce repentinus quidam horror, tanquam sævus aliquis hostis ingruens improvisò senis optimi corpus invasit, omnia membra pervasit, & febris ardentis, ac lethalis ea posuit fundamenta, quæ nullis posteà pharmacis, nullis antidotis, subverti potuerunt.

Basilii obitus.

Vltimus morbus Snepfii.

Hoc illo factum est die, quo ante annos *viginti octo Iena Thuringorum* pater ejus pridiè mortuus honorificè fuerat sepultus. Licet verò tum ejus vires non subitò fuerint prostratæ, languor tamen cum insolitâ quadam tristitiâ fuit in eo non obscuris signis animadversus. Cum etiam eodem die Senatus Scholæ hospites duos, quorum alter Ecclesiasticus *Marpurgi* superintendens, alter arcis ibidem Capitaneus, ad Academiam Tubinganam lustrandam profectos *Stutgardia*, quò Dominum suum Ludovicum Hassiæ Landgravium ad nuptias Wirtembergicas erant secuti; cœna exciperet, ipse quidem comparuit, sed nequaquam solitum in ea vultum exhibuit. Etsi enim aliâs naturali quadam, ut in omnibus rebus alacritate, sic in conviviis hilaritate decentissimè semper fuit, suavissimis moribus, jocis, & colloquiis acceptus, tamen illâ totâ tacitus cœna sedit, nil nisi tristitiam vultu præ se ferens: usque adeò, ut finitam eam gaudere se diceret, & discedendo reliquos omnes præverteret. Atque sic tùm quidem eâ in domo fuit ultimum, in qua omnibus Academicæ suæ professionis partibus gloriosè semper fuerat functus.

Ex eo sic laborare cœpit, ut decumberet, & quidem lethaliter, ubi mox conjunx de valetudine mariti valde solicita, medicum vicinum vocavit, qui cum accuratius morbum, quem domestici Erysipelas rati, quas utiliter antea sæpius, nunc frustra medicinas adhibebant, consideraret, remediis tractaret, videretque, dubio ægroti valetudinem loco constitutam, affluentibus è capite humoribus, & magnum aliquid ad mortem portendentibus, ne in tanti viri de Ecclesia optimè merentis, valetudine recuperanda, desiderari quicquam à quoquam posset, alium quendam medicum adjungi sibi petivit. Sed & tertius artis medicæ scientissimus, omnium consensu fuit adhibitus. Hi omnes pro Consilii sui rebus istis magnitudine, & felici multorum annorum usu; res suas, ad curandum hunc morbum omnes contulerunt, usurpatis, quæ in hoc genere valent plurimum, pharmacis exquisitissimis. Denique tamen & in hoc ægroto demonstratum fuit, arcanum Dei in rebus humanis dirigendis consilium, immotum & æternum stare, adversus mortem, omnibus mortalibus ex æquo communem, nullum in terris ullibi remedium inveniri. Quare ad solum & unicum illum omnium medicorum Principem, Servatorem nostrum Christum confugiendum, in cujus certissima meriti salutaris panacea, omnibus mortalibus patente, expeditissima, & in momento salutem operantia antidota, non precio, sed fide & invocatione constanti impetranda sunt parata.

Medicorũ auxilia.

Vera panacea Christus.

Hæc ad remedia sicut ipse omnes omnibus in periculis, maximè in agone constitutos, toto muneris sui tempore multis sæpe cum lacrymis suavissimè invitarat, ita finem vitæ suæ quoque appropinquare sentiens, doctrinam illam exemplo suo præclarè illustravit. Die namque morbi quarto, qui Dominicus erat,

Pietas S. Eucharistiæ Snepfio.

erat, fidem confirmaturus, sanctissimum Christi corpus & sanguinem, pro peccatis mundi in cruce oblatum sumsumque, plenus fide ac consolatione, cum devotione piâ sumsit è manibus M. *Christophori Sthelini* collegæ: qui præter alios toto morbi tempore sedulam ei operam præstitit. Hoc in actu præsentibus claris quibusdam viris, generis, affinibus, & domesticis aliis, confessionem suam animo præsenti verbisque apertis edidit: & ne quid scrupuli alicui relinqueretur, aliquoties, *nunquid dextrè esset intellectus?* rogavit. *Sin minus plenè*, inquit, *omnia recensui: confessio mea manu scripta supplebit. Inprimis verò testor, me à Calvinistarum dogmate nunquam non abhorruisse: quod autem publicis id scriptis minus sum testatus, factum ideo: quod in hoc genere certaminis scholam Tubingensem milites novi habere, multò me exercitatiores: quibus eo negocio relicto, ad docendi ego provinciam magis incubui.*

Confessio in morbo.

Postridie advenit præsul Bebenhusianus, affinis ipsius & frater, officii causâ atque solatii: cujus præsentiâ vehementer recreatus, eidem & *Brentio* affini suo & testamenti & familiæ suæ curam suprema voce cum affectu commendavit: in quo illis operam suam promittentibus, acquievit. Cumque de fidei constantia interrogatus esset: *quid*, inquit, *de illo soliciti estis homine, qui ad moriendum verâ fide promtissimus est, longeque paratissimus?* Hæc vox cùm lacrymis à suis excepta: *nolite*, inquit, *charissimi flere: sed bono estote animo: brevi, Deo volente, nos in æternâ vitâ iterum videbimus.* Integra etiam mente aliquoties quæsivit: *nunquid in morbo dixisset fecissetve, quod offendere quenquam posset? se enim mori statuisse ita: sicut suos auditores monuisset piè, intrepidè, patienter: ut doctrinæ mors sit consentanea: ut videretur ætatis fabulam peregisse; nec tanquam inexercitatus histrio in extremo actu corruisse.*

Ex sermone.

Prohibet lamentum funebrem.

Mandavit etiam serò, *ne cum pompâ splendidiore funus efferretur: humum se esse, & in humum rediturum.* Istud etiam relatu non indignum. Paulò ante morbum *Disputationem de sanctâ Triade* conscripserat, jamque prælo commiserat, filiorum natu maximo, se præside defendendam. Hac in disputatione pridie obitus multum fuit occupatus: integrisque, ut antea unquam, sensibus, dicta scripturæ allegavit, ad argumenta adversariorum respondit, & eleganter Latineque disseruit.

Moritur.

Tandem die critico, qui erat *nonus* Novembris, inter *sextam & septimam* pomeridianam, animam Deo reddidit, anno Christi *millesimo quingentesimo octogesimo sexto:* cùm vixisset annos *sexaginta unum*, dies *septem*. Elatus est funere frequentissimo omnium ordinum *Tubingæ*: sepultusque juxta conjugem in templo; ubi ipse ante viginti quatuor annis ampliùs docuerat. Concionem funebrem habuit *D. Iacobus Andreæ*, ex cap. 3. Jesaiæ v. 1. seq. mortuum autem laudavit *Erhardus Cellius*, anno sequenti 13. Jan. in aula nova, oratione pathetica & copiosâ *per tres horas* recitatâ.

Concio funebris. Oratio parentalis.

Fuit hic Theologus de Germanis minimè postremus, doctus, disertus: in concionibus fervidus: acer in reprehendendo, suavis in consolando, gravis in verbis vitaque, liberalis in pauperes & egenos, humanus erga omnes, cujus domus asylum quasi fuit afflictorum ac miserorum. Accidit aliquando, ut quidam studiosus pauperculus in ædibus *Erhardi Cellii* decumberet. Id ubi Snepfius inaudivit, promtè accessit; verbis factisque ægrotum erexit, missisque reficientibus recreavit: funus cum suis deduxit: sumtusque exsolvit omnes. Ægrotantes ita sæpius est auditus consolari; ita miserias hujus mundi depingere, ita vitæ cœlestis beatitatem deprædicare: ut & ægrotantes & ponè adstantes cupiditate ardentissima illicò emigrandi fuerint accensi. In officio adeò fuit assiduus, ut ad *centena & decem horarum millia*, docendo, commentando, disputando, aliisque sui officii negotiis consumsisse visus sit. Ex laboribus itaque continuis, cum esset corpusculo non ita magno, sed benè compacto; valetudo aliàs satis firma, insomnia laboravit molestissima; & ætate ingravescente, oculi ejus, ut fit, nonnihil caligare cœperunt: dentes insuper deciderunt: quos honesti Philosophus locutionis gratia datos asserit: quibus vocis aliàs satis sonoræ æquabilitas aliquantulum fuit impedita.

Virtutes Snepfii.

Diligentia.

Valetudo ultimis annis.

Conciones, soceri sui *Brentii* exemplum secutus, breviores plerumque habuit; sed doctas, sed nervosas, & quæ fastidium nullum auditorio afferrent. Pueritiam & imperitam plebeculam, mira lenitate in primis Christianæ religionis capitibus stato tempore erudivit: uti & accessuros ad cœnam Domini, de more illis in Ecclesiis usitato. In conjugio vixit gemino: primum cum *Barbara Ioannis Brentii* filia, *viginti* ipsos annos: quæ obiit anno *septuagesimo secundo*, die *vicesimo primo* Maji, relictis viduo marito liberis *duodecim*, novem femellis, tribus masculis. Deinde ad secundas transiit nuptias cum vidua *Abrahami Spengleri* JCti, & Consiliarii Wirtembergici *Juliana* anno *millesimo quingentesimo septuagesimo tertio*, quæ marito supervixit. Reliquit ipse & generos honoratos & affines, & filias filiosque, & nepotes neptesque, qui omnes patri socero, avoque magnæ fuerunt, dum ipse fuit, lætitiæ.

Conciones.

Conjugia.

* *Cruc. 20. hora 11. noct. ex partu.*

De scriptis suis non multa edidit, sed hortatibus tandem amicorum victus, foras dedit suos *in Jesaiam* Prophetam *commentarios*, mole parvos, eruditione magnos. Extant ejusdem *orationes aliquot* in Academia Tubingensi habitæ; ut *in natalem Salvatoris* nostri, in obitum *Eberhardi* Wirtembergensis & aliæ. Sunt & *disputationes* ejus *Theologicæ* de variis & arduis argumentis: Denique *in Psalmos enarrationes*, & alia, quæ in Bibliothecis videnda. *Hæc de Theod. Snepfio ex parentali oratione, à Cellio habita, Crusii item annalibus.*

Scripta.

RODOLPHUS GUALTERUS.

Ob. 1586. d. 25. Nov. ætat. 67. vel 74.

Patria. Natalis.

Studia.

Præficitur Ecclesiæ patriæ.

Labores ejus.

Obitus.

Rodolphus Gualter. filius. Ejus officium. Mors.

Epitaphium.

RODolphum *Gualterum* illa nunquam satis laudata Helvetiorum metropolis *Tigurum* protulit, natum loco honesto, sub annum Christi *millesimum quingentesimum decimum nonum*, vel ut non nemo, *duodecimum*.

Hic, cùm ad literas humaniores & linguarum studium animum adjecisset; quæ fuit ingenii ipsius felicitas, in Poëtarum juxta & oratorum censu haud postremus fuit. Divinarum quoque literarum studium amplexus, tantus habitus Theologus est: ut dignus judicatus sit; cui Ecclesiæ erudiendæ ac regendæ cura concrederetur.

Pastor itaque & antistes Ecclesiæ patriæ declaratus, munere isto sancto annis amplius *quadraginta*, fide, diligentia, atque industria singulari est functus. Nec enim solùm publicè pro suggesto sacra docuit; sed & privatim scripta in omni doctrinarum genere ferè innumera elucubravit. Homiliis enim scripta & Veteris & Novi Testamenti plurima illustravit: ac præcipuos in Theologia locos explicavit.

Vitæ curriculum in terris absolvit anno *octogesimo sexto*, supra *millesimum quingentesimum*, die *vicesimo quinto* Novembr. cùm vixisset annos *sexaginta septem*, vel, ut quorundam habet calculus, *septuaginta quatuor*. Filium habuit cognominem, ipsissimam patris imaginem, Ecclesiæ itidem Tigurinæ ministrum. Sed cùm vix docere ac scribere incepisset, immatura morte, ante patris obitum, anno ætatis suæ *vicesimo quinto*, Christi autem *millesimo quingentesimo septuagesimo septimo*, die *nono* Februarii, terris est ereptus. Qui quantum sui desiderium apud omnium ordinum homines reliquerit, universa civitas summa frequentia funus ejus prosequendo testata est. Scripta sunt in ejus memoriam epicedia à viris doctissimis, & à *Bonaventura Vulcanio Brugensi* hoc Epitaphium:

Γαλθῆρ@ γενετῆει ὁμώνυμ@ ἐνθάδε κεῖται,
Πατρὶδι ἰμερόεις, πατρὶδ' ἐῷ γονοῆς.

Gualterus tumulo jacet sub isto,
Natus unicus optimi parentis,
Et decus patriæ & corona patris.
Quem quamvis patria & pater Rodolphus
Ereptum patriæ dolent & Orbi:
At gaudet patria & pater, solutum
Curis, & miseræ labore vitæ,
In vitæ & patriæ solum perennis,
Et dulces superûm choros receptum.
Nam qui Christum amat unicè colitque,
Huic est vita mori: morique vita:
Et solvi volupe est, Deoque nocti.

Scripta utriusque Gualteri in bibliothecis nominatim recensentur. *Ex elogiis doctorum virorum.*

JOANNES HOLMANNUS SECUNDUS.

Ob. 1586. d. 26. Dec. ætat. 63.

Stadena.

Pater. Holm.

Rostochii mittitur.

Inde Wittembergæ.

Charus Melanchth.

Initiatur sacris.

Ducit uxorem Joan. Holman. tertium.

Calamitas ejus domestica.

Lugdunã Batavorũ evocatur.

Transit ad secundas nuptias.

HOc Academiæ *Leidensis* in Belgio ornamentum, omnisque virtutis expressissimum exemplar, *Stadena*, Germaniæ celebre emporium, protulit, anno *millesimo quingentesimo vicesimo tertio*, claris ob officia, & religionis pericula parentibus, antiqua prosapiâ *Bremâ* oriundis. Patrem habuit *Joannem Holmannum* primum, in urbe Stadenâ, reformatæ, Lutheri operâ potissimùm, religionis primum etiam antistitem, verbique divini ministrum, ferveſcente ibi adhuc superstitione Pontificiâ. Itaque haud semel ab insidiatoribus in vitæ discrimen adductus est.

Puer admodum hic *Joannes Holmannus Secundus* à parentibus *Rostochium* missus, prima studiorum fundamenta feliciter ibi jecit. Inde majoris uberiorisque studiorum progressus causa *Wittembergam* ad *Lutheri*, *Melanchthonis*, ac *Lotichii*, contubernium est ablegatus, Quibus domestica familiaritate, vitæ integritate, ac eruditionis copia ita se probavit: ut instar filii à *Melanchthone* diligeretur: adeò ut ipse *Melanchthon* neminem ad Saxoniæ Ducis filios instituendos & moderandos *Holmanno* aptiorem censuerit, ejusque commendatione hoc officio summa cum laude functus fuerit.

Sed mox in patriam revocatus, sacro ministerio initiatur: primumque in pagis *Stadenæ* vicinis, deinde ipsa in patria sua summo cum honore hoc munere fungitur. Ibi uxorem duxit *Annam*, anno ætatis *vicesimo tertio:* ex qua liberos suscepit *quinque:* quorum natu major *Joannes Holmannus tertius*, cum ad ætatem adultam pervenisset, egregiamque studiis operam navasset, simul cum patre *Stadenæ* verbi divini ministerio functus est; ductaque uxore tres liberos procreavit.

Sed *nullam felicitatem in his rebus caducis perpetuam Deus homini esse voluit*; fortunamque nobis vitream largitus est; quæ tunc, cum maximè splendet frangitur. Nam repentè fatalis aries Holomannianam familiam concutit: moritur uxor, moriuntur liberi omnes, & tres ex filio nepotes. Ita *Holmannus Secundus*, modò pater & avus, & jam pronepotes exspectans, omni posteritate est orbatus.

Sub id tempus cum ejus eruditio ac celebritas ad Academiæ *Leidensis* curatorum & urbis consulum aures pervenisset; honestissimis conditionibus, virum ætate gravem, Theologiæ scientiâ magnum, Hebraicarum ac Græcarum literarum peritia clarum, ad ordinariam in Academia sua Theologiæ professionem sustinendam evocarunt. *Leidam* igitur anno *octogesimo primo* commigravit. Post menses quindecim ex patria accersit *Becken ab Edenbuttels* virginem patrinam (quam olim infantem sæpè in ulnis gestaverat) ac Leidæ in uxorem ducit. Cum qua deinde suavit vitam tran-

transegit; sed sine ullo prolis proventu, usque ad annum *octogesimum sextum*. Tunc lethali febre oborta moritur secundo die festi natalitii Salvatoris nostri, manè hora septima, in amplexibus *Joannis Heurnii*, adstante *Jano Dousa*, *Lipsio*, *Beima*, cum uxoribus, amicis clarissimis. Nam nec Dousa, nec Heurnius magis familiarem amicum nunquam quenquam habuere.

Exequias ejus funebri oratione egregia decoravit *Cornesius Grotius*, Juris Professor Ordinarius. Ingenti autem amicorum cum luctu, & non mediocri Academiæ damno *Holmannus* mortalitatem explevit. Nam præter summam Theologiæ peritiam, adeò exactam literarum Hebraicarum habuit cognitionem: ut omnibus Europæ ingeniis eo in studio aciem perstringeret. Præterea in niveo ejus pectore cum religione & sincera fide eruditio ac comitas certabant: adeò ut virtutem in ipso extollere, esset injuriam eruditioni inferre: eruditionem laudare nihil aliud esset, quàm virtutem elevare.

Ipse certè Princeps *Mauritius Nassovius*, tum in Acad. Leid. studiis vacans; ipsi etiam curatores & consules reverebantur; amabant collegæ; venerabantur & loco parentis colebant, studiosi. Ad publicas enim lectiones domo exiens, indeque rediens magna studiosorum caterva deducebatur, qui honor nulli Professorum ab ipsis Academiæ incunabulis, in hunc diem usque, nisi *Holmanno & Lipsio* tantum contigit. Scripta quidem nulla edidit, sed plurima reliquit, quæ cum instructissima ipsius Bibliotheca publicè adservantur. Nam moriens Academiæ totam Bibliothecam legavit, primum fundamentum & exordium Bibliothecæ Leidensis.

Janus Dousa, vir nobilissimus, hac elegia funebri virum benemeritum est prosecutus: quam Lugduni ad D. Petri posuit:

Hoc tumulo Holmanni cineres Libitina sacravit,
Siste hospes, fuerit, dum quis & unde, scias.
Prognato ingenuis Stadena parentibus auras
Lutis, & expensa hinc prima alimenta tulit.
Mox Rhodus, & Cimbræ puero plausistis Athenæ,
Qua Codóna frequens littora plangit olor.
Hic percepto animi cultu, morum indole, vitam,
ingenium, ingenuis artibus excoluit.
Nec satis hoc: celebrem Misni quoque Principis Aulam
Et Wittembergam noscere cura fuit.
Sæpè hic Lotichii pendere canentis ab ore:
Sæpè tua meruit voce, Philippe, frui;
Sacrorum inprimis ritus perdiscere cordi:
Et studium veræ relligionis habens:
Majores natu venerari, æqualibus uti
Comiter, à fastu liber & invidiâ.
Et mirum, tantis virtutum insignibus auctum
Saxonici studium promeruisse ducis:
Et dignum ante alios habitum, sua pignora curæ
Cujus, & arbitrio crederet, & fidei?
Martia quo placidas molliret corda per artes,
Æmula Phyllirida Suada magisterio.
Simagnis placuisse haud parva est gloria, noster
Cur non hac etiam laude Secundus ovet?
Sed durum pugnare Deo, patriæque vocanti:
Sic laribus tandem redditus ille suis.
Spargere divini properavit semina verbi,
Vix dum etiam quinas natus Olympiadas.
Eruditi alios Sophia est & principiũ & fons,
Hæc paritur non ætate sed ingenio.
Quæ cura à teneris Holmanno incesserat annis;
Civibus ut posset utilis esse suis:
Hæc eadem usq; per undecima trieteridos orbem,
Ad canos etiam concomitata senem:
Duratura rogo porro tenus, & bene, si non
Hæc quoque manasset nominis aura tui.
Scilicet hinc Batavo Bremam mutare Lyceo,
Et Lugdunensem jussus adire Sain:
Hispitæ ubi terræ ossa dares, & scilicet una
Deerat adhuc spatiis ultima meta tuis.
Haud aliena tamen: certe domo abusque petita,
Hic ut in thalamos Caja secunda tuos:
Quæ legeret supremo animam morientis ab ore,
Lumina quæ charis conderet articulis.
Hic priva ac Dousæ laribus confinia tecta:
Carior hocque etiam nomine Leida tibi.
Parva loquor; tanti certè inquam Lipsius ille,
Qui tibi pro multis millibus unus erat.
Discipulorum auris, tanti, consueta frequenti
Cingere suggestus obsidione tuos,
Solemnique senem juvenum deducere pompâ,
Abdita dum magni fers documenta Dei.
Indicio fuerit librorum extructa supellex,
Versatos manibus quos juvat esse tuis.
Hanc Academiæ voluisti cedere in usum,
Prodesse orbi etiam post tua fata studens.
Nec pietas obscura tua hæc, sed in acta, relata
Publica nunc quo stat Bibliotheca loco:
Ingenii hic quoque multa tui monumenta leguntur,
Signata archetypis illa voluminibus.
Liqueris hæc animi quo robore, quamque salutis
Spe solida innixus prætereunda mihi:
Vxorem & quoties solatus dixeris: O quàm
Dissolvi, & tecum me, Deus, esse juvat.
Ut propria hæc ejus fueris laus; mi satis illud
Dicere, non aliter sit mihi posse mori.
Sic tua mors, sic vita odii expers omnis, & unde
Jure sibi exemplum nostra Lycæa petant.
Nunc veram tibi det requiẽ Deus, & bona multa
Eveniant cineri, care Secunde, tuo.

DEO MAX. ET MEMORIÆ JOANNIS HOLMANNI SECUNDI, THEOLOGI ET PROFESSORIS VITA DOCTRINAQUE LAUDATI, BEKE AB EDENBUI TELS UXOR HEU MOESTA, POSUIT. VIXIT ANN. LXIII. OBIIT. AN. CIↃ IↃ LXXVI. VII. CAL. JANUAR.

Ex Academia Lugdunensi.

CASPAR OLEVIANUS.

Casparum Olevianum antiquissima Treviror. urbs protulit, anno Christi *milleſimo quingenteſimo trigeſimo ſexto*, die *decimo* Augusti, qui in fastis S. *Laurentio* adscribitur.

⊙. 1587. d. 15. Mart. ætat. 51.

Pater Olevian. bitur. Natus autem est Patre *Gerhardo* pistore ibidem, & sui officii tribuno, ac baptismatis sacramento Ecclesiæ initiatus in S. Laurentii æde.

Educatur apud avum. Puer apud avum *Antonium Sinzig*, laniorum ibidem tribunum, educatus: ab eodem in ludum literarium missus est; primùm ad S. *Laurentii*, deinde ad S. *Simeonis*, & in templi cathedralis; denique ad S. *Germani*. Huic ludo tunc temporis præfuit pius quidam senex: de quo commemorare *Olevianus* solitus hoc fuit: eum tempore Quadragesimali, quo historia passionis ac mortis Domini Nostri JESU Christi solenni more explicabatur, vaticinia veteris Instrumenti contulisse cum historia Novi, atque docuisse; quomodo omnia illa prædicta in veteri, sunt completa in Novo. Istud etiam addidisse inprimis monebat: *filios DEI & electos in V. T. in typis illis sacrificiorum prægustum habuisse unici illius sacrificii a Christo vero Messia, in cruce oblati.* Et hæc prima in tenero ejus pectore fuit scintilla agnitionis sacrificii Christi: quod deinde temporis progressu, DEI beneficio, pleniùs intellexit.

Mittitur Lutetiam. Adolescentulus *tredecim annorum Lutetiam Parisiorum* à parentibus missus est: ut juri civili operam daret; ut & dedit partim Parisiis, partim in aliis regni illius, legum studio celeberrimis, Academiis, *Aurelienſi*, inquam, & *Biturigum:* in qua utraque scholâ, ad Ecclesiam sese orthodoxam, quæ clam cœtus suos cogebat, adjunxit. *Biturigibus* etiam tandem in ordinem Jureconsultorum solenni Academiarum ritu anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo*, est adscriptus: id quod ex *Franciſci Duareni* atque collegarum ejus, testimonio videre est.

Dat operam juri.

Renunciatur Doctor juris.

Testimonium ejus.

„ Dei optimi maximi nomine invocato,
„ Franciscus Duarenus, juris civilis Doctor,
„ & Decanus in clarissimâ Biturigum academia, omnibus harum literarum lectoribus
„ salutem. Cum spectatissimus & consultissimus vir Casparus Olevianus diœcesis
„ Trevirensis, strenuam, diligentem, diuturnamque Juri civili operam dederit: &
„ suam nobis insignem eruditionem, innocentiam, castitatem, sobrietatem, modestiam, prudentiam, aliasque animi dotes
„ multis gravissimisque argumentis approbarit: Nos hominis virtutem & eruditionem,
„ ut æquum est, amplexi, cui nullus satis dignus honos à nobis tribui potest, Doctoriis
„ insignibus eum ornandum esse decrevimus; eumque juris civilis Doctorem in
„ eâdem Universitate & Juris Civilis facultate creavimus. Ad cujus rei executionem
„ secundum leges & statuta Universitatis nostræ duximus procedendum: nec quicquam
„ eorum prætermisimus, quæ ad solennem
„ ritum & usitatum necessariumque in schola morem pertinent. Horum omnium ut
„ major certiorque sit fides: has literas ab
„ ejusdem Universitatis scriba signari, duplicique sigillo, nempe sigillo majore Universitatis, & altero quod nostræ facultatis proprium est, obsignari jussimus. Acta gestaque
„ hæc omnia Biturig. fuerunt, præsentibus
„ Dn. Joanne Rabirio, Andrea Levescatio,
„ Hugone Donello & Nicolao Bouguyerio
„ Juris doctoribus, in eâdem Universitate
„ actu regentibus: M. Hilberto Molinæo,
„ Joanne Vincentio scholasticis in eâdem
„ Universitate Biturigum studentibus, & aliis
„ quàmplurimis testibus. Die sexta Junii,
„ anno salutis 1557. „

Cæterum sub idem tempus in urbe *Biturigum* studiorum causa agebat adolescens Princeps *, *Friderici* Palatini ad Rhenum, qui postea ad Electoralem pervenit dignitatem, ejus nominis tertii, filius: cui à studiis erat *Nicolaus Judex:* Oleviano intimâ familiaritate junctus. Cum hoc ergo, quodam die in comitatu Principis adolescentis, animi causa à prandio ad præterfluentem *Ligerim* egressus: offenderunt ibi quosdam è nobilitate Germanica studiosos, navigio fluvium trajecturos. Isti Principem adolescentem cum ephoro conspicati, hortantur eos simul ut trajiciant. *Olevianus* autem animadvertens, studiosos illos nobiles plusculum appotos, præceptori Principis trajectum dissuadet, periculi, ut fieri solet tali in loco, vitandi causa. Sed præceptor posthabitâ Oleviani fideli admonitione, precibus adsiduis studiosorum victus, navim cum Principe adolescente, suæ disciplinæ alumno, ingreditur. A ripa itaque solventes ebrii illi adolescentes navigium temeritate juvenili motitant, tandemque prorsus evertunt: omnesque miserè in aquis suffocantur. Præceptor ille adolescentis Principis natandi peritus ac sobrius, arreptum adolescentem secum ad ripam educere conatus est: cum impetui sustinendo non esset, & ipse & Princeps perierunt. *Olivianus* tristissimi casus spectator ad ripam adstans continere se non potuit: quin in aquas se injiceret, auxilium sicubi posset, periclitantibus laturus. Verum ipse quoque limoso in gurgite mento tenus hærens, jam de salute suâ actum putabat. In tantis ergo angustiis constitutus, seriis Deum invocat precibus, simulque votum facit: se, isto periculo liberatum, civibus suis Evangelii doctrinam, si vocetur, annunciaturum. Ibi, sic DEO rem omnem gubernante, cujusdam nobilis à pedibus accurrit: qui *Olevianum* ex aquis capite prominentem, herum suum ratus, extrahit; inque ripam salvum educit. Ex hoc ergo præsentissimo vitæ discrimine cum divinitus se liberatum videret: cum studio juris sacras conjunxit literas, & earum commentarios, inprimis D. *Joannis Calvini* diligenter evolvit: nihilominus tamen legum scientiam sibi tantam comparavit: ut, quemadmodum diximus, Doctoris in eo doctrinæ genere titulum fuerit consecutus.

* Nomen ei fuit Hermanno Ludovico.

Herm. Ludov. Pal. cum ephoro in Ligerim erit.

Periculum Oliviani in aqua.

Votum facit.

Liberatur eo periculo.

Theologiæ cum juris studio conjungit.

Ad suos deinde *Treviros* reversus, rogatus est, ut causæ cujusdam patrocinium susciperet. Eo in negocio ubi animadvertit, *jus & æquum varie torqueri*: commotus vafricie homi-

hominum & abusu artis, voto se exsoluturus ad Theologiæ studium animum appulit, omisso, quod practicæ juris condiscendæ causa Spiram instituerat, itinere. Rectâ ergo *Genevam* profectus, totum sese Theologiæ dedidit, exinde *Tigurum* divertens. *Petri Martyris & Bullingeri* audiendi gratiâ, eò venit, ac *Martyris* convictu usus concionibus habendis coram *Bullingero* & aliis ministris se exercuit. In reditu *Genevam* versus *Lausannæ* navim conscendit, qua & *Farellus* vehebatur. Cum hoc in colloquium ubi venit, quæsivit ex eo *Farellus*, *nunquam ne in patriâ sua publicè docuisset*? Oleviano fatente, *nunquam id se fecisse*; *Farellus* summopere hortatus eum est, quamprimum id faceret, quod ei *Olevianus* facturum se stipulatus est.

Genevæ dum sacrarum literarum studio operam navavit; Ecclesia, quæ *Metis* colligitur, à presbyterio Genevensi idoneum ministrum verbi petivit. Ibi tum *Olevianus* & *Petrus Colonius* nominati sunt, sed *Olevianus* se excusavit, tum quod patriæ, cui se inprimis obstrictum agnosceret, Evangelium, Deo volente, annunciare in animum induxisset, tum quòd illud idem jam *Farello* sanctè promisisset. Acquievit in hac excusatione Calvinus, eumque ut quod instituisset, perficeret, cohortatus est.

Anno itaque *quinquagesimo nono* Treviros iterum reversus, à Senatu illius reipub. ut & à consanguineis & amicis, unà cum fratre *Friderico Oleviano*, artis medicæ doctore perhumaniter acceptus statimque à consulibus ac Senatu rogatus est, ut Treviris patriæ suæ docendo inserviret, operamque suam addiceret, simulque salarium ei *centum Rhenanorum* decreverunt, ut in *Bursâ* (scholæ id nomen, multis tunc annis desertæ & incultæ) *Dialecticam Melanchthonis*, & alias artes traderet.

In explicatione itaque Logicorum præceptorum, multis exemplis Theologicis illustratorum, occasionem nactus est in iisdem sanam Evangelii doctrinam exponendi. Quod ubi Canonici inaudissent, primum munere docendi ei interdixerunt, tandem scholam totam occluserunt. Jussus proinde à consulibus & Senatu in *Nosodochio S. Iacobi*, quod civitatis est docere, primam concionem die S. *Laurentii* habuit. Idem cum postea aliquoties fecisset, adversarii sacrificulum quendam subornarunt, qui aliquando sub tempus concionis veste lineâ, quam sub pallio occultè intulerat, suggestum concionaturus conscendit, antequam *Olevianus* adveniret. Sacrificulo igitur conspecto, populus frequens exclamare cepit; *suggestu ocyus descenderet, se enim ipsum non audituros*. Olevianus contra hortari populum, audirent illum perorantem sacerdotem, se nihilominus concione illius finitâ, aliam habiturum. Verum cum à commoto populo id impetrare non posset, & sacrificulus inter sacrum ibi & saxum stans trepidaret, elabendique citra periculum viam quæreret, *Olevianus* cum consolatus, nil quicquam sibi timendum à populo monuit, populumque ab omni vi dehortatus, manu prehensum sacrificulum è templo salvum eduxit, ac postea locum altiorem concionis habendæ causa petivit. Ante autem, quàm illam inchoaret; quæsivit ex auditorio; *utrum vellet ut concionem ista saltem vice ob metum periculi super sederet, an verò quemadmodum antea, audire cupiant, seque in officio semel demandato progredi*. Ibi omnes elatis manibus claraque voce responderunt, *imò hoc, imò hoc, & per Deum te oramus, ut pergas concionari*.

Ab hoc facto uterque consul & quidam senatorii ordinis, atque cives, ex mandato Episcopi Electoris, in curia asservati sunt, qui precibus impetrarunt; ut *Olevianus* se adjungeret, doctrinæ & solatii causa. Itaque in curia captivi detenti omnes sunt *decem* amplius *septimanas*.

Interea semel judicio sese jussi stiterunt; ubi cum audita accusatione, quæ capita continuit non pauca, quatuordecim dierum dilationem petiissent, ipsisque *biduum* tantummodò indultum esset, clam per nuncios *Fridericum* Palatinum Electorem, *Wolfgangum* Bipontinum, & *Argentoratenses* Reipub. *Senatum* de periculo suo certiores fecerunt, & uti subvenirent, tempestivè rogarunt. Hi ergò, cum celeribus equis legatis missis, judicialem processum inchoatum inhibuerunt, tandemque ut captivi omnes libertati restituti dimitterentur, obtinuerunt.

Eo igitur tempore Electoris Palatini legatus, *Valentinus* comes *Erpacensis*, Burggravius *Alzeanus Olevianum*, tunc adhuc in custodiâ agentem, nomine jussuve sui Principis in Palatinatum invitavit, secumque Haidelbergam statim abduxit. Factum id anno *sexagesimo* supra *sesquimillesimum*. Eò ut venit, Elector Præceptoris in collegio, quod Sapientiæ vocant, munus ipsi demandavit, quod anno uno ac dimidio circiter obivit.

Sub id tempus, *Olevianus* matrimonium cum piâ quadam viduâ *Philippinâ* Metensi contraxit, & *Doctoris Theologi* titulo ornatus est, Professorque Theologiæ in Academia constitutus. Paulò post flagitantibus id Electoris Consiliariis, ad Ministerium sacrum primum in æde *Petrinâ*, posteà ad *Spiritus sancti*, obeundum legitimè est vocatus. Hac in functione permansit ad obitum usque Electoris *Friderici III.* qui anno supra *sesquimillesimum, septuagesimo sexto*, die *vicesimo sexto* Octobris piè in Domino exspiravit.

Mox paucis interjectis diebus *Berleburgum* à *Ludovico* Comite *Witgenstenio* vocatus est, ubi filios generosos in Christianæ pietatis fundamentis, & linguis aliisque artibus elegantioribus erudivit; simulque concionatoris munus sustinuit. Exinde anno *octogesimo quarto* à *Ioanne Nassovio* seniore *Herbornam* evocato, ministerii sacri functio est demandata, quam *triennium* obiit; simulque in schola docuit, ibidem ab eodem Comite, suasu & Consilio *Oleviani* aperta.

Genevam proficiscitur.

Redit Tigurum.

Exercet se in concion.

Farello promittit in patria docturum.

Literis invitatur.

Excusat.

Trid. Olevianum.

Docet Treviris Dialect.

Impetitur à Canonic.

Docet in Nosodochio

Dimittitur pro eo sacrificulus.

Qui non auditur.

Treviren. ses quidam custodiæ dati.

Quibus adjunctus Olevian.

Judicio si. stuntur.

Petunt auxilia ab evangel.

Inhibetur processus judicialis.

Olevianus Haidelbergam abducitur.

Docet in collegio Sapientiæ.

Uxorem ducit.

Doctor Theolog. renunciatur.

Profess. & pastor designatur.

Trid. 3. Kl. Febr. obitus.

Vocatur à Witgenstenio comite.

Venit Herbornam.

Morbus ejus fatalis.

Anno *octogesimo septimo*, die *vicesimo quinto* Februarii morbus eum lecto affixit; in diesque magis ac magis vires ejus ita exhausit: ut morbo naturam superante placidè ad Dominum suum emigrarit. Usus quidem est medicamentis quibusdam, sed frustra, ac censuit medicus hydropis speciem esse.

Cùm itaque finem sibi vitæ instare sentiret, die *undecimo Martii* testamentum fecit, ac reliquo toto tempore se ad pium beatumque ex hac vita abitum paravit. Absoluto testamento die *duodecimo* Martii, è lecto epistolam ad filium *Paulum*, tunc in diœcesis Spirensis vico quodam invaletudine detentum dictavit, quam, fidei ipsius & paternæ φιλοστοργίας testem, subjicere placitum est. Ita ergo *Olevianus* pater:

Epistola ad filium.

„ Charissime fili Paule: Dico cum Patriar-
„ cha Jacob, *Expecto salutare tuum Domine.*
„ Eo enim loco sunt res meæ; ut dicam cum
„ Apostolo, *cupio dissolvi & esse cum Christo*:
„ cui etiam te totum ut in sacro baptismate,
„ ita etiam nunc in migratione mea ad Domi-
„ num, unà cum suavissima matre, fratre &
„ sorore commendo & trado, & verbo gra-
„ tiæ ipsius. Fuisset quidem mihi gratus tui
„ conspectus, sed nolui te conjicere in peri-
„ culum, hoc frigore, & crure nondum satis
„ consolidato. Disposui autem de rebus o-
„ mnibus, ut pium parentem decet, & gene-
„ rosus noster Dominus, Comes Joannes,
„ munificentiam erga vos cum libertate ve-
„ stra conjunctam diplomate suo confirma-
„ vit. Ego in singulas horas migrationem
„ ad Dominum expecto. Ne præcipitanter
„ te des in viam, videbimus nos mutuò in
„ vita æterna, secundum fœdus Dei gratui-
„ tum. Commendo tibi piissimam matrem,
„ quam scio te diligere, fratrem Ludovicum
„ tenerum suscipe, ut mea viscera, & pro pru-
„ dentiâ tibi à Deo concessa suaviter rege.
„ Ne appetito res altas, sed esto contentus
„ mediocribus, & studiorum labores eò diri-
„ ge; ut prosint multis. Benedictio Do-
„ mini sit in egressu & ingressu tuo, amen, &
„ in ὑποθεσίᾳ gratuita acquiescat spiritus tuus,
„ exspectans mecum hæreditatem cælestem
„ per & propter Dei Filium, Amen. Datæ
„ Herbornæ, die 12. Martii intra quartam &
„ quintam, dictatæ ex lecto. Anno 1587.

Tuus pater Caspar Olevianus Trevir, verbi Dei minister, manu propria subscripsi.

Domine Iesu suscipe spiritum meum. Act. 7.

Voces ejus in morbo.

Morbo durante inviserunt eum comites, *Ludovicus Witgensteinius*, *Ioannes senior Nassovius*, ad quos æger dixit, *in hoc morbo meo rectè didici, quid sit peccatum, & quanta Dei majestas*: und daß es gar nicht gelte/ das wir Menschen GOtt zu einem Gesellen haben wollen. Quæ verba dixit contra figmentum liberi arbitrii, & virium ejus, quas nonnulli ei adscribunt. Cum etiam filii Comitis *Ioannis*, generosi adolescentes, *Ioannes & Georgius* officii causa ad eum accessissent, hortatus eos est *primum* ad fraternam concordiam, *deinde* ad perficiendum provehendumque Gymnasii instituti negotium, *tertio* ad liberalitatem atque misericordiam erga egenos, *denique* ad obedientiam parenti præstandam. Quæ omnia & ipsi se facturos promiserunt. Illis digressis accidit ei quippiam rarum, quod *Ioanni Piscatori* sequenti die ac studioso cuidam *Abelo Conders* ab *Helpen* aperuit, nec à nobis reticendum. *Heri*, inquit, *post discessum duum Comitum juniorum, ineffabili gaudio quatuor horis amplius perfusus sum; adeò ut miratus fuerim, cur & uxor & parens mea identidem ex me quærerent, ecquid melius culè haberem? Et revera melius habere nunquam potuissem. Videbar autem mihi versari in prato elegantissimo, in quo cum obambularē, rore perfundebar cœlesti non guttatim, sed magna copia, atque patinis quasi plenis, unde lætitiam tum corpore tum animo cœpi longè maximam.* Ad hæc cum Piscator: *Pastor ille bonus Iesus Christus duxit te in pascua sua, imò*, inquit æger, *duxit ad me fontem aquarum viventium.* Postremò recitatis ex Psalmo *quadragesimo secundo*, Jesaiæ *nono*, Matthæi *undecimo*, atque ex aliis pluribus scripturæ sacræ locis, sententiis solatii plenis, sæpè repetivit hæc verba: *Ego velim meum iter ad Dominum non diu differri*: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo meo*, commendavit etiam curam pauperum senatui per diaconum *Iacobum Altstedium*, & quid de scriptis suis post mortem suam fieri vellet ordinavit, collegis & præsentibus amicis manu porrectâ valedixit, ac felicia omnia precatus est. Cumque jam ferè in agone esset, & *Altstedius* diaconus ei acclamaret, *mi frater, procul omni dubio certus es de salute tua in Christo Iesu, quemadmodum alios docuisti*, tum Olevianus submissa voce, *certissimus*, inquit, & cum dicto cor suum commonstrans, spiritum Deo reddidit, *die decimo quinto* Martii, intra horam *nonam* & *decimam* matutinam, anno Christi *octogesimo septimo*, supra *millesimum, quingentesimum*, ætatis suæ *quinquagesimo primo*. Tertio die pòst Christiano ritu exuviæ ejus terræ mandatæ sunt in templo parochiali *Herbornæ* Nassoviorum, in quo tres postremos vitæ suæ annos docendo exegerat.

Visum Olevianb.

Moritur.

Scripta.

Relicta sunt ab eo Ecclesiæ Christianæ commodo hæc: *Concio de Abrahami fide & obedientia*: Concio *de Cœna Domini, Admonitio de re Eucharistica*: Tabula *de Ministerio verbi Dei & Sacramentis*: *Expositio Symboli Apostolici*, sive Articulorum fidei, in qua summa gratuiti fœderis æterni inter Deum & fideles breviter & perspicuè tractatur: *Epitome Institutionis Religionis Christianæ Ioannis Calvini*, in usum præcipuè scholæ Herbornensis, quam postea D. *Piscator* imitatus Olevianum, ad Aphorismos artificiosè revocavit. Uterque opusculum suum D. *Bezæ* dedicavit. *Notæ in epistolam ad Galatas*, *Notæ in Evangelia*, quæ diebus dominicis,

ac

ac festis populo Christiano in plerisque Germaniæ Ecclesiis proponi solent: *Dialectices* libri II. cujus præcepta Theologicis exemplis potissimum illustravit: *Theodori Bezæ* in epistolas Pauli *ad Romanos, Galatas, Philippenses, & Colossenses:* Notæ ex *Casparis Oleviani* concionibus excerptæ ac editæ.

Ex narratione de vita & obitu Oleviani, conscripta à Ioann. Piscatore: item ex elenchis librorum.

IOANNES WIGANDUS.

Ioannes Wigandus natus est *Mansfeldiæ*, in radicibus Harcyniæ montis sitæ, anno Christi *millesimo, quingentesimo, vigesimo tertio*: qui annus celebris est martyrio *Ioannis* & *Henrici* professionis Augustinianæ, duorum monachorum, *Bruxellis* exustorum, obitu item *Adriani* Pontificis & *Vlrici Hutteni*, ac conversione urbis Argentoratensis ad Evangelii doctrinam, & origine sectæ Anabaptisticæ.

Parentes ei fuerunt *Ioannes Wigandus Hessus*, & mater *Catharina*, ambo honestæ famæ, & facultatum mediocrium. Ac parentem quidem ferunt pietatis ac literarum supra vulgus fuisse amantem, qui filium adhuc tenellum, necdum septennem, in scholam ejus oppidi trivialem, ut vocamus, deduxit, ut prima literarum rudimenta disceret. Idem pater sæpè, ad pueri lectum dicitur Deum expressis verbis precatus, ut Dominus Deus Filio *Ioanni* suam gratiam largiretur, quo & ipse sui nominis memor, propagationem sinceræ doctrinæ, quæ tum in illis locis fatali conversione per Lutherum divinitus reflorescere inciepat, adjuvaret. Cum ministris verbi & scholæ collegis semper amicitiam pater ille Wigandi coluit, & quasi philtro quodam literarum temulentus, literatos homines singulari benevolentia est complexus, concionatores & scholæ ministros annuatim aliquoties filii causa ad convivia domum suam amicè invitavit, qui majorem in modum viri singulari pietate, & incredibili humanitate & moribus politis fuere delectati.

Tali patre natus cum non modò ipso vultu parentem repræsentaret, sed insita semina virtutis paternæ, animo præ se ferret, initio statim ostendit egregiam quandam ingenii peracris præstantiam, & præclaram indolem, natam tum ad discendas literas humaniores, tum ad colendam pietatem. Maturè itaque literis discendis adhibitus est, & quidem M. *Bartholomæus Wolffhartus*, unus tum è scholasticis grandioribus, qui postea *Neuburgi* ad Danubium, & tandem *Hildesiæ*, celebris in Saxonia inferiore urbis, longo tempore Superintendentem egit, primum in ludum *Mansfeldiæ* eum duxit. Ac Principia doctrinæ cœlestis mediocriter, & liberalium artium initia feliciter, in ea ipsa schola, eoque loco *Wigandus* percepit; ubi & Martinus Lutherus antea, in sua pueritia, eadem didicerat.

Præceptorem habuit in gymnasio Mansfeldensi *Dionysium Agrium Austriacum*, spectatæ tum probitatis, tum eruditionis virum, cognitione Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ excellentem, & insignem semper habitum in omnibus fere Germaniæ scholis, juventutis erudiendæ magistrum. Is puerum, in quo præclara indoles apparebat, sicut & cæteri scholæ collegæ, amare ceperunt, præsertim cum inprimis Catechesin, quæ summam veræ religionis breviter comprehensam, unde & *breviarium doctrinæ cœlestis*, à *Cypriano* dicta, continet, & præterea Musicen cito addisceret, & pura, contenta, sonora, ac suavissima voce reliquos æquales superaret. Verbo ut complectamur omnia, tanta fuit in in Wigando vis memoriæ, tanta in retinendo felicitas, tantaque in percipiendo & cognoscendo ingenii acrimonia; ut parentes & præceptores summæ eruditionis summæque pietatis non dubiam spem de eo conciperent, & non dubitarent; *Wigandum* aliquando, Deo volente, eum futurum, qui posset τῷ θεῷ κεχαρισμένα ἐπεῖν καὶ ἀνθρώποις ἐπωφελῆ.

Dionysius Agrius Austriaci præceptor Wigand.

Primis artium dicendi fundamentis, & pietatis Christianæ capitibus haud infeliciter, in patria schola jactis, cum ipsum decennium sub ferula *Dionysii Agri* Præceptoris fidelis transegisset, ingenium diligentiamque suam condiscipulis & præceptoribus probasset, omnes qui docilitatem & simul acris animi & mentis sagacis præclarissima signa cernebant, & vim ingenii animadvertebant, uno ore judicarunt, eum dignum qui in scholam sublimiorem (κατ' ἐξοχὴν Academiam appellant) ad præstantiores doctores ablegaretur.

Wittembergam mittitur.

Quare cura parentis ac propinquorum in Academiam *Wittembergensem*, tum temporis in tota Europa præ cæteris florentissimam, undecim milliaribus Germanicis à natali solo distantem, quasi ad mercatum doctrinæ uberiorem missus est. Eâ in schola annis fermè *tribus* vixit; quo tempore, cum magna vis ingenii & summus ardor discendi in eo esset, totum sese Philosophicis studiis addixit, & noctes atque dies in liberalium artium meditatione, & linguarum cognitione transmisit. Habuit isthic in omni genere disciplinarum Professores & præceptores eximios ac fideles, quos audivit. Docebant enim tunc in illa Academia celeberrimi & præstantissimi Theologi, *Martinus Lutherus*, quem legentem publicè, disputantem de gravissimis controversiis religionis, & concionantem dulcissimè cum magno fructu audivit: Erat illic *Philippus Melanchthon*, Theologus & Philosophus ætatis suæ post *Lutherum*, facile Princeps, & omnium ferè in Germania eruditorum communis præceptor, quem sibi quoque attentissimè audiendum *Wigandus* putavit. Iniit etiam & coluit amicitiam & religionis & literarum nomine, cum D. *Casparo Crucigero* seniore, audivit & D. *Iustum Ionam* Theologum, & D. *Vitum Winshemium* Græcarum literarum publicum tunc illic Professorem. Hujus doctrinam

Doctores tunc ibi.

nam, memoriam, humanitatem, pietatem, cæterasque virtutes, admirabilem denique in erudienda juventute dexteritatem, & in præceptis tradendis, ac Græcis autoribus enucleandis, eruditam, nervosam, perspicuam & methodicam facilitatem & brevitatem, nunquam satis potuit deprædicare. Privato insuper præceptore usus est viro erudito & pio M. *Ioanne Marcello*, qui ad formanda judicia adolescentum singulari dexteritate excelluit. Reliquarum etiam linguarum & artium, jurisprudentiæ & medicinæ Professorum lectiones sedulò, pro ratione temporis & studiorum suorum frequentavit: ut nullarum rerum cognitionem non attingeret, & undique quandam scientiæ quasi professionem occuparet, & non tam laudem venaretur, quàm usum sibi fructumque cognitionis, exemplo Apostoli Pauli acquireret.

Ioann. Marcellus.

Sub initium anni *quadragesimi primi*, consilio præceptorum, parentum & amicorum, *Norinbergam* ex Academia *VVittembergensi* evocatus, ludo literario ibi ad S. *Laurentium* est præfectus, ubi erudiendis pueris operam strenuam navans, ac præter voluntatem *totum triennium* in pulverulenta & molestissima quidem illa, sed Deo longè gratissima, functione fuit detentus. Habuit ibi collegam virum doctum & disertum *Petrum Vincentium Silesium*, omnium studiorum socium, quo cum sæpissimè carminibus scribendis certavit. *Norinbergæ* conciones ex sacra cathedra habentes audivit *Andream Osiandrum*, *Vitum Theodorum*, & *Thomam Venatorium*; qui aliis verbi divini præconibus, eruditione multiplici, & eximiis eloquentiæ donis longè antecellebant.

Norinbergæ praefit ludo.

Petrus Vincentius

Invitus verò, uti dictum, *Wigandus Norinbergæ* mansit, cum ardore literarum addiscendarum accensus, unicè cuperet in scholam Wittembergensem superstite adhuc *Luthero*, reverti. Quare à Domini nativitate anno *quadragesimo quarto*, cupidissimè *Wittembergam* ad inchoatum studiorum cursum feliciter decurrendum, rediit.

Redit Wittembergam.

Anno *quadragesimo quinto*, pro illius temporis & scholæ consuetudine, competitoribus aliis in Academia *Wittembergensi*, titulum & gradum *Magisterii* consecutus est, cum nondum *vigesimum secundum* ætatis annum compleviſſet. Induxerat autem *Wigandus* in animum, deinceps annos compluſculos de consilio *Lutheri*, & *Melanchthonis* Wittemb. in sacræ Theologiæ studio, cui se totum consecrarat, ponere. Cognoverat enim ex voto quodam pio destinatum se ad sacras literas discendas, ad quas etiam divino quodam instinctu ipsemet ferebatur. Itaque puer etiam pietatis flagrans amore, æquales sicubi exorbitarent, reprehendere non dubitavit, & ut ad frugem se reciperent cohortari. Sed exortæ sunt sævissimæ tempestatum bellicarum procellæ, perturbata Germania bello illo famoso, quod Smalcaldicum appellant obducta quadam specie rebellionis, contra Saxoniæ Electorem *Ioann. Fridericum* & Landgravium *Hassiæ*: sed revera purioris doctrinæ delendæ causa, instinctu Romani Pontificis. Ita cursus *VVigandi* non parum est retardatus. Anno eodem vertente, cum *Luthero* mortuo, cujus etiam funus *VVittembergæ VVigandus* secutus est; bellici apparatus adversus Electorem Saxoniæ exorti, & præsidium militum in arcem & oppidum Wittembergense impositum, studioſique discedere ex Academia coacti essent, consensu unanimi totius Ecclesiæ *Mansfeldensis* *Wigandus* in patriam circa *Michaelis* vocatur; ut illic loco decrepiti senis & optimi pastoris *Martini Seligmani Hailsbronnensis*, conciones sacras haberet.

Magister ibi renunciatur.

Theologiæ se dedit.

In patriam vocatur.

Necessitate igitur illorum temporum extrema coactus ministerium docendi verbum Dei publicè subiit; atque à superintendente *Mansfeldensium* Ecclesiarum, *Ioanne Spangenbergio* in ipsa Mansfeldensi æde sacra, publicâ & Solenni actione, impositione manuum, & oratione ad Deum ordinatus est, ac fuit hæc ordinatio in eo quidem loco Evangelicâ doctrina illic instaurata, & ab Antichristi Romani tenebris repurgata, prima.

Initiatur ministerio.

Eâ in functione, fidem, diligentiam & industriam Ecclesiæ Wigandus probavit. Nam conciones, pro munere ipsi divinitus concesso, methodo exacta, oratione pura ad populum habuit, & res necessarias, & utiles, breviter rectèque proposuit, semper ædificationis & pacis, quantum per Dei gratiam, salvâ religione & conscientia fieri posset, rationem & curam agens. Et quia ei optimè cognitum erat, scholas esse Theologiæ pedissequas, ac seminaria Reip. non tantum publicè est concionatus, sed etiam operam dedit, ut scholæ florerent ac promoverentur. Cum igitur mediocre otium esset nactus, rogatus à viris bonis *Dialectices* præcepta & *initia doctrinæ Physices*, juventuti studiosæ in scholâ Mansfeldianâ explicavit.

Docet etiam in schola.

Excitatus quoque à Superintendente *Ioanne Spangenbergio*, refutationem *Catecheseos Moguntinæ*, cujus *Michael Sidonius*, postea *Mersburgensis* Episcopus, autor ferebatur, suscepit, quæ quidem refutatio Latinè & Germanicè *Magdeburgi* typis publicis edita exstat. Scripsit ibidem librum de *neutralibus & mediis*, aliquoties recusum. Item, *Tractatum contra dogma*, quod *D. Georgius Major* ex Interreligionis *Augustanæ* libro ab inferis resuscitavit, *bona opera ad salutem esse necessaria*: *Impossibile esse hominem sine bonis operibus salvari*: *Nullum hominem unquam sine bonis operibus esse salvatum*: *Hominem esse sola fide justum*, *sed non sola fide salvum*. Hic *Wigandi* liber D. *Ioannis Æpini* Theologi scripto gravissimo, de *justificatione hominis peccatoris coram Deo*, adjunctus, & publicè editus est in lucem.

Refutat Catechesin Pontificiam.

Georg. Majoris dogma.

Habuit ibi Wigandus collegam *Michaelem Cœlium*, olim præceptorem *Appiani*, excellentissimi Mathematici. Subscripsit hic *Cælius Smalcaldicis* articulis, & opuscula Germanica aliquot doctrinæ plena, in publicum emisit. Delectabatur item Wigandus mirificè herbarum cognitione, cujus quidem studium *Valerius Cordus*, celebris Medicus, *Wittembergæ* inter studiosos excitaverat, præsertim cum in

Mich. Cælius.

mor-

montibus, oppido *Mansfeldiæ* vicinis, non paucæ præstantes & salubres herbæ nascerentur, ac gaudebat societate & consuetudine D. *Georgii Æmilii* popularis sui, poëtæ & Theologi, qui sæpius *Stolbergâ*, ubi Ecclesiæ ἐπισκοπὴ ipsi demandata erat, & parentum & amicorum gratia *Mansfeldiam* excurrebat. Is verò cum & ipse quoque pulcerrimas illas creaturas Dei, in quibus evidentissima & oculatissima omnipotentiæ, sapientiæ & bonitatis divinæ vestigia elucent, amaret: magis etiam *VVigandum* incitavit, & culturam horti ipsius non parum adjuvit, & herbis sylvestribus, medicis, & flosculis odoriferis exornavit.

Sub id tempus etiam Synodo *Eislebianæ*, contra *Intermisticas & Adiaphoristicas* actiones celebratæ, *VVigandus* interfuit, & fornicationibus cum Thaide Babylonica ex mandato Dei contradixit. Circa idem tempus, monstrosus partus & toti Germaniæ pestilens in lucem infelici sidere prodiit, quem *Interim* seu interreligionem Augustanam nominarunt, cum edicto Cæsareo: quo promulgata est certa quædam religionis formula, interim servanda, donec universali concilio coacto, religionis controversiæ cognoscantur & tollantur.

Eum librum quidam Theologi judicarunt admittendum esse: ac aliquam servitutem in rebus externis & adiaphoris ferendam. Sed quia non tantum tum temporis, de *linteo veste seu de rebus externis* actum est: alia pars Theologorum Germaniæ, inter quos præcipui fuerunt, *Illyricus*, *Aquila*, *Æpinus*, *Gallus*, *Brentius*, *Medlerus*, *Morlinus*, *VVestphalus*, *Judex*, & alii quidam sese colluforibus cum Pontificiis fortiter opposuerunt. Videbant enim nervos quodammodo sanæ doctrinæ succidi, si dogmatum explicatio talis, qualis in libro Interim tradebatur, approbaretur. Hisce adjunxit se *VVigandus*, cum aliis Mansfeldensium ecclesiarum doctoribus, qui in *Synodo Eislebiana* contra *Intermistas & Adiaphoristas* tum pugnarunt, & postea etiam privatim & publicè, ore & scriptis errores in libro Intermistico comprehensos, juxta normam verbi divini refutarunt & damnarunt.

Septennio elapso cum *Nicolaus Gallus*, Magdeburgensis Ecclesiæ Superintendens *Ratisbonam*, unde tempore Intermistico ejectus fuerat, ex pacto revocaretur, nec posset retractare id, quod illic discedens sanctè receperat: Senatus Magdeburgensis consentientibus ministris verbi & Ecclesiâ totâ, *VVigandum* in Superintendentem, locumque *Galli* evocarunt. Refragantibus autem Comitibus Mansfeldensibus & Ecclesiâ oppidi Mansfeldiæ, qui *VVigandum* retinendum judicabant: Princeps *VVolffgangus Anhaltinus*, qui inter primos corde & calamo Augustanæ confessioni subscripsit, optimeque de regno Jesu Christi meritus est, aliique magni nominis viri apud Comites Mansfeldicos institerunt: tandemque effecerunt: ut potestas *VVigando* fieret, *Magdeburgum* commigrandi: id quod circa Michaelis factum, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo tertio*, cum, post solutam obsidionem, adhuc militum præsidium in urbe commoraretur.

Hic verò in controversias gravissimas incidit, ac laboribus maximis tantùm non oppressus fuit. Nam quotidiè, ut novitius Theologus, cum esset φιλόπονος καὶ φιλομαθὴς homo multæ industriæ & laboris, sese exercuit legendo, meditando, scribendo, concionando, & potissimùm disputando; cumque esset juvenis vegeto corpore, sese ita per Dei gratiam in functione gessit, & operam talem navavit: ut verbi ministris, diligentiam & acumen ingenii illius probantibus & admirantibus charus; Ecclesiæ verò ibidem salutaris esset: contra *Canonicos*, eo tempore Papatum instaurare molientes, ac non sine scandalo viventes, intrepidum sese reprehensorem præstitit: nec minis, & calumniarum atque convitiorum morsibus, à pio & sancto proposito absterreri sese fuit passus. Hac *VVigandi* παῤῥησία effectum est; ut subinde plures *Canonici* ad veritatem Evangelii converterentur; ac postea juxta Augustanam confessionem; suos ritus & conciones sacras instituerent ac moderarentur. *Adiaphoristarum* conatus, inclinantium sese ad Papatum, scriptis itidem arguit: & alios libellos Ecclesia utiles evulgavit. Inprimis verò *Ecclesiasticam historiam* omni studio & labore juvit. Nam domi suæ operas illas maxime rexit, & scripsit ipse cum *Matthæo Judice* & aliis, id quod alibi copiosius expositum. Fuerunt quidem aliquot Zoili inter Pontificios, laborem illum arrodentes: sed unicum *Joannis Sturmii* testimonium omnes malè feriatorum hominum calumnias, & sinistra judicia facile refutare potest. Sic autem Sturmius suâ manu in primam centuriam, rogatus hoc nomine à Secretario Reipub. Magdeburgensis *Henrico Merckelio*, scripsit: *Magdeburgensium labor in conficienda historia Ecclesiastica & necessarius fuit, & nostrâ ætate utilissimus. Quatuor in ea ego virtutes esse sentio: veritatem, diligentiam, ordinem, perspicuitatem: quas cum historicus assequutus est: nihil video quid illi deesse possit, si accedat sermonis Latini puritas, & conveniens historiæ oratio.* Cum Sturmio omnes piè eruditi ac verè timentes Deum historiam illam Ecclesiasticam probarunt & hodie probant: quia vident, ideam quasi Ecclesiæ Christi, juxta centurias in ea contineri, quo ad propagationem, persecutionem, tranquillitatem, doctrinam, hæreses, ceremonias, gubernationem, schismata, Synodos, personas, miracula, martyria, religionem extra Ecclesiam; & statum imperii politicum.

Cum ergo *VVigandus Magdeburgi* Superintendentem ageret, cum legatis Ecclesiarum Saxonicarum, & Megapolensis Ducis *Joannis Alberti*, publicæ concordiæ & tranquillitatis causa *VVittembergam* ad *Melanchthonem* missus est: & *Illyrico* certas ob causas in vicino oppido Principis Wolffgangi Anhaltini *Cosvici*, quod *VVittembergâ* distat duobus miliaribus, tum subsistente; actioni *Cosviciana*,

Adiaphoristas oppugnat.

Ecclesiastica historia Magdeburgensis.

Sturmii de ea judicium.

Virtutes historiæ.

Wittemb. mittitur.

nomine Ecclesiæ Magdeburgensis, interfuit.

Gradus ordini equestri.

Gratus autem & charus inprimis fuit ordini equestri in diœcesi Magdeburgensi, ob probitatem, doctrinam eruditam, fidem, candorem, animum paratum ad susci piendos ferendosque labores ecclesiasticos: studium item & diligentiam maximam, quærendi cognoscendique veritatem, & industriam explicandi singularem, ac zelum ardentem in propugnanda veritate cœlesti, contra omnis generis præstigiatores & hæreticos. Præcipui verò ejus *Mœcenates* & patroni fuerunt *Andreas Meiendorffius*, & *Joachimus Albenslebinus*, viri nobilitate generis, virtute, doctrinâ & sapientiâ clari, religiosæque pietatis & fidelium Christi ministrorum semper amantissimi: in quorum gratiam Wigandus *confessionem de controversis nostri seculi articulis, Erphordiæ* anno *octuagesimo secundo* editam conscripsit. Inter concionatores autem & literatos Magdeburgi *Matthæum Judicem* habebat non tantum collegam, sed ex omnibus amicum præcipuum atque intimum, quicum sua consilia communicare, & cujus rationes in negociis audire atque æstimare solebat.

Magdeburgi *septennio* penè inter varias afflictiones & molestias, quas juvante Deo sustinuit exacto, ab illustrissimis Principibus *Joanne Friderico* Secundo, *Joanne Wilhelmo* & *Joanne Friderico* Tertio, Ducibus Saxoniæ, filiis Electoris Saxoniæ *Joannis Friderici* Primi, nullam non curam susci pientibus, qua

Vocatur Jenam.

Academia Jenensis recens fundata, solenniqueritu introducta auctior ornatiorque fieret: *Wigandus* in novam Academiam vocatur; ut ibi sacram Theologiam cum cæteris collegis profiteatur. Paruit vocationi *Wigandus* propter causas graves: & anno Domini *millesimo quingentesimo sexagesimo* post pascha eò, cum Ecclesia sua domestica commigrat. Ea in functione, quia methodicè sacras literas fideliter tradebat, gratus & utilis fuit piæ juventuti, quæ eum assiduè cum delectatione audivit.

Disputatio Vinariensis.

Sed cùm post disputationem *Vinariensem* inter *Illyricum* & *Victorinum Strigelium*, cui *Wigandus* interfuit, & celeri calamo excepit, sicut postea ex Wigandi exemplari est impressa, *Stosselius* sese non vocatus, in Ecclesiam Jenensem insinuasset; atque ad Adiaphoristas, uti vocabant, quos prius privatim & publicè impugnarat, sese inclinasset: ac *Strigelium*, quem antea aliquoties condemnarat, tanquam Pelagianum, iterum, ut Catholicum evehere

Dimittitur Jena.

conaretur: effectum est; ut *Illyricus*, *Wigandus*, & *Judex*, functionibus suis exuerentur, Stosselio solo in illo theatro cum suis ad tempus dominante. Et quanquam aulicis quibusdam & nonnullis etiam Academicis retinendus *Wigandus* ob methodum, quam in explicando sequebatur, juventuti studiosæ fructuosam, videretur: tamen ipse eo rerum statu solum vertere, quàm aliquid contra conscientiam approbare maluit.

Magdeb. subsistit.

Relictâ igitur *Jenâ*, aliquod menses *Magdeburgi*, cum familiâ est commoratus, ubi Superintendens *Tilemannus Heshusius* & Ecclesia ad S. *Ulricum*, iterum eum recipere cupiebat, præsertim ibidem adhuc vacante parochia, ex qua ante discesserat. Sed JCtus *Franciscus Pfeil*, Syndicus, & *Sigefridus Saccus* Ludimoderator, cum sua cohorte manibus pedibusque, quod dici solet, reniti sunt, atque impedierunt: quo minus *Wigandus* reciperetur. Tulit hoc ipse æquo animo: utpote qui ut tunc res erant, operam suam Ecclesiæ illi addicere in animo non haberet. Interea verò Duces Megapolenses *Joannes Albertus*, & *Ulricus*, *Joanne Fredero*, *Wismarienses* Ecclesiæ Superintendente, cum uxore & tribus liberis, non sine toxici suspicione extincto, *Wigandum* literis ad se accersiverunt, atque Superintendentis in Ecclesia *Wismarienst* munus eidem demandarunt: Factum id anno Domini *millesimo quingentesimo sexagesimo secundo*, circa *Michaelis*. *Wismariæ* concionem probatoriam, ut vulgò loquuntur, in æde *Mariæ* dicata, habuit; atque deinde unanimi ministerii suffragatione, & senatus populique Wismarienses consensu, Ecclesiæ illius & vicinarum inspectio & cura, laborque rei scholastica, more Superintendentum ei est demandata. Eo in loco reliquias quasdam *Zwinglianorum* & *Anabaptistarum*, quæ in urbe *Wismarienst* radices egerant, ministerio verbi, autoritate, mandato & opera ducum Megapolensium extirpavit & expurgavit.

Ioann. Fredericus moritur.

Fit Wismariæ superint.

Zwinglii & Anabaptistæ extirpat.

Itaque ibi concionando, disputando, sacras literas explicando, & consistorium celebrando, Ecclesiam & scholam ornavit celebrioremque reddidit. Nam scholam juxta præscripta legum, consentiente & approbante senatu, penes quem unum jus scholæ est, instituit: quæ parvæ Academiæ titulo fuit insignita: In Ecclesia autem utilissimum Catechismi examen, & recitationem ejusdem in templo publicam introduxit: ita ut & pueri & puellæ sexennes septennesve capita pietatis Christianæ, cum explicatione Lutheri Catechetica, calluerint, promteque recitarint. Cumque idem *Wigandus* concordiæ inter ministros constituendæ & conservandæ esset studiosissimus: in eum usum articulos quosdam piæ conjunctionis, consentiente & approbante ministerio, composuit, quos singuli concionatores suæ manus subscriptione, antequam ad ministerium admittantur, acceptarent.

Scholam ibi instaurat.

Catechesin introduxit.

Ad hæc ducatum Principum *Megapolensium*, ac civitatem *Wismariam* scriptione utilium librorum illustravit. Nam *Wismariæ* autores *centuriarum ecclesiasticarum septimæ, octavam, nonam, decimam, undecimam, duodecimam, & decimam tertiam centurias* contexuerunt & ediderunt. Conscripsit etiam & edidit *Wismariæ commentarios in duodecim Prophetas* minores. Ibidem *Wigandus* & *Judex* collegerunt & ediderunt *corpus doctrinæ Veteris Testamenti*, Reipubl. & Ecclesiæ Wismarienst, cum aliis maritimis civitatibus nuncupatum.

Scripta Wismariæ edita.

Anno Domini *millesimo quingentesimo sexagesimo tertio* in Academia *Rostochianâ* insignia sanctæ Theologiæ, propter certas causas, sibi conferri est passus. Vixit tunc conjunctissimè

Doctor Theol. renunciatur.

ctissimè cum viris & Theologis claris, *Davide Chytræo*, *Matthæo Iudice*, *Simone Pauli*, *Georgio Richio*, *Andrea Martini*, *Henrico Strevio*, *Casparo Leunculo*, *Valentino Schachtio*, *Conrado Beckero*, *Simone Musæo*, *Andrea Schoppio*, aliis, & in controversiis, quæ incidebant, dijudicandis, inque visitandis Ecclesiis, operam cum aliis piè eruditis mutuam tradidit. Fuit & Principibus Megapolensibus propter eruditionem, constantiam, & ingenuitatem in dicenda veritate gratus. Qua de re narratiunculam ex ore ipsius amici talem audierunt. Accidit aliquando ut post transactionem amicam inter Duces Megapolenses fratres *Ioannem Albertum & Vlricum* ad *Rostochium* *Wigandus* jussus coram Principe *Ioanne Alberto*, concionem legalem pro ratione loci, temporis & personarum haberet, in qua de magistratus politici officio quædam monuit, & peccata magnatum graviter & nervosè cum magna spiritus & vocis contentione, citra ullam προσωποληψίαν taxavit. Concione finitâ quidam aulicus palpator Principi autor suasorque est; sesquipedalibus verbis eum obtestatus, *ne doctorculum illum Wigandum, qui concionem invectivam in politicum magistratum, sine ullâ fronte habuisset, impunè dimittat, quin potius ei imperet, ut ne inposterum, pro sacra cortina, in magistratum debacchetur: nî in odium & indignationem Principis certissimam gravissimamque velit incurrere.* Hic Princeps reprehensionis ecclesiasticæ, velut alter *Theodosius* patiens, homini illi modicæ conscientiæ respondit: *sibi Wigandi concionem, in quâ loco & jussu Dei, Domini Dominantium, se & omnes Magistratus politicos reprehendisset, mirum in modum probatam fuisse, & se nunc plus amare Wigandum quàm antea, ob candorem & παρρησίαν: qui ut Germanus Saxo, quæ in magistratu suo desideraret, non clam more aliorum indulgentium Theologorum; sed coram & in os, pro ratione officii à Deo sibi commissi dicere auderet.* Deinde ut Parasitaster iste re ipsa cognosceret, Principem *Wigando* benè & elementer cupere, mandat eidem, ut statim nomine Principis *Wigando* pro concione piâ gratias agat, eundemque ad Principis mensam secum adducat. Jureconsultus (nam eâ fuit scientiâ præditus) premens alto tum corde dolorem Ducis mandatum exequitur, & *Wigandum* humanissimis verbis venenato è corde profectis, ad prandium Principis invitatum, adducit. Hac ex narratiunculâ videre est; quo in honore, quave auctoritate, apud Megapolenses Principes, fuerit *Wigandus*: quod declarat & istud, quòd eundem Wigandum iidem Duces, ad munus Superintendentis, demortuo *Corvino*, in Ecclesiâ Wismarienst subeundum, literis honorificè scriptis, anno *octuagesimo tertio*, invitarunt.

Gratus Principibus.

Cum ita Wigandus, Wismariæ annuam etiam hebdomadam, hoc est, *septennium* integrum complevisset: à *Ioanne Wilhelmo*, Duce Saxoniæ, constantissimi confessoris, *Ioann. Friderici* Electoris filio, iterum *Ienam*, fato quodam suo, ad scholæ Theologicæ instaurationem, vocatur. Hic cum diu Megapolenses Duces abnuissent: tandem literis & legationibus frequentibus evicti in hoc consenserunt, ut unum saltem annum *Ienæ* Wigandus abesset: eoque elapso *Wismariam* ad pristinam Spartam rediret.

Ienam iterum vocatur.

Abiit ergò *Ienam* anno Christi *millesimo, quingentesimo, sexagesimo octavo* mense Septembri, non sine dolore auditorum, & desiderii igniculis in civium animis relictis. Nam quàm invitè Wigandum dimiserint, tum alia, tum lacrymæ illæ gemitusque docuerunt, quos *Wigando* Ecclesiæ pro suggestu valedicente, & ad studium pietatis cum promissione reditus sui cohortante, singultatim emiserunt. Idem contra ubi audiissent, illustrissimum Principem *Vlricum* & senatum urbis Wismarienstis misso eâ de causâ in Borussiam tabellario, *Wigandum* repetere & revocare; summo gaudio exilierunt: ubi verò cognoverunt, eundem non posse à Borussicis Ecclesiis avelli, summum in dolorem fuerunt conjecti. Quam ægrè insuper Wismarienstis Ecclesiæ ministri Wigandum dimiserint, quanto etiam cum amore complexi sint, quamque ipse difficulter Jenæ sese detineri passus sit, ex testimonio ministerii Wismarienstis, & ex Wigandi literis ultro citroque missis patet.

Vinariam igitur dudum expectatus cum venisset, *Wigandus* statim alterâ die jubetur unâ cum aliis Theologis & politicis, ad *colloquium Theolog. Altenburgi* in Misnia, ditione *Ioann. Wilhelmi* Ducis Saxoniæ, cum *Augusti* Elect. Saxonici Theologis habendum, proficisci. Ibi verò eam præstitit operam, quam in actis, quæ publicè exstant, videre est. Nam Latina scripta omnia ipse composuit, ex quibus Germanica exemplaria translata sunt, de reliquorum fratrum collatione, quam libenter ipse audivit. *Ienam* deinde *Altenburgo*, Deo comite reversus, superintendentis Ecclesiæ *Ienensis*, & Profess. Theolog. in Acad. munus obire jussus est. Postea cum Superintendente Wismarienst *Barthol. Rosino*, quem *Wigandus* ob pietatem, eruditionem & candorem magni faciebat, *Thuringicas* Ecclesias & scholas, de mandato & Consilio Ducis Saxoniæ *Ioann. Wilhelm.* visitavit, emendavit, & à fermento *Adiaphoristarum, Synergistarum, Majoristarum, & clandestinorum Calvinistarum* repurgavit. Ecclesiam autem *Ienens.* cum collega suo *Timoth. Kirchnero* Theologo, sanctis & nervosis concionibus pie & fideliter instituit: In schola propter methodum & gravissimarum rerum explicationem perspicuam, ac disputationes eruditas, quas sæpissimè habuit, charus fuit studiosæ juventuti & utilis

Colloquiū Altenburgicum.

Fit Superintendens Ienæ.

Visitat & purgat Ecclesias.

Timoth. Kirchner.

Anno post natum Christum *millesimo septuagesimo* cum Duce *Ioanne Wilhelmo*, apud quem semper fuit in summâ gratia & existimatione, quod plurima beneficia & munera, Principe clementissimo & pientissimo digna, sæpius testata sunt, ad comitia *Spirensia* abiit. Ubi *Spirâ* domum rediit, ingenti cum gratulatione exce-

Abit cum suo Principe ad comitia.

ptus ab Academia, ab Ecclesiæ ministris; denique à bonis omnibus; iterum docendi munere susceptò, plurimos libros sacros in Academia & Ecclesia interpretatus est. Quantâ autem doctrinâ, fide & accuratâ diligentiâ hoc præstiterit, publica ejus monumenta testantur.

Sed *quinque* ibi annis propemodum exactis, mortuo Duce Saxon. *Ioanne Wilhelmo*, cùm *Augustus* Elect. repudiatis testamentariis, cum Elect. *Palatino* & *Brandenburgico* curam liberorum sibi vendicaret, per *Laurent. Lindemannum* Wigando is mandat, ut à functione Ecclesiasticâ & scholasticâ abstineat, & intra *quatriduum* ex territorio Saxoniæ discedat, sin contra, minas spirat. Discedit ergo cum familia anno *septuagesimo tertio* Brunsuigam Ducis Brunsuicensis consensu, qui eum clementiâ singulari prosequebatur, & concionantem *Wolferbyti* non sine remunerationibus audivit.

Dimittitur

Abit Brunsuigam.

Eodem anno sub festum *Michaëlis*, Deo sic regente & disponente, *Wigandus* de consilio Theologorum, & statuum Borussiæ, in Academiam *Regiomontanam* binis literis ab ipso Principe *Alberto Friderico* subscriptis, ad sacram Theologiam tradendam est evocatus; cui quidem vocationi, utpote divinæ & ordinariæ, obtemperans, cum familiâ se in *Borussiam* paulò post deportavit comite *Conrado Slüsselburgio* Saxone.

Vocatur in Borussiã.

Biennium ubi Regiomonti vixit, & operam, fidem, modestiam in lectionibus, disputationibus & concionibus interdum habendis piis probavit: tandem communibus suffragiis consiliariorum omniumque statuum, *Borussiæ* Episcopus *Pomezaniensis* eligitur, confirmatur & proclamatur. Itaque post festum sanctis Angelis dicatum anno *millesimo, quingentesimo, septuagesimo, quinto,* in oppidum *Libemolam*, ubi est episcopalis sedes cum domesticis proficiscitur. In hoc episcopatu ea præstitit Dei gratia, quæ fidelem & evangelicum Episcopum decent: concionatus est, legit quædam privatim, edidit dogmatica, & polemica non pauca, visitavit Ecclesias in consistorio episcopali, controversias Ecclesiasticas & matrimoniales diremit, ministros examinavit & ordinavit, ac *duodecim* ferè annos eam functionem obivit.

Fit episcopus Pomezaniensis.

Adversa deinde conflictari valetudine cepit mense Septembri anno superabundantis gratiæ *octuagesimo septimo*, cùm jam antè aliquot annis valetudine tenui & infirmâ, cum ex decrepita ferè ætate, tum ex curis & solicitudinibus variis, & præsertim ex doloribus, quos afflictus Ecclesiæ & Reipub. in vicino Regno Poloniæ status, ob duorum Regum *Sigismundi Sueci* & *Maximil. Austriaci* electionem, ei peperit. Itaque vires paulatim & in dies attenuatæ & consumtæ fuerunt. Accessit etiam dolor ex obitu præstantis Theologi *Ioannis Wedmanni*, concionatoris aulæ Ducis Borussiæ, quem *Wigandus*, ut constantem & singularem amicum, laborumque omnium socium & curarum participem in Borussia, ob ingenium peracre, studium singulare, doctrinam eximiam, summam & divinam memoriam semper coluit & veneratus est. Hinc igitur cum sensim viribus tam animi, quàm corporis deficeret, & non tam morbi gravitate, quàm diuturnæ debilitatis languore, velut evanesceret, cogitabat assiduè, se esse hominem morti obnoxium, & in tempore sese ad benè beateque in Domino moriendum præparavit. Nam multos annos ante obitum *epitaphium* distichon sibi ipse conscripsit ejusmodi:

Morbo corripitur.

Ioann. Wedman.

Epitaphium sibi componit.

In Christo vixi, morior vivoque Wigandus:
Do sordes morti: cætera, Christe, tibi.

Tandem igitur correptus morbo acerbissimo & acutissimo, quem Hippocrates & Galenus συνοχὴν appellant, in verâ fiduciâ, piâ confessione & invocatione Filii Dei, certaque spe vitæ æternæ, tanquam obdormiscens ex hac ærumnosâ vitâ in æternam & semper beatam patriam, ex voto suo discessit, anno *millesimo, quingentesimo, octuagesimo septimo*, die *vicesima prima* mensis *Octobris*, post meridiem, horâ *secundâ auditâ*, cum *quatuordecim* dies lecto affixus fuisset, & hoc in mundo, annos 64. completo climacterico magno, exegisset, ministerio autem verbi divini, cum fide & assiduitate *annis quadraginta & uno*, functus esset, ac in Borussia annos 12. Episcopatui amplissimo præfuisset. Toto morbi tempore in Domino Deo suo acquievit, cui se dissolvi cupiens totum commendavit. Dicta scripturæ, quibus se contra tentationes sustentavit, præcipua hæc fuerunt, Joann. 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat: sed &c.* item Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.* Et 1. Joan. 1. *Sanguis Iesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato.*

Moritur

Vir fuit ingenio doctrinaque præstans cujus vita sobria & honesta aliis esset exemplo. Erga quosvis ferè comis fuit & facilis, nemini non aditus patebat, cuivis placidè graviterque respondebat. Erat enim summa humanitas in hoc Theologo cum gravitate conjuncta. Munificus quoque & liberalis in egenos. Cum in Episcopatu suo frumentum aut pecuniam pauperes petebant, curabat ipsis per œconomum dandum tantum, quantum necessitas exigebat. Etsi enim parsimoniam & amabat & tuebatur, tamen erga pauperes benignitatem suam nunquam clausit. Homines pios & bonos amavit, inprimis verò semper sinceram & constantem amicitiam cum *Matthæo Iudice, Davide Chytræo, Rosino, Matthia Marco Dabercusio*, & aliis fideliter coluit. Matutino & vespertino tempore preces ad Deum, in genua procumbens, fundebat, additis aliquot insignioribus sacrarum literarum testimoniis. Cum Ecclesia domestica singulis diebus festis, repetitiones concionum & examina Catechetica instituebat. Quotannis minimum sexies cum familia sacrâ synaxi, prius absolutione ab ecclesiaste petita, utebatur. Lectioni S. scripturæ sedulo operam dedit, fontesque in controversiis inquisivit.

Virtutes ejus & dotes.

Mans-

Conjugii. Mansfeldiæ simulac in numerum ministrorum verbi Divini cooptatus esset, animum ad conjugium appulit, & amicorum ac parentis inprimis consilio, sibi *Rebeccam*, civis Mansfeldiensis metallici filiam honesto loco natam, despondit. Ex ea, utriusque sexus liberos suscepit *quinque, filios quatuor & unicam filiam*: qui omnes ante parentes satis concesserunt. Secuta est mater *Magdeburgi*, incredibili cum desiderio mariti, cum annos *novem* in matrimonio castissimo, cum eo conjunctissimè vixisset. Postea alteram uxorem duxit in patriâ, *Evam* ex *Lutheri* veteri & præcipuâ familia, in urbe Mansfeldensi. Hæc fuit religiosissima, viri sui amans, exiliorum ejus comes, in re domesticâ administrandâ prudens & industria, liberalis & benefica erga cognatos, domesticos & egenos. Præterea in omni vitâ gravis, pia, modesta, sobria, casta, quæ nullis deliciarum blanditiis capiebatur, & voluptatum omnium illecebras fugiebat.

Amisit ac præmisit hanc *Libemolæ* in Borussiâ, casuque domestico graviter afflictus est, ut qui totos *viginti annos*, absque ullâ gravi offensione cum eâ vixisset, quæque fida, custos & columen familiæ fuisset, & viri curas ac labores, quos maximos in Episcopatu illo sustinuit, morum suavitate & piis colloquiis, levare solita esset. Reliquit hæc ei *duos liberos* superstites, filiam *Annam*. *Magdeburgi* natam, quam *Henrico Scrotero*, primario in urbe Dantiscana, civi, honestissima familia ibidem nato, elocavit, & filium *Ioannem* Libemolæ natum. Tertiam denique conjugem duxit in Borussiâ anno *millesimo quingentesimo septuagesimo octavo, decimo nono* Octobris die, honestam viduam, quadragenariam, filiam viri nobilis *Martini à Saugnin*, nuptam antea equiti Pruteno, *Ioanni à Bettelsdorff*. Erat hæc trium linguarum, *Prutenicæ*, *Polonicæ*, *Germanicæ* perita, & rei familiaris satagens, & fida comes laborum, vergente eo jam ad senium. Atque hæc de vita ejus domestica.

Monumenta autem ingenii reliquit varia Germanicè & Latinè edita: de quibus nos *Latina* nominabimus, in classes certas distributa. Sunt ergo

LIBRI DOGMATICI.

Syntagma, seu corpus doctrinæ veri & omnipotentis Dei, *ex veteri Testamento* tantum, methodicâ ratione, per *Ioannem Wigandum*, *& Matthæum Iudicem*, *Wismariæ* collectum.

Syntagma, seu corpus doctrinæ Christi, *ex novo Testamento* tantum, methodicâ ratione congestum, *per Ioannem Wigandum & Matthæum Iudicem.*

Methodus doctrinæ Christianæ, sicut in Ecclesiâ Magdeburgensi traditur, Germanicè excusa.

De norma judicandi dogmata vera & falsa, excusa Magdeburg.

Corpusculum doctrinæ sanctæ.

Catechisticæ explicationes & methodi, recitatæ Jenæ, in explicatione Catechismi D. Lutheri.

Postilla, seu explicatio Evangeliorum.

De *Deo methodus*, cui refutatio novorum Arianorum adjecta.

De *communicatione idiomatum* utilis & pius libellus.

Collatio & repetitio doctrinæ de communicatione idiomatum.

τὸν ὅλον ἄνθρωπον, hoc est, *de homine integro, corrupto, renato, glorificato.*

De *imagine Dei in hominibus & de larva Satanæ.*

De *libero arbitrio hominis integro, corrupto* in rebus externis, mortuo in rebus spiritualibus, & renato.

De legibus divinis.

De *peccato originis*, repetitio doctrinæ sanæ ex verbo Dei, ex corpore doctrinæ Thuringico, & ex scriptis D. Lutheri.

De *justificatione miseri peccatoris coram Deo.*

De *confessione in doctrina divina & necessariis* factis.

De *arguendis falsis dogmatibus & doctoribus*, aliisque peccatis & peccatoribus juxta verbum Dei.

De *clave ligante in Ecclesiâ Christi*, *de suspensione à Sacramentis ad tempus*, *de reconciliatione offensæ Ecclesiæ*, explicatio succincta & solida ex verbo Dei.

De *conjugio* doctrina.

De *persecutione piorum: exiliis piorum, exiliis facinorosorum, martyriis piorum*; *pseudomartyriis*, *fuga ministrorum* verbi, constantia, apostasia, patientia.

De *neutralibus* & mediis admonitio.

De *bonis & malis Germaniæ* admonitio.

De *heroibus* doctrina.

LIBRI EXEGETICI.

In *priora tria capita Geneseos* explicationes.

In *Matthæum* Evangelistam commentarius.

In *Psalmos graduum* 120. 121. 122. 123. 124. 125. 126. 127. 128. 129. 130. 131. 132. 133. 134.

In *Psalmos* 146. 147.

In *Psalmos* 90. 91.

In *Psalmos pœnitentiales*, nempe sex. 32. 38. 51. 102. 130. 143.

Item *in Psalmum* 84.

Tractatus *de pœnitentia seu conversione* peccatoris ad Deum.

In *Esaiam Prophetam* annotationes.

In *Danielem Prophetam*, explicatio brevis.

In *Prophetas minores* explicationes succinctæ, ordinem verum, textus sententiam, & doctrinas præcipuas strictissimè indicantes.

In *Ioannem* Evangelistam explicationes.

In *Epistolam Pauli ad Romanos* annotationes.

In *Epistolam Pauli ad Galatas* annotationes.

In *Epistolam Pauli ad Ephesios* annotationes.

In *utramque Epistolam Pauli* ad Timotheum.

In *Epistolam ad Colossenses* annotationes.

Historia patefactionis divinæ. Exod. 33. cap.

LIBRI POLEMICI.

Deplumata & pudenda argumenta ex synodo avium nuper VVittembergæ per maledicum poëtam Joannem Majorem Ecebolum edita; simpliciter excerpta, ex quibus toti mundo notum fit, quod nullis justis causis, sed tantum figmentis & calumnis suam innocentiam in actionibus Interimisticis & Adiaphoristicis defendant, & suos reprehensores damnent, simulque classicum, ad redintegranda certamina, canant.

Ex Sidonii catechismo majore, seu institutione de pietate, decretis Consilii provincialis Moguntini adjuncta, *commonefactiones annotatæ* quæ ostendunt qualem reformationem jam Episcopi Pontificii moliantur.

Responsio ad confessionem D. Majoris, de justificatione & bonis operibus.

Argumenta de necessitate bonorum operum ad salutem, ex ipsis autoribus & defensoribus hujus dogmatis, pio studio collecta & perspicuè refutata.

De *aliquot disciplinæ ecclesiasticæ capitibus*, & defensio eorundem ex verbo Dei, cum dissolutione objectorum.

Responsio ad scurriles & blasphemas fœtidi Rambochi rhithmos Wittebergæ impressos.

Argumenta Sacramentariorum collecta & refutata.

Contra *libellum confessionis seu revocationis Georgii Majoris*, de necessitate bonorum operum ad salutem, Apologia.

De *Adiaphoristicis corruptelis* in magno libro Actorum interimisticorum, sub fictitio titulo Professorum Wittebergensium edito, repetitis, admonitiones.

Collatio *de D. Pauli Eberi impia opinione*, quod quidam impii, in usu cœnæ Dominicæ, non accipiant verum corpus Christi.

De *Victorini Strigelii Apostatæ declaratione*, seu potius errorum occultatione.

Sophisticorum quorundam argumentorum Stephani Agricolæ, de necessitate bonorum operum ad salutem confutatio.

Errores *D. Georgii Majoris* ex libris ipsius, bonâ fide annotati.

Analysis & refutatio super quæstione de libero arbitrio à D. Paulo Crellio divulgata.

Contra *novos Arianos* exortos in Polonia.

Synopsis Antichristi Romani.

Colloquium Altenburgicum Latinum.

Censura de iniqua Antilutheranorum Wittebergensium exclusione, contra M. Conradum Schlüsselburgium usurpata.

Quæstio & responsio de lege: An renatis sit norma bonorum operum?

Catechismi Iesuitarum seu Canisii refutatio.

Collatio de tribus argumentis Antinomicis.

De *Amnistia*.

Causæ cur in cœnâ Domini, τὸ ῥητὸν *sit retinendum*, contra præstigias Calvinistarum.

De *turbatoribus omnium maximis* in mundo, liber.

De *monstris novis & fœcundis* in doctrina de peccato commonefactio, contra novos Manichæos edita.

Septem spectrorum Manichæorum recentium, discussio. Methodus de cœnâ Domini & argumentorum, quæ veræ præsentiæ corporis & sanguinis Christi in cœna Dominica opponuntur, enumeratio atque solutio.

Antithesis doctrinæ veræ & Papisticæ.

Rationes cur hæc propositio: Peccatum originis est corrupta natura, in controversia, cum Manichæis recentioribus, nequeat consistere.

Quæstio & responsio de dicto Ioannis, Peccatum est ἀνομία, contra Manichæos.

Analysis exegeseos Sacramentariæ sparsæ in sede Lutheri, à Peucero Medico, Pezelio & Crucigero Apostatis.

Gravissimæ causæ, cur forma & norma Consistorii edita à Principibus Saxoniæ in pluribus partibus approbari non possit.

Argumenta Sacramentariorum refutata per Lutherum, ex scriptis Lutheri ad usum Ecclesiæ Christi, bonâ fide collecta. Item *Colloquium Marpurgense* tali modo hactenus non impressum.

De *Servetianismo* seu de Antitrinitariis.

De *substantia & viribus depravati hominis* contra Manichæos.

Nebulæ Arianæ sparsæ in Borussia per quendam Raphaëlem Ritterum luce veritatis divinæ discussæ.

Contra *Neministas* & *Neministica* scripta.

Contra *corruptelas Adiaphoristicas* prolixo scripto repetitas atque ornatas, Apologia edita cum Matthæo Judice.

De *abstracto Theologico methodus*, collatio de nova controversiâ, Synodus Prutenica de hac re, causæ cur locutiones istæ: *humana Christi natura est in abstracto, omnipotens, vivifica, adoranda*, sint scandalosæ, & per se falsæ.

Quæ & quam sacrosancta jura *Ioannes Stossellius violaverit*, accusando *Illyricum & VVigandum* coram politico magistratu, ob privatam & Christianam ipsorum erga se monitionem.

De *fraudibus quorundâ* Sacramentariorum.

De *Osiandrismo*, integra explicatio.

De *Manichæismo*, integra historia.

De *Anabaptismo* integra historia.

De *Sacramentariismo*.

De *Stancarismo*, integra explicatio.

De *Majorismo* integra historia.

De *Synergismo* integra historia.

De *Adiaphorismo* integra historia.

De *Schvvenckfeldismo* integra explicatio.

De *Generatione Filii Dei*, an cogitando generetur, liber.

De *Gloria mundana Filiorum Dei & carnis Christi*, tractatus.

De *Ubiquitate seu omnipræsentia Dei in genere*, in specie, in suâ Ecclesiâ.

Tractatus *de descensu Christi ad inferos*.

De *Primatu & Vicariatu Papæ Romani*, liber.

De *Castitate & cœlibatu*, liber.

LIBRI HISTORICI.

Ecclesiasticæ historiæ, *centuriæ tredecim*, quas unà cum aliis synergis, *Matthia Flacio Illyrico*,

Illyrico, Matthæo Indice, Basilio Fabro, Andreæ Corvino, & Thoma Holthutero, collegit.

Centuria. 14.

Centuria. 15.

Centuria. 16. in aliquot tomos distincta.

Narratio de historia Ecclesiastica, contra Wittebergensium quorundam calumnias.

Supplicatorii libelli de Synodo.

Historia de Augustanâ Confessione.

De illustribus viris Ecclesiæ Dei, liber.

Præfatio in Augustanam confessionem, ex antiquissimo & fide dignissimo exemplari recusam.

Historia *de Alce vera.*

Historia *de succino.*

Historia *de sale.*

Catalogus *herbarum in Prussiâ* nascentium.

ORATIONES WIGANDI.

Oratio *de verbo Dei.*

Oratio *contra synergiam.*

Oratio *de fine hominis.*

Oratio *de Philosophia & Theologia.*

Causæ *cur Catechismus Lutheri in scholis sit retinendus*, & supposititii fugiendi.

Oratio *de doctrinâ & præcipuis certaminibus* Lutheri.

Oratio *de arca Noæ.*

Oratio *de causis*, cur ab Ecclesia Pontificia discessum sit.

Oratio *de dicto.* 2. *Paralip.* 18. Aspexisti me in forma hominis.

Quæstio & responsio *de justitiâ.*

Oratio continens *summam doctrinæ Christianæ*, in discessu ex Academia Regiomontana, ad Pomezanienſem Episcopum.

Oratio *ante promulgationem statutorum recitandorum*, de dicto Salomonis: *Vi auris audiat.*

Quæstio & responsio *de dicto Pauli, Coloss.* 2. Videte, ne quis vos deprædetur per Philosophiam.

Oratio ad D. *Severinum Göbelium*, de amici insimulatione.

Oratio *de necessitate & utilitate corporis doctrinæ Christianæ.*

Propositiones Publice ad Disputandum à Wigando propositæ.

De *bonis operibus* propositiones contra quasdam præstigias in Gymnasio Wismariensi disputatæ.

Theses *de Pœnitentia*, ibidem disputatæ.

De *verbo Dei*, Jenæ.

De *Deo*, Jenæ.

De *homine* Jenæ.

De *creatione* Jenæ.

De *Angelis bonis & malis*, Jenæ.

De *peccato*, Jenæ.

De *legibus divinis & de Evangelio*, Jenæ.

De *bonis operibus*, Jenæ.

De *peccato originis*, contra Manichæos, solennis disputatio, habita in Academia Jenensi, respondente *Conrado Schlüsselburgio* Saxone, Jenæ.

De *Sacramentis in genere*, Jenæ.

De *Baptismo*, Jenæ.

De *Ecclesiâ*, in Academia Regiomontana.

De *Cœna Domini*, contra Calvinistas solennis disputatio habita in Academiâ Regiomontana Prussiæ, respondente *Conrado Schlüsselburgio* Saxone.

De *Iesu Christo, Deo & Homine.*

Propositiones *de Cœnâ sacrâ*, contra Papistas & Sacramentarios, numero 202.

De *Propositione*: Bona opera retinent salutem, libellus, nuncupatus D. *Ioachimo VVestphalo*, Superintendenti Hamburgensi.

Tantum de VVigando, ex narratione Conradi Schlüsselburgii, & bibliothecis.

TILEMANNUS HESHUSIUS.

Θ. 1588. *d.* 25. *Sept. ætat.* 62.

HUjus vitæ periodus inchoata est *Vesaliæ* ad Rhenum, sub annum Christi, *millesimum, quingentesimum, vicesimum sextum.* Adolescens cùm ingenio esset omnium capaci, literis se humanioribus totum dicavit, inprimisque in divinarum rerum cognitione elaboravit. *Haidelbergæ* itaque, vir non magnæ ætatis, & Professor *Academiæ*, & *Pastor* Ecclesiæ designatus; sacras literas publicè pro cathedrâ scholæ, & pro suggesto in æde *Spiritus sancti*, explicavit.

Docet Haidelbergæ in templo & schola.

Ibi inter ipsum & *Guilielmum Clebitium*, certamen infelix *super Cœnâ Dominicâ* ortum est. Princeps itaque piissimus *Fridericus* tertius Elector Palatinus ad *Melanchthonem* civem suum rem omnem perscribit: simulque consilium ejus exquirit. Melanchthon anno *quinquagesimo nono* scripto, quod publicè post mortem auctoris, contraque voluntatem ejus editum, exstat *, Consilium suum & Confessionem disertè exponit. *Heshusius* itaque cùm *Lutheri* de cœnâ sacrâ sententiam mordicùs retineret ac propugnaret, à Principe Electore, ut finis esset conviciorum & insectationum in sua urbe, dimissus offensusque vehementer judicio *Melanchthonis* de se, acerbè respondit, ac ne mortuo quidem & benè meritò præceptori pepercit.

Dissidium inter ipsum & Clebitium.

In eo Melanch. consilium.

* *In consil. Th part.* 2. *p.* 378.

Dimittitur Heshusius.

Edidit & alia sub id tempus ἐκδοσεις, in *Ienensi* Academia: unde in *Borussiam* invitatus Regiomontium venit: ibique sacra docuit: donec anno Christi *millesimo, quingentesimo, septuagesimo sexto* ingens inter ipsum & *Wigandum* dissidium fuit exortum, propter *Abstracti* usum. *Heshusius* itaque & cum eo ministri, qui Heshusium damnare nolebant, cedere coactus anno *septuagesimo septimo, Lubecam* cum familiâ appulit, undè statim *Helmstadium* est evocatus.

Venit in Borussiam.

Dissidium inter ipsum & Wigandum. Dimittitur.

Helmst. ad. vocatur.

Anno *octogesimo tertio*, die *decimo quarto*, & *decimo sexto* Januarii, habitum est colloquium *Quedlinburgi* in Saxonia, super *Vbiquitatis*, utvocant, *dogmate*: quod alii Majestatis Christi specioso nomine palliant: habitum est inquam, inter Theologos Electoris Saxoniæ, & Brunsuicenses. In eo præcipuæ partes demandatæ à Theologis

Colloquium Quedlinburgense.

Brun-

Heshus. negat Vbiquitatem generalem

Brunsuicensibus *Heshusio* fuerunt, qui ἀπρόσιτον negavit *dogma illud generalis Vbiquitatis* (nam plura ejus genera excogitarunt) *in sacræ scripturæ canone haberi, neque inde posse demonstrari.*

Acta illius colloquii edita sunt, & palàm quid statuerit, docent. Sed ut emblema quasi aliquod interponamus, argumenta illorum, Ubiquitatis dogma propugnantium, juvat afferre, quæ hæc fuerunt. Primum ad Ephes. 1. *dedit eum caput super omnia Ecclesiæ, quæ est corpus, & plenitudo ejus: qui omnia implet in omnibus.* 2. ad Ephes. 4. *adscendit super omnes cœlos, ut omnia impleret.* 3. ex Psal. 8. *constitues eum super omnia opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus.* 4. *ab unione personali.* 5. *à dextera Dei.*

Argumenta pro Vbiquitate.

Obitus Heshus.

Vitam in his terris finiit Heshusius in Academia *Julia*, anno Christi, *millesimo, quingentesimo, octogesimo, octavo*, die *vicesimo quinto* Septembris, ætatis suæ *anno septuagesimo secundo.* Successit ei *Daniel Hofmannus Theol. D.*

Daniel Hofm.

Scripta edidit non pauca variis de argumentis: quorum tituli in librorum indicibus recensentur.

Ex lib. examinis Heshusii à Boquino, ex chronico Borussiæ Caspari Hennebergeri: Lavateri historia Sacramentaria, aliis.

IOANNES PARSIMONIUS.

Ø. 1588. d. 24. Decemb. ætat. 62.

AUgustæ *Rheticorum* primum hujus cœli spiritum hausit *Ioannes* Karg / *Parsimonius* dictus, anno salutis reparatæ *millesimo, quingentesimo, vicesimo quinto*, postridie Epiphaniæ. Pater ipsi fuit cognominis, qui *octogenarius* apud filium, Abbatem, ut dicetur, tunc Hirsaugiensem, decessit anno Christi *septuagesimo septimo*, supra *millesimum, quingentesimum*; postquam filius hic utrique parentum ἀνυποστάτως piè reddidisset. Puer præceptore ultus doctissimo viro, & felici juventutis informatore *Sixto Betuleio*, prima literarum humaniorum rudimenta, cùm φιλομαθὴς ipse esset, statim arripuit.

Sixtus Betuleius præceptor Parsimonij

Tubingã mittitur

Inde Wittembergã.

E patriæ deinde ludo *Tubingam* Academiâ celebrem missus, tanto cum conatu ad eruditam doctrinam adolescens adspiravit, ut anno *quadragesimo* primam in Philosophiâ lauream, paulò post alteram sit consecutus. Exinde *Wittembergam* profectus *Lutherum* & *Melanchthonem* inter alios studiosè audivit, Theologiæ mancipatus.

Fit diaconus Augustæ.

Exulat Basil.

Domum reversus post obitum Lutheri anno *quadragesimo sexto*, *Augustæ* diaconi munus in se recepit: sed Intermisticâ illâ Formulâ, quam respuebat, expulsus, *Basilææ* aliquantisper exulavit. Sed anno *quinquagesimo* spe melioris fortunæ ad suos reversus, uxore ductâ, ludum literarium, de consulis Augustani consensu, aperuit. Verum nec ibi diu ei hærere datum, cum scholam ex præscripto illius Interimistici libri gubernare nollet: quem ipse librum impiis constare dicebat dogmatibus, verboque Dei planè contrariis.

Aperit ludum Augustæ.

Respuit τὸ Interim.

Ejectus est ergò iterum cum uxore gravidâ: quæ in pago *Lipa*, urbi Augustanæ vicino, prolem masculam enixa est, quàm, cum aliter fieri non posset, decimâ *septimanâ* post *Tubingæ*, matre adstante, baptismi Sacramento Ecclesiæ inserendam curavit. Eodem in oppido diaconi officium ipsi de voluntate *Christophori* Ducis Wirtembergici, anno *quinquagesimo secundo* est demandatum, quo ferè *quadriennium*, collega *Ioanne Ilemanno*, est functus.

Iterum ejicitur.

Diaconus Tubingæ declaratur.

Anno *quinquagesimo sexto*, *Blaubyram*, translatus est: ubi & uxorem primam partus difficultate amisit, & aliam Augustanam itidem virginem *Saram*, elapso luctus vidui tempore, duxit. Anno deinde *quinquagesimo octavo*, pastor Ecclesiæ *Canstadianæ*, ac mox sequenti concionator aulicus *Studgardiæ* est declaratus.

Blaubyram transfertur.

Aulicus concionator constituitur.

Abbate autem *Hirsaugiensi* eodem anno rebus humanis exemto, Abbatiæ illius dignitas, *Parsimonio* est delata, in qua vitæ reliquum exegit, munere suo cum fide & diligentiâ functus. Nam non solùm pro suggesto sacra docuit, sed & in schola *octodecim* adolescentes ibi erudivit, divinis eos rebus, artibus atque linguis imbuendo, insuper Hebraæ quoque linguæ & Logisticæ rudimenta privatim tradendo.

Inde abbas Hirsaugiensis.

Docet ibi in templo & ludo.

Tandem cursu suo feliciter in terris absoluto ad Dominum migravit, anno Christi *millesimo, quingentesimo, octogesimo octavo*, die *vicesimo quarto* Decembris, sub primam pomeridianam.

Obit.

Vixit annos *sexaginta duos*, *Hirsaugiæ* docuit *viginti octo* annis. Postridiè funus ei factum honorificum in templo Hirsaugiensi, ubi inter parentes & aliquot liberos suos est sepultus.

Præter ea, quæ aliàs scripsit collegitve; descripsit omnes picturas templi *Hirsaugiensis*. Ex autem sunt omnes *historiæ veteris & novi Testamenti*: assignatis etiam ferè singulorum capitum summis, *imagines item Regum & Monarcharum, à Nimrodo ad Carolum usque* V. Sic & *icones Patriarcharum, Iudicum, Regumque* populi Dei. In peristylio autem, omnes *allegoriæ Veteris Testamenti*, pretiosis vitris inscriptæ, cum interpretationibus. Has figuras *Albertus* quoque Marchio Brandenburgensis, cum multa essent obliterata, sibi delineandas curavit, ob simile huic templum Regiomonte construendum. *Ex Crusii annalibus Suevicis.*

Picturæ templi Hirsaugiensis.

GEORGIUS SOHNIUS.

Ø 1589. d. 23. April. ætat. 38. curr.

FRidberga urbs est Imperii in Wetteraviâ haud incelebris: cui additum *Rosbacum* oppidum. In hoc primum hujus cœli spiritum hausit *Georgius Sohnius*, loco natus honesto, cùm post millesimum, quingentesimum, annus Christi nati hominis curreret *quinquagesimus primus*, ultimâ die Decembris, circa *tertiam* pomeridianam.

Fridberga oppidum.

Natalis Sohnii.

Paren-

Parentes ei fuerunt *Jeremias Sohn*, & *Margaretha Reichelshemia*, quorum existimatio & familiæ dignitas isthic loci haud obscura. Pater enim vir gravis, & humanioribus literis non leviter tinctus, pietatique deditus, ac Reipubl. amantissimus, præcipuum quendam *Philippi* senioris, ac postea *Ludovici*, Langravii, præfectum Rosbaci egit: Quæstorem & vulgo *Cellarium* vocabant. Mater verò *Margaretha*, inter Matronas, non secus atque margarita enituit, pietatis sanè & honestatis studiosissima, literarumque & literatorum hominum amantissima.

Parenter.

Curiæ civitatis DEI in sacro baptismate oblatus & consecratus civis, simulatque vix è crepundiis prosiliisset, pietati, ac liberalibus disciplinis & moribus à parentibus addictus, elementa tum Catechetica, tum Grammatica primis statim annis addiscere cœpit.

Educatio.

Mox deinde in scholam *Friedbergensem*, missus fuit, ubi tam diu permansit, tam avidè bonas literas hausit, tantosque brevi tempore in iis progressus fecit, ut æqualibus cunctis honestissima eruditionis suæ præmia præriperet.

Fridbergam mittitur.

Anno Christi *sexagesimo septimo*, ob inchoata studia continuanda & amplificanda, è gymnasio Fridbergensi, ad *Academiam Marpurgensem* se contulit, cum annum ætatis *decimum quintum* paulò antè complevisset. Ibi exiguo temporis spatio & assiduo literarum desiderio tantum profecit, ut vix dum exacto illo anno, publicum primæ in philosophia laureæ ornamentum, promotore optimo sene *Petro Nigidio*, physices professore, octavo Aprilis anni *sexagesimi octavi*, fuerit adeptus. Itaque jam tùm in adolescentiæ illo ardore apparebat, quos fructus allaturus esset reipubl. cum ad maturam ætatem perveniisset.

Inde Marpurgum. Baccalaureus salutatur.

Sed cum incredibili aliorum locorum & remotiorum regionum visendarum cupiditate teneretur, nec quidquam sibi reliquum facere cogitaret, cujus præsidio suum in bonis literis ac moribus propositum commodè provehi ac maturari posset, *Wittembergam* se transportavit, anno Domini *sexagesimo nono*. Atque hic dici vix potest, quantopere dies noctesque studiis partim *Philosophicis*, partim *Juridicis*, partim denique *Theologicis* incubuerit, in iisque evolvendis desudarit. Itaque in præceptorum suorum aliorumque doctissimorum virorum animos cupidissimè influxit, omniumque oculos cum admiratione haud vulgari magis magisque in se convertit.

Wittembergam proficiscitur.

Ibi studia varia quæ.

Et in philosophicis quidem disciplinis (quibus tamen Jurisprudentiæ studium sedulò tùm conjungebat) adeoque in tota liberalium artium cyclopædiâ, tantum operæ, laboris & industriæ illo triennio ponebat: ut communi totius senatus ac Facultatis Philosophicæ collegii suffragio, facilimè consentiente & approbante inclytâ Academiâ Wittembergensi, summa philosophicæ laureæ insignia & ornamenta publica & solenni inauguratione, anno *septuagesimo primo*, ætatis suæ *vicesimo* consequeretur, ac magister liberalium artium publicè tunc & honorificè renunciaretur.

Magister Philosoph. renunciatur.

Sed cum philosophicis disciplinis, Jurisprudentiæ studium indefesso labore & opera conjungere, & juxta illum JCtorum in Germania Coryphæum *Matthæum Wesembecium* inprimis, & alios antecessores, frequentissimè audire, omnibus modis se eo in studiorum genere exercere, adeoque ad summam diligentiam nil reliquum facere solebat, quin & præcipuos *Italiæ Galliæq;* JCtos paulò post adire & audire in animo habebat. Itaque dubium jam non erat, quin aliquanto pòst tempore ad altissimum in juris studio fastigium, & ad summum honoris ac dignitatis gradum esset ascensurus. Sed ecce mirabilem Dei omnipotentis, qui suam unicuique stationem ac vocationem assignat, providentiam; qua ab optimè cœpto istius stadii curriculo, præter omnem omnium exspectationem, cœlitus planè retractus ac revocatus fuit. Quod cujusmodi sit, ex ipsius *Sohnii* epistolâ ad parentem *Wittemberga*, anno Domini *septuagesimo*, mense Augusto scripta, cujus exemplum in ipsius bibliotheca repertum, cognoscamus. Sic igitur ipse: *Quid tàm subitam voluntatis commutationem attulerit, his literis, si potero, paucis explicabo, ut mei facti causâ rationeq; cognita unà & id mecum probes, & Dei gratiam erga nos atq; benignitatem prædices. Cum enim vigesimo primo die Julii ad Teuberi JC. lectionem Juridicam venissem; contigit semihorâ nondum elapsâ; ut in gravissimas inter scribendum inciderem cogitationes. Veniebat enim tunc in mentem præstantia, majestas, & excellentia sacrosanctæ Theol. quæ sic me repentè delectare, tantosq; sui amores in animo meo excitare cœpit, ut nihil antiquius omninò ducerem, quàm illi me totum, relicto jure civili (quod tamen antea summoperè colueram) quam primum dedere. Atq; hæc cogitatio subitò magis magisq; tam altè insidebat animo, tamq; vehementer urgebat, ut nec auscultare amplius legenti, nec etiam perscribere, quæ cœperam, possem. Itaque quid facerem, planè nesciebam. Hæc matutino tempore deliberatio erat, & quanquam à meridiè, ac duobus posteris diebus, cum literis scribendis aliisque rebus intentus essem, ea deliberatio deferbuit; fortè quia tum nihil in jure legebam, tamen sequentibus diebus, quotiescunq; ad Juris lectionem redirem, titulumque alium, ut solebam, perlegere cuperem, statim rursus prior omnis cogitatio in mentem veniebat, ac multò quidem acrius, quam antè, urgebat. Et in his quidem cogitationibus conscientia tantoperè animum stimulabat, ut non solum à lectione legum, sed etiam intuitu abhorrerem. Cogitabam varia, tentabam omnia, metuebam multa; Deum fletu & gemitu orabam, ut pristinam ad Juris studium alacritatem redderet sin minus, quocunq; lubitum esset, me vocaret, Sed quoties ad juris lectionem revertebar, cor quasi tumultuari, oculi à literis abhorrere,*

Epistola Sohnii ad patrem.

Cur juris studium deseruerit.

nec mens amplius, nec voluntas isto studio delectari. Itaq; communicato cum duobus piis, meique amantissimis, amicis, consilio: qui singulariter ipsi quoq; me divinitùs ad Theologiam vocatum esse, dixerunt: Deo gratias egi, & Theologiæ studio me totum dedere cœpi. Hæc & alia plura ipse Sohnius, in illis ad patrem literis.

Redit Marpurgum. Ornatus ergo Magisterii gradu, statim anno 71. *Wittembergam* reliquit, & anno sequenti in Academiam *Marpurgensem* rediit. *Theol. studium persequitur.* Ibi non solùm cœptum Theologiæ studium est persecutus, *Justum Vultejum* Hebraica & Psalmos Davidis, *Henricum Vietorem* alia Bibliorum Volumina explicantem audiendo, seque in disputationibus Theologicis crebro exercendo, sed studiosè quoque *Philosophica, Dialecticam, Rhetoricam, Physicam, Ethicam*, tractavit.

Docet domi Philosoph. Anno enim 72. & aliquot sequentibus, privatim magno cum studiosorum, qua indigenarum, qua exterorum, fructu concursuque, plerasque illas disciplinas aliquoties non solùm prælegendo, sed etiam disputando & declamando, absolvit. *Præest nobilib. adolescent.* Quin & peculiarem trium nobilium adolescentum institutionem, anno *septuagesimo tertio*, ac sequentibus suscepit, quibus singulari cum gravitate ac fide, nec sine ipsorum profectu humaniter præfuit.

Ejusmodi vitæ studiorumque ratione cùm spem indubitatam afferret, fore, ut cum honore & gloriâ rem literariam & ecclesiasticam sustineat defendatque: anno 74. ob eruditam illam doctrinam virtutem, & diligentiæ industriam, quam aliquot annis scholæ Marpurgensi probarat, *In Professorum numerum cooptatur.* in collegium ac senatum *Professorum Academicorum* cooptatus, & Theologicam obire professionem, rectore *Henrico Vietore*, unanimi procerum scholæ consensu, jussus fuit, cùm annum ætatis ageret *vigesimum tertium.*

Sub idem tempus, cùm solitudinem rebus suis minimè comodam esse censeret, uxoris ducendæ consilium cœpit. Anno itaque *septuagesimo quinto*, die 25. April. ætatis *vicesimo quarto*, *Matrimonium contrahit.* matrimonium iniit cum virgine lectissimâ *Christinâ, Conradi Matthæi*, Professoris ac Syndici Academiæ Marpurgensis, & supremæ Hassorum Principum curiæ Adsessoris, Filiâ. Cùm hac per omnem vitam tranquillè & piè egit, & benedictionem divinam, piis promissam, abundè sensit. Suscepit ex eâ *filios quinque*, *filias duas*: quos omnes, excepto uno filio, cum matre superstites reliquit.

Synodus Marpurgi. Eodem quo maritus factus anno, & generalis præcipuorum Hassiæ *Theologorum Synodus Marpurgi* coacta, Illustriss. Principum *Guilielmi & Ludovici* nomine, suffragante Academiâ, Hebreæ ipsi linguæ professio est demandata, *Professor Hebræus designatur* sic tamen ut non Grammaticam solùm Hebream doceret sed Grammaticæ Theologiam quoque, id est verbis res adjungeret. Ibi ut anno superiori cum in collegium Theologicum legeretur, de *sanctâ Theologiâ*, ita tunc de *lingua Hebrea* eleganter peroravit; idque *Francobergæ* in templo, quò *Academia Marpurgensis* propter pestem secesserat.

Doctor Theologiæ creatur. Sub initium anni *septuagesimi octavi*, summa *Doctoris Theologici* insignia, conferente *Nicolao Rhodingo*, Theologiæ professore, & concionatore, accepit, non quod tam gloriolam expeteret, sed ut ad res agendas plus auctoritatis, & roboris adversus schismaticos & Sophistas haberet, præsertim cum anno superiore in certamen Ubiquitarium pertractus esset. Eodem anno, quando gravi cum morbo conflictabatur, piam fidei suæ confessionem, & adhortationem ad liberos conscripsit. *Collegia disputat. & declamationum habet.* Scholas etiam & collegia disputationum & declamationum Theologicarum privata, per aliquot annos habuit, ac juvenes divinarum literarum studiosos summo cum fructu diligenter exercuit.

Itaque non solùm *Academiæ Marpurgensi* operam navavit utilem, nec Ecclesiis solum Hassiæ profuit, sed etiam vicinorum in *Wetteravia* comitum, qui in reformandis ecclesiis & constituendis scholis ejus consilio usi, eumque honore semper summo sunt prosecuti.

Apud illustrissimos verò Hassiæ Principes, *Guilielmum* inprimis, tantum effecit, ac pro veritate & synceritate religionis & doctrinæ sanæ de *Eucharistia*, de *naturis ac persona Christi*, adeò candidè & animosè laboravit, ut ille tantum non solus libri *concordiæ* istius *Bergensis* subscriptionem in Hassia impedierit.

In Academiâ verò Marpurgensi ita constanter, ita ingenuè & apertè religionem orthodoxam in articulis controversis defendit, *Oppugnat. Vbiquitarios.* ut non modo in privatis colloquiis & congressibus, sed etiam in senatu, quin & in publicis disputationibus & prælectionibus contra ubiquitaria & alia inepta quorundam dogmata, quotiescunque opus esset, publicè dictaret, peroraret, disputaret, adeoque ut tandem (cùm aliud non posset) in exilium potius iret, quàm ut tacendo opprimi veritatem sineret.

Ita cum locupletissimum documentum dedisset absolutæ rerum plurimarum scientiæ, animi moderati ac sapientis, & tam futura prospicientis, quàm præteritarum gestarumque rerum notitia & memoria plurimum pollentis, exigua temporis intercapedine maximam laudem & gloriam longè lateque est *Fama ejus* consecutus, nec tantum ad vicinorum comitum, sed ad Illustrissimi quoque Principis, fortissimique Ducis & Herois, *Joannis Casimiri*, aures ea fama pervenit.

Unde factum, cùm ob sinceram de prædictis mysteriis professionem per Senatores nonnullos, fidei alienæ dominatores, magis magisque premeretur, ut anno 84. eodem tempore simul, & ab illustri comite *Joanne Nassovio*, Herbornam, & ab Illustrissimo *Vocatur à diversis.* Principe, *Joanne Casimiro*, Haidelbergam libe-

liberalissimè ac benignissimè invitaretur. Et quanquam multæ & graves erant causæ, cur plerique consultius fore existimarent, ut *Herbornam* potius commigraret, scholam isthic salutaribus consiliis ac bonis legibus fundaret, ac postmodum Rectorem illius perpetuum ageret, & labores aliis præscriberet, quàm ipse multùm laboraret, præsertim quia locus patriæ bonisque ibi sitis longè vicinior, honos major, labor minor, stipendium liberalissimum offerretur: tamen se Academiæ potius jam constitutæ, quàm constituendæ, & laboribus potius, quam honoribus natum esse, piè ac humiliter respondit, & Heidelbergensem scholam elegit.

Anno igitur *octogesimo quarto* die Junii 15. patriam & Academiam Marpurgensem, unà cum familia, reliquit, & in voluntarium quasi exilium, veritatis ac religionis causâ abiit, *Haidelbergam* venit, annum ætatis *trigesimum tertium* ingressus, cum jam multiplici rerum cognitione esset instructior, ætate gravior, consiliis promtior, experientiâ prudentior, consuetudine humanior.

Haidelb. venit.

Præficitur collegio Sapientiæ.

Itaque primariam Sapientiæ collegii tum penè collapsi, inspectionem, & instaurationem primum, deinde professionem Theologicam, utramque Illustriss. Principe sibi committente, acceptavit, & cum laude administravit. Die *decimo octavo* Jul. orationem in auditorio Theologico publicè habuit, causamq; discessus ex Acad. Marpurg. obiter ac breviter inibi exposuit, die *vicesimo tertio* prælegendi initium fecit. Neque verò accuratissimis solùm prælectionibus, sed exquisitissimis quoq; thesibus ac disputationib. Academiam Haidelbergensem illustravit, & juventutis studia tum in privato Sapientiæ collegio, tum in publico scholæ gymnasio sedulò promovit, prudenterque ac dextrè aliquoties *Decani Theologi* munus gessit & cum anno *octogesimo septimo* Illustrissimus Princeps *Fridericus*, Electoralis dignitatis hæres, magnificentissimus illius Scholæ *Rector*, esset electus; ipse *Pro Rector* adjunctus, pacatè & feliciter munus vel onus gravissimum, Dei auxilio, gessit, licet gravissima & intricatissima negotia propter tumultum, Diaboli instinctu tunc excitatum, præcessissent, ac ne tùm quidem omninò conquievissent. Patienter enim multa tolerare maluit, quàm impatienter quicquam turbarè. Et tamen summa ejus erat in negociis, quæcunque demum incidissent, administrandis, animi constantia, cùm pari tolerantia & æquitate conjuncta & temperata, summa authoritas, humilitas, gravitas, humanitas, & pacis atque concordiæ cupiditas, summa candidi pectoris ingenuitas, & vitæ morumque integritas.

Fit Pro Rector Academiæ.

Consiliarius ecclesiasticorum eligitur.

Anno 88. Calendis Julii in numerum Consiliariorum & Senatorum Ecclesiasticorum, professione manente, cooptatus est. Itaque jam duplex curia, duplices illi attulit curas, & tamen in illâ duplice duplicis Senatus cura atque curia, magna fuit ejus sapientia, judicii & acuminis excellentia atque prudentia, si quid deliberandum, decidendum aut determinandum offerretur, cùm ille nihil nisi considerate, & pensitatis rationum momentis, pronunciaret.

In senatu itidem Academico talem se præbuit, ut in consiliis sententiisque dicendis, callidè nec simularet quicquam, nec dissimularet, sed liberè etiam ab amicissimis dissentiret, si quando eorum consilia reipub. literariæ minus commoda existimaret, aliorum contrà sententiam, etiamsi suæ adversam, si scholæ aut ecclesiæ utiliorem vidisset, ingenuè probaret, adeoque ad unius reipub. salutem consilia & actiones omnes referret.

Cumque in docendi munere hæc potissimum requiri videantur, *primùm*, eruditio ac scientia rerum earum, in quibus gerendis aliquis versatur, multâ cum lectione & experientia, sed inprimis cum pietate conjuncta, *deinde* elegans docendi facultas & felicitas, *tum* fides, & diligentia, laborumque tolerantia, vitæ *denig.* ac morum gravitas, atque constantia, cuncta & singula hæc in *Sohnio* fuerunt egregia. Principio enim linguarum in eo cognitio fuit magna, major artium liberalium ac Philosophiæ, sacrarum autem literarum atque historiarum longè maxima, eaque singulari pietate exornata. Deinde felicitate eâ docuit & disseruit, ut de fructu auditoribus constiterit. Non ille clamoribus aut vociferationibus rem agere, non contentionum ansam præbere, non temerè quæstiones otiosas aut spinosas movere, semel susceptam cum judicio rationem nunquam immutare, & verbo ut dicam, ad discentium in pietate exædificationem & profectum referre omnia. Patientia præterea & laborum tolerantia fuit tanta, ut ipso laboriosius nihil, aut patientiùs ferè fingi potuerit. Testati sunt hoc labores ejus, in *Sapientiæ* collegio, in *Academiâ*, in *Ecclesiâ*, in *Senatu*, in *curiâ*, lectitando, disputando, perorando, consultando, libellos egregios publicando, exantlati, ut præsagiisse ei mens videatur vitæ brevitatem, quam, cùm se omnibus juvandis natum esse meminisset, laborum multitudine & sedulitate compensatum ire voluerit. In vita denique & moribus talis fuit, ut doctrina vitæ egregiè responderet: quando omnia ad pietatem promovendam, ad veritatem, charitatem Christianam, concordiam & humanitatem studiosè retulit.

In docendi munere qua requirantur.

Eruditio Sohnii.

Facultas docendi.

Diligentia item & industria.

Vita integritas.

Inter tot autem labores, curas & studia, id unicè tamen sedulò meditatus est, quomodo non solùm fide & spe, sed re quoque & facto, imò corpore ipso, post exhaustos labores in hoc mundo, post ærumnas & curas, in illâ omnibus numeris beatissima vita & cœlesti civitate aliquando versari posset. Nec ita longum ei fuit tempus exspectandum. Anno enim *octogesimo nono*, die *decimo septimo* Aprilis, catarrhis, quibus cum ante annum quoque sub idem ferè tempus graviter fue-

Morbus supremus.

rat conflictatus, & doloribus dextri hypochondrii, cum gravedine quadam capitis, & calore intensiore, malè habere, & à publicis lectionibus sensim conquiescere cœpit. Neque tamen priùs lecto affixus est, quàm cùm 21. April. defluxiones omninò exundarent, quæ virum optimum, & Christum Servatorem constanter invocantem, ipso die Georgii *, manè circa *secundam*, sub diluculum, inter pias seriasque ad Deum preces exstinxerunt, cùm pridie, & ea ipsâ nocte, quâ obiit, cum ministris ecclesiæ, ad se vocatis, piissimos ac constantissimos de fide suâ, & felici ad alteram vitam migratione sermones contulisset. Et horâ quidem *duodecimâ* ejus noctis, cùm paulò post spiritum Deo redderet; offenderunt eum adhuc amici & ecclesiæ minister in lectulo sedentem, integro planè rationis usu valentem, seque ipsum piissimè consolantem, & hæc inprimis verba solatii plenissima, quanquam submissius aliquoties ingeminantem, *Christe, tu es Redemtor meus, scio enim, quod me redemeris, scio:* item: *pendeo, pendeo totus à Dei providentia ac misericordiâ.* Et cum plura ab Ecclesiæ ministro è sanctis Bibliis proferrentur, ad singula subjecit, *Amen, Amen*: cumque, ut se & animam suam DEO commendaret, moneretur, *commendo, commendo, ex intimo cordis affectu*, ait. Nec verò se solum sed uxorem quoque astantem, & ejulantem, piè consolatus, atque ita non multò pòst, ipsum viæ vitæque cœlestis iter læto, parato, & præsenti animo, est ingressus, & quamvis morbo non leviter premebatur, tamen mira patientiâ, & parato semper animo, nec ullo modo turbato rationis & mentis judicio, morbi & mortis dolores pertulit, ut nullum ullius doloris, aut impatientiæ signum ediderit, sed omninò quasi ad somnum se componens placidissimè obdormiendo decesserit, cum jam ætatis annum 38 ingressus esset, matrem suam, quam ante mensem visitarat & præmiserat, è vestigio subsecutus. Antequam morbo corriperetur, è nundinis *Francofurtensibus* acceperat confutationem virulentam *Joannis Aquipontani*, contra suas, quas *de Anti-Christo Romano* conscripserat *theses*, emissam. Ac licet illam vix dum accepisset, tamen jam tum meditatus erat *apologiam* suæ disputationis adversus *Aquipontanum*, Anti-Christi mancipium, quam lineamentis multis & eximiis adumbratam perficere non potuit. De nulla re terrena toto morbi invalescentis tempore solicitus fuit, quàm ut liberi, ac præsertim filii, in *Palatinatu* manere, & in eâ, quæ ibidem singulari DEI gratiâ floret, religione, ac pietate, informari & confirmari possent.

d. 23. Apr. Quo exstinguitur.

Voces ejus in morbo.

Io. Aquipontani scriptum contra Sohnium.

Funus.

Funus ei factum est frequens, senatu Academiæ, collegis, civibusque tum Academiæ tum oppidanis id prosequentibus ad D. *Petri:* ubi corpus ejus in spem resurrectionis beatæ in choro est humatum, ejusmodi cum epigraphe & epitaphio:

Monumentum.

Epitaphium Georgii Sohn, Theol. D. ac Professoris in Academia Heidelbergensi, & in Electorali Palatinatu Consiliarii Ecclesiastici.

Georgius cubat sepulcro hoc Sohnius,
Vir doctus, integer, modestus, & pius,
Constansque veritatis assertor, scholis
In inclytis, Marpurgianâ & altera
Nostra hac, Deo Musisq; grata, liberûm
Senûm pater, tum nascituri posthumi.
Quanto dolore conjugis mœstissimæ
Lapis sit iste postus, ipsa noverit,
Partum ante quæ parem maritum amiserit,
In copiâ tenellulæ prolis pari.

Obiit An. 1589. mense Aprili die 23. Anno ætatis 38. Hoc requiescit reverend. & clariss. Theologus Georgius Sohn D. & in duabus inclytis scholis, Marpurgensi primum & postea Haidelbergensi, Theologiæ Professor.

TANQVAM MIGRATURUS HABITA.

Luxerunt ejus obitum præmaturum viri eruditi passim, celebravit oratione funebri *Joannes Calvinus*, J. C. epicediis denique honorarunt Poëtæ virique præstantissimi, de quibus est *Pauli Melissi* Comit. Palatini & Poëtæ Germani celebris ode ad Calvinum illum ejusmodi:

Pauli Melissi in eum epiced.

Ut derepente heu Sonius è vivis
Abreptus est! ut præpropere virum
Leti potitum frigorisq;
Vidimus, exanimes & ipsi,
CALVINE, & orbam conjugis uxorem,
Et cara lecti pignora liberos
Parente cassos! Jam vigere
Ceperat is, celeberrimusq;
Cluere multo; cum cerebri emanans
Humentis antris plurimus ah gulam
Catarrhus offocat, viamq;
Diluvians animæ impeditam
Fluenter intercludit: ut ex monte
Si quando præceps fluctibus imbricis
Torrentis undæ vis sativas
Obruit admutilatq; vitas,
Stirpesq; reddit luminis exsortes,
Impune grassans quaq; per obvia.
Flet ipsa Chloris, flent Napææ;
Flent Dryades, Dryadumq; custos
Silvanus. An non relligio plorans
Luget peræquè? non Pietas gemit
Dequesta mortem funerati
Tam subito? Mihi cerno quæso
TOSSANUM, ut angore adficitur magno!
Ut permolestè fert obitum sui
Collega collegæ! piusq;
JUNIUS haud mediocrem in ægro
Consanciatus corde sibi stare
Sentit dolorem. Me quoque verberant
Clades repentinæ: nec ipse
Non lacrymas cohibere nescis,
CALVINE, fati nomine perculsus.
At nemo in hoc pol natus homo est, ut haud
Necesse denasci sit. Illi.
Tardius, huic citius venit mors.

O ter beatos, hac ubi pultarit
Avara limen, qui sibi conscium
Recti ad supernos ritè migrant
Mentem animos, habitatum Olympo!

Scripta Sohnii.

Libros edidit *Sohnius* non quidem multos, sed politissimos illos & lectissimos, ut sunt *De verbo Dei & ejus tractatione* libri duo; in quibus de verbo Dei non scripto, de scripturæ versionibus, de interpretatione ejusdem scholasticâ & ecclesiasticâ, de methodo Theologiæ, & disputationibus Theologicis agitur, cui addita in fine methodica delineatio universæ Theologiæ. *Posthuma* autem ejus hæc sunt: Operum *Georgii Sohnii D. Tomus primus, secundus, & tertius: Theses de plerisque locis Theologicis*, in Academiis Haidelbergensi & Marpurgensi, ad disputandum propositæ: Ejusdem *centuria Epistolarum Theolog. Tractatus* item *de interpretatione scholastica*, seu *de formandis concionibus ad populum*: *Antonii Schori dialogus de ratione tractandarum quæstionum popularium*, & si quæ alia.

Congesta hæc sunt ex oratione parentali, quàm J. Calvinus J. U. D. & Professor tunc dixit: è monumentis Haidelbergensibus & Bibliothecis.

DAVID VOITUS.

1589. Ann. Nov. stat. 60. D. Voitus Pater. Monachus Vinaria.

RONneburgi, Thuringiæ oppido, natus est *David Voitus*, patre *Joanne*, viro pio & Theologo præstanti. Vixerat hic olim *Vinariæ* in monasterio Franciscanorum, & ex lectione librorum *Lutheri* didicerat Christum, ac odisse ceperat monasticen. Hanc suam fidem cùm publicè tam in lectionibus, quàm concionibus profiteretur, omnes in ipsum diaboli cœperunt insanire ac debacchari. Itaque omnes cucullati *Joannem Voitum Lutherana hæresi infectum clamitare, à colloquio & consortio fratrum arcere: digitis monstrare, diabolo tradere, & tanquam nè-fragæ diris omnibus devovere.* Inter prandendum & cœnandum ipse humi repere, micas colligere, pedes monachorum osculari, flagellis se cædere ac lancinare fuit coactus. Nec tamen gravius quicquam in eum statuere, aut claustro ejicere fuerunt ausi, metu Ducum Saxoniæ, qui eum pro suggestu perorantem clementer audiebant, & contra vim monachorum defendebant. Et quanquam à munere docendi eum suspenderent: tamen jussu principum ipsis Calend. Januarii anno *vicesimo tertio*, concionem habuit, in qua articulum, *de justificatione hominis peccatoris coram Deo* tractavit, & disertè dixit: *hominem non operibus, sed sola fide, apprehendente & applicante sibi Christi meritum justificari.* Qua concione crabrones ita irritavit, ut de discessu cogitare necesse habuerit. Relicto ergo monasterio, fuit annos aliquot à concionibus *Joanni* Electori Saxoniæ, tanta cum laude & admiratione, ut ipsemet Princeps suâ manu in palimpsestis exceperit conciones, quarum exempla in librariâ illius *Voiti* reperta dicuntur. Postea docuit idem Pater Davidis Evangelium annis *quadraginta* quinque *Ronneburgi*, Pastoris & Inspectoris officio functus. Sed nos ad *Davidem* filium revertamur.

Docet Ronneb.

Hic paterna urgens vestigia, ad veram pietatis & eruditionis laudem, omnibus ingenii nervis intentis adspiravit, & adolescens *Wittembergæ* viros de ecclesia & studiis præclarissimè meritos, *Lutherum, Melanchthonem*, & horum ἀφιγμάτας audivit, adultior autem in Jenensi Academia *Snepfium ac Strigelium*. Horum voce & scriptis ita pectus suum instruxit, ut Wittembergæ magister renunciatus, *Jenæ* literas aliquandiu Græcas publicè docuerit, & ob celebritatem doctrinæ ac pietatis, ab ecclesiis atque Academiis diversis opera ejus fuerit expetita.

Dav Voit. Wittemb.

Et Jenæ agit. Ibid. docet.

Ab *Alberto* autem Borussiæ Principe, honorificè ad aulam & Academiam *Regiomontanam* invitatus; eò venit, sed ante quàm abiret, auctoritatis gratia majoris, testimonium doctrinæ publicum *Wittembergæ* petivit. Quod ei collatum anno *sexagesimo*, mense Martio, cùm pro licentia * disputanti præfuisset *Melanchthon*, qui paulò pòst in cœlestem fuit Academiam evocatus. Cæterum quamdiu *Voitus* in *Borussiâ* fuit, fuit autem annis *quindecim*, toto eo tempore singularem erga se principis gratiam est expertus.

In Boruss. vocatur.

Doctor Theologiæ renunciatur.

* Thes. de jud. eccles. exstant. T. 4. oper. Mel. p. 620

Eo mortuo, *Dantiscum* concessit, ubi per anni ferè spatium docuit, donec literis ternis Principum Electorum, inprimis *Augusti* Saxonis, Jenensem in Academiam fuit revocatus, cujus curam tunc tutorio nomine ille sustinebat. *Jenæ* itaque *quindecim* itidem annis ecclesiæ ac scholæ, primario in loco docendo, operam navavit.

Dantisci docet. Revocatur Jenam.

Jenâ anno *octogesimo septimo*, de voluntate *Christiani* I. Elect. Saxoniæ, rediit in Academiam *Wittembergensem*, quam ut matrem & nutriculam fidam unicè amabat, ubi & verbi prædicatio, & sacramentorum administratio, in templo parochiali, à * *Georgio Mylio*, templi arcis præposito, & Academiæ cancellario ipsi demandata. Hanc provinciam ad finem usque vitæ cum fide & industria obivit.

Inde Wittemb.

* Mylio autem dimisso collega fuit D. Henr. May

Discessum è vita suum multò antè præsagiit, quem & votis ardentibus expetivit. Anno *octogesimo nono* cum aliis *Hertzbergam* fuit missus, ad componenda dissidia, ibi ob Superintendentem Calvinismi suspectum, & invitis consule ac civibus, ecclesiæ impositum à *Nic. Crellio* cancellario, exorta. Eo ex itinere afflictâ valetudine domum rediit, quam nactus existimabatur ruptâ, vehementiore vehiculi concussione, venulâ. Sanguinem enim copiosum è naribus, & concretos cruoris grumos vomitu ejecit. Decubuit triduo aut quatriduo, in DEO acquiescens, sæpe repetito *Simeonis* cantico, & illo Apostoli: *cupio dissolvi, & esse cum CHRISTO.* Prospexit etiam animo mutationes illas, non multò pòst in Academiis ac Provinciis Electoris Saxonici subse-

1588. Præsagit mortem.

In itinere morbum nactus.

cutas, & fraudes Cryptocalvinianorum, ut appellabat, modò convaleſceret, coram Electori ſe indicaturum dixit. Diſceſſit autem placidè in complexu *Balthaſaris Mentii* Profeſſoris Wittemberg. die *viceſimo ſexto* Novembris, paulo ante quartam matutinam, anno ætatis ſuæ *ſexageſimo* fermè completo. Cives Academiæ & oppidi ſupremum ei honorem exhibuerunt, die viceſimo octavo Novembris, horâ prima pomeridiana, deductione funeris frequenti ac honorifica. Eſt autem humatus in templo parochiali ante aram, medius inter *Eberum* & *Eberhardum*. Defunctum hoc epigrammate proſecutus eſt *Balthaſar Mentius*:

Moritur.

Funus.

Epigrammata in eum Mentii.

Conditur hac urnâ Voitus, qui maximus arte,
Maximus ingenio, maximus eloquio.
In ſcriptis dictisq;, ſacro quæ Flamine ſparſit,
Exhibet ingenii dona videnda ſui.
Teſtis Najadum tutor, qui ſuccina gignit
Bregela, Pieriis conſpiciendus aquis.
Succina fœtores pellunt ſuccenſa: ſed ille
Arte ſua pepulit nubila ab arte ſacra.
Teſtabuntur idem tua, Sala, ſedilia Muſis
Sacrata, & vero templa dicata Deo.
Leucoreæ tandem myſtes præponitur aræ,
Enſiferi accitus principis imperio.
Pulpita Lutherum quæ ſuſtinuere docentem,
Agnoſcunt ſimiles, hoc reſonante, modos.
Non illum ſedes quondam tua docte Melanchthon,
Arguit à Domino degenerare ſuo.
Talis erat: quo vis nunc perge, Viator, & opta:
Producant pariles ſecla futura viros.

Ratio ejus docendi.

In docendo uſus eſt dexteritate ac gravitate, vàdeque urſit τὸ ῥητὸν ſcripturæ: & conſenſum oſtendit mutuum oraculorum Propheticorum atque Apoſtolicorum, deſumta explicatione è ſcriptis præceptorum *Lutheri* & *Melanchthonis*, quæ tanquam præclarum depoſitum ac theſaurum conjuncta retinebat.

Alienus à contentionibus.

Alienus erat à contentionum & criminationum ſtudio, & tranquillitatem eccleſiæ ſæpè etiam cum ſuo periculo defendit. In quotidiana converſatione pius, humanus, integer, ac morum ſuavitate ſingulari, aliis ut bono eſſet exemplo.

Ex vitis Theologorum Wittembergenſium, vita item Myconii, & ſcriptis Wittembergæ propoſitis.

JACOBUS ANDREÆ.

Natus 1590. d. 7. Ian. ætat. 61.

WAiblingæ, ducatus Wirtembergici oppido, *Jacobus Andreæ* in lucem editur, An. Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, duodetrigeſimo*, die *viceſimo quinto* Martii, horâ matutinâ *ſecunda*, minut. 30. parentibus piis honeſtisque, patre *Jacobo Endris*, ex *Micolau*, in ditione Epiſcopi *Eyſtettenſis* oriundo, cujus pater *Ingolſtadii* ſepultus eſt. Exercuit autem ille artem fabrilem, unde huic *Jacobo Smidlini* nomen adhæſit, & Schmidlin ab æqualibus in pueritiâ fuit dictus. Verùm ipſe, cùm nomen ſuum *Tubingæ* ad Rectorem, generoſum tunc baronem *Arbogaſtum* ab *Hevven*, profiteretur, *Jacobum Andreæ* ſe nominavit, & ſic in catalogum ſtudioſorum, quem matriculam vocant, relatum eſt ejus nomen. Mater ipſius *Anna* Weißkopffin / nata *Gundelſingæ*, ſuperioris Palatinatus oppido, in ditione Illuſtriſſimi Principis tunc *Philippi Ludovici*, Palatini Rheni, Ducisque Bavariæ, inde ferè in infantia *Waiblingam*, ad cognatam quandam, translata eſt. Hic ubi adolevit, nuptum eſt elocata huic marito, parenti hujus *Jacobi*: ex qua filios ſuſcepit tres, *Jacobum*, *Georgium* & *Philippum*; filiam unam.

Iacob. Endris pater.

Cur Smidlin dictus.

Mater Iacobi.

Anno *milleſimo*, *quingenteſimo*, *trigeſimo quarto*, cùm Dux Wirtembergicus *Udalricus*, Ducatum ſuum recuperaſſet; & abrogato Pontificatu, religionis mutatio facta eſſet, parentes eum ad literarum ſtudia adhibuerunt, inque ludum miſerunt. Sed cùm tenuioris eſſent rei, nec ſumtus ad ſtudia neceſſarios diu ſuppeditare poſſent, *triennio* exacto, opificio ipſum mechanico addicere in animum induxerunt. Et jam cum *fabro* quopiam *lignario* pacti parentes erant, cum mutato propoſito ſuaſu conſulis *Sebaſtiani Maderi*, *Stutgardiam* filium ad *Erhardum Snepfium*, generalem tunc eccleſiarum Wirtembergici Ducatus Superintendentem pater adducit, ſubſidium filio ad ſtudia ex fiſco eccleſiaſtico impetraturus.

In ludum mittitur.

Opificio addicitur.

Conſilium mutant parentes.

Ad Snepfium ducitur.

Snepfius dum puerum, *decennem* tunc, examinat, deprehendit ingenium quidem ei eſſe egregium, ſed nonnihil à Ludimagiſtro in ſchola patria neglectum. Cum parente itaque hoc iniit conſilium, ut *Waiblingenſes* ex ſuo ærario eccleſiaſtico partem quandam, reliquum pater, contribuant, puerumque in ſcholam *Stutgardianam* mittant.

Præerat ludo illi tunc *Alexander Marcoleon*, vir in literis humanioribus egregiè doctus, & ad formanda juventutis ſtudia natus. Sub hoc Magiſtro, *biennii* decurſu, Andreas regulas *Grammaticas* utriusque linguæ, una cum præceptis *Dialecticis* ac *Rhetoricis* Philippi Melanchthonis, mediocriter addidicit. Cùm enim ingenio eſſet felici divinitus ornatus, facilè ea, quæ tradebantur, arripiebat. Inde factum; ut in illuſtre, quod *Tubingæ* eſt, ſtipendium, anno *milleſimo*, *quingenteſimo*, *quadrageſimo primo*, receptus, ſtatim *biennio* pòſt cum aliis commilitonibus, primam lauream, cui à bacca nomen, conſecutus ſit, *Hirſaugiæ* in monaſterio, quò profeſſores artium & Philoſophiæ, propter peſtem Tubingæ tunc ſævientem, conceſſerant.

Alexander Marcoleon Præceptor Andreæ.

Recipitur in ſtipendium Tubing.

Prima laurea.

Poſtea, anno *quadrageſimo quinto*, cùm curriculum Philoſophicum abſolviſſet, Tubingæ gradu Magiſterii, cum ſeptendecim competitoribus, inter quos ipſe locum ſecundum obtinuit, Decano *Joanne Benigno*, ornatus eſt. Interea autem cum Philoſophicis Theologiæ etiam ac Hebreæ linguæ ſtudia conjunxit, inprimisq; *Erhardi Snepfii* lectiones juxta & conciones ſtudioſe audivit, anno-

Secunda.

Theologiæ dat operam.

annotavit, ad earum imitationem se totum composuit, & popularibus se concionibus exercuit.

Diaconus Stutgardiæ ordinatur.

Anno itaque *quadragesimo sexto*, ætatis suæ *decimo octavo*, *Stutgardiam*, Wittembergici Ducatus metropolin, ad Diaconatum illius ecclesiæ, edito priùs specimine, alterâ festi Paschalis die in summo templo, concione frequenti pomeridianâ, vocatus receptusque est. Quod officium ipse ita obiit, ut fama nominis ejus etiam ad ipsum Ducem Wittembergicum *Udalricum* emanarit, qui & in arce audire eum voluit, & concione finitâ ad suos dixit: *undecunq; hic pullus progrediatur, certum ego quidem habeo, a Snepfio excluſum, formatumve.*

Concionatur coram principe.

Ducit uxorem.

Eodem Anno *Tubingæ* uxorem duxit *Annam*, honesti civis *Joannis Entringensis*, honestam filiam, piam, & οἰκουρὸν, ex qua liberos suscepit *octodecim*, filios novem, totidemque filias; de quibus superstites novem relicti.

Exarsit eodm anno luctuosum Germaniæ bellum, quod principibus Protestantibus Imperator *Carolus V.* movit, inque eo victor, Ducatum Wirtembergicum occupavit, & in suam redegit potestatem. Fuit misera tunc ejus provinciæ facies, ipse tamen *Jacobus* nihilominus cum conjuge *Stutgardiæ* subsistit, officiumque suum quà concionando, quà sacra administrando, fecit inter medios etiam Hispanos. Qui, quod divinæ tamen bonitati ac protectioni adscribendum, nec vim ipsi intulerunt ullam, nec in officio impediverunt quicquam, adeò quidem, ut cùm à cursore Ducis *Udalrici* fecialis Imperatoris rogatus esset, uti pro infante recens sibi nato in baptismo sponderet, promtè annuerit, eumque ab hoc Andrea baptisatum ex sacro fonte susceperit. Quo peracto, munusculum ipsi obtulit, hisce adjectis verbis: *Ego Domino DEO meo ago gratias, quod & viderim, & audierim te, in fide S. Ecclesiæ Catholicæ* (audierat enim fecialis symboli Apostolici inter baptismi actum recitationem) *baptisasse, & ut primum ad Cæsarem venero, bonâ id ei fide referam. Certè apud nos Cæsareanos persuasissimum est, vos & fidem & religionem omnem abjecisse, nulla apud vos esse Sacramenta, nullam sanctorum venerationem. Qua de re cuperem tecum colloqui, ideoq; peto, ut ad prandium venias, in prætorio à senatu paratum.* Venit Andreas bonaque cum gratia est à feciali illo dimissus: cùm priùs monuisset eum, ut si quos haberet scholasticorum Doctorum libros, *Thomam, Scotum, Holcot, Bricot, Mephret*, & similes, remotis suis Lutheranis, substitueret, hoc modo ipsum à vi omni Hispanorum tutum & immunem fore. Sed intra paucos dies pax est facta, inter *Carolum Cæsarem*, & *Udalricum* Ducem: qui mox ad suos rediit, DEI beneficio & Cæsaris gratiâ.

Bella Germ. quis Wirtemb. Ducatus status.

Is turbo est Andreæ.

Mendacia de Evang. sparsa.

Invitatur à Cæsariano.

Consilium ejus.

Manet ergo *Andreas* in officio, donec anno *quadragesimo octavo*, ab Imperatore forma *Interreligionis*, quæ *Interim* dicta, in qua Pontificiorum errores crassi astutè palliabantur, publicata esset. Hanc qui probare recusabant ecclesiarum ministri, ab officio passim, metu Cæsaris, removebantur, quos inter & *Jacobus Andreæ*, qui *Tubingam* commigrare jussus, sumtus subministrante Duce Udalrico.

Tempestas Interimistica.

Tubingam pellit Andr.

Tristia sanè illa, & perturbata fuerunt tempora, cùm plurimis in locis pulsis ecclesiarum ministris, substituti fuerunt alii, qui puram doctrinam populo quidem traderent, sed sine Pontificiorum errorum refutatione, & sacrificulis & monàchis restitutis. Verùm propitius Deus paulò pòst afflictos illos respexit, constitutis hinc inde *Catechistis*: inter quos & hic *Andreas*, ad Diaconatum Tubingensis ecclesiæ promotus, anno *undequinquagesimo*, in quo deinde strenuè laboravit.

Ibi agit Diaconum

Anno *millesimo, quingentesimo, quinquagesimo*, Novembris die *sextâ*, Dux *Udalricus*, inter quintam & sextam matutinam ex hac vitâ emigravit, cui filius *Christophorus*, princeps perpetua memoriâ illustris, successit. Hic eadem, quâ parens, *Andream* clementiâ complexus est, fovitque, utque de petendo Doctoris titulo cogitationem susciperet, voluit. Eam itaque se ad rem, factis præstitisque iis, quæ legibus requiruntur, præparavit: ac post disputationem publicam, *Prophetas minores* omnes, lectione cursoriâ est interpretatus. Postea anno *quinquagesimo tertio*, die *decimo nono* Aprilis, ætatis suæ *vigesimo quinto*, solenni in panegyri Doctor Theologiæ est renunciatus, parte sumtuum à Duce Christophoro liberaliter numerata, cùm antea ecclesiæ *Göppingensis* Pastor, vicinatumque *Superintendens specialis* esset constitutus, postea verò etiam generalis, cum aliis tribus.

Obitus Ducis Wirtemb.

Cui succedit Christophorus.

Doctoratum prensat Andr.

Quam consequitur.

Göppingæ Pastor constit.

Sub id tempus à *Ludovico* Comite *Oetingensi* est evocatus, ut ecclesias sui Comitatus à Pontificiis sordibus repurgaret, id quod & ab aliis principibus, *Othone Henrico*, Palatino Rheni, & *Georgio Friderico* Marchione Brandenburgico, factitatum. Ubi memorabile est, quod Dux *Christophorus*, D. *Jacobo* peculiari schedâ in mandatis dedit, ut *si Comes Ludovicus hoc ageret, quo prætextu religionis, bona ecclesiastica, monasteriorum inprimis, ad se rapere, ing; suum convertere usum posset, ipse D. Andreas nulli amplius interesset deliberationi, sed statim domum se reciperet.* Hæc scheda comiti per cancellarium ejus est reddita, addità gravissimâ commonefactione, ne manus suas ecclesiasticorum bonorum profanatione pollueret.

Evocatur à Comite Oeting.

Mandatum Ducis Christoph. de bonis ecclesiast.

Anno deinde *quinquagesimo sexto*, instituta est ecclesiarum comitatus *Helffenstainensis* reformatio: ad quam etiam D. *Andreas* ab *Udalrico* Comite ab *Helffenstain*, est vocatus. Ibi plurimæ objectæ sunt moræ, cùm collegium Canonicorum, templo occupato, intromittere comitem, cum D. *Jacobo* prorsus nollet, quin & vi magnâ se opponeret. Verum *Udalricus*, de fundamentis religionis

Vocatur & à Comite Helffenstainio.

è scri-

è Scripturâ sacrâ rectè edoctus, perrupit fortiter; & reformatione perfectâ, in locum sacrificulorum Evangelicos substituit ministros. Quanquam autem comes ille post aliquot annos, minis perterritus, Evangelicam religionem deseruit, tamen ejus defectionis culpa nulla D. Andreæ adscribi potest, quippe qui comitem ad constantiam gravissimè est adhortatus, refutatis argumentis, quæ comes opponebat. Circa hæc tempora, cum fama percepisset, Judæum quendam in vicino oppidulo *Weissenstein*, pedibus ob furta suspensum iri, quia hoc genus supplicii ante non viderat, comitante eum cive *Göppingensi*, eò proficiscitur. Cumque audiret Judæum, jam in patibulo pedibus affixum, pendentem inter canes duos, corpus Judæi mordicus lacerantes, recitantem Hebraicè versus ex psalmis, quibus ille miser divinam implorabat opem, accessit propius, eique exposuit religionis Christianæ caput, *Christum Jesum Messiam, verum Jehovam, eumq; ut in hunc crederet, hortatus est.* Quid multis? & canes ipso loquente, cessarunt membra Judæi arrodere, & Judæus religionem Christianam amplexus, hoc unum petiit, ut de patibulo, mox iterum, sed de collo suspendendus, liberetur, & baptisetur, idque obtinuit.

Judæus pedibus suspensus.

Quem convertit Andr.

Eodem anno Illustrissimus Princeps, *Carolus*, Marchio Badensis ecclesiarum in ditionibus suæ jurisdictioni subjectis, emendationem diu ante agitatam suscepit. Ad eam perficiendam ex *Thuringia* Theologos evocavit duos, ex *Palatinatu* Electorali unum & *Tubinga* D. *Andreæ*, & abjecta religione pontificia, sinceram, cujus summa in confessione Augustana ejusque apologia comprehensa est, scripturæque sacræ consentientem recepit, & ut ceremoniæ in ecclesiis Marchionatus, vicinarum ecclesiarum ordinationibus, quantum quidem poterat, conformes essent, voluit. Quibus hoc modo scripto comprehensis, visitatio & reformatio ecclesiarum in *Marchionatu inferiori*, quæ Marchioni *Carolo* cedebant, per Theologos istos, adjunctis etiam politicis consiliariis, maturo consilio suscepta est, & qui sacerdotes ad docendum evangelium idonei reperti sunt in examine, retenti. Quibus hoc modo peractis, prædictus Marchio *Carolus*, misso legato & consiliario *Joanne Sechelio*, Juris Doctore, cum literis fiduciariis (quas vocant) *Herbrandi* explorat voluntatem, & operam requirit, quam duce *Christophoro* impetrat ad annum.

Reformatio marchionatus Badensis.

Quam adjuvat Andr.

Herbrandus eò vocatus.

Posteà revocatus D. *Andreæ* mense Octobri eodem rediit, & cum Marchione *Carolo* & *Herbrando* ad ecclesias, ditionum superiorum, quæ in *Brisgoia* sitæ, reformandas, unà ascendit. Distribuit autem Illustrissimus Princeps operas inter duos Theologos, per ditiones istas. Quod opus feliciter cessit, ad gloriam Dei, ut optatum, illustrandam, & multarum animarum salutem promovendam.

Reformat eccles. Brisgoiæ.

Hoc eodem anno à Senatu Civitatis Imperialis *Rottenburgum* ad Tubarim, D. Andreas vocatus est, propterea quod pastores in agro ipsorum dissimilibus uterentur ceremoniis, & metus esset, ne inde etiam certamina de dogmatibus orirentur. Itaque consilio Andreæ repetunt confessionem verbo Dei consentientem, & certos ritus præscribunt, quibus omnes unanimiter pastores, tam in urbe, quàm in agro posthac uterentur. Ita consensu facto pax illis ecclesiis est data.

Rottenburg ad Tubarim evocatur.

Anno *quinquagesimo septimo*, mense Januario, cum Duce *Christophoro*, concionatoris aulici partes obiturus, ad comitia *Ratisbonæ* celebranda profectus est, in quibus inter cætera de colloquio, inter Pontificios Theologos, & Augustanæ confessionis, *Wormatiæ* habendo, deliberatum. Ad id, judicio Cæsaris *Ferdinandi*, & ordinum Imperii, collocutores certi sunt delecti, quibus ex parte Evangelicorum notarii adjuncti *Paulus Eberus* & hic *Jacobus Andreæ*.

Abit Ratisbonam cum suo primo Colloq. Wormat.

In eo Notarius Andr.

Eodem anno D. *Andreas* libellum de *Cœnâ Domini* edidit, addita præfatione *Brentii*, commendationem brevem continente. In eo viam monstrat ad concordiam in controversia odiosa & toti Ecclesiæ damnosa. Fuitque hic primus ipsius liber quem edidit.

Primum scriptum edit.

Anno eodem, mense Junio, cum Duce suo *Christophoro*, *Francofurtum* ad Mœnum descendit, ubi conventus erat principum quorundam, à Cæsare deputatorum, ad sopiendam controversiam, quæ annos complures inter *Philippum Hassiæ* Landgravium, & *Wilhelmum*, comitem Nassovicum, ob comitatum *Catzenelbogen* duraverat, sicut & transactum inter illos est & lis dirempta. Erant autem eodem ex variis locis vocati Theologi nostrates, qui communicato consilio, *de modo & forma colloquii Wormatiensis*, quod tunc instabat, deliberarent, eoque fine & D. *Andreas* erat adductus.

Abit Francofurtum.

Concionem ibidem habuit *Jacobus Andreæ*, præsentibus Principibus, festo *Joannis Baptistæ*, in summo templo, ad D. *Bartholomæum*, quod Pontificii tunc tenebant, ut etiamnum. Ibi quiddam accidit, silentio non involvendum. Cum enim certa de causa principibus nostris visum esset, concionem Evangelicam publicè eo die festo audire, res ea insolens mox evulgata est per urbem. Confluxerunt itaq; omnium ordinum homines plurimi. Ibi, post signum de more campanâ datum, suggestum adscendit Doctor quidam Pontificius. Quo viso, populus magnâ voce canere cœpit hymnum de Spiritu Sancto, qui incipit: Nun bitten wir den Heiligen Geist. Quo finito, legit ille historiam Evangelicam consuetam, de Baptistæ nativitate, quam attentè illi audiverunt. Cùm autem interpretari eam exordiretur, interrupit eum concio alio hymno Germanico: Nun freuet euch lieben Christen gemein / und last uns frölich singen. Ibi tum concionator ille, quasi attonitus, aliquandiu substitit, cumque illi finem canendi facturi nullum viderentur, de suggestu descendit, & rectà ad Ducem *Juliacensem*, qui primus & adhuc solus ex principibus aderat, contendit: coramq; eo solenniter protestatur,

Concionatur ibi Andr.

Impeditur à Pontificiis.

testatur, *vi se de suo loco & officio dejectum*, addita petitione, *ut hujus rei testis sibi esse velit in extremo judicio.* Cui princeps, *mi Domine, sic convenit inter Principes, quod hodie ex suis Theologis concionem audire velint, ideoq; si tuo fuissem loco, eorum voluntati me non opposuissem. Quod autem à me petis, ut tibi in novissimo die testis esse velim, id perdifficile mihi est. Aut enim fortassis ego & tu ibi non conveniemus, aut alter alterum non agnoscet.* Quo accepto responso, sacrificulus commotus, recedens iraque accensus, clepsammidium, quod manu tenebat, in terram juxta altare, cum blasphemiâ abjecit. Hoc *Jacobus Hoerbrandus* Theologus suis se vidisse oculis, & suis auribus, propiùs adstantem, audivisse, est testatus.

Petitio sacrificuli stultissimi principe.

Porrò ad colloquium, cujus modò facta mentio, quod attinet, convenerunt *Wormatiæ* Theologi, utriusque partis, mense Augusto, ubi hoc à Pontificiis actum est, nihil ut agerent. Motâ enim quæstione, *de judice controversiarum*, inter partes, cum nostri *verbum Dei scriptis Prophetarum & Apostolorum comprehensum, pro vero & inabitato judice agnoscendum, contenderent:* Pontificii contrà, scripto prolixo proposito testati sunt: *se nequaquam unquam in hunc unum judicem consentire posse. Scripturam enim sacram, literam esse mutam, mortuam, ambiguam, adeoque non esse vocem judicis, sed materiam litis, ex qua certa controversiarum dijudicatio deprompi non possit. Quapropter si in hoc proposito Augustanæ confessionis Theologis perseverare certum sit, se in instituto colloquio progredi non posse, siquidem contra negantem principia non sit disputandum.* Hac itaque de causa colloquium istud abruptum ab illis est, nullâ habitâ ratione rescripti Cæsaris *Ferdinandi*, quo progredi eos in instituto colloquio hortabatur, quod idem Præses *Julius Pflug*, Episcopus Naumburgensis satagebat, sed omnia frustra.

Colloq. Wormat.

Judex controversiarum quis.

Anno *quinquagesimo octavo*, *Staphylus* infelix apostata, ut prætextum suæ defectioni aliquem quæreret, libellum adversus religionem, quam Evangelici profitentur, edidit, cui titulum fecit: *Epitome trimembris Theologiæ Lutheranæ.* In eo non modò plurimarum sectarum opiniones collegit, easq; simul omnes *Luthero*, tanquam primario asscribit authori, sed etiam ex ipsius, aliorumque doctorum scriptis, quam plurimas antilogias, ut hodiè *Jesuitæ*, confinxit & compilavit. Hic *Andreas* authoritate Ducis *Christophori*, hominis impudentiam & vanitatem refutavit, quæ scripta contraria posteà sunt multiplicata, utrinque ternis adversariis editis.

Staphyli contra Luther. liber.

Quem refutat Andr.

Anno *quinquagesimo nono*, quia conventus Imperii indictus erat *Augustæ*, cùm alias ob causas, tum etiam, ut *acta colloquii Wormatiensis*, quod ferè prius abruptum quàm inchoatum fuerat, cistæ vel arcæ inclusa, nec evulganda antea, quàm ordines Imperii ad comitia convenirent, publicarentur, ut conventum erat, & religione jurisjurandi collocutores devincti. Ibi tùm etiam eò missus est D. *Andreas* cum aliis politicis, ut publicationi actorum interesset. Verum iis publicatis, gravis accusatio in eodem consessu, adversus *Jacobum Andreæ*, ipso præsente & audiente, recitata fuit, quod *Francofurti ecclesiasten ordinarium ejus loci, in æde D. Bartholomæi, violenter ab officio suo depulisset, quo nomine in publicas leges pacis constitutæ peccaverit, quod durantibus comitiis in summo templo Augustæ, Pontificio doctori concionanti publicè contradixisset, eumq; mendacii in doctrina arguisset, quod tumultus causam præbere sategisset.* Sed illud uti factum sit, referre operæ pretium est. Concionem habente Augustæ quodam Pontificio, *Jacobus Andreæ* proximè sibi à latere astanti clàm dixit, *mentitur*, quod cùm à tergo illi astans sacrificulus exaudivisset, clara voce, ut & à concionatore, & aliis exaudiri potuerit, D. Andreæ dixit, *cur non publicè concionatori dicis, mentiris?* Ne ergo tumultus fieret in populo, discessit noster, comitante ipsum amico. Fretus itaque bonitate causæ, se purgavit & satisfecit, partim sua innocentia, partim verò adversariorum calumniis demonstratis. Interea autem duas, durantibus comitiis, conciones habuit, *de justificatione* unam, de *cœna Domini* alteram, præsentibus omnibus nostræ confessionis principibus. Quæ ambæ ante comitiorum finem *Tubingæ* sunt typis excusæ & exemplaria *Augustæ* plurima distracta. Id etiam hoc loco non prætereundum. Iisdem in comitis à R. *Ferdinando* exequias factas *Carolo V.* & utrique Reginæ *Mariæ*, Ungaricæ & Anglicæ. Ibi cum nomine Principis sui legatus Electoris Palatini adstitisset missæ, nollet tamen figere osculum patinæ sacræ, oblatæ à *Cardinale Augustano*, qui missam celebrarat: *Cardinal.* iratus magna voce, *Si non vis*, inquit, *benedictionem, habeas tibi maledictionem in æternum.*

Accusatur ibi à Pontificiis.

Excusat se.

Et conciones ibi habet.

Exequias à Ferdin. factas ibid.

Legat. Palatin. adstat missæ.

Eum execratur Cardin.

Post reditum interrogatus *Andreas* à nobili viro septuagenario, *Joanne à Liebenstein*, qui *Goppingæ* domicilium habebat, Pontificiæ tum adhuc deditus religioni, sed qui frequenter conciones ipsius *Andreæ* audiebat, neque à consuetudine ejus abhorrebat, ab hoc igitur interrogatus, *ecquid tandem in colloquio Wormatiensi, tam celebri, de religione esset actum?* Respondit D. *Andreas* id, quod supra de causa dissipati & interrupti colloquii commemoratum est. Ibi tum nobilis commotus ingenuè professus est; *se nullam aliam αὐτόπιστον agnoscere doctrinam, quàm quæ sacris sit literis comprehensa, eandem se quoq; velle suis proponi subditis, sed non nisi ab ipso Andreâ.* Hic facilè assensit, singulisque diebus Dominicis ac festis, à prandio, ubi prius *Goppingæ* manè suos docuisset; egressus in pagi templo concionatus est, post in oppidum regressus vespertinam habuit concionem adeoque ternas, idque longo tempore gratis, quod nobilis nollet alium conscendere suggestum tantisper, dum subditi

Joan. à Liebenstein.

Ejus colloq. cum Andrea.

Convertitur.

Ter in die concionatur Andr.

Augustam mittitur.

diti benè in religionis doctrina instituti confirmatique essent.

* M. Barthol. Hagen.

Sub idem tempus quidam * Pastor, in agro Wirtembergico, Calvini sententiam fuit amplexus. Id ubi Dux *Christophorus* inaudivit, confessionem de Cœna Domini scriptam ab eo exegit, quam præcipuis sui ducatus Theologis examinandam misit, cumq; eorum intelligeret consensum, synodum indixit mense Decembri, anni *quinquagesimi noni* ad quam ministri omnes *Stutgardiam* convocati. Stitit se eodem in conventu ille, qui sententia mutata, in officio est relictus, postquam confessioni à D. *Andreæ*, jussu principis cum synodi consensu scriptæ, subscripsisset.

Synodus Stutgard.

Excurrit etiam D. *Andreas* aliquoties & hoc & sequentibus annis ad comitem *Oettingensem*, vocatus ad inspectionem ecclesiarum ipsius. Ita & anno *sexagesimo*, a Duce *Wolffgango* Palatino Rheni, ad instaurationem ecclesiæ *Lavingenæ*, à sectariis perturbatæ, evocatus, & à Duce *Christophoro* missus est, ubi anni ferè quadrantem hæsit, frequentibus concionibus doctrinæ cœlestis fundamenta jecit, seductosque in viam cum lenitate & mansuetudine revocavit.

Visitat ecclesias And.

Anno *sexagesimo primo*, auctoritate ducis *Christophori*, April. die *decimo quinto*, missi sunt *Jacob. Beurlinus*, *Theodor. Snepfius*, & *Jacob. Andreas*, Theologiæ Doctores, adjunctis Politicis, *Erphordiam*, ad conventum Theologicum, *Friderici* Electoris Palatini, *Augusti* Electoris Saxoniæ, & *Philippi* Hassiæ Landgravii, propter Electorem *Fridericum*, qui diversam videbatur à confessione Augustanâ, in articulo de Cœnâ doctrinam fovere, sed re infectâ est discessum. Mense deinde Junio à *Wolffgango* Palatino, secundò vocatus, ecclesias superioris Palatinatus illius ditionis, inspexit, & rectè ne an secus administrarentur ac procederent omnia, cognovit.

Mittitur Erphordiam.

Vocatur in Palatinat. superiorem.

Exeunte Septembri ejusdem anni, ad Ducem *Christophorum* venit legatus regis Navarræ, cum literis, quibus petebat, Theologum sibi mitti, cujus operâ & consilio in *Synodo Possiacenâ* uteretur. Eò enim negotium religionis deductum, ut de controversis capitibus, præsente rege, *Carolo IX.* regina matre, rege Navarræ, principe *Condæo*, & reliquis regni ordinibus *Possiaci*, inter Pontificios & *Hugenottos*, quos vocant, colloquium modestum instituatur. Negotio itaq; cum consiliariis communicato, visum est mittere *Jacobum Beurlinum*, recens creatum Academiæ Tubing. cancellarium, & ecclesiæ præpositum, *Jac. Andreæ*, & *Balthas. Bidenbachium*, concionatorem aulæ Wirtembergicæ, quib. adjunctus nobilis *Melchior à Salhausen*, Gallicæ linguæ peritus, & alii ministri. Simul ergo iter ingressi *tertio* Octobris, ejusdem *decimo nono Lutetiam* pervenerunt. Ibi cùm aliquandiu regis exspectarent mandatum, *Sorbona* visâ, collegium regis Navarræ ingrediuntur, ubi *Beurlinus* inspicienda bibliotheca, optimis auctoribus instructa occupatus, morbo corripitur, quem ipse erysipelas ratus, sed eventu teste pestis fuit, quæ in collegio eo tum sæviebat, quod nostratibus ignotum. Exstinctus * est ea die *vicesimo octavo* Octobris Lutetiæ, sepultus in cœmiterio sanctæ Crucis. Antequam autem nostri *Lutetiam* perveniissent, solutum jam erat colloquium Possiacenum, *Bezæ* quadam oratione: quam in eo conventu coram rege & aliis, de Cœna Domini habuerat, in hæc verba erumpens, *quantum distat supremum cœlum ab infima terra, tantum Corpus Christi distat à pane & vino Eucharistiæ.* Quibus auditis Pontificii surrexerunt * *Bezam* ampliùs audire nolentes. At postquam silentium regis mandato imperatum esset, absolvere orationem suam Bezæ fuit permissum. Proposuerat isto in conventu cardinalis Lotharingus, ut nostris fuit relatum, conditionem pacis & concordiæ, inter utramque partem religionis in regno Galliæ confirmandæ, confessionem *Augustanam Carolo V.* anno trigesimo exhibitam. Hanc si subscriptione suâ approbarent *Bezæ* & socii religionis, perpetuam quoad religionem in regno Galliæ pacem futuram. Quam conditionem cum recusarent, nulla ampliùs de religione deliberatio suscepta est, conventusq; solutus. Doluit autem Navarreno vehementer, prius abruptum colloquium, quàm Wittembergici advenissent. Miserunt tamen *Jac. Andreæ* & *Bidenbachius* ad Navarrenum id petentem, scriptum quoddam, de *vera & genuina sententia Augustanæ confessionis, in articulo de Cœna Domini*, sed responsum acceperunt nullum. Verùm vocati ad reginam, clementer sunt dimissi, cumq; nihil ampliùs haberent quod agerent, *vicesimo quarto* Novembris iter patriam versus susceperunt, in quam *decimo* Decembris incolumes redierunt.

* *Supra in vita ejus.*

Possiacenum colloq. abruptum Bezæ oratio.

* *Vide vitam Bezæ.*

Scriptum Wirtembergicorum ad Navarrenum.

Sequente anno *sexagesimo secundo Guisii* duces, & inprimis cardinalis Lotharingus *Carolus*, colloquium cum Duce *Christophoro*, ad componendos motus in Galliâ religionis causa exortos, petunt. Id *Tabernis Alsaticis*, quæ sedes est Episcopi Argentinensis, ad decimum quintum Februarii indictum; adduxitque secum Princeps *Joan. Bremium*, *Jacob. Andreæ*, & *Bidembach.* Ibi tantum est effectum, ut *Guisii stipulata manu Principi Wirtembergico fidem dederint, se in Hugenottos posthac non sævituros*, quo promisso tantisper steterunt, donec ab eo fuerunt digressi. Nam simulac *Vassiacum*, ad Campaniæ fines oppidum, dux senior Guisius venit, horribilem lanienam in promiscuam plebem, templo inclusam, in quo concionis audiendæ causa convenerant, exemplo crudeli exercuit, qua de re alibi.

Synodus Possiacena

Colloquiū Tabernis Alsaticis.

Acta inter.

Vassiacensis stragis Thuan. hist. Aug.

Cùm ergo, ut dictum, *Beurlino* mortuo cancellarii locus in scholâ Tubingensi alium desideraret, Princeps *Christophorus*, communicato cum Rectore & Senatu Academico consilio, *Jacob. Andreæ* cancellarium ac præpositum designavit. Antequam autem *Tubingam* commigraret, missus est cum *Christophoro Bindero*, petente id *I. Friderico* Duce Saxoniæ, mense Aprili in *Thuringiam*, ad sopien-

Ad eam & Andreas missus.

Iac. Beurlinus Lutetiæ peste moritur.

Cancellarius & præposit. Tubingæ designatur Andr.

Mittitur in Thuring.

sopiendum dissidium, inter Theologos Jenenses, *Matthiam Flacium* Illyricum, & *Victorinum Strigelium*, *de libero arbitrio viribus*, ortum, quibus hic nimium tribuere visus in conversione hominis peccatoris coram DEO, usus vocabulo *Capacitatis* quod ille minùs rectè accipiebat. Proposita itaque ab Andreâ formula, qua tota controversia fuit explicata, & à *Victorino* manus subscriptione approbata.

Dissidium inter Flacium & Strigelium

Reversus mense Julio, familiam suam *Tubingam* transtulit, & ex eo officium tam in scholâ, quàm in templo cum zelo obivit, sæpe etiam alias ad ecclesias evocatus abivit. Initio statim sequentis anni *sexagesimi tertii*, mense Februario, *Argentoratum* est missus, ubi *Hieronymus Zanchius*, theologus, pacem & concordiam scholæ & ecclesiæ, novis quibusdam dogmatibus ferebatur perturbasse, inter quæ & hoc fuit, *quod renati & credentes, non possint iterum excidere gratia Dei, & fide, per peccata, contra conscientiam admissa, amittere*. Cum eò à D. *Andrea* & *Simone Sultzero* Basiliensis ecclesiæ Pastore, & ejusdem scholæ Professore, Theologo, quos magistratus Argentinensis evocaverat, actum est, & postea formula confessionis conscripta, atq; à *Zanchio* petitum ut subscriberet. Hic cum cunctaretur primum, à *Joanne Sturmio*, Rectore Academiæ Argentinensis, persuasus, & à *Sultzero* adductus, & rogatus, ut subscriptione sua eam confirmaret, tandem his verbis ei subscripsit, *hanc confessionem, ut priùs esse corde sentio, ita manu subscribo.*

Redit Tubingam. Andr.

Argentoratum mittitur.

Zanchii controversia.

Qui subscripsit Zanchianæ.

Fuit in illa vicinia, *Tubinga*, circiter duo milliaria, vir generis nobilitate, virtute, pietate præstans, *Joannes ab Auvin* Wachendorff, qui à medico *D. Gablero*, quo valdè familiariter utebatur, de nostræ religionis principiis catecheticis, edoctus est. Ibi *Gablerus*, antequam à nostra religione defecit, author illi fuit, cum alio quoque juris consulto, *Joanne Biettigheimero*, ut D. Andream ad se vocaret, à quo plenius cum sua ecclesia, instrueretur, quemque scirent, non difficilem se præbiturum. Occasione itaque hac sibi oblata, *Andreas* re cum suo Principe *Christophoro*, communicata, operam illi præstitit, hoc modo, ut diebus Sabbathi ascenderet, & postea diebus Dominicis publicè pro concione istic (cum interim non deessent, qui Tubingæ vices ipsius subirent) Catechismum traderet & explicaret, quod annum circiter aut amplius præstitit. Octavo Novembris, anni *sexagesimi quarti*, incipiens, primam habuit concionem, atque ita ecclesiam istam plantavit, paulatim abrogata idolomania Pontificia. Conciones illæ postea typis sunt excusæ, & quamvis variè tentaretur nobilis, tamen constanter in agnita veritate perseveravit ad finem. Cumque *ἀτεκνος* ipse esset, fratrem Pontificiæ religioni addictum, hæredem & successorem instituit, hac conditione differtè addita *ne religionem à se institutam, mutaret, neve ullum numquam officium, in templo, sacrificulum Pontificium facere permitteret*, sub pœna privationis omnium acceptorum à fratre bonorum. Quod & religiosè iste servavit.

Joann. ab Auvin Wachendorf.

Docet D. Andr.

Docet ibi.

Anno *sexagesimo quinto Haganoam*, Imperialem civitatem, ad instituendam ecclesiam vocatus mense Novembri, tricesimo ejusdem mensis die, qui Apostolo D. *Andreæ* sacer est, primam habuit concionem. Mansit mensem ibidem, & demum Januarii, sequentis anni die octava recessit. Plurimas autem de præcipuis religionis Christianæ capitibus, conciones habuit, quas postmodum impressas evulgari curavit. Dedit autem ecclesiæ à se recens plantatæ, Pastorem *Philippum Heerbrandum*, Theologiæ Doctorem, fratrem *Jacobi*, cujus curriculum brevius fuit. Cum enim ibi *decennium* integrum fideliter suo munere functus esset, in statione sua, piè & placide in Domino obdormivit.

Vocatur Haganoâ.

Philippus Heerbrandus, Pastor Haganoæ.

Anno *sexagesimo septimo* cum Academia Tubingensis *Eslingæ* propter pestem serpentem, commoraretur, & Eslingenses Pastore carerent, à magistratu illius loci compellatus, per integrum annum, vice & loco Pastoris, frequentes ibidem instituit conciones, quibus errores varios, & præcipuos, *Pontificianorum*, *Zwinglianorum*, *Anabaptistarum*, & *Schwenckfeldianorum*, refutavit, quod horum opinionibus cives non nulli essent infecti, quas & ipsas, rogatus in lucem dedit. Postea anno *sexagesimo octavo* mortuo *Henrico*, Duce Brunsuicensi, filius, hæres, & successor unicus, *Julius*, cum jam patre superstite religionem Evangelicam amplexus esset, eandem, defuncto parente, subditis quoque suis, quorum sibi curam demandatam divinitus sciebat, proponere, & de mutatione Pontificiæ religionis cogitavit. Cumque jam per omnem fama Germaniam, de *Jacobo Andrea* percrebuisset, cum sibi à cognato suo, duce *Christophoro*, ad suas reformandas ecclesias, mitti petivit, & facile, quæ erat Ducis *Christophori* in propaganda Evangelii doctrina, pietas, studium, & zelus, impetravit. Egressus itaque Augusti *vicesimo nono*, *Wolfenbitum* die *decimo tertio* Septembris appulit, ubi cum *Martino Chemnitio* Theologo celebri, de summa negotii, aliisque adjunctis viris, pietate & sapientia præstantibus, *Julio* quoque ipso Duce præsente, de constituendis ecclesiis gravissimè est deliberatum. Comprehensa ergo est literis *ordinatio ecclesiastica*, & ministerium verbi secundum sacram scripturam constitutum. Cumque idoneorum ecclesiæ ministrorum ibi copia non esset, ex Stipendio illustri quidam *Tubinga* fuerunt missi.

Docet Eslingæ Andr.

Julius Dux Brunsuicensis reformat ecclesias.

Idq; operæ Andreæ.

Martinus Chemnitius.

Acceperat *D. Andreas* discessurus, in mandatis ab Illustrissimo Principe *Christophoro*, ut ea oblata occasione, declarationem consensus ministorum ecclesiis Saxonicis, cum aliis ecclesiis quæreret & impetraret. Verum cùm sub id tempus de obitu sui Principis * certior esset factus, rejecto hoc concordiæ negotio in tempus commodius, constituis ecclesiis Brunsuicensibus, domum propera-

Quærit consensum ecclesiar. Saxon.

* Dux Christoph. Wirtemb. 1568. d. 28. Decembr. ætat. 54.

vit, *Tubingamq;*, duodecimo Februarii anno unde septuagesimo est reversus.

Haidelbergæ colloquium de Cœna.

Deinde die tertio Aprilis *Haidelbergam*, ad privatum *colloquium de Cœna Domini* cum Electore *Friderico*, profectus, duodecimo ejusdem domum revenit. Paulò pòst, mense Junio, ad Ducem *Julium* Brunsuicensem rediit, accepto viatico à vidua Principis *Christophori*, eo fine, ut ad Saxonicas & maritimas civitates itinere suscepto, voluntates ministrorum de consensu in doctrinâ explararet. Adiit tunc ad loca quam plurima, urbes, regiones, in *Daniam* usque, qua peregrinatione annum illum clausit.

Iterum abit ad Ducem Brunsuicensem.

Et in Daniam usq;

Anno sequenti *septuagesimo*, mensibus Januario & Februario per *Saxoniam*, *Misniam* ingressus accessit, *Dresdam*, *Vinariam*, *Wolfenbutum*, *Berlinum*, ad Electores & Principes *Augustum*, *Julium*, *Joannem Marchionem* Brandeburgicum. Postea mense Martio, cum Duce Brunsuicensi *Julio*, *Pragam*, Boemiæ metropolin est profectus. Ibi Imperator *Maximilianus* II. cognito ipsius adventu, die *decimo sexto & septimo* Martii eum ad se vocavit, semotisque aliis privatim cum ipso de *Concordia* negotio, in quo plurimum ipsum laborare cognorat, contulit, procurante id procancellario D. *Zasio* juniore. Probavit Imperator prudentissimus in eo concordiæ conciliandæ propositum, hortatusque est, strenuè in eodem pergeret, neve ullis clamoribus calumniisve à bono instituto se dimoveri pateretur, mercedemque laboris à Deo sibi repositam exspectaret. His dictis clementissimè eum à se dimisit.

Item Misnia.

Venit Pragam.

Vbi Maxim. Augustus cum ipso colloquitur.

Pragâ *decimo octavo* ejusdem mensis, cum *Julio* Duce Brunsuicensi digressus, ubi ad *Augustum* Saxoniæ electorem venit, coram eo vicesimo secundo Martii concionatus est. Deinde die *duodecimo* Aprilis *Synodus Wolfenbitii* habita est, cui & D. Andreas interfuit. Postea die Maji septimo profectus est ad conventum *Servestanum*, & die secundo Julii concionem *Bernburgi* habuit, coram Principe Anhaltino. Idem fecit die *decimo* Novembris *Brunsuigæ*, ubi tum *formula* quædam *concordiæ ecclesiasticæ in Saxoniâ*, *cum Suevicis ecclesiis* proposita est, cui multi ecclesiarum Saxonicarum ministri subscripserunt, allaborante in id per sesquiannum D. *Iacobo Andreæ*, qui postea die *duodecimo* Decembris, exeunte anno septuagesimo, *Tubingam* rediit.

Synodus Wolfenbitt.

Conventus Servestanus.

Conciones habet diversis in locis.

Formula concordiæ.

Visitat eccles. Mompelgard. Colloq. cum Flacio.

Anno *septuagesimo primo*, cùm comite *Christophoro Bindero*, *Mompelgardum* ad inspectionem ecclesiarum esset profectus, in reditu, die decimo Augusti, *Argentinæ* cum *Matthia Flacio Illyrico* colloquium instituit, in quo paradoxum ejus, & Manichææ hæresi affine dogma, *peccatum esse substantiam*, refutavit. Circa finem anni *septuagesimi secundi*, denuo *Mompelgardum* abiit, propter quædam negotia ecclesiastica.

Anno *septuagesimo tertio*, die *septimo* Julii, *Memmingam*, oppidum Imperiale, missus est, cùm quidam illius ecclesiæ minister, *Eusebius Cleberus*, dogma, quod Zvvinglianum vocant, invehere conaretur. Hic a D. *Andrea* in senatu monitus, cùm desistere nollet, ab officio est remotus.

Eusebius Cleberus.

Anno *septuagesimo quinto*, defuncto pastore Hagonoensi, *Philippo Heerbrando*, ecclesia & magistratus illius loci alium petivit ministrium ex Stipendio principis, & impetravit, *Georgium* nempe *Volmarum*, quem *Andreas*, mense Martio, ecclesiæ illi Istitit commendavitque. Reversus *Haganoa*, abiit *Alenum*, quoddam oppidum Imperii, ibique eliminatis Pontificiis, Evangelii doctrinam mense uno ipse tradidit, & qui traderent postea ecclesiæ constituit ministros.

Obitus Phil. Heerbrandi.

Ei succedit Georg. Volmar. Alenum.

Inde domum reversus, iter *Lindavium*, oppidum Imperii amœnum, ad lacum Acronium, suscepit, ibique cum *Tobia Rupio*, ecclesiæ ministro, errore Flaciano imbuto, contulit. Et sicut antea istius dogmatis auctorem *Argentinæ*, ita tunc quoque discipulum ejus *Lindavii*, præsente Senatu, civiumque populosâ frequentiâ, refutavit.

Lindavii cum Tobia Rupio Flaciana disputat.

Circa initium anni *septuagesimi sexti*, à *Philippo Ludovico* comite Palatino Rheni vocatus, propter causas quasdam ecclesiasticas, consentiente duce suo, cò est profectus. Ibi cum *Neuburgi* commoraretur, *Ratisbonenses* magistratus misso legato rogat, ad se quoque ut excurrat componendæ controversiæ causa, quæ erat ecclesiæ ministris cum senatu *super excommunicatione*. Venit ergò cò *decimo quinto* Januarii, & illic ad quartum usque Martii substitit, donec negotium expediretur.

Evocatur à Palat. Neoburg.

Et Ratisbonam.

Interea dum abest, Elector Saxoniæ *Augustus*, datis ad *Ludovicum* ducem Wirtembergicum literis, operam *D. Andreæ* expetit, quòd Theologos Wirtembergenses dogma *Zvinglii* in scholam introduxisse, & juventutis animis instillare deprehendisset. Iter ergò ingressus *Torgam* die Aprilis nono pervenit.

Nec non in Saxoniam.

Postea conventus Theologorum *Torgæ* habitus est, instituta deliberatione, de toto religionis negotio, & *formula* quadam *concordiæ*, maximè autem de dissidiis & controversiis, quæ hinc inde exortæ erant, juxta normam & præscriptum verbi divini componendis & tollendis.

Conventus Torgensis.

Ad hunc conventum ab eodem Electore vocati sunt & alii Theologi, *Andreas Musculus*, & *Christophorus Cornerus*, Brandeburgici Electoris Theologi, *Martinus Chemnitius*, *David Chytræus* Professor scholæ Rostochiensis, & *Nicolaus Selneccerus*. Hic communicatis operis librum quendam conscripserunt, qui postea *Bergæ* est recognitus. Missus est autem *D. Andreas* ab Electore Saxonico *Augusto*, hâc eadem de causa, ad Illustrissimos Principes, *Julium* Ducem Brunsuicensem, *Ludovicum* Landgravium Hassiæ, & *Georgium* Marchionem Brandenburgicum. Hinc ad suos *Tubingam* rediit, uxorem & liberos, propter diuturniorem absentiam secum adducturus *Lipsiam*, quod Elector diutius opera ejus, in constitutione scholarum & ecclesiarum, simul etiam opere concordiæ conficiendo,

In eo qui Theol.

Mittitur ad Principes Andr.

Migrat in Saxoniam cum suis.

do, usurus esset, & copiam a duce Wirtembergico, misso legato, *D. Jodoco Dedamero*, Landgravii Consiliario, fieri petierat.

Opus concordiæ.

Arduum hoc fuit opus, & magnis constitit laboribus, adeoq; ferè impossibile videbatur: cum Pontificii identidem dissidia nostrorum objicerent, sine fine clamantes, *non duos aut tres reperiri inter Augustanæ confessionis Ecclesiæ ministros, qui in omnibus de doctrinâ consentiant.* Hic ergo opera & studio indefesso, *D. Andreæ* effectum est, ut magno numero *aliquot millia* subscripserint isti formulæ concordiæ, atque ita vanitas & falsitas adversariorum, re ipsa, facto & opere, refutata sit. Maximo autem *Andreæ* constitit labore, multis & longis itineribus opus erat, ad Principes, Electores & alios, ad magistratus oppidanos, ad conventus varios, & colloquia, quæ hac de causa sunt instituta & agitata, *quinquennio* ferè continuo, quo strenuè laboravit. Interea dum passim consensus Ecclesiarum, & subscriptiones atque judicia libera singulis relinquuntur, & colliguntur: ordinationes Ecclesiasticæ conscribuntur, inspectiones & constitutiones Academiarum, *Lipsensis, Wittembergensis, Jenensis*, cujus cura etiam Electori Augusto, curatorio nomine tunc incumbebat, tot diœcesium in Electoratu Saxoniæ & Misnensi, *quadraginta octo* superintendentiarum, suscipiuntur, tot pastorum subscriptiones locis tàm diversis, ubi omnibus & singulis reddenda fuit ratio, qui aliqua de parte formulæ dubitabant, conquiruntur, quos hic labores non exantlavit? Ingens sane animi corporisque robur, patientia admiranda, quâ has potuit devorare tantas molestias, tot duros catenatosque subire & ferre labores, *peregrinationum, colloquiorum, disputationum.* Multa enim *milliarium millia* confecit solus ferè, unico adjuncto famulo. Ubi hoc admiratione dignum, quod in omnibus illis itineribus nemo illi factus fuerit obviam, qui ipsum interpellaverit, ne dum molestiam aliquam creaverit.

Opera Jac. Andreæ confectum

Misit per quinquennium.

Labores Jac. Andr.

Tandem anno *octogesimo* prodit liber multorum desiderio expectatus, magnaque Wirtembergicorum gratulatione à tribus *Electoribus* Imperii, *Principibus viginti uno, comitibus viginti duobus, Baronibus quatuor, civitatibus Imperialibus triginta quinq;, ministris Ecclesiæ octies mille subscriptus* & approbatus, præcipuè authoritate, judicio, & spiritu heroico *Augusti* Electoris Saxoniæ, labore autem & opera *Jacobi Andreæ*, collatis tamen & communicatis antea sententiis, cum prædictis Theologis præstantissimis, & liberrimis omnium Ecclesiarum, Doctorum, & ministrorum judiciis & notationibus.

Liber concordiæ prodit.

A quibus subscriptus.

Quemadmodum ergo salutaris visa est D. *Andreæ* opera, toto hoc in negotio, ita grata accidit inprimis Electori *Augusto*. Quippe cum multis aliis argumentis suam & erga præsentem, & erga discedentem declaravit clementiam, tum dono non contemnendo, *Bibliorum Antverpiensium* opere *Complutensi*, quod eleganter compactum *D. Andreæ* donavit. Nec id solùm, sed inscriptione quoque in fronte Bibliorum additâ, actiones *Andreæ* approbavit, commendavitque, hisce verbis:

Augusti Elect. Sax. Biblia Complut. donat. Andreæ.

D. O. M.
GRATIA
D.
AUGUSTUS, DUX SAXONIÆ, S. ROM. IMPERII ARCHIMARSCHALCUS ET ELECTOR, LANDGRAVIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ, ET BURGGRAVIUS MAGDEBURG.
HÆC.
SACROSANCTA BIBLIA, SUMMO VIRO, PIETATE, DOCTRINA ET VIRTUTE ORNATISSIMO, D. JACOBO ANDREÆ, S. THEOLOGIÆ DOCTORI CELEBERRIMO, DOCTRINÆ COELESTIS, AB ULTIMI HELIÆ, D. D. LUTHERI MORTE, IN HIS REGIONIBUS, AB HOMINIBUS LEVISSIMIS CORRUPTÆ, INSTAURATORI INTEGERRIMO, DE ECCLESIA CHRISTI OPTIME MERITO, OB GRATI ANIMI MEMORIAM SEMPITERNAM DONO DEDIT, ANNO S. M. D. LXXIX.
ET MANU PROPRIA SUBJUNXIT ET SUBSCRIPSIT SEQVENTIA:

Inscriptio.

Tandem bona causa triumphat. «
Augustus Dux Saxoniæ Elector. «

Postea omnibus peractis, ecclesiisque & scholis constitutis, bona cum gratia ab Electore, ad finem decurrente anno *octogesimo*, mensis Decembris *vicesimo primo*, clementer est dimissus, cùm annos ferè *quinque* in *Concordiæ libro* strenuè laborasset. Sed à multis etiam pessimè eo nomine audivit, dictantibus, *eum Christum & Belial, lucem & tenebras, bona & mala, in unum Chaos confudisse, aut saltem confundere voluisse.*

Non omnibus probatur labor Andreæ.

Post reditum è Saxoniâ, anno *octogesimo primo*, bis à generoso & Illustri Comite in *Hohenlohe Wolffgango*, evocatus est, certorum quorundam negotiorum causa.

Evocatur à Comite Hohenloico.

Anno *octogesimo tertio*, acerba eum exercuit calamitas domestica, mortuâ uxore, quâcum annos *triginta septem* conjunctissimè vixerat. Hanc suam orbitatem diu multumque deploravit, nec sine vulnere domum viduatam ingredi potuit, ut sæpè amicis est conquestus. Exacto anno cum dimidio ad secundas transiit nuptias, cum piâ & honestâ vidua *Regina Prentzingerinâ*, quæ maritum priorem ob religionem in exilium, desertâ sponte patria, secuta *Ratisbonam* migraverat. Hujus quoque virtutes, matrona pia dignas, sæpe commendavit.

Amittit uxorem.

Ducit secundam.

Orthodoxus consensus.

Hoc tempore cùm adversarii *orthodoxum* suum *consensum* edidissent, nec prolixum librum quisquam refutandum susciperet, refutatio illius D. *Andreæ* publicâ auctoritate est mandata. Rem itaque aggressus anno *octogesimo tertio & quarto*, opus ingens & arduum conscripsit, *de causa* nempe *universa*, de *Persona Christi*, de *unione personali*, de *communicatione idiomatum, veraq; corporis & sanguinis Christi, non solum in sacrâ cœnâ, sed in toto terrarum orbe præsentia.* Cæterum *Ubiquitas corporis Christi*, quam D. *Andreas* docuit, *non est corporalis*, ut ipsi loquuntur, *vel localis præsentia, qua videri vel palpari possit, ut stramen in sacco, sed est præsentia totius Christi, non tantum divinitate, verum etiam adsumtâ humanitate, ita ut totus, Deus & homo indivisus, ubiq; in cœlo & in terra omnibus creaturis, visibilibus & invisibilibus, cœlestibus & terrestribus, cœlesti tamen, spirituali, supernaturali humanaque ratione impervestigabili modo, adsit verè præsens, omniaq; secundum naturam humanam, videat, faciat, audiat, sciat, & præsens, non absens, ut Rex Hispaniarum Indiam, administret & regat.* Hanc dixit scripsitque, se primum è *sacra scriptura*, deinde ex *Patrum orthodoxorum* veterum, atque *Lutheri*, quem *ultimum Eliam* vocant, & multorum aliorum libris hausisse ac comprobasse. *Proinde*, inquit, *viderint illi, qui de totius Christi in Cœna præsentia vera & reali nobiscum sentire videri volunt, quomodo, cùm diversis locis mille amplius, uno & eodem tempore Cœna Domini celebretur, Christum omnibus illis simul præsentem statuere, sicq; in Cœna retinere, negata ipsius omnipræsentia in omnibus locis vel ubique, possint. Et cur eam negent, causam non habent, sicut rectè Petrus Martyr. dixit:* Si Christi corpus duobus vel tribus locis simul præsens esse probetur, se *de Ubiquitate* verbum amplius facturum esse nullum. Sed redeat oratio, unde digressa est.

Eum refutat Andreas.

Ubiquitas Iac. Andreæ quid.

NB.

Fundamenta ejus.

Petri Martyris verba de Ubiquitate.

Colloquiū Mompelg.

Anno itaque *octogesimo sexto*, mense Martio, *Mompelgarti*, consensu *Friderici* Principis Wirtembergici, institutum est *colloquium inter Theodorum Bezam*, ecclesiæ Genevensis doctorem, & *Jacob. Andreæ*, Theol. D. & Academiæ Tubingensis cancellarium. Ea in disputatione collocuti sunt *de Cœna Domini, de Persona Christi, de Prædestinatione, de Baptismo, & temporum Pontificiorum reformatione, atq; Adiaphoris.* Sed cum typis excusa sit, & quid uterque præstiterit ex Actis pateat, nihil nobis hîc addere visum. Illud verum est magni Historici * nostræ ætatis pronunciatum, *colloquia, quæ ut Theologicis controversiis finis imponatur, instituuntur, majorum excitandarum sæpe initium existunt.* Docuit non hujus tantum, sed & aliorum colloquiorum eventus, ut paulò pòst videbimus.

* *Thuan. lib. 35. hist.*

Effectus colloquiorum Theologicorum.

Nordlingam vocatur Andr.

Anno *octogesimo septimo*, *Nordlingam*, oppidum Imperii in *Rhetiâ*, à senatu evocatus est, mense Aprili, ad negotium ecclesiasticum componendum. Quo confecto, in reditu, non procul *Tubinga* in pago *Gechinga* in Alpibus, febri correptus est *vicesimo nono* Aprilis, qua cum ad *undecimum* usque Maji ei conflictandum fuit, excipiente eam *cordis palpitatione & cholica.* Hoc in morbo ad se vocavit Rectorem & Senatum Academiæ Tubingensis, quibus coràm fidei suæ confessionem edidit, hac potissimum de causa, ut se mortuo testimonium perhiberent de fide sua & constantia, propter adversarios, quorum sciret se voculis obnoxium. Adflicta est his malis valetudo ejus satis duriter, ad quartum usque Junii diem, quo primùm colligere vires cepit. Inde ad balneas *Zellenses*, confirmandæ valetudinis, se contulit. E quibus rediens *Ratisbonam* à magistratu, ad componendam *quæstionem* ministrorum illius ecclesiæ, *de usuris*, vocatus est mense Octobri. Substitit ibi ad *vigesimum sextum*, Januarii, anni *octogesimi octavi*, & inde rectâ *Onolsbachium* contendit, ab Illustriss. Principe, *Friderico* Marchione Brandeburgico, vocatus: quòd aulicum haberet concionatorem, qui de erroribus nonnullis erat suspectus, quos callidè tamen dissimulabat in concionibus. Detexit eos D. *Andreas* ex chartis quibusdam ab ipso scriptis, quibus non bona fide collectis, ex *Andreæ* & aliorum libris, testimoniis probare conatus erat, illos secum convenire. Convictus cùm pertinaciter in sententia permaneret, ne plures inficerentur, ab officio est remotus.

Morbo corripitur.

Confessionem edit.

Convalescit.

Ratisbonam evocatur iterum

Item à Marchione Onolsb.

Edito deinde *colloquio Mompelgartensi*, de quo supra, cui interfuerant & *Bernatum Theologi*, Bezæ adjuncti: *Samuel Huberus*, lecto libro, cùm absurda *Bezæ* dogmata in thesibus ejus reperisset: 1. *Christum non pro omnibus esse mortuum.* 2. *Promissiones Evangelii particulares esse, non universalis.* 3. *Absoluto DEI decreto, absq; ulla antegrediente causa, plerosq; homines, una & sola Dei voluntate, causa rerum omnium, reprobari.* 4. *In Baptismo nullam salutis certitudinem esse quærendam*, contra hæc disputare cepit. Vocati itaque sunt à Bernatibus, *Beza, Jacobus Grynæus, Guilielmus Stuckius* Tigurinus, & *Joannes Jetzlerus*, Schafhusianus, Theologi, qui cum ipso disputationem instituerunt. Cumque hi ad Magistratum de disputatione referrent, significaverunt, nihil horum à *Beza* & *Musculo*, in colloquio fuisse propositum. Sed Huberum libro Tubingæ edito, & mendaci evulgato à D. *Andrea*, dolo malo afficta temerè credidisse. Quæ res cum non solum ad injuriam D. *Andreæ*, sed etiam Principis *Friderici*, Comitis Wirtembergici & Mompelgartensis, spectare judicaretur, qui acta istius colloquii sua præfatione & testimonio confirmaverat, jam non scripto, sed voce coram refutandam istam calumniam & injuriam atrocissimam, visum est. Decreta itaque legatio, qua *Andreas* adjunctis politicis, à Principibus duobus Wirtembergicis, de illa conquererentur apud Senatum Bernensem. Hi die Septembris quarto *Bernam* venêre, atque à consule & magistratu audiri se petierunt, ut exponerent ea, quæ à suis Prin-

Beza absurda.

Oppugnat ea Huberus.

Disputatio Bernæ.

Falsi arguitur Andreas.

Mittitur Bernam.

Principibus in mandatis accepissent, quod negatum illis non est.

Sexta enim Septembris, pro more Reipub. ad *minorem Senatum*, qui constat ex præcipuis capitibus, intromissi, prolixa oratione *D. Andreas* de injuria ista graviter conqueritur, principique *Friderico*, & sibi honorem suum restitui petit à Theologis Helveticis. Secundò docet, articulos istos quatuor ab Hubero reprehensos, in thesibus à Beza conscriptis, manuque reliquorum Theologorum signatis, & approbatis, contineri, eorumq; chirographa se in medium proponere paratum. Præterea multa quoque alia à *Calvinistis* proseminari dogmata, non minus absurda atque illa. Post multa, quæ tùm publicè cùm privatim utrinque sunt dicta, D. *Andreas*, significavit, ad sedandos motus & ad conservandam famam Reipubl. Bernensis, nullam sibi videri expeditiorem viam ac rationem, quàm si utrinque Helvetici & Wirtembergici Theologi conveniant, atque autographa, cum excuso conferantur libro, facile tùm appariturum, qua fide vel perfidia Theologi isti causam proposuerint.

Placuit hoc consilium consuli & senatui. Itaque die septimo Septembris profertur sententia, omnibus probari consilium, quod D. *Jacobus* subjecerat, seque scripturos hac de re ad Illustrissimos Principes, ut illi quoque consentiant, similiter & ad Helveticas Respubl. ut illæ quoque conventui celebrando, consilium & auxilium præstent. Nec quicquam intermiserunt Bernates, quod ad promovendum conventum faceret.

Hic cum animadverterent Theologi Helvetici, Bernensem Senatum D. *Andreæ* sermone plurimum permotum, omnibus quibus potuerunt modis obstiterunt, dissuaserunt, præcaverunt, ne conventus iste institueretur, sicut *Abrahamus Musculus* ad *Grynæum* vigesimo sexto Septembris, quid legati Wirtembergici *Bernæ* impetraverint, scripsit: *Quod summo honore affecti discesserint, re licet non quidem ex animo perfecta, non tamen infecta, cum plurimos à Schmidlino fascinatos fuisse, hactenus deprehenderimus. Exspectatur vestri Magistratus responsum, cui non dubito quin tu quoq; author & suasor sis futurus, detrectandi tam infructuosi & periculosi conventus.* Hactenus illius verba. Incidit & infelix bellum Bernensium cum Duce Sabaudiæ, quo consilia ista de conventu Theologorum etiam sunt impedita. Commodè tamen & peroportunè factum est, ut in senatu virorum sapientia, virtute, & pietate præstantium, D. *Andreas* confessionem suæ doctrinæ de controversis articulis, inter Wirtembergicos & Helveticos Theologos, proponeret & copiosa oratione explicaret.

Postrema actio publica, & *colloquium* fuit *Badenæ*, anni *octogesimi noni*, mense Novembri. Cum enim, ut supra dictum, ante annos *triginta tres* Ecclesias, Marchionatus Badensis, quæ ad Illustrissimum Principem *Carolum* Marchionem pertinebant, abrogato Papatu juxta doctrinam Evangelii, & formulam confessionis Augustanæ, quam ipse amplectabatur, D. *Andreas* & alii reformassent: *Joannes Pistorius Niddanus*, Medic. Doctor patre pio, & docto Theologo, Superintendente olim Hassiæ natus, postquam in aula ipsius medicinam fecisset, eoq; mortuo, Pistorius ad Calvinistarum inclinaret sectam, qui ad Papistas deinde totus defecit, ejus conatibus sese Wirtembergici opposuerunt. Conventū est itaq; Badenam, & colloquium inter D. *Andream* & *Pistorium* abrupit, ut Acta typis edita narrant.

Joan. Pistorius Niddanus.

Post reditum, quia *disputatio de ecclesia* vix inchoata, mox, ut dictum, abrupta erat, cogitationem suscepit *Andreas*, quonam modo argumentum istud copiosè & perspicuè explicaret. Itaque descriptionem ejus adornat, propositis à *Jesuitâ* & *Lutherano* Theologo, utriusque partis argumentis, coram præside veritatis cognoscendæ studioso, non secus ac si præsentes colloquerentur. Idque tanta fecit ipse contentione ac studio, ut optarit, si fieri posset, *non solum manibus, sed etiam pedibus scribere posse, nec aliter se affectum esse dixit, acsi quis sibi instaret, & ad festinandum urgeret.* Singulis diebus complura scripsit folia, quæ vesperi D. *Heerbrando*, tanquam pensum suum, legenda quotidie misit. Absolvit scriptum duabus septimanis, eaque die, qua in morbum incidit, ultimam imposuit manum.

Disputatio de ecclesia ab Andr. conscripta.

Præsensit ipse maturè, vitæ exitum haud longè sibi abesse, & eo ipso anno, quo vivendi finem fecit, aliquoties dixit, *se non fore diu superstitem, hujus vitæ se pertæsum, cupere emigrare, & esse cum Christo, quod multo sit melius* anno etiam obitum antegresso, aliquoties, *ubi templi*, inquit, *renovatio ornamenta organi, tubæ, & horologium in turre templi fuerint absoluta, postea moriar.* Et *Badenæ* cum esset, præsente filio suo *Joanne* ad Doctorem *Heerbrandum* dixit: *Tu mihi parentabis, & successor meus eris.* Quibus omnibus eventus respondit.

Præsagit mortem.

Cum ergò Deo visum esset, eum ex ergastulo corporis liberare, *decimo octavo* Decembris in morbum incidit, cujus initium fuit catarrhus vehemens cum tussi. Venit eadem die sub horam duodecimam, cum aliis, quibus inspectio demandata, ad audiendas Oeconomi contubernii rationes, quas D. *Andreas* exactè reddi voluit, ut tenuioris fortunæ studiosis consuleretur. Redegit itaque ad mediocritatem, ut potuit, & tolerabilem victus rationem instituit. Ibi nulla valetudinis ratione habita mansit, collegis etiam dehortantibus, ad noctem usque, donec rationes essent absolutæ. Domum reversus pejus habere cœpit, ac circa *nonam* noctis *Heerbrandum* ad se accersit. Qui cùm nullâ interpositâ morâ venisset, *causa*, inquit, *cur te vocarim, hæc est. Nescio quid me hac valetudine futurum sit, nec ignoro, varia adversarios de me post obitum sponsuros. Vocavi ergo, ut coram de fide doctrinaq; meâ testarer, tuq; defuncto testimonium perhiberes.* Fuit confessio eadem, quam coram aliis, ut mox dicetur, testibus edidit. Accedentibus deinde medicis, qui de

Morbus ejus fatalis.

Vocat ad se Jacob. Heerbrandum.

de remediis inter se contulerunt, & pastore ecclesiæ Tubingensis D. *Sigvvardo*, *Heerbrandus*, sic volente ægroto, sub *undecimam* noctis domum rediit.

Ægrotavit autem dolore lateris dextri, circa costas spurias inferiores, & gravissimas, quoties tussiret, punctiones sensit, pleuritidem à parte læsa nominant. Sed non tantùm membrana succingens costas, exterior & interior, verùm etiam musculi interni vicini affecti fuerunt. Itaque maximam copiam pituitosæ, lentæ ac viscidæ materiæ, toto morbi tempore rejecit, Quæ res, cùm εὐφρόνως, ut plerunque aliàs, non accederet, spem medicis recuperandæ valetudinis fecit. Sed cùm, viribus in dies languescentibus, viscidam illam, & glutinis instar tenacem materiam, variis adhibitis mediis, rejicere ampliùs non posset, natura victa morbo cessit, cùm decubuisset dies *unum & viginti*, & constantiam ac patientiam inter cruciatus, & punctiones acutas, homini Christiano convenientem, præstitisset.

Confessionem edit. Cùm igitur vitæ finem appropinquare, ex defectu virium, sentiret, die festo *Epiphaniorum*, pridie sui obitus, à concione matutina, vocavit ad se Academiæ Tubingensis *Rectorem, Decanos* tres aliquot *pastores*, quos hisce est affatus: *Meministis, magnifice D. Rector, clariss. viri fratres, quam coram vobis, ante triennium ferè, cùm etiam graviter ægrotarem, confessionem fidei & doctrinæ meæ ediderim, vosq; & alios tum præsentes rogarim, ut ejus obitusq; mei testes mihi essetis; siquidem adversarii mei spargere possent, nescio quo horribili mortis genere me exstinctum, cum non ecclesiæ ipsorum membrum fuerim, sed etiam gravissimè impugnarim. Ad illam confessionem etiamnum me refero. Et sentio ac judico eam doctrinam, quam in schola & ecclesia, voce ac scriptis editis defendi, veram & divinitus esse traditam, quam etiam coram tribunali Christi, infracto animo, ex verbo ipsius defendam. In cujus rei fidem & confirmationem, jam in conspectu vestrum omnium, sacrosanctam Domini cœnam percipiam. Commendo Rectori magnifico, & senatui amplissimo, fidelissimam meam uxorem & liberos morigeros, ut ubi illis vestrâ opus fuerit operâ, vestro consilio & auxilio adsitis. Et quia etiam homo sum, & humanis infirmitatibus obnoxius, unde fieri potuit, ut vel universum senatum Academicum, vel unum alterumve ex isto ordine, vel etiam alios verbis aut factis offenderim, peto mihi ignosci. Maxime autem mihi cura fuit sincera religio, boni mores & disciplina, quam etiam porro curabitis severissimè. Permagnum enim est, si juvenis, qui huc studiorum causa mittitur, disciplinæ neglectu corrumpatur. Ultimo, Te D. Varnbulerum, compatrem meum, rogatum volo, ut si non convaluero ex hoc morbo, meo nomine Illustrissimo Principi meo valedicas, ejusq; celsitudinem rogare meut significes, sicut hactenus, ita porrò etiam uxoris meæ fidelissimæ, & liberorum morigerorum, clemens & propitius Dominus esse velit.*

Postea publicam peccatorum suorum pastori recitavit confessionem, & absolutionem petiit, accepitque. Quibus peractis Cœnâ Domini, pastore administrante, est usus. Postea Deo Patri cœlesti ex animo gratias egit, *pro donato nobis Filio, pro verbi divini puefactione, pro verâ fide datâ*, & similibus beneficiis. Quibus peractis, Rector Universitatis de suâ & senatus voluntate testatus, similiter & D. Varnbulerus, fideliter se, quæ petiisset, ad principem relaturum, promisit, cumque singuli manu datâ ultimum illi valedixissent, non absque lacrymis discessum est.

Sequentem noctem, partim in sellâ sedendo, partim in lecto jacendo, dormitabundus consumsit. Adfuerunt autem filii per vices: donec matutinum appeteret tempus, & vires paulatim deficerent. Ibi tum circa quintam Pastor & medici vocati, qui in sellâ sedentem invenerunt dormiturientem. Hic *Möglingo* Medico, de valetudine, & *quomodo haberet*, sciscitanti? vernaculè respondit, von GOtt ungeschieden: hoc est, *a DEO nil separatus*. Cumque sexta audiretur, quæsivit, *quota esset* hora? cui cùm sextam esse respondissent: *mox*, inquit, *hora mea appropinquabit*. Medià septimâ ipsemet de sellâ surrexit, & in conclavi semel iterumque obambulavit. Tum medici duo, ut qui putarent horam fatalem non tam propinquam, abierunt; additâ significatione, hora *duodecimâ* se redituros, interea verò in officinâ medicamenta quædam paraturos. Circa *septimam* denuo in lectum se contulit, & ad pastorem adsidentem in scamno dixit: mein lieber Pfarherr/es muß geschieden seyn/da wird nichts anders auß: *mi Pastor, necesse est disjungamur, aliter nunc fieri non potest.* Cui Pastor: *Artem, mi Domine, alios per quadraginta quatuor annos docuisti, piè* nempe *moriendi, jam tempus adest, quo ipse eam exerceas.* Respondit æger: *necesse est alium quempiam nobis adjungamus, qui sit nobiscum, Christum*, respondit Pastor, *habemus, qui pugnat nobiscum & pro nobis, ut victoriam reportemus.* Ad quod ille, *ad Romanos scriptum est: In his omnibus superamus propter eum, qui dilexit nos.* In quam sententiam plura ex sacris literis dicta sunt, consolationis plena, ad quæ ille semper appositè respondit, semperque de fidei in Christum constantiâ testatus, *Domino se vivere, Domino se moriturum.*

Sermones ejus in morbo.

Intervenit tum nobilis & pia matrona vidua, *Agnes Megetzerin* vicina, quam ubi vidit, pileum nocturnum de capite detraxit manuque porrectâ, cum pro isto, tum pro aliis beneficiis morbi tempore præstitis, gratias egit, additâ precatione, ut Deus omnium bonorum retributor, ea & in hac & in futurâ vitâ compensaret. Cumque significasset, semel se adhuc cum *D. Osiandro* cupere colloqui, ex templo missus est cum equo *Bebenhusium*, qui accerseret. Sed ante, quàm illi advenirent, exspiravit. Interea à Pastore interrogatus, *num in doctrina, quam annis 44. ecclesiæ proposuisset, perseveraturus esset?* respondit

Moritur.

omnibus qui aderant, audientibus: *Ita, in hac confessione moriar*, verba etiam hæc præeuntem Pastorem secutus est: *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum.*

Moritur.

Tandem cùm vires omnes concidere viderentur, filius *Joannes* pastor, parenti adsistens, sententiam Apostoli: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi, de cætero reposita est mihi corona justitiæ*, in aurem inclamavit, quærens, *num sibi quoque hanc justiciæ coronam repositam crederet?* ibi apertis oculis eum intuitus annuit; & alte attracto spiritu respondit: *Ita*, quæ postrema ejus vox fuit. Postea nihil prolocutus, sed intra se precatus est, & sic in precibus atque εὐθυμίᾳ, dormienti similis animam Deo reddit, die *septimo* Januarii, inter *octavum & nonam* matutinam, anno Christi, *millesimo quingentesimo nonagesimo*, cùm vixisset annos *unum & sexaginta*, menses *novem*, dies *tredecim* horas *sex*, *in ministerio* exegisset annos ferè *quadraginta quatuor*, *in cancellariatu* Academiæ Tubingensis *viginti octo*.

Funus.

Funus elatum est humeris pastorum vicinorum octo; ad templum Ecclesiæ collegiatæ, ubi sepultus est *nono* Januarii, magnâ frequentiâ omnium ordinum, & in quo primùm *diaconus*, postea *Præpositus* docuerat annos *triginta quatuor*. Concionem in funere habuit *Lucas Osiander*, aulæ Wirtembergicæ à sacris, quæ typis exscripta exstat; ut & epicedia. Post obitum à *sacrificulis* in vicinià de suggestu publicè fuit sparsum: *D. Andreæ antè finem vitæ suæ universam suam doctrinam, quam voce scriptisve esset professus, revocasse, & erroris damnasse.* Fuit & epistola disseminata; qua omni asseveratione confirmare non dubitaverunt nescio cujus spiritus homines: *eum ante obitum anxiè à suis petiisse; Jesuitam actutum advocarent; qui sacra sibi administret.* Quod cùm detrectarent illi: in desperationem incidisse; inque eâ vitam finisse. Sed talibus sese oblectent illi: quibus fabulæ & mendacia meræ sunt cupediæ.

Mendacia de ejus obitu.

Ad ipsum quod attinet D. Andream, fuit is in docendo populo popularis, ut distinctè & perspicuè posset etiam obscura alias proponere, ut facilè intelligerentur. In exhortando ad vitæ emendationem, increpando, & invehendo in vita & mores depravatos, vehemens, extollens vocem suam sicut tubam. In refutando adversarios sanæ doctrinæ, potens; in consolando & perturbatos erigendo mitis: in ciendis & movendis affectibus natura & arte instructus; &, si quando opus erat, mera sonabat tonitrua, *tantaque animi & vocis contentione, vehementia & affectu pro concione loquebatur; ut etiam media bruma toto sudaret corpore, interulamque madefaceret omnem.* Quod & factum est penultima concione, quam dominica secunda Adventus, ut vocant, habuit, qua finita, posteà nihilominus in maximo frigore, unà cum aliis Ecclesiæ ministris, Cœnam Domini, alumnis, qui magno numero aderant, administravit: quam postea non minimam morbi causam fuisse est arbitratus, cum cessante motu & actione, frigidissimo tempore, & omnibus gelu concrescentibus, calor iste omnis, & sudor in interula, in frigiditatem, poris apertis, fuit conversus.

Concionandi ratio ejus.

In schola, quando per graviora negotia publica, præsertim peregrinationes frequentes, & crebra itinera, quæ in diversa illum rapuerunt loca, non impediebatur, fideliter docuit: maximè autem *practicam Theologiam*, cum magnum rerum Theologicarum plurimarum, usum haberet & experientiam, studiosis Theologiæ proposuit, quibus ad ministerium Ecclesiasticum accessuros præparavit. *Disputationes* Tubingensi in schola proposuit plurimas, quibus materias difficilimas & obscurissimas explicavit de *persona Christi*, de *personali unione duarum naturarum*, de *communicatione Idiomatum*, de *prædestinatione*, de *peccato originali*, & omnibus propemodum controversiis Ecclesiasticis horum temporum, contra omnes errores, quorum argumenta refutavit, monstratis fontibus, & quidem tanto studio; ut plerunque dies continuaret integros, aut etiam plures: adeò ut à nonnullis etiam superflua ea dicta fuerit diligentia.

Docendi in schola ratio.

Disputationes.

In officio denique toto nullis unquam pepercit laboribus: nullis molestiis succubuit, aut oneribus fractus fuit. Scriptis & epistolis, non solum familiaribus, sed & seriis diversisque ad diversos varii argumenti, ad omnis ordinis homines, dum de variis interrogatus, respondit; & consilia dedit quotidiè, cum dies nulla transiret, qua non aliquot magna celeritate & felicitate exaraverit. Nulla dies præteriit, qua non plures ad eum confluerent, petentes consilium ab eo, dum omnibus gratificari studeret. Principibus viris fuit gratus & charus, cum in colloquiis esset jucundus & suavis, in religionis, quam profitebatur, zelo fervens, & qui summopere doleret, sicubi audivisset, alibi alios defecisse.

Labores varii.

Familiam quam habuit copiosam ita instituit rexitque: ut quamvis sæpè peregrè abesset, plurimum tamen etiam absens præsens fuerit suis admonitionibus à peccatis. Homo tamen ipse etiam fuit, nec ἀναμάρτητος. ut multæ & magnæ sunt infirmitates humanæ; quas & in se agnovit, & remitti sibi à Deo ac hominibus, si quos offendisset, petiit.

Regit familiam.

Scripta edidit plurima, ut fuit πολυγραφώτατος; adeo ut quidam vir doctus & dives Tubingam post obitum ejus scripserit: *se de monumentis ejus habere in sua libraria ultra centum & quinquaginta variorum argumentorum opera*: sed de his consulendæ sunt avido librorum Bibliothecæ. *Ex Jacobi Heerbrandi oratione parentali.*

Scripta ejus.

MATTHÆUS VOGELIUS.

NOrimbergæ hanc vitam incoat *Matthæus Vogelius*, anno Christi *millesimo quingentesimo decimo nono*, die *septimo* mensis

Septemb.

Rr

⊙. 1591. d. 3. Dec. ætat. 72. Patria.

Septemb. piis parentibus natus. Qui cognito; filium felici ingenio, nec à studiis abhorrente præditum, ad liberalium artium atque pietatis cultum à puero eum adhibuerunt. Cumque in patriæ schola *Sebaldina* fundamenta eruditioni superstruendæ feliciter jecisset, à parentibus anno *trigesimo quarto* post *millesimum, quingentesimum, Tubingam* primum; deinde & *Vvittembergam, Lutheri & Melanchthonis* inprimis audiendorum causa, fuit missus.

Tubingæ mittitur. An. 1534. Inde Wittemberg.

Sed cum parens ejus *Leonhardus*, vir pius quidem & bonus; sed non admodum dives, ferendis sumtibus in filio educando non esset, revocatus est ab eo, & à senatu Norico scholasticam functionem obire jussus.

Vitus Theodor. eum promovet. Ope Andr. im Hoff.

Verùm *Vitus Theodoricus*, Ecclesiæ *Sebaldinæ* ea in urbe pastor, perspecta ingenii ipsius juvenis præstantia, tantum perfecit, ut *Andreas* im Hoff senior, vir ornatissimus, Mœcenatis personam nam in fovendo Vogelio sibi sumeret, & subsidium quinquennale ad Theologica studia continuanda benignè subministraret.

Redit Wittemb. An. 1541. Ornatur testim. scholast.

Hoc beneficio, Viti commendatione, impetrato, *Wittembergam* rediit, inque pietate ac literis ita profecit, ut lauream Philosophicam utramque fuerit consecutus. Postea ingenii sui alia edens specimina, profectus suos magnis viris *Luthero, Melanchthoni, Bugenhagio*, publico in examine ita probavit: ut dignum judicarint, cui Ecclesiastica functio committeretur.

Designatur ecclesiæ minister. An. 1545. Transfertur Norim. An. 1548.

Vacante itaque sub id tempus parochia in oppido *Lauffen*, prope Norinbergam, ad illam à senatu Norico Wittemberga, anno *quadragesimo quinto* est evocatus, ubi triennio præconium Evangelii fecit. Ab hac parochia in urbem ipsam *Norinbergam*, est translatus, in qua ad D. *Iacobi* magnalia Dei populo Christiano publicè enarravit. Neque hic tantum concionando, sed & confitendo, atque durissima quæque, propter nomen Christi, patiendo, verum se Ecclesiæ pastorem ac Dei ministrum declaravit. Nam patriâ suâ, quod formam illam religionis novam, à *Carolo* V. obtrusam, amplecti nollet, pulsus anno *quadragesimo nono*, & in exilio, tum conjuge, tum parentibus carissimis, per mortem est privatus.

Ejicitur è patria. An. 1549.

Postea cùm, Domino Deo nostro sic dirigente, in Borussiam venisset: *Welaviæ* oppido officio pastoris *quadriennium* ipsum functus est, ubi & uxorem alteram duxit, quæ tredecim eum liberorum patrem fecit. Inde *Regiomontem* vocatus: *duodecim* annis docendo in templo, & publicè in Academia sacra tradendo, nec non scholasticos magistratus gerendo, utilem & Ecclesiæ & scholæ operam præstitit, pestis etiam tempora aliquoties expertus. Tandem è Borussia, propter dissidia *, & perturbatum Ecclesiarum ejus regionis statum, cum uxore & octo liberis in Wirtembergensem Ducatum secedere coactus, à *Christophoro* Duce, & nutricio Ecclesiarum ac scholarum summo, clementissimè est receptus.

In Borussia docet. An. 1550. Regimont. vocatur.

**Osiandrica. Cedit è Boruss. An. 1566. In ducatu Wirtemb.*

Ubi clementer excepitur.

Nam & hospitium ei præbuit cum suis liberale, &, cùm non statim de functione commoda eo in Ducatu prospici ipsi posset, *Kirchemii* commoranti, per integrum semestre, pro alimonia subsidium hebdomadatim curavit benignè subministrandum. Declaravit & porrò idem Princeps, erga eundem *Vogelium*, animum prolixum & beneficum. Cum ei im Ecclesiæ *Horbergensi*, de voluntate illius, præfectus *Vogelius* esset; ad salarium pristinum, augmentum *quinquagenorum florenorum* adjecit. Quadriennio ferè exacto, *Goppingam* translatus, & paucis annis pòst, Inspector sive superintendens vicinarum ibi Ecclesiarum est designatus.

Ecclesiæ præficitur.

Tandem ætate ad senium declinante, cùm jam *sexagesimum* annum excessisset, clemens illa Principis *Ludovici* Ducis Wirtembergici gratia, gravioribus eum Ecclesiæ regendæ curis & negotiis sublevavit, atque Abbatiæ munere cœnobio *Alberspacensi* dignata est. Ibi per *undecim* annos *octoque* menses in literaria σχιατροφίᾳ Ecclesiam & scholam fideliter plantavit, atque præter alios labores varios gravesque *Thesaurum* illum *Theologicum Germanicum & Latinum*, in quo *quadraginta amplius annis* laboraverat, ad umbilicum deduxit.

Abbas Alberspacensis declaratur.

Ibi Thesaurum Theolog. absolvit.

Verum, ut *senectus*, ex veteri proverbio, *nunquam sola venit*; ita & in Vogelio accidit, qui cùm ex obitu secundæ uxoris, qua cum *triginta octo* annos sine offensa vixerat, luctum hausisset longè maximum, auxerunt eum, ut nullum malum est solum, varia morborum genera. Itaque etsi tertia jam ducta conjuge adjutorium sibi adsciverat, tamen cùm jam *octavum climactericum* ageret, viribus paulatim decrescentibus fatalem sibi imminere horam sensit. Ut itaque, pro beneficiis acceptis, aliquam grati animi significationem, ante suum ex hac vita discessum, ederet: *Thesaurum Latinum* Principi suo Ludovico obtulit, ejusque gratiæ & favori suos, jam jam orphanos futuros, paterna piaque solicitudine commendavit, quin & filio, natu minimo, tum amanuensi suo, aliquoties mandavit, ut post suum obitum in epitomen thesauros, Germanicos redigeret, atque evulgaret. Hoc modo cùm domui suæ disposuisset; mortem, quam præsagierat, placidè obiit, decurrente ad finem anno *nonagesimo primo*, die *tertio* Decembris, hora pomeridiana *duodecima*: cùm vixisset, inter varias ærumnas, annos *septuaginta duos*, & *menses* ferè *tres*.

Quem & edit. Principi suos commendat.

Moritur.

Fuit hic discipulus Lutheri per quinquennium, & quam ab eo didicerat doctrinam, constanter per omnem vitam propagavit. Usus autem inprimis est patrono & præceptore *Vito Theodorico*, Lutheri olim domestico & convictore, qui non solùm Lutheri publicas; sed etiam domesticas conciones lectionesque calamo excepit, & in lucem edidit. Præterea tenuioris fortunæ scholasticos patrocinio consilioque, quantum potuit, juvit: de quorum numero & hic Vogelius, qui quicquid in literis profecit, acceptum

Lutheri audiror & sequax.

Patrocinio Viti usus.

Vito

Vito retulit. Autor idem Vitus ei, ad ministerium verbi vocato fuit, ut omne tempus à sacris laboribus vacuum in templo, legendis domi Bibliis impenderet, atque ex singulis capitibus insigniora dicta enotaret, primum neglecto ordine, post ad certos locos illustriora saltem testimonia redigeret, atque ita *locos Theologicos solius scripturæ sacræ verbis* constantes, adornaret, omissis & Patrum, & Philosophorum aliorumque dictis, & gnomis. Nec enim patrum dicta ullam habent auctoritatem, nisi à scriptura, & Philosophorum etiam argutissima atque acutissima in agone spiritus hominem deserunt. Ex eo ergò labore natus est ipsi *Thesaurus Biblicus* tum *Germanicus* tum *Latinus*; quem de sententia *Ioannis Brentii*, aliorumque Theologorum in eo Ducatu, scholaque Tubingana, certos in locos distribuit. Crevit autem *Germanicus Thesaurus* in *septem tomos*, quos in Latino in unicum contraxit, studuitque eo labore Theologiæ candidatis, & ministris Ecclesiæ, junioribus præsertim, subservire. *Hæc de Vogelio ex ipsius Thesauri præfationibus.*

Et consilio.

De loco Theolog. inveniendi

Patrum scripta quantum valeant. Et Philosophorum.

NICOLAUS SELNECCERUS.

Nicolaus Selneccerus ortus perhibetur in oppido *Hersbruck*, sub annum Christi *millesimum, quingentesimum, tricesimum secundum*, die *sexto* Decembris, hora noctis prima.

Elementis literarum imbutus, & ad scholas publicas præparatus, *Wittembergam* venit, ubi non solùm docentes, in quibus præcipuus *Melanchthon*, sedulò audivit, sed ipse etiam alios docuit domesticâ in scholâ, aut etiam publica.

Wittembergâ Lipsiam evocato, provincia & in templo, & in scholâ sacra explicandi fuit demandata, quam inter certamina varia ita obivit, ut strenuum se præstiterit propugnatorem ejus, quam à *Luthero* traditam dicebat, doctrinæ. Interfuit & colloquiis Theologicis, reformationibus item & visitationibus ut anno septuagesimo in Ducatu *Brunsuicensi*, à *Iulio* Principe accersitus, ubi quadriennium ferè abfuit.

Docuit etiam aliquantisper, ut ipse scribit, in aula *Augusti* Elect. Saxoniæ de cujus etiam voluntate adjunctus est solenni renunciationi tituli & gradus in Theologicæ professionis facultate, cùm *Casp. Cruciger. Henr. Mollerus, Frid. Widebramus, Christoph. Pezelius, & I. Bugenhagius*, Wittemb. eo honore essent ornandi.

Decedit *Selneccerus* Lipsiæ, die *vicesimo quarto* Maji, anno *nonagesimo secundo*, ferè sexagenarius. *Symbolum* curriculi sui usurpavit dictum illud Psalmi: *In manibus tuis sortes meæ*: quod huic disticho inclusit:

Sum tuus, inque tuis manibus mea tempora vitæ:
Nemo nocere mihi, te prohibente potest.

Librorum edidit permultum, quorum tituli in elenchis reperiuntur. Acres ei intercesserunt inimicitiæ cùm Pontifi ciis, cum Flacianis, cum Calvinianis, inprimis cum *Theodoro Beza* super illo Actorum tertio: ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι, quod *Beza* ita Latinè fuerat interpretatus, *quem oportet cœlo capi.* Hanc interpretationem *Selneccerus* & alii falsam esse, impiam esse affirmarunt. Ubiquitatem qualem statuerit, ipse indicat ad Bezam.

Scripta. Adversar.

Controversia de loco Act. 3. 21.

Vbiquitas Selnecceri.

UBIQUITAS.

CHRISTUS DEUS ET HOMO, SEDENS AD DEXTERAM PATRIS, POTEST SUO CORPORE ESSE UBICUNQUE VULT ESSE, ET UBI SE VELLE ESSE DIXIT ET PROMISIT.

Tantum de Selneccero ex ipsius quibusdam scriptis, elogiis doctorum virorum, aliis.

CHRISTOPHORUS CORNERUS.

Obiit 1594. d. 17. April. ætat. 76.

ORiundus hic fuit *Fagis*, Franconiæ orientalis oppido, quod excepit natum anno à Messia exhibito, *millesimo, quingentesimo, decimo octavo.* Ad *Conradum Wimpinam*, cognatum suum, venit anno ætatis suæ decimo tertio, literisque tum sacris tum profanis egregiè litavit.

Conrad. Wimpina cognat. Corneri.

Anno *quadragesimo*, *Francofurti* ad *Viadrum* publica auctoritate docere cepit, Theologiæ *Doctor*, Academiæ *Professor*, & Ecclesiarum totius Marchiæ *Superintendens* generalis designatus. Hoc docendi munus ipsos *quinquaginta quatuor* annos, cum dexteritate & emolumento discentum obivit, nec id sine variis laboribus & pugnis, quemadmodum tota hominis vita in terris, nihil est aliud, nisi labor & militia perpetua.

Theologiæ D. & Superintend. Marchiæ.

De statione sua à summo militantis Ecclesiæ Imperatore discedere jubetur, anno *nonagesimo quarto*, die *decima septima* Aprilis, ætatis suæ anno *septuagesimo sexto.* Successit ei in officio illo arduo *Christophorus Pelargus Suidnicensis Silesius*, Theologus celebris ac variè exercitatus.

Obitus Corneri.

Christoph. Pelargus.

Fuit Cornerus modestus & solidè doctus Theologus, non in sacris solum, sed & in Philosophicis. Argumento sunt scripta ejus Theologica & Philosophica: ut *Psalterium Davidis, cantica item sacra, hymni ecclesiastici, Symbola Oecumenica*, scholis illustrata, addita œconomia artificii Rhetorici: *Commentarii in epistolam ad Romanos & Galatas.* Inter Philosophica ejus præcipuam laudem meretur, doctorum judicio, erudita *enarratio capitis* illius *in prioribus Analyticis* περὶ ἑρμηνείας πρῶτον: collegit idem diversorum auctorum *in omnes orationes Ciceronis commentarios, & ecphrasin* edidit *epistolæ* I. *Ciceronis ad* Q. Fratrem. *Et tantum de Cornero indipisci potuimus in continuatione Sleidani, chronologia Bucholceri, & elenchis librorum.*

Eruditio Corneri. Et scripta.

CONRADUS LAUTENBACHIUS.

Θ. 1595. d 18. April. ætat. 61.

IN Thuringis *Mutissariæ* loco & genere humili, honesto tamen, natus est *Conradus Lautenbachius*, anno salutis humanæ *millesimo quingentesimo trigesimo quarto*, & eximiis animi radiis statim à teneris unguiculis emicuit. Primis itaque pietatis ac literarum elementis *Isenaci*, sub *Bartholomæo Rosino*, pòst *Northusæ* sub *Basilio Fabro* Sorano, imbutus; studiis velificaturus severioribus; relictâ, patriâ, perlustratis *Erfordio*, *Francofurto*, *Moguntiâ*, *Haidelbergâ*, *Argentoratum* tandem, celebre literarum emporium, anno *quinquagesimo tertio*, mense Martio, devenit.

Barthol. Rosinus. Basil. Faber. Præceptores Lautenbachii.

Venit Argentoratū.

Ibi cum pauciſſimis annis gradatim classes superasset omnes, ad *Acroases* publicas, anno *quinquagesimo sexto*, admissus est. Quo tempore Φιλομαθὴς universam *Encyclopædiam* tam feliciter percurrit: ut incrementa simul faceret in Theologiâ, cui quasi natus videbatur, quàm uberrima. Ex Philosophis præcipuè *Joanne Sturmio* & *Valentino Erythræo*; ex Theologis, *Ludovico Rabo*, *Joanne Marbachio* & *Hieronymo Zanchio* fuit usus. Quorum attenta auditione ad philosophiæ simul & Theologiæ culmen progressus fecit tam serios: ut pares non solum multis pòst se parasangis relinqueret; sed & superiores vinceret, vel saltem profectu adæquaret.

Præceptores ibi ejus

Charus Marbachio.

Charus autem & familiaris cumprimis D. *Marbachio* fuit: ita ut eo in omnibus moderatore uteretur: ejusque consilio vitam instituerent. Ab illo ergo ipse adhuc juvenis senilibus præfectus officiis, Ecclesiam Mundelsheimensem, agri Argentoratensis, docendam sortius est: cui ea cura, fide & industria præfuit, ut omninò altioribus videretur dignissimus. Cluente autem *Interim* illo famoso anno salutis *millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo*, mense Novembri, in urbem retractus Diaconus ad Prædicatores primum, pòst in templo cathedrali constitutus est: ubi suavitate & docendi gravitate admirationem populi in se convertit.

Præficitur Ecclesiæ.

Docet Argentorati.

Cœperat tum temporis reformari comitatus à *Philippo* seniore comite Hanoviensi. Is igitur audita fidelitate & integritate *Lautenbachii*, petiit à senatu Argentoratensi illum Pastorem & Antistitem concedi sibi in oppidum *Neüwweiler*, anno *sexagesimo secundo*. Ei Ecclesiæ magno cum zelo ubi præfuisset *biennium*; accidit, ut vocatione alia ordinaria *Hunævillam* Alsatiæ superioris oppidum ditissimum & fertilissimum, ditioni Wirtembergicæ subditum, exciretur. Eò etiam, maximè suasu *Marbachii*, concessit.

Vocatur à comitè Hanoviensi. Inde Hunævillam.

Hoc in loco Halcyonia ipsi fuerunt: & à negociis otium largissimum. Quo fretus vir ad miraculum Φιλόπονος, osorque ignaviæ acerrimus: ut tempori, sibi & posteris prodesset, subcisivis horis *Josephum* & *catalogum testium veritatis* in Germanicum convertit, & hunc præterea illustravit felicissimè: ita ut paulò pòst à viris magnis, nobili præcipuè JCto *Ludovico Grempio* continuandi *Sleidani* negotium illi commendaretur. Hoc ut in se receperat, ita telam, jam aliquo usque deductam texuerat; cùm illustrissimus Princeps Palatinatus *Ludovicus* Elector, re certâ famâ comperta, ad Ecclesias suas *Haidelbergam* ipsum invitat, anno *millesimo quingentesimo octogesimo*: & ad operis continuationem manum & apparatum illi omnem clementissimè addicit. Erat autem λεχθὲν, quod ajunt ἐκ παροιμθὲν. Vivo enim Electore; non ut Principe suo, sed ut patre: non ut Mœcenate, sed (æquitas verbo sit) ut amico usus est. Cujus etiam suppetiis & ope auxiliaria, historia ad umbilicum, calcemque deducta est, successu planè prospero. Sed quo minus in publicum id opus prodierit: factum est partim immaturo obitu ipsius Electoris ac summi Mœcenatis, partim adversariorum quorundam molitionibus.

Vertit quædam in Germ.

Haidelb. invitatur.

Haidelbergæ vix menses consederat plusculos, cum ab Electore *Ludovico* celeberrimæ illic ad S. Spiritus Palatinatus Bibliothecæ ordinandæ, & confusæ ad certos loculos seu pluteos dirigendæ mandatum accepit. Quod officii tamen sui ratione habita quàm diligentissimâ, *biennio* confecit, cum tanta laude; ut judiciumne ejus an labores admiraretur Princeps potius, incertum esset.

Bibliothecæ præfic.

Hujus obitum cum sequeretur status omnis & religionis quoque mutatio: Lautenbachius cùm à sua sententia discedere nollet; dimissus est mense Julio, anno *millesimo quingentesimo octogesimo quarto*. Convalatis itaque suis, *Argentoratum* civis & municeps se denuò contulit, senex jam & immensis laboribus propè fractus, non serviturus amplius, sed sumturus rudem, & Historiæ suæ additurus limam.

Argentoratum concedit.

Sed mensibus circiter duobus *Argentorati* suis vacans, & tale nihil cogitans, de novo vocatur à magistratu *Francofurtano*. Cui vocationi paulò pòst novis literis confirmatæ, cum non parere piaculare putaret: peregrinationem hanc postremam suscepit, & ad D. *Catharinam* se conduci passus est ineunte anno *octogesimo quinto*.

Ibi cum munere sibi demandato *decennium* fideliter functus esset, vitæ tandem atque morum hujus seculi satur, *decimo octavo* Aprilis; anno *nonagesimo quinto* mortalitatem exuit, & luctu publico, solennitate insueta deductus ac sepultus, gemitus & vota bonorum omnium pòst se reliquit certissima. Peregrinatus est in hoc mundo annos *sexaginta unum*: ac si quisquam alius, ipse comprimis μεγίστῳ τῷ θεῷ παίγνιον.

Ubi moritur.

Quæ virtutis erant puer omnia tulit, vir omnia fecit. In prosperis μέσος; in adversis ἐμβριθὴς atque infractus. Hunc omnis vitæ suæ scopum præfixit, *nocere nemini, prodesse*

Ejus virtutes.

desse omnibus. Laborum ita tolerans, & fatagens, ut si quæ dies ei sine linea effluxisset pridiè, pœnitudine exediſſet se postridiè. In librariâ ipsius, hujus veritatis reperta fides est. Nam voluminum tantam molem scripsit sua manu, quantam manus non descripsissent quatuor, circuitu tàm volubili. Fama & foris & domi celeberrimus, quanquam (ut ferè solent sordescere domestica) foris magis. Quin & ægrotus nonnunquam pereuntis inaniter temporis jacturam ita æquo animo ferre non potuit; quin identidem & ingemisceret; & damnum deploraret: φιλανθρωπ@, φιλόφιλ@, φιλόξεν@ erga omnes, maximè hos, quos commendaret ordinis æqualitas, & vitæ cumprimis puritas. Contra vitiis delibutos & fucatos, mirum quam censor rigidus, justus, quod arbitraretur sacræ professionis homines, ante alios, nævis & maculis notoriis carere debere. Caminis cultissimi tam felix autor; ut si huic studio se totum dare voluisset, illustres quosque poëtas æquare facilè potuerit.

Conjugium

In matrimonio annos *triginta septem* ex una conjuge pater factus liberorum undecim, plerunque filiorum, quorum quosque literis condiscendis aptos ita studiosè impensis suis instituendos curavit, ut omnem pecuniæ jacturam rectè informationi illorum longè posthabuerit. Ex quibus omnibus unicus relictus superstes *Iosephus*, Philosophiæ & Medicinæ Doctor.

Ioseph. Lautenbach.

Et tantum de Conrado Lautenbachio, qui symbolum hoc in ore perpetuo habebat: Durabilis misericordiæ patriæ lex Jesus.

IACOBVS HEERBRANDVS.

B. 1600. d. 22. Maj. æt. 79. vel 80. curr.

ANntiquum literisque clarum est genus *Heerbrandorum*, vel *Ioannis Trithemii* abbatis Spanheimensis, non malæ notæ historici, testimonio; qui hæc alicubi: *Michael Heerbrand de Düren, ordinis sanctæ Mariæ semper virginis, de monte Carmeli, fuit. Erat autem vir doctissimus atque singulari eloquentiâ præditus, adeo ut non solùm in vicinia; sed etiam ad remotiora loca, & cathedrales ecclesias evocatus, admiratione maxima concionaretur. Postea factus est prior conventus Creutzenachensis in Diœcesi Moguntinâ, præterea sacræ Theologiæ lector, quæ officia magnâ diligentiâ optimè peregit. Itaque apud Ioannem comitem Spanheimensem ultimùm, erat in magnâ authoritate, ita ut ob familiarem cum eo conversationem multa bona suo conventui impetrarit. Scripsit is collationes Synodales, atque sermones de tempore, & sanctis cum aliis. Floruit annum circa millesimum quadringentesimum duodecimum.* Hactenus ille. Est autem *Dura* præcipuum agri Juliacensis oppidum, Colonienſi provinciæ vicinum, olim imperii; fortuna Domini sui quondam infelici, & ipsum infelix. Ex hoc oppido majores *Heerbrandi* migrarunt, & *Gengæ* in Nouicis sedem domiciliumque fixerunt. Eo enim in oppido vixit avus hujus *Petrus*, in eodem & Pater *Andreas* civium numero est adscriptus. Fuit iste vir ingenio præstans, qui & ipse literas, & *Latinam* linguam didicerat. *Arithmeticam* exactissimè, ut & *Musicam* utramque, vocalem & instrumentalem calluit, cui plus æquo temporis se tribuisse sæpius est conquestus, adeò ut animum suum illis à studuis alienatum cum dolore postea magno, sed nimis serò sit confessus. Intellexit tum demum studiosis adolescentibus esse debere *Musicam* animorum, post labores, ingenuam refectionem; παρεγγον, non autem ἔργον, ἥδυσμα, non ἔδισμα.

Dura oppidum in agro Juliac. Majores Heerbrandi migrant in Norici.

Andreas Heerbrand.

Musica studiorum oblectamentum.

Deseruit itaque hæc studia, cum quidem tantum in eis profeciſſet; ut sacros ordines consequi potuisset, eam artem amplexus, quam & Doctor ille gentium, Divus Paulus tenuit & exercuit.

Sub id tempus *Lutherus* Papatum ex sacris literis cœpit impugnare, cujus scripta *Andreas Heerbrandus*, quemadmodum & sacra Biblia lingua utraque tam diligenter legit ut pleraque memoriter teneret, atque ex iisdem cum sacrificulis disputare posset. Ob pietatis ergò studium vitæque integritatem facilè uxorem nactus est familiæ illius loci præcipuæ *Barbaram Martini*, quam duxit, anno Christi *millesimo, quingentesimo, vicesimo.* Eo in matrimonio natus est *Iacobus* hic, anno *vigesimo primo*, die Augusti *duodecimo*, intra horam *sextam* & *septimum* matutinam. Hic annus tùm in Ecclesia tum repub. memorabilis est. Etsi enim tunc Ecclesia magnis & formidabilibus agitata fuit turbinibus, nihil tamen in eam vel inferorum portæ valuerunt. Clarus insuper est *Caroli* de Mediolanensibus victoria, clarus *Ferdinandi*, Caroli V. Fratris, & *Ludovici* Regis Ungariæ nuptiis, quorum alter alteri sororem suam nuptum dedit, utinam idem annus amissione *Albæ Græcæ* non fuisset funestus.

Andr Heerbrandus studia deserit.

Natalis Iacobi Heerbrandi.

Eluxerunt statim in puero *tria* præcipua, ingenium & *indoles*, quam Græci εὐφυΐαν dicunt, deinde φιλομαθία seu discendi cupiditas: denique φιλοπονία, adsiduitas in discendo. Quas eximias dotes cùm in filio animadverterent parentes, ingenuis eum disciplinis maturè consecrarunt in patrio ludo, anno ætatis *septimo.* Accessit & domestica disciplina, qua parentes ipsum à teneris ad virtutem, & quæ virtutum omnium caput est, ad pietatem adsuefecerunt, eumque ex singulis concionibus aliquid observare, domique interrogatum reddere, voluerunt. *Duodecim* itaque *annorum* erat puer, cùm his studiis deditus, delactari iis impensè cœpit, legitque tum *Biblia Lugduni* anno *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, impressa, a patre ipsi emta, quibus deinceps etiam per omnem vitam fuit usus. Ac ne quicquam filio, in studiorum curriculum ingresso, impedimenti injiceretur; *Musicam*, qua delectabatur, pater nec docere eum ipse, nec ab alio doceri voluit, metuens, ne idem quod sibi, filio, præsertim

Indoles Heerbrandi.

Mittitur in ludum septennis. Pietatis studium.

Legit Biblia.

peregrè versanti, eveniret. *Grammaticæ* rudimentis qualibuscunque in patriâ imbutus, *Ulmam* deductus est à patre, ad informatorem benè doctum & diligentem eo tempore, quo è vita *Erasmus Roterodamus*, jam septuagenarius, excessit. Hoc mortuo sequenti mox anno, *Colloquiorum* liber magno cum applausu eruditorum in scholas est introductus, & avidissimè lectus, quod ab ingenii præstantissimi summæque viro eloquentiæ conscriptus; argumentis ex media rerum natura desumtis, hominumque vita, & mirabili quadam dexteritate, suavissimoque dicendi genere morum ac pietatis præcepta traderet. Quod verò simul *Pontificiorum* errores, atque vitia alicubi demonstraret, in reformatione Ecclesiæ à *Paulo Pontifice* suscepta, publicè fuit prohibitus, quasi in eo permulta essent; quæ teneris & imperitis animis impietatem inculcare, atque lubricam ætatem depravare possent. Nihilominus multo quàm antè cupidius, ut post interdicta fieri solet, lectus est, etiam Ulmæ ab *Heerbrando*, qui huic libro tum incubuit diligenter, & inde plurimum fructus & rerum & Latinitatis percepit. Vigebant studia tum linguarum & artium *Ulmæ*, pro ratione illorum temporum mediocriter. Quare jactis utriusque linguæ fundamentis, *sesquiannum* ibi mansit. Anno deinde à Christo nato *trigesimo octavo*, ætatis verò *decimo septimo*, pater ejus celebritate scholæ Wittembergensis permotus, & simul ut illa duo lumina *Martinum Lutherum* & *Philippum Melanchthonem* videret audiretque, eò filium ablegat: *Melanchthoni* etiam per amicos & fautores commendatum, cui ipsemet postea diligentia sua, studioque singulari amplius se commendavit. Fuit autem annus ille, quo Wittembergam venit, multis magnis rebus illustris. Daniæ enim regnum Evangelium recepit; Cæsar & Galliæ rex amicè congressi, Parisiis Biblia Anglicè excusa: Argentinensis schola instituta: Joachimus Elector Brandenburgicus Augustanam confessionem amplexus, secta Antinomorum detecta, mare in Regno Neapolitano milliaribus octo Italicis siccatum, quo loco ignis cum cinere erumpens multa loca miserè devastavit.

Vlmam deducitur.

Colloquia Erasmi in scholis prælecta.

Pontificiorum lectio interdicta.

Wittembergam ablegatur Heerbrand

Itaque hac in Academia *Heerbrandus* præcepta omnium artium & disciplinarum hausit, summo studio & vigilantiâ usus semper, tamque temporis parcus, nullam ut horulam transmitteret ociosam, quod ad eruditionis comparandam copiam, adjumentum longè est maximum. Sodalitia & comessationes, ingeniorum etiam optimorum, memoriæ, disciplinæ, morum elegantium, adeoque studiorum juventutis certissimas, & nocentissimas pestes, cane pejus & angue declinavit, adeò, nomen ut inde *Suevicæ noctuæ* à quibusdam convictoribus deportarit, quibus pocula magis & chartulæ lusoriæ, aut alea curæ, quàm studia. Sed ipse quicquid hoc est cavilli ad tempus ferre maluit, quàm illorum helluonum jejunitatem & famem eruditionis experiri, aut ubertate & copia doctrinæ per id tempus sibi comparatæ, carere. Deambulationes quoque, licet & animis assiduo studendi labore defatigatis, recreandis, & corporibus relevandis plurimum prosint, adeò tamen, quod & ipsæ plurimas otii & negligendorum studiorum præbeant occasiones, vitavit, ut integrum quinquennium ab illis se abstinuerit, & portis pedem, animi gratiâ non extulerit. *Lutheri* autem & *Melanchthonis* lectiones omnes studiosissimè audivit, quorum hic quotidiè binas horas publicè docendo consumsit, & quidem singulis diversas materias diebus, *Dialecticam*, *Rhetoricam*, *Orationes Ciceronis*, *Ethicam*, *Matheſin*, *Græcum* aliquem *authorem*, *lectiones Theologicas binas*. Hæc ita singulis hebdomadibus inexhausto labore continuavit, &, quod peculiare vir is habuit excellentissimus, omnium artium præcepta, verum ad usum transtulit; eumque mirè facili arte monstravit; adeò ut vel hoc nomine immortales illi, ab omni studiosa posteritate, gratiæ debeantur & perpetua hujus ingentis beneficii memoria. Cum studiis Philosophicis *Theologiam* conjunxit, & lectiones omnium Theologiæ Professorum indefatigabili sedulitate audivit. Ipsum *Lutherum*, enarrantem *Genesin*: *Ioannem Bugenhagium* Pomeranum, Pastorem Ecclesiæ Wittembergensis, *Deuteronomium*: *Crucigerum* seniorem, *Ioannem Evangelistam*. His omnibus *Georgium Majorem* privatim sacra docentem, & priora capita *Geneseos* explicantem adjunxit. Neque tamen hîc diligentiæ, desiderique sui metam posuit, sed ut lectionum, ita concionum erat avidissimus publicarum. Omnes proinde summorum istorum virorum conciones assiduè audivit, excepit, repetivit, ruminavit, & ad usum suum partim animo memoriaque tenaci, partim scriptis reservavit.

Noctua Suevica dictus.

Vitæ deambulationes.

Lectiones Melanchth.

Lectiones Theolog.

Concionum excipit.

Ut autem honorificum & publicum vitæ suæ, doctrinæque testimonium haberet, ad magisterii gradum aspiravit, eumque anno *quadragesimo* consecutus est; cum quidem ante biennium impetrare potuisset. Integrum verò *quinquennium* vitam Wittembergæ homine studiosissimo dignam & propriam egit, ad quam ipsi *tribus annis* parentes sumtus liberaliter subministrarunt, duobus sequentibus, cum salutariter apud animum suum illud vulgatum, *docendo nos discere*, perpenderet; & hac ratione honesto labore, & industria victum jam ipsum sibi quærere posset, impensis parentes omnibus, ne aliquando de studiorum sumtibus (ut fieri sæpè consuevit, præsertim apud imperitum vulgus, invidos, & iniquos studiorum liberalium æstimatores) contentio inter fratres oriretur, sublevavit, & aliorum institutione, ad quam idoneus jam erat, & expetebatur etiam, se sustentavit, dum aliquot horas de studiorum suorum cumulo, quotidiè, tum verò præcipue cum à publicis prælectionibus vacabat, succidit, & magna laude discipulis suis Philosophiæ studiosis privatim impertitus est.

Testimonio ornatur Philos.

Docendo discimus.

Domestici scholam instituit.

Cumque sub idem tempus è Theologiæ scholis prodire jam, ac theoriam ad praxin traducere

traducere se posse consideret, ut ad Ecclesiæ ministerium se præpararet, & actionem in oratione periclitaretur, aliquoties vicinis in pagis concionando se exercuit, & egregia Theologicæ cognitionis edidit specimina. Hac ejus aptitudine Melanchthon motus, Ecclesiasticam ipsi conditionem obtulit, quam tamen, quod studiorum Theologicorum telam absolvere animus esset, modestè recusavit.

Exercet se concionando.

Hermann. Cal. Archiepisc. reform. molitur.

Circa id tempus Archiepiscopus Colonensis *Hermannus*, Princeps Elector, Ecclesias suas à Pontificiis erroribus reformaturus, *Argentinâ* Bucero, ex *Hassiâ* Pistorio, è *Saxonia* Melanchthone vocatis, id muneris commisit. Et quanquam Clerus, Decanus, *Gropperus*, & canonici vehementissimè se illi opponerent, non tamen his cessit Archipræsul: sed constans & intrepidus perseveravit, donec post *triennium* Victor *Carolus* in bello Protestantium eum ab officio, Pontificis Romani hortatu, removit. Illa oblata *Melanchthonis* vocati occasione, honorifica duo testimonia publica ab Academia Wittembergensi accepit, unum à *Collegii Philosophici Decano*, alterum à *Rectore*, cujus auctor fuit *Melanchthon*, & elapso jam *quinquennio*, cum sine jactura studiorum id fieri putaret, parentes & cognatos suos invisere voluit, domumque reversus est, haud equidem animo deserendi *Wittembergam*, ut qui ibi supellectilem & librariam & vestiariam reliquisset, sed certo cum proposito redeundi ad amica Musarum consortia Academica. Verum Deus, cujus providentia omnia reguntur, hunc etiam *Heerbrandi* in patriam reditum aliter gubernavit.

Redit domum Heerbrand.

Edit specimen profectus.

Etenim cum sui profectus specimen à patriæ pastore jussus esset edere, die Pentecostes, rara hominum frequentia concionem habuit talem, quæ ab omnibus auditoribus fuit approbata & commendata. Quo facto parentes mirum in modum exhilarati, procul à se rursus eum abire, *Wittembergamque* redire noluerunt, animos illorum dirigente Jehova, qui jam ante sapientissima sua providentia Tubingensi Academiæ Ducatuique Wirtembergico virum in Evangelii doctrinâ conservanda, & amplificanda, ceu singulare organum & ornamentum, præter cætera, destinaverat. Itaque parentum auctoritati & voluntati obtemperans, *Stutgardiam* urbem patriæ vicinam, se contulit, & operam suam Ecclesiis Wirtembergici Ducatus obtulit, anno *quadragesimo quarto*, mense Augusto, cum natus ipse esset annos *viginti duos*.

Adjicit operam suam ecclesiis.

Erat tum magna Doctorum Theologorum eo in Ducatu penuria, & recipiendorum in ministerium præerat examini, *Erhardus Snepfius*, Ecclesiastes Stutgardianus, generalis Ducatus Superintendens, magna tum apud Principem *Vlricum*, gratia ac authoritate. Hic propositis *Heerbrando* duabus tantum quæstionibus; cum ad illas aptè prompteque respondisset, statim in hæc prorupit verba: *Dominus te mihi obtulit.* Et verè id vatidicoque spiritu.

Examini subjicitur.

Inspicit ad ipsum verba.

Destituta tum Ecclesia *Goppingensis* parochia ministro erat, conditio satis honorifica, cui adjuncta aliarum vicinarum Ecclesiarum inspectio. Huic ipsum confestim præficere volebat *Snepfius*. Verum *Heerbrandus*, cognito in urbe Tubingensi vacare Diaconatum; hunc illi, licet dignitate & utilitate prævaleret, prætulit, ac M. *Ambrosio Kern*, qui tum etiam Wittemberga venerat, reliquit, ipse verò Tubingensem accepit provinciam, prætendens amorem studiorum; quæ Wittembergæ feliciter inchoata, *Tubingæ* ad finem perducere tandem decrevisset, uti & factum. Hac siquidem conditione præclarè in *sextum* usque *annum* functus est, & propositum suum, cum publicè lectionibus audiendis, tum privato studio & assidua lectione feliciter ursit, & optatum nactus est finem. Itaque anno *quadragesimo quarto*, die *quinto* Septembris præside illo *Snepfio* ad propositiones *de Ecclesia* publicè respondit. Ac ne præter officium publicum ullis impediretur obstaculis, in quartum annum celebs vixit, mensa precio tolerabili, in Stipendio Principis conductâ. Præter hujus sacri labores officii *Mathemata* privatim interpretatus est. Crebras quoque tum in arce Tubingensi conciones coram Principe *Vlrico* habuit, qui eum, juvenem licet Theologum, amavit, & simul ac primùm in arce fuisset concionatus, consiliariis commendavit; *magnum aliquando Theologum prædicens futurum.*

Tubingæ fit diaconus.

Vrget studia Theol.

Gratus Principi Vlrico.

Inciderunt posthæc tristia & calamitosa tempora anno *quadragesimo sexto*, mortuo *Luthero*: sicut magnorum virorum & justorum mors plerumque ominosa est. Paulo ante vitæ finem *Luther us* ad amicos, *orate*, inquit, *Deum, ut Evangelii doctrinam vobis conservet. Pontifex enim & consilium Tridentinum dira moliuntur.* Hoc præsagium quale fuerit, eventus docuit. Post famam, maximos fieri à *Cæsare*, *Ferdinando*, & *Pontifice* bellicos apparatus: contra Germaniam ipsam bellum exarsit, quod, ut nimis notum, Imperator *Carolus* Electori Saxoniæ *Ioanni Friderico*, & *Philippo* Hassiæ Landgravio, eorumque confœderatis urbibus Imperialibus, movit. In eo singulari Dei consilio & permissu, superior evasit Imperator, captis illis & subactis. Quæ autem tum fuerit in *Germania* rerum facies, quanta conturbatio & trepidatio, cordatus quoque per se æstimare potest.

Anno sequenti *quadragesimo septimo*, cùm paululum bellici motus remisissent, reconciliato Cæsare, uxorem duxit illo ætatis tempore; quod omnium doctorum calculis ineundo conjugio plures ob causas optimum statuitur. Nuptias celebravit Mense Februario, cum virgine *Margarita*, filia *Conradi Stamleri*, consulis Tubingani, & in consistorio Wirtembergici Ducis supremo adsessoris. Conjugium hoc secundum & jucundum fuit, in quo susceperunt liberos undecim,

Ducit Vxorem Heerbrand.

cim, *octo* filias, *tres* filius, è quibus plerisque honestissimè elocatis, & avus & proavus est factus.

Victor autem imperator Carolus V. non solùm pro suo politiam arbitrio constituit, & mutavit, quæ voluit, omnibus propter potentiam & auctoritatem formidabilis, verum etiam doctrinam & religionem finceram Pontificis instinctu mutare summè conatus est. Anno ergo *quadragesimo octavo* librum illum, qui dicebatur *Interim*, ob causam sæpe indicatam, ab artificibus quibusdam Pontificiis compositum, in comitiis Augustanis proposuit, in quo Evangelicis concedere nonnihil videbatur, sed revera totum Papatum, quoad doctrinæ corruptelas & idololatricas ceremonias, quas omnes iste confirmabat, coloribus pictus introducebat.

Interimistica Formula.

Obtrusa autem est ea forma per vim Principibus & Imperii civitatibus in *Suevia*, & alibi, invitis, ut qui à Pontifice Romano secesserant: nec Imperatori se poterant opponere, qui cum exercitu præsens comitia celebravit armata. Quamobrem ista mutatione, vetus jam dudum abrogata rursus invaluit idololatria, dimissis ab officio, & anno *quadragesimo octavo* circa finem, ejectis omnibus Ecclesiæ ministris in *Suevia*, qui formam istam & impietatem recipere recusabant. Dimissus igitur est & tum *Heerbrandus* ipso die Divi *Martini*, officio diaconi functus *Tubingæ* ultra quinquennium, quòd impiam istam religionis formulam nollet amplecti.

Obtrusa multis.

Ministri in Suevia ejecti. Inter quos & Heerbr.

Venit autem sub id tempus *Tubingam Osvvaldus Schreckenfuchsius*, vir præter cætera Hebrææ linguæ peritissimus. Hujus ergo operam, cum *Iacobo Andreæ*, Theodorico Snepfio, & *Iacobo Dachtlero* conduxit, ut privatim linguam Hebræam docerentur. Ei studio totum se *Heerbrandus* per illum annum consecravit; donec circa finem anni quinquagesimi, mortuo *Ulrico* Duce successit filius Princeps *Christophorus*; qui primam Religionis suscepit curam, & cum aliis Theologis atque ministris *Heerbrandum* revocatum, pastorem Ecclesiæ *Herrenbergensi*, & vicinis Ephorum præfecit. Sæpè tunc ad eum excurrit salutandi causa J. *Brentius*, familiaritate ejus mirificè delectatus, adeò ut aliquando in hæc eruperit verba: *Quoties te video, toties gaudeo.* Quærenti *Heerbrando* causam, respondit: *Nam & tu Ecclesiam docendo juvabis, longè lateque sinceram doctrinam sparges & propagabis, eris Ecclesiæ præsidio & ornamento.*

Osvvald. Schreckenfus Hebr. doctus.

Eum audit cum aliis Heerbrand

Restituitur.

Excurrit ad eum Brentius.

Anno eodem *quinquagesimo* paucis pòst mensibus pridie D. Georgii *Heerbrandus* Doctor Theologiæ *Tubingæ* creatus est; competitore & consorte honorum *Iacobo Beurlino*, de quo supra à nobis dictum, spectatore in Academicâ illa panegyri parente suo *Andrea*.

Doctor Theolog. salutatur.

Anno sequenti *Tridenti concilium* illud, quod diu moliti fuerant Pontificii, habebatur, & omnibus quicunque de Religione aliquid proponere vellent, apertum & liberum offerrebat aditum abitumque. Missi igitur eo cum Politicis Theologi Evangelici, è quorum numero & *Heerbrandus*. Verum quid inibi actum effectumve sit, alibi & à nobis expositum est, & omnibus historiarum non plane hospitibus, minimè ignotum.

Concilium Trident.

Ad id Heerbrand missus.

Post reditum *Heerbrandus*, utpote intelligens facilè, quibus ad talia certamina telis opus esset habiturus, deinceps ipsos annos quatuor cum dimidio *Patrum* assiduæ lectioni tribuit. Ut enim miles in aciem & pugnam proditurus, multò antè domi se necessariis & sibi convenientibus armis instruit, sic & *Heerbrandus* ex *Patribus testimonia*, de omnibus Theologiæ doctrinæ partibus excerpta, *in locos communes congessit*, ut iis, sicubi res ita ferret, contra Pontificios uteretur. Et sic res habet, *duo* sunt *armorum genera* validissima *in Theologicis* certaminibus, primum *cœlestium literarum monumenta* θεόπνευστα & αὐτόπιστα: deinde *orthodoxæ antiquitatis testimonia* ἀξιόπιστα. Excerpta illa locorum communium Theologiæ Patrum, publici juris facere sæpe ei animus fuit, sed quo minùs, quod voluit fecerit, obstiterunt catenati officii labores.

Redit. Evolvit Patres.

Duo armorum genera in Theolog.

Anno namque *quinquagesimo sexto*, lectione Patrum jam absoluta, una cum *Iacobo Andreæ*, & *Simone Sultzero* vocatus est honorificentissimè à *Carolo* Marchione Badensi ac Hochburgensi, ad reformationem Ecclesiarum & ditionum ipsius, atque Superintendentem illarum generalem, cujus operam illi Dux Christophorus ad unum annum concessit. Ita *Heerbrandus Pfortzemium*, ubi tunc Badensium aula Marchionum erat, cum familia profectus summo præstitit dexteritatis & successus elogio, mirificè sibi gratulatus, quod errores Papales detegendi & refutandi peropportuna sibi hoc modo præbita esset occasio. Quamobrem non modo voce gravi validaque veritatem Evangelii adseruit, verùm etiam ordinationem Ecclesiasticam, Augustanæ Confessioni conformem, conscripsit, quæ Theologorum *Iacobi Andreæ* Theologi Wirtembergici, *Maximiliani Morlini* superintendentis Coburgici, & *Simonis Sultzeri* Basiliensis approbatione confirmata, anno eodem, nomine *Caroli* Marchonis Badensis in publicum exivit. Anni sequentis initio, Januarii die octavo *Albertus* Marchio Brandeburgicus, heros fortissimus, Marchionis *Casimiri* & *Susannæ* Bavaricæ filius, cum ab hostibus suis victus & tandem in exilium pulsus fuisset, Pfortzenii, apud affinem suum Marchionem *Carolum*, anno ætatis suæ trigesimo quinto, mortuus & sepultus ibidem in templo S. *Michaëlis*. Adfuit huic *Heerbrandus*: qui discessum ejus ex hac vita pium, & cætera omnia scripto edito declaravit.

Evocatur à Marchione Badensi.

Pfortzemium migrat.

Ordinationem ecclesiast. conscribit.

Alberti Brandenb. obitus.

Ut autem labor laborem, sic etiam honor honorem trudebat, atque *Heerbrandum* jam insequebatur. Vix enim duos menses cum Pfortzemii fuisset, & salvifici verbi prædicationem instituisset, à Rectore & senatu scholæ *Tubingensis* ad Professionem Theologicam est vocatus. Quare volente Duce *Christophoro*, studium scholæ suum addixit, hac addita diserte tamen

Pfortzemio Tubingam ad Profess. revoc.

tamen conditione, ut, cùm operam suam Marchioni ad annum condixisset, ne opus re-ceptus inchoatum imperfectum relinqueretur, sibi totum illud promissum tempus isthic integrum esset permanere. Quod volentes Rector & Senatus concesserunt. Accidit interea ut cum Marchione *Heerbrandus* ad conventum Principum & Theologorum *Francofurtum* descenderet, ibi Elector Palatinus Dux *Otho Henricus*, qui tum una aderat, in pacificatione & transactione Landgravii & Comitis *Wilhelmi Nassovii*, fama tum & auditione ipsa de Heerbrandi præstantia certus, ipsius operam, ut in *Haidelbergensi* schola Theologiam publicè doceret, clementer, honestissimo oblato stipendio, expetivit. Sed cum id fieri ratione posset nulla, gratias ipsius celsitudini, pro honorifico de se judicio egit. Hac illustri vocatione Marchio *Carolus* magis jam incitatus, ipsum etiam apud se detinere, multis & magnis oblatis conditionibus discupivit. Ne verò quæstus illic causa remanere videretur, cùm nullam haberet à *Christophoro*, duce optimo discedendi, & fidem Tubinganæ scholæ datam fallendi, rationem, elapso anno *Tubingam*, cum familia salva salvus rediit, omnibus desideratus & exspectatus, ac paulo post, invocato Dei nomine, professionem suam Academicam feliciter est exorsus.

Francofurtum cum Marchione abit. Expetitur ab Othone Henrico Palat.

Redit Tubingam.

Fuit autem *Heerbrandi* lectio ordinaria Pentatevchus Moisis, quem in suæ professionis annorum *quadraginta* curriculo *quater* absolvit. Eundem quoq; pro concione, cum professioni scholasticæ ecclesiasticum quoq, munus sustineret conjunctum, diebus *Jovis* publicè enarravit. Tanta autem fide, & adsiduitate docendi fecit officium in scholâ, ut horas ullas se neglexisse, meminisse non potuerit, nec unquam ad docendum nisi probè præmeditatus accessit, rationemque docendi methodicam solicitè semper observavit eam, quam à præceptoribus, Melanchthone præcipuè, didicerat.

Pentatevchum ordinatur. Et pro concione exponit.

Neque verò publicè tantum docebat & concionabatur, sed domi quoque, quoniam inexhausti erat studii, fructuosè laborabat. Anno enim *quinquagesimo octavo*, contra *Petrum à Soto* librum scripsit satis magnum, de *ecclesia, patribus & conciliis*, postea typis excusum unà cum aliis, contra eundem Petrum, à collegis ipsius scriptis, *Jacobo Beurlino*, *Theodorico Snepfio* & *Joanne Brentio*, quorum singuli partem illius libri refutaverunt. Deinde anno *quinquagesimo nono*, biennio postquam Tubingam venerat, primum ab Academico senatu *Rector* Universitatis est declaratus. Quem magistratum in Academiis summum & honorificentissimum, sed & difficilimum, laboribusque & molestiis plenissimum, deinde *octavum*, exemplo ferè inusitato summa prudentiæ, dexteritatis & judicii laude gessit, ac nisi Cancellarius Academiæ fuisset creatus, haud dubiè sæpius intereâ fuisset idem ei Rectoratus gerendus. Anno *sexagesimo primo* sub finem ferè, collegii ecclesiastici sive templi Tubingensis *Decanus* & *Ecclesiastes* est constitutus. Præterea Superintendentem egit & Illustrissimi Principis *Stipendii ducentorum* ferè semper *alumnorum*, ex quo tot reverendi & clarissimi viri in ecclesiam prodierunt, & *Martiniani* illius laudati, & Rei publ. universæ fructuosi, quando inibi *Theologi*, *Jurisperiti*, *Medici* aluntur. *Contubernii* insuper generalis fuit per annos plurimos inspector. Quemadmodum Oeconomiæ Universitatis etiam per annos amplius *viginti Deputatus*, utilissimam Universitatis civibus omnibus navans operam.

Scribit contra Petrum à Soto.

Rectoratum gerit.

Decanus Tubing. constitut. Ephorus illustriss. Stipendii. Et Martiniani. Contubernii itidem.

Nec domi tantum suis fuit notus acceptusve *Heerbrandus*, sed fama ejus etiam forâs emanavit & sparsa fuit. Quare quemadmodum ante ab Electore *Palatino*, sic anno *sexagesimo secundo* à Saxoniæ Ducibus *Jenam*, ad docenda illic sacra, clementer & honorificè fuit evocatus. Illustris sanè admodum hæc & legitima fuit vocatio, in qua præter familiæ sustentationem, in annuum *salarium mille* ei offerebantur *florenorum*. Sed cum Tubingensibus natus divinitusque datus videretur, prudenti consilio Principis *Christophori*, Professor & Ecclesiastes celeberrimus, quamvis sollicitè expeteretur, dimissus non est: quin ipsimet *Heerbrando* causa nulla visa est, cur patriam, parentes, socerum, amicos relinquens, se prolemque numerosam alio transportaret. Cum itaque sui copiam tribus principibus denegasset, *Tubingæ* sede fixa animum ad rem familiarem honestè augendam appulit, donata ipsi à liberalissimo Duce *Christophoro* areâ; in eâ domum egregiam ædificavit, fundos, prata, vineas, opima prædia, à socero accepit, quorum tamen omnium curatio, per conjugem potissimum, fœminam solertissimam & rei familiaris studiosissimam ac peritissimam, fuit administrata. Ipse siquidem studus ita fuit affixus, ut omne tempus perire duceret, quod iis non esset impensum. Cujus rei argumentum sunt libri & scripta ab ipso elaborata, de quibus postea dicemus.

Foris etiam celebris.

Jenam evocatur.

Stipendio mille florenorum.

Auget rem familiarem.

Anno Christi *nonagesimo* ipsi jam seni *septuagenario*, tantus accessit ad priores dignitates cumulus, quantus in Wirtembergico Ducatu, & in Ecclesia illius, atque Academia ferè potest maximus. Declaratus enim est Illustrissimi Ducis *Consiliarius*, Ecclesiæ *Præpositus*, Academiæ *Cancellarius*, *novi Collegii Inspector*, id quod futurum *D. Jacobus Andreas* præsagisse dicitur. Istis officiis amplis sanè & arduis toto, quod superfuit, vitæ curriculo, mira & rara cum diligentiæ industria functus est, ac postremis præsertim annis labores ejus auxerunt *obitus* tum *liberorum*, tum *conjugis*, qui vulnera ei inflixerunt acerbissima. Vixerat cum illa uxore annos *quinquaginta* & semestre, ac verè baculum senectutis suæ habuerat. Hac itaque anno *nonagesimo septimo*, die *nona* Novembris, amissa, ipse viduus sequenti anno magis magisque, quasi avulsa à corpore suo parte principali, cœpit langueſcere, vires corporis & ingenii amittere, incessu ita

Declar. consil. præpositus, cancellar. noviq; colleg. Inspect.

Amittit uxorem.

Inde luctus & virium defectus.

laborare, vix ut duci, nedum incedere posset. Ratus itaque quod res erat, prodromos fatalis dici adesse: maturè collegit sarcinas, seque ad iter cœleste paravit.

Docendi finem facit.

Anno enim *nonagesimo octavo*, docendi suam in schola provinciam à festo Paschæ finivit, in capite *vicesimo quinto* Geneseos dulcissime constitit, ultimùm die *vicesimo octavo* Maji docuit, postquam incredibili emolumento, ac laude in Academia docuisset annos supra quadraginta unum. Curiam tamen & senatum Academicum ad dies usque caniculares ejusdem anni accessit. Postea, cum pedes officio planè deessent, nec à nepote, quo instar scipionis usus erat, duci amplius posset, ne in publica commoda peccaret, anno suo emortuali per literas ad Illustrissimum Principem & amplissimum Senatum munus suum resignavit, utque de successore deliberationem susciperent, petivit. Quæ ipsius petitio approbata, & pro Academiæ Tubingensis more, inque emeritos prædicandâ liberalitate, annuum ei ad vitæ dies reliquos, beneficium est decretum. Ita ergo omnibus curis officii ac laboribus liberatus rudeque meritò donatus, nihil aliud meditatus est, quam ἀνάλυσιν ex hac vita beatam.

Resignat officium.

Rude donatur.

Parat se ad mortem.

Eo fine & paucis ante obitum diebus sacram synaxin à ministro ecclesiæ, quam præmissa peccatorum deprecatione, fideique confessione diserta, præsentibus aliis tum domesticis tum collegis, reverenter accepit. Reliquis, qui ad vitæ ei superfuerunt finem diebus, animo planè fuit sedato, nullius rei anxio, quicquid cibi potusve præbebatur, acquievit, & à mensa somno se dedit; qui tandem in lethargum aliquot dierum fuit mutatus.

Lethargo corripitur.

Inter dolors acutos podagræ, qui senem infestarunt, semper fuit patiens, sæpè Apostoli illud repetivit: *Pietas ad omnia est utilis, habens promissionem hujus & futuræ vitæ*, cumque aliquando apud ipsum fieret mentio *Turcarum* & crudelitatis *Hispanorum*, tum ille, *pessimi sunt homines*, ait, *Hispani, & merito nobis inviſi ac metuendi, sunt omnes nostri hostes in Papatu. Oremus ergò indesinenter: Da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu DEUS noster.* Et plura in hanc sententiam, sed submissa voce, ut exaudiri omnia ab adstantibus non potuerint. Tandem cum piis ab adstantibus precibus DEO fuisset commendatus, quasi lampas oleo deficiente, sine omni cruciatu, est extinctus, animaque ejus in sinum Abrahæ deportata, anno Christi *decimo sexto* seculari, die *vigesima secunda* Maji, horâ ante meridiem *undecima*, ætatis suæ *undeoctogesimo*, exceptis *undecim* septimanis, diebus *quinque*, horis *quatuor*.

Placidè exspirat.

Elogium ejus.

Fuit Theologus in suo officio diligens & adsiduus, adeò ut ne nox quidem hominum quieti & laborum intermissioni data, à cura officii avocare eum potuerit. Nam in adversarios scriptis iturus, calamos, atramentum, papyrum ad spondam apposuit, primo peracto somno evigilans, cum aliquot horis ferè semper rursus obdormire non posset, interim de hoc vel illo adversariorum argumento refellendo, nocte quieta cogitavit, cogitata è vestigio in tenebris, sine lumine, paucis, qualitercunque, sic tamen ut legi possent, annotavit. Mane filio meditata proposuit, de responsione examinavit, ac demum sententiam suam aperuit.

Diligentia & Sedulitas.

Præterea quanquam DEUS ipsum in hoc mundo summis & honoribus auxisset, & opibus, cor tamen apposuit minimè, nec superbivit in illis, nec elato unquam fuit animo, sed humilitati studuit, in timore vixit Domini, gratias ei semper egit, benignitatis suæ fontem foras quoque derivans, pauperibus, exulibus, miseris benefecit. Studiosis quibuscunque gratificari potuit, opera sua nunquam defuit, quacunque ratione juvit, promovit; viris doctis dignos sibi judicatos commendavit. Exteras quoque nationes quantumcunque potuit juvit, consolationibus, consiliis sacris, in gravissimis religionis negotiis & controversiis, ita ut tanquam ad oraculum Christianum Principes, Comites, Barones, equestris ordinis & nobiles, in *Austria*, *Styria*, *Carinthia*, *Carniola*, *Hungaria*; adeoque ex ipsis finibus Turcicis, ad ipsum literis missis confugerint, & ejus opem atque auxilium implorarint, quibus complures fideles & doctos ministros misit, quorum studio & opera ecclesiæ in istis regionibus plantatæ sunt.

Humilitas.

Beneficentia.

Juvat exteros.

In re familiari non fuit, quales multi doctorum & Philosophorum esse solent, qui deposita omni rei domesticæ cura, studiis addicti suis, iis tanquam spuma saxis, adhærentes, negligentiores opum esse solent. Ipse verò etsi conjugem haberet rei familiaris scientissimam, cui hujus rei onus præcipuè impositum, tamen se multorum fieri patrem liberorum videns, œconomiam & ipse decenter & honestè curavit, & cum à socero prædia nactus esset, illudque lucrum è terra nascentibus proveniens, pium, honestum, Deo gratum, & ipsius benedictione plenum esse non ignoraret, suis laboribus etiam hæc egregia locupletasset accessione, exemplo Patriarcharum, Magnatum, regum etiam, hortorum, vinearum, & rerum consimilium plantatione, insitione, curatione, tanquam Cato Ciceronianus ille, plurimum est delectatus, si quid officiis, publicis & privatis etiam studiis succidere potuit temporis, huc tanquam animi relaxandi gratia, utiliter fructuoseque contulit, adeò, ut è locis longè remotis *Styria*, *Carinthia*, *Carniola*, generosos sibi surculos & semina nec sine sumtu adferenda curaret, quæ facilè à Magnatibus illis est consecutus.

Rei œconomica studium.

Excolit hortos.

Interim non his posthabuit liberos, sed primam iis tribuit curam, piè honesteque educavit, gravi & severa disciplina ad virtutes.

Instituit liberos.

Virtutes, ad pietatem, ad ſtudia, maxime Theologicum aſſuefecit, nullis ſumtibus pepercit, & Dei beneficio largiter unde daret, habuit, ex ſtipendio plurimorum annorum liberali, & proventibus prædiorum ſatis amplis, & omnibus ſumtibus domeſticis majoribus. Frugalitas ejus etiam ex eo apparet, quod Bibliis unis per omnem vitam uſus fuit, *Lugdunicis*, ut ſupra attigimus perantiquis. Ea annotationibus ad marginem adſcriptis, ita opplevit, detrivitque legendo, ut ſpacii nihil reliquum, quædam etiam legi vix potuerint. Theſauri iſta loco, nec immerito, habuit, precioque *centum florenorum* æſtimavit.

Divitiæ.

Frugalitas.

Bibliis unis uſus.

Valetudo.

Valetudine fuit firma & conſtanti, nec ullo unquam tentatus morbo, præterquam ſub ultimam vitæ lineam. Tunc enim morbo valde acuto correptus fuit, qui manus pedesque invaſit, & uſum maximè neceſſarium ei ademit. Quanquam autem hoc mali genus homines præſertim ſenes, plerunque facit moroſos ac quiritabundos, *Heerbrandus* tamen, perinde ut in valetudine proſpera, eodem perſtitit vultu, eodem erga Deum animo, quem laudandum in omnibus etiam tunc æger dixit, & quod dixit fecit.

Et, ſi quid ad Theologi commendationem hoc facit, gratus acceptusque fuit non uni *Electorum*, principum, ac dynaſtarum, in Auſtria præſertim ac finitimis regionibus, qui haud raro magnificis ipſum proſecuti ſunt donis. Illuſtriſſ. etiam Rheni Palatinus *Neoburgicus* inſignibus *Heerbrandum* ornavit, & *virum facem ardentem dextra gerentem*, arma familiæ ejus gentilitia eſſe voluit.

Dona ipſi miſſa.

Inſignibus ornatur.

Scripſit & edidit varia, de quibus eminet *Compendium Theologiæ* Latinum, quod deinde rogatu *Joannis Zygomalæ* & *Jeremiæ* Conſtantinopolitani Patriarchæ, à *Martino Cruſio* Græcè converſum, Conſtantinopolin & Alexandriam in Ægyptum uſque pervenit. Multa inſuper ſcripſit contra *Gregorium de Valentia*, Hiſpanum Jeſuitam & alios, quorum ſcriptorum nomenclaturam, qui vult, in Bibliothecis videat. *Concordiæ* etiam *librum*, de voluntate ſui principis in Latinum tranſtulit ſermonem. Parentavit idem beato *Melanchthoni*, oratione ſæpius recuſa, quam ut ipſe *intra quatriduum* conſcripſit, ita facto ipſo obſervari optamus. Idem officium præſtitit *Joanni Brentio* ſeniori, *Jacobo Andreæ* ſuo anteceſſori, *Ludovico* pio *Duci* Wirtembergico, ut latere patiamur *diſputationes* ipſius, *Orationes* & *Conciones* plurimas, de præcipuis feſtis, de meſſe, de vindemia, de anno Jubilæo, de virtutibus ac vitiis variis.

Scripta.

Ex oratione funebri dicta ab Erhardo Cellio Tubingenſi Profeſſore & Bibliothecis.

DAVID CHYTRÆUS.

PAter *Davidis Chytræi*, vernaculè Kochhafe, fuit Matthæus natus *Brackenheimii*, Ducatus Wirtembergici oppido, qui cùm *Tubingæ* per quinquennium literis operam dediſſet, exortâ tum Evangelii luce, miniſterio *Lutheri* accenſa, in *Salinas Suevicas*, ad *Joannem Brentium* ſeſe contulit, ut vivâ ejus voce magis magisque & eruditetur, & confirmaretur, in agnitâ doctrinæ cœleſtis veritate. Ab hoc deinde *Ingelfingam* miſſus, annis amplius *quinq;* eccleſiam ibi tantâ fide, diligentiâ, & zelo docuit, ut præfectus illius loci fidem ejus vitæque innocentiam, quâ profeſſionem ſuam ornabat, magnopere commendarit. Sed, ut ſunt humana omnia dubia & inſtabilia, idem poſtea eum acerrime perſecutus fuit. Nam cum initio anni *milleſimi quingenteſimi trigeſimi* fama de *Caroli* Cæſaris in Germaniam adventu paſſim percrebeſceret, qui *Lutheranos* ad unum omnes interfecturus eſſet, ille miſſam Pontificiam, aliquot jam annis abolitam, rurſus in uſum revocavit. Id *Chytræus*, ut rem mali exempli pio zelo reprehendit, tantumque abfuit, ut timore officii amittendi à reprehenſione deſiſteret, ut acrius etiam in illiusmodi inconſtantiam, documentis ſacræ ſcripturæ demonſtratis inveheretur. Ita cum aliquando coram publicè id faceret, præfectus impotenti planè animo è ſede ſua proſiliit ſtrictoque gladio ſuggeſtum, terrendi cauſa, percuſſit, præſente & ſpectante id ipſum paſtoris conjuge tum gravida, quæ mariti periculo adeò perterrita & conſternata fuit, ut nec lacrymas, nec vocem ullam per horas aliquot emiſerit, multique ex tanta matris perturbatione malè embryoni ominati ſint. Sed DEUS hominum plaſtes ſapientiſſimus periculum omne clementer avertit. Novit enim ſuos etiam in præſentiſſimo diſcrimine conſervare.

Vivit apud Brentium.

Ingelfinga docet.

Miſſa ibi reſtituta.

Quod taxat Chytr. pater.

In concione interpellatur.

Matre Davidis præſente.

Itaque cum hæ turbæ ex violentia præfecti incidiſſent, nec tutò ſuum facere poſſet officium pater, in *Graichgojæ* oppido *Menzingâ*, quod medio itinere inter *Hailbronnam* & *Spiram* ſitum, apud nobiles *Eraſmum* & *Petrum* fratres *a Menzingen* hoſpitium benignum, & ſecurè docendi locum invenit, & in illo oppido *triginta* ipſos *annos* puram Evangelii doctrinam docendo, ad finem vitæ usque permanſit. Atque hoc de patre. Matrem habuit *Barbaram* Neibergenſem honeſtiſſimam matronam, quibus parentibus natus eſt anno Chriſti *milleſimo*, *quingenteſimo trigeſimo*, die *viceſimo ſexto* Februarii, in oppido Sueviæ *Ingelfinga*, duobus infra Salinas milliaribus.

Migrat Menzingam pater.

Natalis Davidis Chytræi.

Pater ergò cum præclaram filii indolem videret, in prima ſtatim ætate ſe exerentem, ut de Alexandro ſcribunt hiſtoriæ, etiam in puero τὸ μεγαλόψυχον καὶ τὸ φιλότιμον apparuiſſe, elementa veræ pietatis & literarum ludendo eum balbutientem docuit, iisque cum alia, tum *declinationum paradigmata* adjunxit, quæ ita cupidè & celeriter puer velut ἐνθουσιασμῶ ad ſtudia raptus, percepit, ut pater in illo ſupra modum delectaretur, & ſpe ſuâ, votisque ardentibus ad DEUM quotidiè fuſis ad eccleſiæ DEI miniſterium

Diſcit à patre elementa literarum.

* 1600. d. 25. Junii ætat. 70. Matthæus Chytræus, pater.

vocaret. Intellexit enim vir honestissimus, primum studium parentum, in liberorum educationem atque exercitationes conferendum esse, ut in παιδείᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου adolescant. Solet quidem natura bona interdum per se benè & laudabiliter agere; verum multa etiam inter bonos fructus vitia sæpè profert, nisi recta accedat institutio, perinde atque bonus ager, si non probè & accuratè colatur. Nondum *septimum* ætatis annum complentem in vicinam scholam *Gemmingensem* misit, & Pastori *Wolffgango Busio* privatim erudiendum & fovendum tradidit, cujus fideli institutione & cura, in Grammaticis feliciter progressus est, ut & *Franciscum Irenicum*, tribus filiis suis & aliis, breves *Ciceronis* Epistolas & *Salustium* explicantem, ibidem cum fructu audiret.

Mittitur Gemmingam. *Wolffg. Busio commendatus.*

Hac ex schola, *biennio* elapso, *Tubingam* planè adhuc puer, translatus est, ubi privatum studiorum suorum gubernatorem *Hieronymum Gerardum* habuit, cujus parente *Wendelino*, viro optimo, pater *Matthæus* familiariter utebatur, deinde *Joannem Mendlinum & Michaelem Vajum*. Decoratus jam puer titulo Baccalaurei ibidem *Joachimum Camerarium*, in Latinâ & Græcâ lingua sedulo audivit, in Arithmetica & Euclide *Joannem Schvvebelium*, in Philosophia naturali *Jacob. Scheckium*, in Theologia *Erhardum Snepfium*, commilitones autem habuit *Georg. Liblerum*, *Jacob. Andreæ*, *Theodor. Snepfium* & complures alios, cum quibus in oratione Latinâ & Græca formanda, & cum *Liblero* in physicis præcipuè exercebatur. Cum autem *sexennium* istic vixisset, urgentibus præceptoribus & consentiente patre, adolescens annorum *quindecim*, summum in philosophiâ gradum, pro more in Academiis recepto, consequutus fuit, publicum & illustre raræ virtutis & diligentiæ in ejus ætatis hominibus, testimonium.

Tubingam transfertur. *Hieron. Gerard.* *Puer audit lect. publicas.* *Præceptores ibi.* *Et commilit.* *Renunciatur Magister anno 15. ætat.*

Postea sumtus studiorum liberaliter præbente, viro nobilissimo & equite aurato *Petro* à *Menzingen*, eodem anno *Wittembergam* se contulit, quæ totius Germaniæ schola tum florentissima & optima, veræ de DEO doctrinæ & philosophiæ universæ erat, sicut olim Athenæ ἐλλάδος παίδευσις, ut Thucydides nominat; literis *Georgii* Schwartzerdt / prætoris Brettani, ad *Philippum Melanchthonem* fratrem, & *Ioannis Brentii* ad Lutherum, instructus. Quarum literarum beneficio in domesticam *Philippi* consuetudinem & commune musæum receptus est, ut non solum ex publicis illius prælectionibus, sed ex quotidianis quoque sermonibus plurimum posset proficere. Hujus felicitatis suæ, tanquam summi vitæ commodi perpetuò memor, dum vixit, nunquam satis paterna in se præceptoris merita deprædicare potuit, sicut etiam in scriptis editis omnem ingenii sui cultum, quo aliorum studiis profuit, Philippo secundum DEUM acceptum refert. Recitandum hic venit, quod *Henricus Buscoducensis*, *Christiano* Tertio *Daniæ* regi à sacris, αὐτόπτης narravit. Cùm *Chytræus* adolescens tunc ad *Melanchthonem* in musæum admissus, literas ei commendatitias reddidisset, cognovit ex iis, esse illum magistrum promotum. Itaque cum admiratione eum intuitus, *esne tu*, inquit, *Magister artium?* Cui Chytræus modestè respondet, *equidem eo honore Præceptores mei Tubingæ me, juvenem fateor, affecere.* Auditâ insuper ætate pergit Melanchthon quærens, *numquid in Græcis profeciſſet? Chytræo* annuente, jubet eum ex Thucydide aliquid legere & interpretari. Quod utrumque cum *Chytræus* dextrè præstitisset, Melanchthon non sine affectu, *Tu*, inquit, *meritò es Magister, ac mihi quidem posthac filii loco eris. Lutherum decem* postrema *Geneseos* capita in schola enarrantem, & pro concione docentem, ultra annum audivit. *Plutarchus* refert in vita Marii, *Platonem* jam jam moriturum genium & fortunam suam laudasse, primum, quod *homo*, deinde quod *Græcus*, non barbarus aut bruta bestia natus esset, denique quod in ætatem *Socratis*, nativitas sua incidisset; multò rectius Chytræus beatum & felicem se dicere potuit, quod homo natus esset, quod *Christianus*, & quod clarissima ecclesiæ lumina, *Lutherum* & *Melanchthonem* coram vidisset, compellasset, & de rebus longè gravioribus audivisset.

primum Chytræus cum Melanchth. colloq. *Audit Luther.* *Plato pro quibus gratias egerit.*

Nam *Melanchthoni*, ut diximus, fuit domesticus, ejusque non solùm publicâ, sed & privata est usus institutione, receptus ab eo in commune musæum, ubi quotidianos ejus sermones de studiis, de Republ. de Ecclesia, & de aliis judicium audivit, & excepit. Et quamvis tunc *Chytræus* modico viatico contentus, aliis servire necesse habuit, tamen servitium illud magnam ei animi vitæque elegantioris libertatem attulit. Adeò autem tunc *Melanchthoni* addictus fuit, ut primus in auditorium eo docente venerit, ultimus exierit, & portò deambulantem quoque assectatus fuerit, nihilque grave aut molestum duxerit, modò in oculis illius viri versaretur, & ad ejus exemplum vitam moresque componeret. Contra autem *Melanchthon* filii ipsum loco amavit, & cum suaviori vocabulo non posset, *Junum Davidem* appellavit.

Aliis servit Chytr. *Melanch. thoni addictiss.*

Mortem Lutheri, die Concordiæ & Constantiæ anno *quadragesimo sexto* obeuntis, bellum Germanicum statim secutum est à Carolo V. Imperatore motum. Quo cum Academia *Wittembergensis* mense Novembri dissiparetur, *Haidelbergam* venit ad *Jacobum Micyllum*, *Henricum Stolonem*, & *Gervasium Marstallerum*, à quo prima Hebreæ linguæ elementa didicit, deinde *Tubingam* revisit, ubi maximam ætatis partem consedit, & *Erhardum Snepfium* & *Philippum Imserum*, *Joannis Stofleri* discipulum, *Theorias Planetarum*, & rationem calculandi motus, & eclipses ex tabulis resolutis docentem, præcipuè audivit.

Vivit cum Melancht. *Haidelb. venit.* *Inde Tubingam.*

Resti-

Redit Wittembergam.

Restituta verò in integrum Wittemb. Academia singulari benignitate novi Electoris Saxoniæ *Mauritii*, qui Melanchthonem revocarat, anno vix elapso, *Wittembergam* reversus est, ibique cursum studiorum inchoatum sedulò ursit, metuens novam fortasse scholæ imminere turbationem, propter callida nimis & calida consilia de Sphinge Augustana, in Ecclesiis Dei à Pontificio fermento repurgatis, usque ad concilium generale recipienda, & alia, quæ non minus periculi portendere videbantur. Sed Deo clementer Academiam protegente, tantâ discendi cupiditate & ardore cognoscendi veritatem & sapientiam flagravit, ut circa annum *quadragesimum octavum* alios docere musæo, sibi in novo collegio, à Philippo tradito, in quo ipse anteà studiis erat incumbere solitus, inceperit non modò dicendi artes, verum etiam *Theologiæ* & *Astronomiæ* initia, quibus rationem & modum componendi calendaria omnia adjungebat. Ex quo labore *triplicem*, ut ipse fatebatur, *utilitatem* cœpit, *primum* hæc exercitatio diligentiam ejus acuit, ut perfectè & plenè cognosceret ea, quæ aliis propositurus erat, *deinde* innotuit eâ ratione, multis studiosis adolescentibus, & aliis viris bonis, etiam in dissitis locis, qui honestè de eo sentire cœperunt, *postremò* peculium sibi mediocre paravit, laborem hunc grata auditorum liberalitate compensante, quo *Italiam* adire, ipsamque urbem *Romam* videre & alia loca perlustrare potuit. Anno enim Christi, *millesimo*, *quingentesimo*, *quinquagesimo*, cum ad civilis prudentiæ artem veræque eruditionis rationem plurimum prodesse sciret, multas vidisse urbes, & præstantium hominum consuetudine usum esse, in Italiam, adsumto comite fideli M. *Andrea Martino* Rostochiensi, profectus, coràm oculis illa loca contemplatus est, in quibus tot res præclare gestas acceperat fuisse, quas *Livius* & alii descripserunt. Fidus Achates Chytræi *Andreas Martinus* quorundam Baronum in Boëmia pædagogus fuerat, & *Wittembergam* tunc redierat, postea *Rostochii* Professor, Theologiæ & Pastor in templo Mariano factus, magnâ cum laude suo muneri satisfecit & perpetuam cum *Chytræo* amicitiam habuit, ejusque sæpe honestam mentionem gratitudinis ergò fecit.

Domesticam scholam aperit.

Triplex inde ei utilitas.

1.

2.

3.

In Italiam proficiscitur.

Andreas Martinus ejus comes.

Florebant tunc in *Rostochiana Academia*, ingenio, eruditione, & virtute præstantes viri, *D. Jacobus Bordingus* medicinæ Doctor, & M. *Arnoldus Burenius*. Ex *Burenii* quidem schola velut ex equo Duratheo multi clarissimi viri, Doctores, Principum consiliarii & alii nobilissimi homines prodierunt, *Jacobus* autem *Bordingus* cum propriæ virtutis & sapientiæ laude celebris, tùm quod filium sibi ὁμώνυμον verè κοινὸν ἀγαθὸν Rostochianæ Academiæ & provinciæ Megapolitanæ reliquit, *Cancellarium* illum Principis *Udalrici*, Ducis Megapolitani, magni consilii, integerrimi animi, & acerrimi judicii virum. Hi viri duo collegæ pro suo in Rempubl. literariam studio & amore id tunc agebant, magnaque cura efficiebant, ut Rostochiana schola conquisitis eruditissimis viris quam pulcerrimè constitueretur. Itaq; *Burenius* eâ potissimum de causa *Wittembergam* anno illo *quinquagesimo* profectus, cum *Melanchthone* egit, ut ejus consilio adjutus virum aliquem eruditum jussu *Henrici* Principis in Rostochianam Academiam adduceret. Sic factum est, ut cum Doctor Theologiæ *Joannes Aurifaber* ad docendi munus idoneus nominaretur, statim à Melanchthone *Davidis Chytræi* mentio præclara & commendatio facta sit. Itaq; cum *Joanne Aurifabro*, quem patris loco coluit, *Rostochium* venit, ubi accedente commendatione *Burenii*, qui coram indolem animi Chytræi, & vim ingenii cognorat, ipsi etiam docendi munus eâdem in schola fuit commissum. Ibi cum anno *quinquagesimo primo*, die *decimo quarto* Aprilis solenni more initium lectionum felici auspicio fecisset, præmissa oratione, adeò auditoribus ea probata fuit, ut senes quidam ad collegas dixerint: *Hæc principia nobis spem faciunt melioris scholæ*. Et egit hoc Chytræus solicitè, ut diligenti exercitatione exemploque suo, quam plurimos ad veram eruditionem perduceret. Publico enim natus fuit bono, & quidem jam tum studio vigilanti, tum lectione cunctorum *Græcorum* juxta & *Latinorum*, viam sibi eam præmunivit, quâ progressu ætatis, & eruditionis summæ laudem apud omnes consecutus est, & sui ingenii monumenta præclara posteritati consecravit.

Occasio, qua Chytræus Rostochium venit.

Docet ibi Chytr.

Altero anno, postquam venerat in *Rostochianam* Academiam, Principi *Henrico* Duci Megapolitano, mandato Ducis *Joannis Alberti*, *Suerini*, oratione *Latina* parentavit. Eodem anno cum doctrina illius, virtus, diligentia, & singularis in docendo dexteritas, passim in vicinis locis innotesceret, *Christianus* III. Daniæ Rex, verè Christianus, cui à viris excellentibus, quos ipse coram in Dania viderat, commendatus erat, & Respubl. *Augustana*, quæ jam veræ religionis libertatem, à *Carolo* Cæsare recuperaverat, literis suis eum expetiverunt, & initio sequentis, Scholarchæ *Argentinenses* Gymnasii per *Joannem Marbachium* ipsum rogarunt; ut loco D. Hedionis qui eodem anno *quinquagesimo secundo*, *decimo septimo* Octobr. è vivis excesserat, in schola illa Theologiam doceret. Anno *quinquagesimo quarto*, Elector Palatinus *Fridericus* Secundus, *Philippi* filius, professionem Theologicam in Academia Haidelbergensi ipsi obtulit, qui Wittembergæ in reditu ipsius ex Silesia, quo D. *Aurifabrum* comitatus erat, rogatu Cancellarii Palatini D. *Hartmanni*, eâ de re cum illo egit, deinde etiam per literas peculiariter ad eum missas, quibus epistolæ parentis *Matthæi* & Mœcenatis à *Mentzingen* adjunctæ erant, seriò hortantes ut vocationi obtemperaret, quod etiam fecisset, si absque indignatione Principis sui *Joannis Alberti* discedere potuisset, qui non solùm

Expetitus à variis.

Electori Palatino, sed etiam Mœcenati & parenti ejus causas per literas exposuit, ob quas dimittere illum non posset, seque illi apud exteros & peregrinos viventi patris loco futurum pollicitus est. Sequentis anni mense Februario luculentam *de conjugio* orationem, in nuptiis Ducis *Joannis Alberti Wismariæ* celebratis, in corona multorum Principum recitavit.

Peregrinatur. Biennio pòst. ter in *Frisiam*, *Brabantiam*, *Flandriam* & alias *Belgici* provincias suscepit, in quo cum parentem senem inviseret *Colonia* adverso Rheno in patriam navigans, & apud eundem aliquot dies consideret, Elector Palatinus *Otto Henricus* per nobilem, qui in studiis ipsum aluerat, & postea *Wormatiæ*, per legatos suos & *Melanchthonem*, tùm ibi præsentem, tandem etiam per literas *Francofurtum* missas, ad docendi munus in Academiâ *Haidelbergensi* cum vocavit; *Marbachius* quoque *Wormatiæ* de priori vocatione Argentinensi recipienda illum coràm solicitavit. Anno sequenti denuò apud eum institerunt Rex Daniæ, *Christianus* III & Academia *Hafniensis*, ut D. *Joannis Maccabæi* locum suppleret, duplo ferè majori stipendio ipsi oblato, quàm quòd Rostochii accipiebat. Elector *Palatinus* similiter & *Marbachius*, cui respondit, *Principem suum Joannem Albertum adeò clementer & placidè secum egisse, ut Rostochii maneret, cum præterita hyeme, de Palatini vocatione toties iterata, apud eum mentionem fecisset, ut se puduerit, ab optimo Principe ita amanter rogari, & porrò non possit ab eodem dimissionem petere.* Elapso sexennio rogavit eum nobilitas *Magdeburgensis*; ut ad deliberationem, de Ecclesiis, & cœnobiis ejus Archiepiscopæ rectè reformandis veniret, ubi cum ipse coram adesse non posset, scripto suum ea de re judicium transmisit.

Cùm ergo & docendo, & disputando, aliis exercitationibus perutilem Academiæ *Rostochianæ* operam navaret, seque totum *Theologiæ* studiis manciparet, visum est ducibus Megalburgicis *Joanni Alberto* & *Ulrico* fratribus, sumtu ac beneficio ipsorum Theologiæ Doctorem Chytræum renunciandum. Evocatus itaque *Gryphiswaldiâ* D. *Jacobus Rungius* anno *sexagesimo primo*, *Chytræo*, *Simoni Pauli*, & *Joanni Kittelio*, solenni ritu *ἀξίωμα* Docturæ Theologicæ contulit. Quo eodem actu & *Joanne Bocero* & *Bartholomæo Clingio* Licentiatorum juris honor est tributus.

Doctor. Theol. renunciatur.

Diffundente sese ita eruditione ac virtute Chytræi, anno *sexagesimo quinto*, à Senatu *Stralsundensi* officium *Superintendentis* ei est oblatum, à rege itidem *Suecia* *Erico* XIV. sub id tempus honorificè est vocatus. Sed cuique loco sua est sors ac genius, fuitque animus *Chytræo Rostochii*, dum fata Deusque sinerent, subsistendi permanendique. Sequenti anno ducem suum *Ulricum* ad comitia *Augustana*, in quibus inter alia de religionis controversiis deliberabatur, comitatus est. Ibi iterùm à multis fuit expetitus, inprimis ab *Argentoratensium* legatis quibus etiam ipse spem aliquam fecit, modò cum bonâ principum suorum gratiâ fieri posset. Verùm illi tantum abfuit ut dimiserint, ut etiam arctiùs sibi devinciendi causa *accessionem stipendii* promisetint, quam *Chytræus* non accepit. Neque enim lucri ac quæstus causa veniam se migrandi ad *Argentoratenses* petere affirmabat, sed ut è perturbato Reipubl. *Rostochiensis* statu ereptus reliquum vitæ in patriâ, aut ejus vicinia exigeret.

Vocatur Stralsundum. Item in Sueciam.

Ad comitia Augustan. abit. cum suo principe.

Refuit auctionem stipendii.

Biennio pòst cùm sapiens Imperator *Maximilianus* II. Dynastis & nobilibus Archiducatus *Austriæ*, Evangelii doctrinam & ritus cum Augustana confessione congruentes, in ecclesiis, quarum ipsi patroni erant, indulsisset, judicaretque duos viros, pietate, judicio & eruditione graves è *Saxoniâ* adhibendos, ipsemet Cæsar *Joachimum Camerarium*, & *Davidem Chytræum* nominavit, & utrumque literis in *Austriam* evocavit. Venit *Chytræus* eò ineunte anno *sexagesimo nono*, mensesque aliquot in gravibus de religione deliberationibus, studium ac fidem suam non proceribus solum, sed & ipsi Imperatori ita probavit, ut variis de rebus aliquoties cum eo fuerit collocutus, & literis ad Principes Megapolitanos testatus sit, probari sibi, quæ in Austria tunc divinâ adjutus gratia egisset. Quam verò doctrinæ & administrationis Ecclesiasticæ formam tradiderit, è libello edito potest cognosci. In itinere isto Austriaco cùm per otium liceret, mense Majo, *Vienna in Ungariam* excurrit, & *Posonium*, aliàs *Presburgum*, *Jaurinum* vulgò *Rabam*, *Comaram*, & alia loca munita perlustravit.

Evocatur à Cæsare in Austriam.

Excurrit in Ungariam.

Anno *septuagesimo primo*, Duces Megapolitani J. *Albertus*, & *Ulricus* fratres, supremam ipsi inspectionem Ecclesiasticam, & jus convocandi cæteros ejus ducatus *Superintendentes* commendarunt, aut commendare potius voluerunt. Ipse enim, ut antea, cùm ecclesiæ *Rostochianæ* Episcopatus ab Alberto duce offerretur, gratiis actis pro judicio principum de se honorifico, modestè deprecatus est, nihilominus tamen se id actarum suo loco promittens, ut in ecclesiis regionum illarum puritas doctrinæ, pax & concordia inter docentes publica, conservetur, juxta illud apud *Philostratum*, ἐμοὶ τὸ πλεῖστον ἀγὼν πόνων, χρῖμα δὲ καὶ τιμὰς ἄλλοι ἐχέτω Ejusdem anni æstate, aliquot septimanas *Berlini* fuit; ubi fortasse capituli illius reformationem juvit. Elector quoque *Brandeburgensis* tunc ad professionem Theologicam in Academia Francofurdiana eum accersivit. Duobus annis post à proceribus Ducatus *Stiriæ*, ad constituendas, juxta normam Augustanæ confessionis ecclesias, & novam illustrem scholam aperiendam, invitatus est, per virum nobilem *Bernardum Lercher*. Cum quo iter ingressus ineunte anno *septuagesimo quarto in Stiriam* venit, ubi per semestre penè consultationibus, de ecclesiis, contra varias Pontificiorum

Inspector supremus eccles. Ducat. Megapolit. constit.

Deprecatur id ofcium à se.

Berlinum evocatur. Francofurti ad Oderam invitatur. In Stiriam accersitur.

ciorum molitiones reformandis, continuè adfuit, easque feliciter gubernavit. Eodem tempore, quo *Stiriaci* eum vocarunt, *Austriæ* Proceres literis etiam petiverunt: ut in *Austriam* rediret, quibus tum quidem se excusavit. Sed postea *Stiriacis* negotiis expeditis, denuò vocatus, septimanam in oppido, *Stein* ad Danubium, cum delectis Austriacorum, de rebus Ecclesiasticis consultando consumsit. Ex hoc itinere domum reversus, aliquoties eodem & sequenti anno ab *Augusto* Saxoniæ Electore, & Academia Wittembergensi ad publicam in ea scholâ functionem accersitus est. Literas quoque *Regiomonte* accepit, quibus voluntas illius explorabatur, quid facturus esset, si *Borussiæ* Princeps locum docendi in Academia Regiomontana offerret.

Et in Austriam.

Juliam Academiam format.

Anno sequenti *Rittershusium* evocatus, *Julio*, Duci Brunsuicensi, Academiam *Juliam* condituro, in deliberatione de Academiæ legibus, Professoribus, officiis docentium, & discentium ratione, instituta, fideliter operam dedit, & formam Academiæ integram, & lectionum in singulis artibus ordinem ac modum, qui deinde magna ex parte, in *studiorum regulas* translatus est, descripsit. Quem laborem Dux *Julius* tanti fecit, ut ad suos redeuntem *Chytraum* Duci Megapolitano diligentissimè commendarit, & ab eodem petierit, ut sibi biennium, vel annum saltem virum concederet, cùm præsentiam ejus novæ Academiæ plurimum profuturam videret. Domum vix ex agro Brunsuicensi reversus initio Maji, literis *Augusti* Saxoniæ Electoris ad deliberationem *de concordia, inter ecclesias reformatas restituendâ*, expetitus est. Huic itaque obtemperans *vigesimo quinto* Maji *Torgam* appulit, ubi sicut & sequentibus annis *Magdeburgi*, *Tangermundæ*, & *Juterboci*, consiliis Theologorum interfuit.

Torgam venit.

Interest deliberat. de concordia ineunda.

Anno *septuagesimo septimo*, cùm in patriam suam profectus esset, plusculosque dies *Wormatiæ* ac *Francofurti* subsisteret, delegati Electoris Palatini *Ludovici* de professione in Academiâ *Haidelbergensi* suscipienda cum eo egerunt. Quibus natalis soli dulcedine ductus operam suam addixit, si Rostochio discedendi veniam impetrare posset. Sed coactus est, sicut in omnibus aliis, ita & in hac conditione repudiandâ, principi suo ægrè ipsum Electori per semestre permittenti, obtemperare.

Invisit suos.

Haidelbergam iterum invitatur.

Itaq; Rostochianâ in Academiâ subsistens *doctrinam cœlestem*, *philosophiam* & *historias*, singulari dexteritate, fide & assiduitate docuit, & *Latinos* ac *Græcos* autores, *Herodotum* inprimis & *Thucydidem* interpretatus est. Certum *discendi ordinem* & *rectam ac compendiariam viam ad* salutarem *eruditionem*, & singularum artium nucleos, in libro, cui titulus, *Regulæ studiorum*, adolescentibus monstravit. Verè etiam libellus aureolus est, qui *virtutum descriptiones & vitæ regulas*, amplissima methodo tradit. Inter alios liber *de morte & vita æternâ* luculentus est, doctrinæ & veræ consolationis plenissimus. Taceo *Chronologiam*, *Rhetoricen*, & alia. Sed graviores lucubrationes sunt, quibus *Pentateuchum Moysis*, Prophetarum omnium principis, quem Oceanum Theologiæ, veteres appellant, *historiam Josuæ*, *Judicum*, *Ruth*, *Prophetas* aliquot *minores* & *Syracidæ* sapientiam illustravit. *Novi Testamenti libros omnes* publicè in scholâ prælegit, hoc modo; ut *primum* locos doctrinæ excerperet præcipuos, *deinde* verba & phrases obscuriores illustraret, *deniq;* usum doctrinæ cœlestis in exercitiis veræ pietatis, & quotidianæ invocationis aperiret. Quales annotationes illæ fuerint ex luculenta enarratione Evangelistæ *Matthæi* & *Apocalypseos Joannis*, & ereptis ex incendio domus collegii, ubi tum musæum habebat, *reliquiis scholiorum in Joannem Evangelistam*, & *Acta Apostolorum*, æstimari potest. *Onomasticon* etiam *Theologicum* edidit, quod in omnes sacræ scripturæ libros, & in totam Ecclesiæ historiam eruditissimi indicis loco esse potest. Fratri suo *Nathani* adolescenti, cujus studia tum gubernabat, non modò autor & hortator fuit, ut styli materiam *Fastos* deligeret, sed & manu propria quasi œconomiam & formam suscipiendi hujus exercitii præscripsit, sicut ipse in sua ad lectorem præfatione pluribus fatetur. Alteri cuidam *seriem actorum & deliberationum de religione*, in comitiis anno *millesimo quingentesimo trigesimo*, cum confessio primum *Carolo V.* Imperat. exhiberetur, ex diversis scriptis *Lutheri*, *Philippi* & aliorum, qui deliberationibus istis interfuerunt, coagmentatam, propositi, unde *Historia Augustanæ confessionis* originem suam traxit. Sed scriptis ab eo editis nunc plurimæ gentes tanquam divini ingenii fructibus salutaribus perfruuntur, ut qualia sint, non difficulter possit cognosci.

Nov. Test. usui explicarit.

Appropinquante senectâ quæ ipsa morbus est, perpetuis ferè & continentibus doloribus capitis, renum & arthritidis est conflictatus, ut sæpissimè decumberet, & non solum pedes, sed manus quoque officio ægrè fungerentur. Nec tamen in isto otio, non tempor optato, plane deses aut otiosus fuit. In lecto decumbens, si quæ intervalla morbi concedebant, *Psalmi tricesimi secundi* explicationem, olim inchoatam, finivit, libros plerosque à se editos recognovit. *Epistolam S. Pauli ad Romanos* integram, familiaribus quibusdam domi suæ convenientibus, interpretatus est, & alia nonnulla. Totam verò *historiam Saxoniæ* & vicini orbis Arctoi, postremis vitæ annis recensuit, unde levationem ægritudinum & animi recreationem potissimum petivit. Qui labor pertexendæ historiæ Arctoarum gentium etsi alienus quibusdam visus fuit, & propterea non nihil molestiarum & offensionis ipsi peperit, nullum tamen dubium est, quin Deo probetur, & insignes vitæ humanæ utilitates afferat. Dies Dominicos & festos lectione Evangeli-

Morbi Chytræi.

In quibus ipse non otiosus.

Rostochii quæ docuerit Chytr.

Enarrationes evangelicæ Melanchth. commendatæ.

carum enarrationum *Philippi* ut plurimùm transegit, easque multum amicis commendare solitus est, quando totius Christianæ fidei & vitæ summam, & omnis divinæ ac humanæ sapientiæ rivulos limpidissimos, in his contineri affirmabat.

In morbis suis diuturnioribus & gravioribus rarissimè pharmacis usus est, cum natura ab iis abhorreret. Et quamvis ipse medicis bonis & medicinæ suum locum, & honorem debitum tribuebat; tamen afflictam corporis sui valetudinem, juxta Celsi regulam, solâ ferè *patientia, quiete & abstinentia* curare solebat. Hoc namque edere & bibere, quod possis, nutrit corpora, voluptate afficit, & sana conservat, teste *Chrysostomo*, & *Platonicum* illud *de multis causidicis & medicis* in Republ. sæpè jocans repetebat, *injustarum cupiditatum & intemperantiæ civium indices esse, quos mori Reipubl. utilius esset, si diæta morbos arcere & depellere non possent, quàm medicorum ope restitui.* Imaginem Christi in cruce pendentis, parieti in musæo affixam, quotidie mentis & corporis oculis adspexit, cui grandiusculis literis sententias consolationum Evangelii illustriores, & precatiunculas, ad *septem dicta in cruce* accommodatas adscripserat. Confessionem quoque fidei & precationem prolixiorem ad eum usum sibi multò ante delineaverat, quam symboli Apostolici recitationi subinde adjunxit, aut prælegi sibi jussit.

Morbus fatalis.

Anno *seculari*, mense Junio, graviter è catarrhis laborare cœpit. Vocato igitur ad se *Joachimo Westphalo*, peccata sua cum psalte Davide seriò confessus, fidei suæ confessionem postremam edidit, & annunciata peccatorum remissione propter Christum, corpus & sanguinem Christi, salutis æternæ pignora ac sigilla, accepit, simulque actu sacro finito ad præsentes dixit: Nun sind wir / Gott lob / wohl verwahret / *Jam Dei gratia benè præmuniti ac salvi sumus.* Tandem sacrâ cœnâ jam peractâ, & gratiarum actione & benedictione, quæ post S. cœnæ administrationem usitato Ecclesiæ more, Christo Salvatori nostro pro summo communicati corporis & sanguinis beneficio fieri solet, recitata, læto animo & ore ipse jussit filium suum *Davidem* clarâ voce pronunciare Psalmos, videlicet, 145. *Exaltabo te DEUS meus, & benedicam nomini tuo in seculum, & in seculum seculi.* Et Psalm 121. *Levavi oculos meos in montes, unde venit auxilium mihi, auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Quo finito tandem dixit, *& hic fidelis custos Israel pro me vigilabit, & custodiet introitum & exitum meum, & sic tutus ambulabo* Posthæc dulcissimas de *septem Christi in cruce dictis*, meditationes suas à filio prælegendas, & aliquoties repetendas curavit, ut se iis non tantum consolari, sed & impetum mortis, quam jam propius accedere sentiebat, eò animosius ac felicius sustinere & superare posset, quo veterator ille Sathanas cor sancti hominis tentare & perturbare in agone mortis solet audacius.

Vtitur sacra Cœna.

Psalmos jubet filium recitare.

Post meridiem, cum vox catarrho intercluſa, ope medicorum nonnihil levaretur, clarius etiam, quæ intentio animi ad Deum directa, quæ constantia, quæ πληροφορία & efficacia divini verbi in se esset, verbis nutuque demonstravit, & multa veræ invocationis, pietatis, & fidei signa edidit, tum gemendo, tum oculos in cœlum attollendo, tum ad pronunciata divinæ consolationis verba *Amen* respondendo. Et postremò cum circa horam nonam vespertinam *Joachimus Westphalus* ipsi ex septem Christi dictis, ultimæ valedictionis loco repeteret, illud efficassimum Christi, *consummatum est*, quod pro omnium hominum salute in ara crucis pronunciavit, & ultimum omnis præmeditationis complementum, *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum*, sæpius inculcaret, eumque hortaretur, ut nunc cum S. Jobo, firmissimâ in Christum fide, diceret, *scio, quod Redemtor meus vivit*: & cum D. Paulo: *Mihi vita Christus est, & mors mihi lucrum, cupio itaq; dissolvi, & esse cum Christo.* πολλῷ γὰρ μᾶλλον κρεῖσσον; & sic Deo Patri in manus suas corpus & animam commendaret. Hæ voces latenti suâ energiâ, operante Spiritu sancto, sic in cor *Chytræi* penetrarunt, ut quasi reviviscere videretur, nempe cujus pectus assiduis hisce meditationibus occupatum fuit. Itaque ore composito, manu prolatâ, nutuque evidenti, *hæc in corde suo cuncta reposita*, coram omnibus adstantibus confirmavit, *se hæc firmiter credere, cupidè expetere, & adjuvante divinâ gratiâ omnem hanc pugnam placidè depugnaturum.* Circa horam deinde *duodecimam* noctis, in fine diei, qui *Elogio* * sacer, vivendi finem fecit, præsentibus domesticis, aliisque amicis, anno Christi *millesimo, sexcentesimo*, ætatis suæ, *septuagesimo*, quem & Moses vitæ humanæ communem terminum jam olim præfixit.

* Qui 3. Junii Exspirat.

Epigrammata Jan. Gruteri in eum.

Luxerunt ejus obitum tum alii optimi & doctissimi viri passim, tum *Janus Gruterus* Philologus hoc seculo nulli secundus ejusmodi epigrammate:

Manibus Davidis Chytræi.

Quod te dia suo Sophie misceret Olympo,
Indigetesq; pium sisteret ante deos:
Quòd delenificæ Suada potiore loquelæ,
Omne hominum raperes in tua jura genus,
Quòd tibi tota ævi duplicis monumenta paterent,
Sive ea gesta toga, sive ea gesta sago:
Quòd cumulareris cunctis une artibus olim,
Quæ magno poterant vel populo esse satis:
Clarabare orbis triplici une Chytræe theatro:
Ibat & in plausus concio trina tuos.
Ista tamen laudum, me judice, parva tuarum
Portio: terq; magis cur colereris erat.
Quòd nullo livoris iniquo felle tumeres:
Nesciresq; datam contemerare fidem.

Quòd

Quòd, cilio elato nulli fastosus, amicos
Ipse tibi faceres quoslibet esse pares.
Quòd nihilum tegeres penetrali cordis in imo:
Quam vultu faceres alloquioque fidem.
Hæc sanè unica erant, queis suspicerere Grutero:
Iamque adeò haud hominem, rererat esse Deum.
Sin hominem, tum certè hominem, cui persimilem ætas
Nulla aliquando tulit, nulla aliquando feret.
Ah! homo quòd fueris, jam funere prodis, at illud
Mox etiam prodet posthuma quæque dies,
Nempe fuisse, Chytræe hominem, cui persimilem ætas
Nulla aliquando tulit, nulla aliquando feret

Virtutes & dona. Promovet Acad. Rostoch.

Et verè fuit vir χρηστὸς, qui non ad privata comoda & gloriam; sed ad publicam salutem, & aliorum utilitatem consilia, studia & labores suos retulit. A Principibus Megapolitanis impetravit: ut Academiæ Rostochianæ, aliàs egenæ ac inopi, *tria millia & quingentos aureos*, ex certis fundis & salinis *Lunæburgensibus*, adsignarint. In studiis præterea κοινωνικὸς, privatim nulli sua officia, operam, consilium, commendationes denegavit, sed à multis *mundi gratiam* reportavit: sicut *Themistocles* alicubi quæritur, *se platanum civibus suis fuisse, ad quam orta tempestate, ut protegerentur, confugerent, sed restituta serenitate abeuntes, vellicarent.* Humanitatem, comitatem, ἐπιεικείαν, summè coluit, multa eaq; non levia, patienter toleravit, alios etiam ad dissimulandas publicæ concordiæ & tranquillitatis causa injurias hortatus est, memor dicti Platonis: ὅτε χρυσὸς ὅτε ἄδαμας ὅτως ἀςραπτει, ὡσπερ ἀγαθῶν ἀνδρῶν νόος συμφερόμων. Et quia veræ humanitatis ea vis est, ut quosvis bonos sine discrimine alliciat, non solùm familiares & studiosi literarum juvenes quotidie, verùm etiam Regum & Principum legati, Rostochio transeuntes, *Chytræum* inviserunt, aliquot etiam adolescentes Principes ipsi, eorumque matres interdum salutarunt. Honoratam itaque, licet morbis obnoxiam, vitam, ad extremum usque spiritum duxit, hocque unum per omnem vitam egit; *non ut aliorum contemtu & oppressione, sed propriâ virtute emergeret ac bene audiret.* Calumnias, & mendacia, surda aure neglexit, sæpe in ore habens, *qui nescit ferre calumnias, obtrectationes, convitia injurias, ille vivere nescit.* Et ut *Philippus* Macedonum Rex dixit, *se his, qui in rep. Athenienſi primores essent, magnam habere gratiam, quod suis convitiis efficerent, ut ipse tum oratione, tum moribus evaderet melior, dum conor*, inquit, *illos dictis pariter ac factis mendacii arguere*: ita & Chytræus, cùm miris sæpe modis traduceretur, hac arte usus est, & innocentiâ morum sic adversarios retudit, ut postea mendacii eos puduerit.

» Crebro itaque hæc vota repetiit: utinam
» ambitio & avaritia ex animis hominum radicitus tolleretur! utinam publicæ tranquillitatis causa magni viri remitterent invicem
» simultates! utinam Reges ac potentes rerum Domini majorem Ecclesiæ ac scholarum curam susciperent! certè pulcrum & stabilem Apostolicæ & orthodoxæ religionis consensum, & florentem reip. Christianæ statum haberemus. »

Consilia ejus & deliberationes.

De rebus arduis non temerè judicium tulit, sed prudenter omnia perpensoque egi consilio. *Turpis enim est vox, tam in togatâ, quam in militari vitâ: Non putaram.* Itaque in publicis consiliis & deliberationibus Theologicis hoc ei solenne fuit, *ut propositum è fide historiarum priùs, suisque circumstantiis, fundamentis & rationibus diligenter perpenderet, & aliorum, maximè collegarum, sententiam audiret & exquireret.* Hoc ipso plerosque in suam sententiam, præclare demonstratam, facilè adduxit, & auctoritatem sibi, tum apud deliberantes secum, tum apud eos, qui consilia requirebant, conciliavit.

Vita ejusdem interior.

Vita ejus interior speculum fuit adsiduitatis studiorum, diligentiæ in officio, pietatis, modestiæ, sobrietatis, castitatis, beneficientiæ, veracitatis, & aliarum virtutum.

Ingenium.

Ingenio fuit *melancholico*, & penè *Socratico*: discendi cupidissimus, proposita celerrimè arripiens, & quem etiam *senem non puduit, à cujuscunque opificii Magistris dubia & ignota docere.* Cum fatali lecto decumberet, inaudiretque ab adsidentibus submissè aliqua de re disputari; erecto, ut poterat, capite, rogavit eos: *clarius loquerentur. Iucundiorem sibi discessum fore; si moribundus etiam aliquid didicisset.* In susceptis laboribus constans ac sedulus, qua que semel aggressus erat, iis inhærebat tantisper, dum ad finem perduceret. Seipsum & sua solitus est extenuare, aliena extollere: summa, *ajebat*, mea sapientia est, quod scio, me nihil sapere, nec quicquam fiducia sapientiæ propriæ suscipio: sed à Deo rerum gerendarum consilia & rationes peto, & me intra vocationis metas contineo. Summa meæ pietatis est, quòd impietatem meam utcunque agnosco & deploro, & libenter pius esse velim. Gloria & splendor nominis nostri Christus, qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio & redemtio, apud quem vivemus in omni æternitate. Amplum nomen & claritatem popularem in his terris plærique nescimus, antequam pœnitere cœpit, contemnere. Ulsibus denique edocti, cum sævum prælustri fulmen ab arce ferit, serò nobis & Christo vivere optamus.

Discendi cupidus.

De ignominia Seneca.

De ignominia & infamia, in quis malevolorum aut potentum judiciis bonos premente, gravissimè *Senecam* pronunciasse dicebat: Neminem pluris æstimare virtutem, quam qui boni viri famam perdidit, ne conscientiam perderet. *Idem* contumeliis, quæ vulgò tales habentur, nimio otio ingenio nostra infirma & muliebria, & inopia veræ injuriæ lascivientia, commoveri, *ait.* Venit tandem mors φαρμακώδης καθαρσις omnium malorum, quæ omnes pares facit; & victo victorique finem æque maturum affert. Tales erant crebri ipsius sermones, de studio εὐκλείας seu bonæ famæ & gloriæ, quæ non tam in vulgi applausu & acclamatione popu-

pulari; quàm in æterna DEI & Ecclesiæ cœlestis consuetudine, & in propriæ conscientiæ, aliorumque bonorum & rectè judicantium judicio, & censura consistit. *Omnia* enim *facilè contemnere* ajebat eum, *qui se moriturum esse seriò cogitaret.*

Navi ejus. Habuit tamen, utpote homo, sua non minus, quam alii, errata. *Iracundior* fuit natura, nimis ad ambitionem usque laboriosus; multa dissimulare novit, *cunctator* in dicendis sententiis fuit. Sed hæc quæ in confinio virtutum sunt vitia, sic ratione recta moderatus est, ut virtutis vim ubique redolerent. Ira dolorem animi arguit. Itaque si corrigendi animo quis aliis irascatur, in magistratu, in præceptore, in patrefamilias, ira vitium non est, quia non ex affectu agunt, sed ut ratio & causa honestatis præscribit, & qui non irascitur, neque videtur sentire, neque dolore adfici, neque esse idoneus ad ulciscendum. Ergo irasci sæpè *Chytræum* necesse fuit. Deinde cum illud *Plinii* verum esse agnoscamus; *quicquid non est peractum, pro non inchoato est*, si posteritatis rationem habeas: utique rectè nulli labori pepercit vir prudens, qui absoluta, quæ posteritas legeret, voluit esse omnia. Dissimulatione, ubi ita opus fuit, ad multitudinem usus est, sed coram intelligentibus omnia apertè dixit & enunciavit, veritati plus quàm opinioni cujusvis tribuens. Cunctator fuit, qui magni judicii homo fuit, quippe nil nisi rectam rationem spectabat, fontem originemque virtutum. Et sanè leviter judicare res magnas, imperiti est, & præcipitanter, injusti. Sed qui infamiam levitatis & imperitiæ timet, modestus seu ἐπιεικὴς est. Deinde magnanimi motus tardus est, vox gravis & locutio stabilis.

Conjugium Conjuges habuit duas, prima fuit *Margareta Smedesia, Laurentii* Senatoris Rostochiani filia; quam duxit anno *quinquagesimo tertio*, nuptias conciliante ipso Duce *Ioanne Alberto.* Amisit eam anno *septuagesimo primo*, cum *octodecim* annis cùm ea jucundè vixisset, liberosque utriusque sexus

Liberi. susceptisset, & generos è duabus filiabus sibi

Generi. adsciviſſet egregios viros, *Ioannem Frederum*, & *Ioannem Georgium Gödelmannum* JC. Altera uxor *Margareta Pegelia* filia *Conradi*, Mathematum aliquando Rostochii Professoris. Cum hac ubi *viginti novem* annos exegisset, superstitem eam cum duobus filiis *Ulrico* & *Davide* Chytræis, reliquit.

Scripta. Scripta edere maluit διδακτικὰ, quam πολεμικὰ aut ἐριστικὰ: unde à non nemine labes ei adsperſa fuit, occultæ societatis cum adversariis. Sed ejusmodi voculas ipse ne-
„ glexit, & sæpe dixit: satis scriptum est de
De controversiis Theolog. sat scriptum. „ controversiis, modò, qui nova desiderant, libros editos perlegerent. Ignavi „ sunt homines nostri, & rerum novarum „ nimis cupidi. Veterum scripta negligunt, „ recentium expetunt, cùm tamen illi unâ brevi sententiâ plus tradiderint & expres- „ serint, quàm hi nostri multis pagellis. „ Quo fit, ut eadem facilitate, qua illi libri „ scripti sunt, rejiciantur. Deinde verum „ est illud P. Mimi, & calamitas fundi Græ- „ ciæ testatum facit: „ Nimirum altercando veritas amittitur. Cæterùm quæ edidit partim sunt *Theologica*, partim *Philologica & Historica*: quæ heic recensere omnia, nimis longum foret, qui cupit, in Bibliothecis inquirat. Hoc addimus, post obitum *Posthuma.* optimi viri foras datas esse *orationes & epistolas* ejus; in quibus haud pauca ἀξιόλογα. *Hæc de D. Chytræo excerpta sunt ex oratione parentali à Ioanne Goldstein Pastore Rostochiensi dicta, & ex narratione de vitâ & obitu ejusdem conscripta à Christophoro Sturcio.*

IOANNES CONRADUS ULMERUS.

Natus 1600. d. 7. Augusti, ætat. 81. Patria Ulmeri.

DEdit *Ioannem Conradum Ulmerum Scaphusia* Helvetiorum, anno Christi *millesimo, quingentesimo, decimo nono*, die *Martii* ultimo. *Parentes.* Parentes ei fuerunt *Ioann. Ulricus ab Ulm*, vir senatorii ordinis, & *Margarita Thannerina* Büttenhartensis, honestæ familiæ matrona.

Sebast. Wagn. primus Scaph. reformat. Incidit pueritia ejus in Reformationem Ecclesiarum Helveticarum, quam Scaphusiæ quidem *Sebastianus Wagnerus*, cognomento *Hofmeisterus* orsus est, concionibus in superstitiones & idololatricos Pontificiorum cultus publicè habitis. Audivit puer admodum hunc ipsum Ulmerus, coactum paulò pòst Scaphusia cedere, unde Basileam, deinde Zophingam venit, ubi ad finem usque vitæ Evangelium docuit.

Basileam missus Ulmer. Vivit cum Sim. Gryn. Prima literarum fundamenta jecit *Ulmerus* in schola patria, sub Magistro *Feero*, ludi tum moderatore, & seriùs quidem, quàm oportebat, ad scholam fuit missus, propterea quòd parentes domi operâ ejus uterentur, tum in aliis, tum in vineis colendis. E patria ad exteros ablegatus primum *Basileam* appulit: ubi hospitio & gratuito convictu aliquantisper usus est *Simonis Grynæi*, cui operam suam addixerat in liberis informandis, ac domesticis negotiis expediendis. Audivit ibidem *Erasmum Roterodamum*, ipsum *Grynæum* tum publicè tum privatim: *Oecolampadium* item, *Myconium*, & *Amerbachium*, quibus omnibus gratus fuit charusque.

Argentor. abit. Basilea *Argentoratum* sese contulit, anno *trigesimo octavo* supra *millesimum quingentesimum*, stipendio Senatus Scaphusiani impetrato, *triginta* in singulos annos *florenorum.* Ea in Academia auditor fuit *Buceri, Calvini, Capitonis, Hedionis, Zellii* in Theologicis: *Ioannis Sturmii, Petri Dasypodii, Herlini, Bedrotti, Sapidi*, & aliorum, in humanioribus disciplinis, idque ad annum usque *quadragesimum primum.*

Hoc

Inde Wittembergam.

Hoc enim anno secundo Rheno descendens *Francofurtum* venit, atque inde *Erphordiam*, tandemque *Wittembergam*. Hic convictu usus est *Caspari Bruschii* poëtæ, contubernio *Timothei Schureri*; institutione denique Theologorum ac Philosophorum summorum, *Lutheri, Melanchthonis, Pomerani, Crucigeri, Iusti Ionæ, Iacobi Milichii, Humelii*. Amicos expertus est populares multos, inter quos facilè primus *Hieronymus Schurfius* jureconsultus Sangallensis: de quo Melanchthon dicere solitus: *per hunc jus & civile & canonicum, licet in universum amitteretur, reparari posse*.

Hieron. Schurf.

Scholam domesticâ aperit.

Cum autem suppellectilem doctrinæ mediocrem acquisisset *Ulmerus*; & privatas lectiones habuit, aliorum erudiendorum causa, & testimonio Academiæ publico dignus est judicatus. Magister enim Philosophiæ renunciatus est anno *quadragesimo secundo*, competitoribus inter alios *Ioanne Stigelio* Gothano, *I. Henrico Meiero*, Bernensi, *Ioanne Cratone* Uratislaviensi, viris postea celeberrimis.

Magister creatur.

E Philosophorum spatiis ad Theologos, quibus & antea semper operam fideliter dederat, concessit, pauloque pòst sacro ministerio initiatus fuit hac occasione. *Philippus* Comes *Rienecensis* Reformationem in Ecclesiis sui territorii aggressurus, à Wittembergensibus Theologis petivit idoneum aliquem; cui id laboris committeretur. Idoneus itaque visus est *Luthero* & *Melanchthoni* hic *Ulmerus*, ætate quidem juvenis, sed pietate, virtute, & doctrina insignis. Hunc ergo cum literis commendatitiis ad Comitem ablegant, exeunte anno *quadragesimo tertio*. Reformationem exorsurus concionem privatam habuit ipsis Epiphaniis anni *quadragesimi quarti*, nec longè post ritus, & alia superstitiosa Papatus insignia, paulatim sunt sublata, animis hominum primum rectè in doctrina informatis. Duas singulis septimanis, præter preces maturinas, aliis frequentari solitas, habuit conciones, ut & diebus Dominicis solennes. Ad sacram Synaxin, nisi examinatum in Catecheticâ doctrinâ, admisit neminem, laborum & periculorum, ut in mutationibus usu venire solet, subterfugit nihil, suaque constantia ac pietatis zelo ex inimicis multos sibi reddidit amicissimos.

Philipp. Rienecensis Comes, reformat suas eccles.

Opera Ulmeri.

Modus ejus reformationis.

Secutum est paucis annis post bellum illud funestum Germaniæ, & *tempestas Interimistica*; quæ multos graviter perculit, ut id præter alios Magdeburgenses experti. Ibi cùm non in mullo & Comes *Philippus* & hic *Ulmerus* Pastor ejus, versarentur discrimine, fortiter tamen uterque perstitit: ille in Religione orthodoxâ, & civibus suis defendendis; hic in verbo Dei publicè docendo, Comite suo & aliis auditoribus animandis. Et feliciter respondit eventus. Nam etsi Comes erat in numero proscriptorum, ut qui copiolas etiam suas contra Imperatorem ausus educere, & multi imperii ordines illi scripto nolentes volentes assentirentur; multi Theologi loco moverentur: animum tamen ille non abjecit; adeò, ut & receptum profugis atque asylum præbuerit. Ex eorum numero fuit *Erhardus Snepfius* Theologus: quem *Ulmerus* in Franconiam à *Matthæo Caroloſtadio* deductum, domi suæ ipsos tres menses clam habuit aluitque, donec per istum Comitem *Rieneceusem* Saxonicis Principibus fuit commendatus.

Tempestas Interimistica.

Constantia Ulmeri.

Et Comitis Philippi.

Erh. Snepf. profugus apud Ulmerum.

Perseveravit iste Comes constanter in Confessione veritatis Evangelicæ ad vitæ usque exitum, qui ei contigit anno Christi *millesimo, quingentesimo, undesexagesimo*, mense Septembri.

Obitus Comitis Reinecii.

Cumque ipse familiæ illius postremus, sine herede masculo decessisset, & maxima comitatus pars Archiepiscopo Moguntino cederet, videbatur summa rerum metuenda mutatio. Verum res felicius cecidit, quàm sperarant, *Moguntino* liberum Religionis exercitium permittente, & mandante, *ut verbum Dei purè, sincerè, & verè ministri docerent* (verba fuerunt Archiepiscopi) *omissis non necessariis contentionibus. Id si facerent; usuros illos suo patrocinio nonminus, ac sub Comite demortuo usi essent*. Et hæc * *Lohræ* quidem.

Qui ultimus ejus familiæ.

Moguntinus permittit religionis exercit.

* Ubi Ulmerus docuit.

Postea anno *sexagesimo sexto* senatus Scaphusiani decreto in patriam vocatus est, ad verbi obeundum ministerium. Etsi autem loco tunc erat satis commodo, in Ecclesia florenti, apud amicos & fautores haud malæ fidei; stipendio frueretur honesto, tamen *vicit amor patriæ*, & vocationem acceptavit. Eodem ergo anno in viam se dat cum uxore gravida, & *quinis* liberis, non sine auditorum suorum mœrore: ac *Scaphusium* appulit mense Majo; ubi Ecclesiæ per magistratum ad D. *Ioannis* præfectus, Decanatus etiam munus gessit.

Vocatur in patriam.

Venit eò.

Ab eo tempore annis ferè *triginta novem* etiam *Instrumentum* ferme totum percurrit. Ætate ingravescente & *Pentateuchum* aggressus. *Geneseos* librum magnâ cum auditorum voluptate explicando ad finem perduxit. *Catechesin* præterea diligenter ursit, & ut *quæstiones Catechetica* in monasterii templo publicè recitarentur à scholasticis, ordinavit, de consensu etiam symmystarum decretum fecit: *ut singulis Dominicis diebus concione meridiana Catechesis doceretur*.

Ecclesiæ præficitur.

Catechesin urget.

Cum ita officii sui satagens progrederetur, & singulis septimanis ter ad populum peroraret: calendis Augusti anni *nonagesimi sexti* paralyticum quiddam, in ipsa concione, ei accidit: quod & linguam & vocem impedivit. Senatus itaque considerans & vires fideles ministri exhaustas, & curriculum jam ad metam decurrens, rude eum donavit, integro relicto salario, quo quadriennium deinceps, hoc est ad exitum usq; vitæ, est usus. Paulatim enim deficientibus viribus, præsagiit ipsi animus, ac prævidit, propè suam adesse emigrationem, ad eamq; piis votis maturè se præparavit.

Paralysi corripitur.

Rude donatur.

Iterum paralysi tangitur.

Tandem anno *sexcentesimo* supra millesimum, rediit illa paralysis, omnemque linguæ & vocis usum ei intercepit: adeò, ut cretâ si quid vellet, notare necesse haberet. Cibi ergo nihil admisit, nec admittere potuit, cumque uxor aut liberi ingerere ipsi aliquid conarentur vix guttulam potuit deglutire, & tussi vehementissima fuit concussus. Inde in tabulam scripsit: *vos me tandem suffocabitis, quando vera fames sitisque advenerit, tum comedam atque bibam*; verùm ipse procul dubio cibum potumque cœlestem intellexit. Confessionis autem suæ ac consolationis causa, selectissima scripturæ dicta filium in scheda jussit describere, & descripta ad parietem affigere, quæ adventantibus ipse monstrabat, & capitis nutu, hanc suam esse confessionem, hæc sua solatia, indicabat. Dicta fuerunt petita ex 2. Corinth. 5. v. 6. Philipp. 1. vers. 21. 23. Actor. 7. vers. 59. Phil. 3. vers. 20. Hebr. 13. vers. 14. 2. Timoth. 4. vers. 7. 8. Psalm. 71. vers. 5. In horum meditatione placide obdormivit die *septimo* Augusti, dimidia septima matutina: cùm vixisset annos *octoginta unum*, menses *quatuor*, dies *septem*. Sequenti die hora duodecima, Christiano ritu, fuit sepultus, maxima non solum civium, sed & ministrorum è pagis frequentia.

Obit.

Virtutes ejus & docendi ratio.

Fuit & hic suo loco benè de Ecclesia meritus Theologus; in concionando Methodum Paulinum observare solitus, ut referret ad *doctrinam*, ad *redargutionem*, ad *institutionem*, & *correctionem*, discendi cupidus, etiam in declivi senecta.

Scripta.

Edidit tractatum de *horologiis sciotericis*, quotquot in plano alicubi describi possunt.

Evangelia Dominicalia tribus linguis.

Enchiridii pastoralis summam.

Convertit in Germanicum librum anonymum, *de auctoritate sacræ scripturæ*: Item *speculum Iesuiticum*, Cypriani *de immortalitate*: *Bullam Papæ* cum refutatione Bullingeri ad defensionem Reginæ Angliæ, & *Germanicis rhythmis comœdiam Mariæ Magdalenæ* reddidit: & ex *Sapido comœdiam de Lazaro* redivivo, quæ Scaphusii acta publicè, anno 1596. Item *Symbola Germanica*. E Græco in Latinum transtulit *Polymorphum Theodoreti*, collegit *Symbola Patrum & conciliorum Oecumenicorum*, tum Latinè tum Germanicè, quæ hodiernæ controversiæ eucharisticæ de ubiquitate, & συνουσίᾳ maximè adversantur.

Exstat ipsius & *scriptum consolatorium*: quo ex agnitione iræ DEI & peccatorum afflictæ consternatæque mentes efficacissimis, è verbo DEI petitis, consolationibus eriguntur, & *homiliæ de Sacramento Cœnæ* Latine publicatæ.

Item *Geodesia*, & *scriptum Rapsacenum*, & *Erotemata Dialectica*.

Nondum nunc edita

Inter manuscripta reliquit librum; cui titulum fecit: *Chorus orthodoxus testium fidei catholicæ, de incarnatione verbi & sacra Domini cœna*, in quo juxtà annorum seriem inde à Joanne Apostolo, ad nostra usque tempora omnium ferè orthodoxorum tam Græcorum, quàm Latinorum Patrum ejus argumenti sententiæ adducuntur.

Ex narratione M. S. de vita & obitu hujus Ulmeri, contexta à filio ipsius Ioanne, Pastore tum Ecclesiæ Wagenhusianæ in Helvetiis.

DANIEL TOSSANUS.

© 1602. 8 to Ianuar. ætat. 61. curr. Petrus Tossanus pater. Elogium ejus ab Erasm.

PAtrem habuit *Daniel Tossanus Petrum Tossanum*; ex epistolis *Erasmi*, *Calvini*, & *Bezæ* notum. *Erasmus* enim, cui inter alios carus ac familiaris fuit, ipsum juvenem, Basileâ in Galliam proficiscentem, hisce *Guilielmo Budæo*, eruditorum totius Galliæ lumini, * commendat: Hic Petrus Tos- „ sanus juvenis est honesto loco natus, in- „ dole felici, & ingenio perquam liberali, „ summæque spei. Ardet amore Græcanicarum literarum, Basileæ solus profitetur „ Glareanus, sed egestas obstat; quò minus „ possit vel animo suo, vel hujusmodi audi- „ toribus satisfacere. Scio tibi juvenis in- „ genium oppidò placiturum, &, si novi „ tuam humanitatem, vel nullo rogante fa- „ cturus es, quod dignum est tanto literarum antistite. „ Eadem ferè de se ipso scribit in alia epistola ad *Michaëlem Budam* Episcopum Lingonensem.

* *In epistol. An. 1525. scripta: quæ est lib. 20. ep. Erasm.*

Hic *Tossanus* ut minimum annis *sex & triginta* Pastor Ecclesiæ supremusque antistes *Mombelgarti* fuit, tempore *Ulrici* Ducis Wirtembergici, à *Bucero*, *Thoma Blaurero* & *Simone Grynæo*, eò missus & ordinatus, olim quidem *Canonicus Metensis*, dum adolescens esset, & patruum haberet primicerium Metensem, cui nomen *Nicolao Tossano*, qui illum *Coloniæ*, *Lutetiæ* & *Romæ* in studiis foverat. Postea verò mortuo patruo, & hausto gustu puræ religionis, ex consuetudine cum *Iacobo Fabro Stapulensi* & *Erasmo*, quibus familiariter utebatur, in aulam *Margaritæ* Reginæ *Navarrenæ*, aviæ Fr. Regis, quæ & ipsa Evangelicæ veritati addicta erat, receptus, ei ab eleemosynis & consiliis fuit, cui etiam se ab eo commendari in epistola quadam ad ipsum * scripta petit. Erasmus: *Illustrissimæ*, inquit, *Reginæ quæso ut me facias commendatum, cujus piam prudentiam, & prudentem pietatem animo exosculor.* Inde velut ἀναχωρήσας *Basileam* rediit, donec *Mombelgardum* mitteretur. Inprimis autem cum *Simone Grynæo*, Theologo præclaro & Philosopho doctissimo, arctissima ei conjunctio fuit, qualem postea filio *Danieli Tossano* cum eximio nostri ævi Theologo, *D. Iacobo Grynæo*, fuisse accepimus: qui etiam se *Petrum Tossanum* jam senem, ceu *Polycarpum* quendam *Mombelgardi*, cùm Ecclesias illius provinciæ supremi Magistratus jussu invisere, complexum fuisse alicubi testatur.

Pastorem agit Mombelgarti.

Olim Can. Metensis.

Nicol. Tossano.

Versatur cum I. Fabro Stapul. & Erasmi. Petr. Tossan. in aula Navarr. regina.

* *Est ea lib. 20. ep.*

Basileam redit. Amicus Sim. Gryn.

Vixit

Obitus Petri Toſſani.

Vixit *Petrus Toſſanus* annis *ſeptuaginta quatuor*, (quam ætatem filius non attigit) obiit anno *milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo tertio*, poſtrid. non. Octob. cum magnum ex gemina duorum filiorum cæde mœrorem concepiſſet: quorum alter *Mombelgarti* nefariè à vicino ſuo, alter *Lutetiæ* in funeſtâ illa laniena anni *ſeptuageſimi ſecundi* cum hoſpite ſuo *D. Tevarto*, Procuratore & Eccleſiæ Pariſienſis Seniore, plurimisque aliis fidelibus paulo antè obtruncatus fuerat. Pater *Petri Toſſani, Danielis* avus, *Joannes Toſſanus* honoratus vir, in vico S. *Laurentii*, in finibus Lotharingiæ propè *Marvillam* oppidum & *Jametum*. Ei à proceritate corporis cognomen *Magni* fuit. Conjugem habuit nobiliſſimam fœminam præfecti *Marvillani*, Domini de *Cheury* & *Soufflet*. Sed bellis diuturnis Regum Galliæ & vicinorum Principum tota illa Regio, nec non & familia iſta attrita fuit: niſi quod ſupereſt in vico illo S. *Laurentii* honoratus & locuples vir, illius loci prætor *Laurentius*, ex *Petri Toſſani* ſorore prognatus.

Duobus filiis orbatur P. Toſſ.

Joann. Toſſ. avus.

Mater Daniel. Toſſ.

Matrem habuit *Daniel Toſſanus*, *Joannam Trinckottam*, honeſti civis *Mombelgartenſis* filiam: quæ & ipſa obiit anno *ſeptuageſimo quinto* die *tertio* Auguſti.

Natalis ejus.

Natus ergo fuit *Daniel Toſſanus Mombelgarti*, ſub ditione illuſtriſſimorum Ducum Wirtembergicorum, anno *milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo*, die *decimo quinto* Julii, poſteaque anno *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo quinto*, adoleſcens *Baſileam* ad uberiorem ingenii cultum & humaniores diſciplinas perdiſcendas miſſus fuit: qua in urbe *biennium* vixit, annum unum apud *Franciſcanum Jeckelmannum*, urbis ſenatorem, alterum apud *Iſaacum Kellerum* Medicinæ Doct. & Profeſſorem. Eodem tempore in Academia illa primo honore Academico decoratus fuit. Anno verò *quinquageſimo ſeptimo* menſe Octobri: quo tempore Colloquium Wormatienſe habebatur, *Tubingam*, juſſu patris venit, ubi ſingulari humanitate & benevolentia ab optimo Principe *Chriſtophoro* exceptus fuit; qui eum in gratiam patris, tot annis de Eccleſiâ *Mombelgartenſi* bene meriti, ultrà *biennium* in ſtudiis aluit. Quocirca ſicut ille, dum vixit, inſignem hanc optimi & clementiſſimi Principis erga ſe liberalitatem, aliasque virtutes heroicas grato ſemper animo prædicavit: ita poſteritas, quæ fructum aliquem ex *Toſſani* laboribus editisque lucubrationibus percipiet, non invita nutricium tam illuſtrem & benignum, ac plurimorum exulum, quos ſævus Antichriſti furor ſedibus ſuis exegerat, patronum munificum, piâ & gratâ memoriâ venerabitur.

Baſileam miſſus.

Franc. Jeckelman. Iſaac. Kell.

Tubingam venit Dan. Toſſ.

Provehitur à duce Chriſtoph.

Etſi verò *Daniel Toſſanus* Illuſtriſſimæ Domui Wirtembergicæ nulla ſtipulatione, propter illud beneficium, erat obligatus: tamen proculdubio operam ſuam illi libentius, quàm aliis, gratitudinis jure, addixiſſet: ſi per improba adverſariorum odia licuiſſet, qui modis omnibus, atque adeò putidis calumniis, benignum Wirtembergicorum Ducum & Conſiliariorum animum ab ipſo alienare moliti ſunt, cæcisque abrepti affectibus, in neſcio quod *ubiquitatis*, purioribus illis temporibus inauditæ, *barathrum* ſeſe præcipitarunt. Cum in Academia *Tubingenſi* ageret, Profeſſores & Theologi erant viri docti & moderati, pacis & concordiæ amantes, qui *Melanchthonem* pro fido Doctore & charo Præceptore habebant, nec damnandi libidine adverſus omne genus piorum virorum graſſabantur. Aberat tunc *Jacobus Andreæ: Oſiandri* & *Marbachii*, inſolens dogma nondum eruperat. Quin imò *Brentius* alius erat, ac poſtea fuit; ut patet ex ejus commentariis in Johannem, & ex præfatione, quam illo tempore tractatui cuidam de cœna edito, præfixit, in qua hæc ſcribit: *Tollenda meritò omnis criminandi & maledicendi amarulentia, & judicium Filio Dei Domino noſtro Jeſu Chriſto, ipſiſque poſteris noſtris, qui certaminis non auctores, ſed ſpectatores, æquius, ſepoſitis affectibus, judicaturi ſunt, permittendum. Noſtri adverſarii etiamnum vivunt & quotidiè audaciores fiunt: noctes & dies hoc agunt & meditantur: ut exortum Evangelii lumen extinguant, antiquasque tenebras revocent. Interea nos, qui initio unanimes per Dei gratiam Evangelium annunciavimus, converſis armis in mutua vulnera ruimus gratumque hoſtibus ſpectaculum exhibemus; qui plus præſidii atque fiduciæ in concertationibus noſtris, quam inani cauſæ ſuæ fundamento, totaque arte & potentia ſua collocant.*

Theologi quales tum Tubingæ.

Hæc Brentius: quorum ſi ipſe poſtea & ſucceſſores atque diſcipuli memores fuiſſent; minus eſſet hodie turbarum & rixarum; minus haberent Pontificii & Jeſuitæ, quod gauderent & triumpharent.

Præcipuum verò ſtudium, cui ſe D. *Toſſanus* Tubingenſi in Academia dedidit, humaniorum literarum & Philoſophiæ fuit, in quibus adeò feliciter brevi tempore profecit; ut titulum inde *Magiſterii* reportarit. *Biennium* commoratus *Tubingæ*, annum unum apud *Joannem Iſenmannum* urbis Paſtorem, alterum in collegio Principis, *Mombelgardum* à patre revocatus fuit, ubi ſpatio ferè *ſemeſtri* Germanicâ & Gallicâ linguâ concionando ſe exercuit: donec *Lutetiam* Gallicæ linguæ excolendæ, & ſtudiorum continuandorum gratia ablegaretur: quod factum anno *milleſimo quingenteſimo unde ſexageſimo*, menſe Junio. Sequenti anno menſe Martio, *Lutetiâ Aureliam* venit: ubi primum linguam Hebræam, per quam aditus futuro Theologo & eccleſiaſtæ ad veram & certam divinorum oraculorum cognitionem patefit, publicè profitendo docuit.

Studia Toſſani Tubingæ.

Revocatur à Patre.

Lutetiam mittitur.

Inde Aureliam.

Ibi Hebræa docet.

Mox ab Eccleſia *Diaconi munus* ipſi impoſitum: nec multo poſt, anno videlicet *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo*, menſe Februario, ſacro miniſterio in eadem Eccleſia, ſumma omnium voluntate & gratulatione, inauguratus fuit. Annum ætatis tunc

Initiatur miniſt. ſacro.

agebat *vigesimum primum*: quæ tam cita ad tantum munus maturitas, nescio an magis præstantis ipsius ingenium cum indefesso studio conjunctum, an diligentem patris & præceptorum institutionem commendet. Utque à parentibus, infans, Deo & Ecclesiæ dicatus, à puero & velut cum lacte materno pietatis & doctrinæ semina imbiberat: ita antequam nasceretur, à Deo ut esset σκεῦος ἐκλογῆς, ordinatus, maturè ad gravissimam sanctissimamque gregis sui pascendi functionem in amœnissima & celeberrima urbe adhibitus fuit. Erat enim tunc Ecclesia Aurelianensis omnium totius Galliæ florentissima & amplissima; in qua *septem millia* capitum numerata fuerunt: cui unà præerant viri doctissimi & integerrimi, *Antonius Chanorrietus Merangæus*, *Robertus Maconius Fontanus*, *Hugo Suræus*, *Nicolaus Follionius Valensis*.

Ecclesia Aurelianensis florens.

Eius antistites.

Causa cur Aurelia substiterit Toss.

Etsi verò Patriæ & Principi suo, ut dictum est, quàm exteris inservire maluisset: *duæ* tamen potissimum *rationes* ipsum ad Ecclesiæ Aurelianensis ministerium capessendum impulerunt: quarum *una* fuit summa *necessitas*, quâ Ecclesiæ in Gallia publicum religionis exercitium adeptæ, premebantur: summa, inquam, fidorum operariorum penuria, & summa primariorum quorundam ac pio quodam zelo ferventium virorum obtestatio. Quo factum, ut ad ministerium illud non tam communibus Ecclesiæ suffragiis eligeretur; quàm publica omnium acclamatione & vehementi desiderio raperetur. *Altera* suscepti illius ministerii causa fuit, quod ex diligenti utriusque partis scriptorum collatione, verum & genuinum verborum Christi sensum, veramque de Sacramentis doctrinam edoctus, & de ea in conscientiâ sua convictus, ad cœtum eorum, qui eam sequerentur & profiterentur, se aggregare maluit; quàm ad eos, qui hominum commenta divinæ veritati anteponerent: præsertim cum animos adversariorum exacerbari, odia gliscere, & portentosum ubiquitatis dogma serpere paulatim & vires acquirere cerneret: unde facilè conjecturam facere potuit: ut maximè in patriam rediret, sibi orthodoxam doctrinam amplexo, apud eos, qui eam toto pectore aversabantur, locum non fore. Id quod posteà etiam est expertus, ut dicemus.

Porrò in numerum Ecclesiæ Aurelianensis ministrorum cooptatus, animum tandem ad honestum matrimonium adjecit, nuptiasque Aureliæ cum lectissima virgine *Maria Coveta* Parisiensi celebravit, anno *sexagesimo quinto*, die *decimo nono* Martii. Nata illa fuerat patre honoratissimo, & doctissimo vito *Philiberto Coveto*, curiæ Parisiensis celebri advocato & reginæ matris *Catharinæ Mediceæ*, ante turbas & bella civilia, consiliario: matre autem *Maria Gohorry:* quæ cum vidua esset, & veritatem Evangelicam rejectis superstitionibus Pontificiis agnovisset, *Lutetiâ Aureliam* cum filiabus, propter liberius religionis exercitium, concesserat.

Ducit uxorem.

Philibertus Coveta.

In ejus laude præcipuè ponendum arbitramur, non modò quod à tenerâ ætate rei familiaris administrandæ, omniumque partium, quæ sexum illum decent, adeò gnara & perita fuerit; ut mater curas suas omnes & negotia domestica in eam rejiceret: sed & inprimis, quod ardenti sacrarum literarum amore incensa, & magis de cultu Dei & animæ suæ salute, quàm de ullâ aliâ re sollicita, cum domi assiduæ verbi divini lectioni & meditationi, precibusque ac cantionibus sacris vacaret, tum publicè in templo cantiones singulari cum affectu & attentione audiret, quibus tantoperè delectabatur; ut calamo maximam earum partem exciperet. Quibus exercitiis hoc consecuta est: ut præcipuas & elegantiores totius sacræ scripturæ sententias, & universum penè psalterium, Gallicis rhythmis, à *Clemente Maroto*, & *Theodoro Beza* concinnatum, memoria comprehenderit. Illa autem exercitia, quibus animus ab omni rerum humanarum vanitate abstractus, in Deo ejusque cultu sese oblectat, & quasi cœlestem vitam degit, temporibus illis periculosissimis, quibus unumquemque ad martyrium mortemque pro veritatis confessione obeundam, paratum esse oportebat, maximè necessaria erant.

Nihil addemus hîc de cœteris virtutibus, quæ ex pietate velut è fonte emanant, de humilitate animi, facilitate morum, pudicitia, affabilitate, de charitate in proximum, liberalitate in egenos, aliisque præclaris dotibus, quibus plurimum ornata fuit, atque omnium, etiam exterorum & hostium favorem sibi conciliavit.

Labores & pericula Tossani in Gallia.

Verum ut paucis labores & pericula, quæ Tossanus in Ministerio suo in Gallia sustinuit, recensemus: initium faciemus à primo ejus Ministerii anno, qui ut diximus, *sexagesimus secundus* fuit à *millesimo quingentesimo*. Eo anno primum *civile bellum* inter Reformatos & Pontificios in Gallia exortum. *Aurelia* autem, in qua frequens erat Ecclesia, & magnus Reformatorum numerus, Principi *Condæo* ultrò portas aperuit, eumque magno cum applausu excepit. Hinc factum, ut illa velut sedes & arx belli esset, omnesque viri primarii religionem reformatam amplexi eò confluerent. Quæ res auxit Pontificiorum odium in illam urbem & Ecclesiam: adeò ut tandem post atrocissimum prælium, quod eodem anno, mense Octobri, ad oppidum *Druydum* commissum est, in quo *Condæus* ab hostibus, *Conneſtablus* à Reformatis captus fuit; omnem vim & impetum in illam converterent. Dux namque ipsorum *Guisius*; anno *millesimo quingentesimo sexagesimo tertio*, mense Februario, urbem obsidione cinxit; quam fortiter defendebat *Andelotius*, Amiralii frater, licet adversa

Primum civile bellum in Gallia. Aurelia sedes belli.

Condæus captus.

Aurelia obsidetur.

versa valetudine conflictaretur. Toto obsidionis tempore *Tossanus* in urbe mansit, neque stationem, in qua à summo imperatore, DEO collocatus erat, periculi magnitudine victus deseruit. Quantis interea curis agitatus, quâ sollicitudine pro sua & Ecclesiæ salute affectus fuerit, quos labores hortando, monendo, & consolando cùm cives tum milites exantlaverit, cum tantus tamque ferox exercitus urbi immineret, facile est cuivis existimare. Jamque actum de urbe erat, quæ humanis præsidiis non diutius defendi posse videbatur, nisi inopinatâ *Guisii* ducis nece, quem spe capiendæ urbis turgidum & miserandam piorum cædem spirantem, dextra divina *Poltroti* cujusdam, qui se pro patriæ incolumitate devoverat, audaciâ usa, ante ipsa mœnia stravit & letho dedit, miraculosè liberata atque ex ipsis hostium faucibus erepta fuisset. Atque ita primum civile bellum pace, quæ anno *sexagesimo tertio*, die *decimo tertio* Martii eam ad urbem inita est, terminatum fuit.

Tossanus manet.

Guisius interficitur.

Pax non pax.

Sed pax illa nec tuta satis, nec diuturna fuit: cum editum à Rege promulgatum turpiter à Pontificiis violaretur, nulloque vindice ab illis in fideles sceleratè & proditoriè sæviretur. Ac licet proceres Ecclesiarum satis longo tempore nefandas suorum cædes, contra pacis articulos, patienter tulissent, omniaque judicio & quærelis ad Regem & ipsius Senatum delatis, quàm vi & armis experiri mallent: tamen cùm clandestina inter Regem & Ducem *Albanum* consilia agitata intelligerent, & *sex* Helvetiorum *millia* nullo hoste, nullâque satis probabili causa, in intimam Galliam duci animadverterent; non amplius cunctandum rati, quod hæc omnia manifestè in suam suorumque pernicicm tenderent, arma ad sui defensionem denuò expetiverunt, militemque conscripserunt. Sic alterum civile bellum exarsit, anno *millesimo quingentesimo*, *sexagesimo septimo* mense Julio.

Alterum civile in Gallia bellum.

Ante illud bellum, nempè anno *sexagesimo sexto*, cum mediocris in Gallia pax esset, *Tossanus* veniâ ab Ecclesiâ impetrata parentum & amicorum suorum invisendorum gratiâ profectus erat. Sed paulò pòst reversus, Ecclesiæ suæ in altera illa tempestate, quæ priore longè gravior fuit, ut bonus & fidelis pastor adfuit. Maximo tunc in discrimine versabatur Ecclesia Aurelianensis: quippe pontificii, qui magno numero in urbe erant, superioris belli memoriâ irritati, & præfecti regii, qui in urbe cum aliquot præsidiariis militibus, auctoritate freti, in omnium fidelium, quotquot in urbe erant, necem conspirarant. Jamque totus ille grex, qui puritatem Evangelii profitebatur, mactatroni destinatus, & luporum avidissimorum rabiei expositus, omnibus penè momentis fatalem horam exipectabat: cùm ecce *Novæus*, insignis Reformatorum strategus, exiguis cum copiis in urbem invehitur; & Pontificios partim expellit, partim exarmat. Quo facinore Ecclesiam præsenti periculo liberavit; & urbem secundo in *Condæi* Principis & Reformatorum potestatem redegit. Cùm autem magni exercitus ab utraque parte collecti essent, & pugna memorabilis ad S. *Dionysium* commissa, in qua *Conneſtablius* aliique primarii duces tam Pontificii, quàm Evangelici lethaliter vulnerati fuerunt, multis ultro citroque datis & acceptis damnis, pax aliqua intercessit: quæ convenit ad *Carnutum* oppidum, quod magnis viribus oppugnabat *Condæus*, cui *Casimirus* Princeps Palatinus cum aliquot turmis equitum auxilio venerat. Coiit illa pax anno *millesimo quingentesimo sexagesimo octavo* mense Martio. Eadem tamen illicò à Pontificiis perfidè rupta, non remedium malis; sed incrementum attulit.

Novæus.

Liberatur periculo.

Prælium ad S. Dionys.

Pax iterum inita.

Iterum rupta.

Magna tunc pontificiorum militum præsidia in urbem *Aureliam* introducta fuerunt, quod illa juxta pacis articulos, regi ab Evangelicis esset restituta. Illi milites, præcipuè verò qui ex civibus pontificiis sponte nomen militiæ dederant, implacabile odium in Reformatos gerentes, superbè & insolenter omnia agere; & palam minari; se propediem Reformatos omnes, præcipuè verò ministros, ferro trucidaturos. Augebat *Tossano* metum & sollicitudinem, non modò præsentissimum periculum; sed & uxor & gemina proles, quam tunc habebat: ignarus cum ad concionem prodiret, vivusne domum esset reversurus. Nam quotiescunque fidelium cœtus conveniebat, partim lapidibus partim bombardarum ictibus ab adversariis petebatur: quorum furor aliquando eò usque processit; ut horreum, quo Reformati vice templi utebantur, igni injecto concremarent. Quotidiè autem nunc hos, nunc illos ex Ecclesiæ membris interemtos, audiebatur: & *Tossanus* in illo hostium furore bis terve ædes mutare coactus est. Sed & propius ipsum attigit periculum.

Mina Pontificiorum.

Periculum Tossani.

Et Evangelic.

Horreum ipsorum templum exustum.

Nam die quodam, qui *Barnabæ* sacer, milites ipsum comprehensum urbe ejicere volebant; ut eum posteà pro libitu tractarent, & latronum more vitâ spoliarent: nisi uxor, etiam gravida, omni contentione elaborasset; ut manibus illorum eriperetur, atque à præfecto regio potestatem in urbe manendi impetrasset. Verum mense Septembri; cùm *tertium civile bellum* in Gallia excitatum esset; Pontificii qui *Aurelium* firmo præsidio tenebant, laxatis insaniæ frenis, loca omnia, quibus Reformati ad cultum divinum utebantur, flammis consumserunt, & ultra *octoginta* fideles, qui in iis erant, nefariè sustulerunt. Nihilominus ministri omnes, singulari Dei providentiâ, salvi ex illo furore evaserunt.

A militibus comprehenditur Toss.

Liberatur.

Tertium civile bellum in Gallia.

Cædes Evangel.

Verum

In insidias incidit Toss.

Verum *Tossanus*, cum noctu, fidelium quorundam ope, una cum collegis urbe esset missus, in silva quadam in insidias incidit; & captus in arcem non procul ab urbe perductus est. Uxor, quæ in urbe remanserat, accepto hoc nuncio, consternata, nihil intentatum reliquit: quoad maritus cum sociis, gravi precio redemtus in tuto collocaretur. Argimontem itaque venit, quod oppidum est mediocre, itinere diei Aureliâ distans, cui regia & splendida arx in colliculo adjacet, sedes eo tempore illustrissimæ *Renatæ*, *Ludovici* XII. Regis Galliarum filiæ, & *Ferrariæ* ducis viduæ; quæ insigni studio erga Reformatam religionem affecta, multis fidelibus durante persecutione tutum in sua arce & oppido perfugium præbuit. Uxor habitu ancillæ, ne agnosceretur, maritum secuta intercipitur; & præfecto Aurelianensi traditur: qui tamen propriæ conjugis & filiarum, quæ muliebri commiseratione pro ipsa interceserant, precibus expugnatus, eam cum honore relaxavit, & institutum iter persequi jussit. Sic tandem *Argimontem* ad maritum per media hostium agmina, & ubique excubantes sicarios incolumis pervenit. Quo in loco filiam enixa est, quam domina illa vidua Ferrariensis è fonte baptismatis susceptam, suo nomine insignire voluit.

Precio redimitur.

Venit Argimontem.

Renata Ferrar. ducis vidua.

Vxor Toss. intercepta. Liberatur.

Pervenit ad maritum.

Sub illud tempus, mense nimirum Martio anni *sexagesimi noni*, tristis nuncius de morte *Condæi* allatus est, qui ad fluvium *Charentem* in Sanctonum oris, fortissimè dimicans, amisso equo & desertus à suis, captus erat: sed mox contra fidem datam sceleratè à tergo globo tormentario ictus occubuit. Non latuit Regem fideles quosdam, qui fugâ salutem quæsiverant, *Argimonte* delitescere; & calàm à vidua illa Ferrariensi, amita sua magna foveri. Idcirco omnes ad cædem deposcens, amitæ suæ severè mandavit, ut profugos omnes oppido ejiceret: quod ni faceret, se militem ad eos investigandos & trucidandos esse missurum.

Condæi mors.

Evangelici Argimonte exturbantur.

Huic mandato cum omninò parere necesse esset, *Tossanus* cum uxore & tribus liberis *Sancerram*, quod erat proximum asylum, petivit. Ibant unà, ex eodem oppido egressæ, *ducentæ* aut *trecentæ* rhedæ, infantibus vagientibus onustæ: & quamvis multæ hostium catervæ per vias dispositæ huic prædæ inhiarent: ita ut vix ulla elabendi spes superesset, cum etiam fluvius *Ligeris* esset trajiciendus: tamen divinitus accidit, ut nobiles aliquot ex Reformatis, expediti in equis & probè armati, palantem hunc puerulorum & mulierculârũ gregem obvium haberent, eumque *Sancerram* usque comitati, repulsis aliquoties hostibus, qui eos adoriebantur, immunem ab omni injuriâ præstarent.

Sancerrã petit Toss. cum suis.

Annum plus minus commoratus *Sancerræ Tossanus*, dum interea Gallia tota bello arderet, tandem pace inter utramque partem constitutâ, *Mombelgartum* ad parentes; ut eorum conspectu nonnihil se recrearet, profectus est: eoque uxorem cum uno & altero ex liberis evocavit. Et quia pax illa multis incerta atque instabilis videbatur; neque Ecclesia Aurelianensis tam citò se posset recolligere: annum integrum in patria hæsit, ibique patrem annis gravem, concionando sublevavit. Quo pietatis officio dum magno & urbani magistratus & consiliariorum Principis consensu defungitur, Theologi quidam *Stutgardiani*, ἀλλοτριοεπισκοποι, aut quasi non satis malorum in Gallia passus fuisset, litem ipsi moverunt, & ad amplissimos præfectos & ad senatores Stutgardianos detulerunt; quòd nescio quam *hæresin*, *velut per contagionem in Gallicis Ecclesiis hausisset & in patriam deportasset: Calvinismum nempe & Zvvinglianismum*, cujus apertè ipsum insimulabant. Hoc igitur volebant; ut *Stutgardiam* veniret, & ex consuetudine & colloquiis ipsorum errores deponeret, & cum in vita tum in doctrina eorum exemplum ad amussim sequeretur: quod si faceret, tum demum ipsi copiam publici ministerii in patria futuram. Ad quas criminationes, scripto Apologetico ad senatum Stutgardianum misso, graviter & modestè respondit, in quo inter alia hæc scribit: *Ego, si meis emolumentis omnia metirer, neque ea vellem præponderari honestate, vel si nulla fide Ecclesiis datâ, nullave lege obstrictus essem, gestirem Stutgardiam advolare, cum ut veteribus amicis & præceptoribus propius fruerer, tum ut illustrissimos Principes tantæ spei & tam clementes aspicere, & coram colere liceret: atque etiam fortasse, ut in his locis, ab armorum strepitu remotis, tutò reliquum vitæ tempus transigerem. Sed & Ecclesiæ Aurelianæ fidem dedi, me brevi ad ipsam reversurum, ut si illam nascentem & florentem juvi, ei in hoc squalore & tam gravi casu non desim. Amicis præterea quibusdam multum debeo, qui magnâ pecuniâ nec absque nominibus vitam meam è funestis militum manibus redemerunt. His nisi me ad præscriptum tempus sistam, quomodo vel perfidiam vel prævaricationis notam effugiam? Verum est & illud non minus grave, quod me ab isto itinere Stutgardiano deterret. Nam, ut ingenuè loquar, eam in Gallicis Ecclesiis fidem, pietatem, religionem cognovi: ita semper ab istis controversiis, digladiationibus & amarulentis scriptis abstinuerunt, imò aliud per hoc decennium, atramentum non profuderunt, quàm sanguinem suum, quo Evangelii doctrinam obsignarunt; ut valde mirer, cur Domini Theologi Stutgardiani ipsis ita sint infensi; ut vel hoc nomine, quod ibi per aliquot annos Evangelium docui, gravissimè suspectum me habeant: aut cur schismaticos & impios errores illis & mihi impingant, cum in omnibus præcipuis fidei & religionis capitibus, cum tot clarissimis Germaniæ & aliarum*

Mombelg. abit.

Patrem sublevat.

Lis Toss. mota.

Stutgard. vocatur.

Excusat se.

vum nationum Ecclesiis, Propheticam & Apostolicam doctrinam amplectamur, quæ in confessione Augustana & alibi ab ejus auctore explicata est: solumque hoc à Dominis Theologis deprecatus sim; ut veniam darent, si subtiliores quasdam quæstiones, quæ nec ex Augustana Confessione, nec ex ejusdem Apologia depromtæ sunt, in Ecclesias nostras nondum inveheremus, donec de re tota sancto aliquo œcumenico concilio, vel aliâ bonâ ratione constitui possit. Sic tunc illis, quâ potuit, satisfecit.

Anno *millesimo quingentesimo septuagesimo primo* Ecclesia Aurelianensis pacis beneficio post tam crudelem persecutionem nonnihil respirans, atque indies numero animisque crescens, *Tossanum Mombelgarto* revocavit. Non tamen in ipsâ urbe ministerium exercere licebat, sed in arce quadam secundo ab urbe lapide, cujus Dominus erat nobilissimus & pietatis zelo ardentissimus vir *Hieronymus Groslotius.* Eò diebus Dominicis ingens ex urbe multitudo ad audiendas conciones confluebat: quamvis id non absque periculo fieret; quoniam Pontificii convitiis & maledictis redeuntes excipiebant; & quibus poterant modis lacessebant, non obscurè jactantes, se domum illam, omnesque quos in ea reperturi essent, ferro & igni deleturos. Nihilominus fideles pericula omnia constantiâ superabant: & *Tossanus*, qui apud nobilem illum virum diversabatur, strenuè in officio pergebat, licet tunc temporis incommodâ valetudine uteretur. Sed non diu hæc halcyonia durarunt.

Revocatur Aurelianum.

Hieronymus Groslotius.

Laniena Parisiensis.

Nam anno *septuagesimo secundo* mense Augusto ferales fuerunt nuptiæ Regis *Navarræi* cum *Margaretha Caroli IX.* Regis Galliarum sorore: in quibus, ut notum, heros ille *Caspar Colignius* Galliæ Archithalassus, & plurimi nobiles, & primarii viri, Consiliarii, Doctores, Advocati, Professores, ut de promiscuâ plebe nihil dicam, omnibus naturæ, humanitatis, hospitii, honestatis, fideique legibus perfractis, fœdè cæsi & jugulati fuerunt. Quâ plus quàm Scythicâ barbarie æternum dedecus nomini Regio, cujus verbum, quid dico verbum? imò jusjurandum non minus, quàm fides ipsa sacrum esse debuit, inustum fuit: & pontificii Pseudocatholici clarum satis documentum statuerunt, se ab eo, qui mendax & homicida est ab initio, ejusque vicario visibili & manifesto, Pontifice Romano regi ac duci; nec Reformatis, nisi scelere, perfidiâ & perjurio superiores esse posse. Eadem calamitas *Hieronymum Groslotium* Aurelianensis Ecclesiæ patronum, qui unà cum aliis nobilibus edicto & promissis Regis plus nimio fidens, tetris illis & infaustis nuptiis intererat, oppressit. Cujus immanitatis famâ *Aurelium* perlatâ, Pontificii lætitiâ exultare, epinicium canere, & ferrum in omnes Evangelicos, qui in urbe, & vicinia erant, acuere. *Tossanus* eâ tempestate in arce illa prope *Aurelium*, de qua diximus, cum familia commorabatur: cumque etiam ad Dominam arcis, *Hieronym. Groslotii* uxorem esset allatum de laniena *Lutetiæ* patrata, *Chancaus* quidem nobilis pontificius, qui tum fortè novi aliquid percontaturus eò diverterat, metuens, ne quod aliud malum subesset, & Reformati ipsi, qui maximo numero *Lutetiæ* erant, neque tam facilè opprimi posse videbantur, impetum in Pontificios fecissent, cœptum iter omisit, & assumtâ secum Dominâ illâ unà cum *Tossano*, uxore & liberis domum suam, quæ non procul *Argimonte* aberat, regressus est. Sic *Tossanus* pontificii hominis operâ & humanitate conservatus, sanguinarias tunc Pontificiorum manus admirabili Dei providentia effugit. Nam Aurelianenses sequenti die arcem illam, ex qua *Tossanus* cum suis pridiè sub vesperam egressus erat, infestis animis petiverunt; portas perfregerunt; obvia quæque diripuerunt; ancillas aliquot, quæ ibi remanserant, trucidarunt: mirum in modum indignati, se eos, quos maximè quærebant, non invenire. In illa direptione tota supellex & Bibliotheca *Tossani* periit.

Tossanus à nobili Pontificio servatur.

Arx Groslotii diripitur.

Et libraria Toss.

Cum autem domus illa, in quam evaserat, non satis tuta videretur, quod in sylva esset, & dominum haberet pontificium; in aliam quandam sibi notam, quæ non longè aberat, transmigravit: in qua per dies aliquot substitit: donec iterum ab illustrissima & piissima Domina *Ferrariensi*, de qua supra, in *Argimontanam* arcem cum uxore gravida fuit receptus. Ibi in turricula quadam mensem unum & alterum delituit, in qua clanculum ab optima illa Domina cibo & potu submisso alebatur: dum interea Pontificia rabie per totam Galliam debachante, sanguis fidelium largè ubique effunderetur. Illis temporibus *Paulus* filius in illa arce & turricula est natus, anno *septuagesimo secundo*, die *vicesimo septimo* Septembris.

In arcem Argimont. recipitur.

In turricula clam alitur cum suis.

In qua Paulus Toss. natus.

Ubi verò Pontificius furor nonnihil desæviit: *Tossanus* & uxor cum liberis diversis itineribus ex Gallia, in qua omnia erant conclamata, in Germaniam, velut in portum tutum & tranquillum, non sine magnis difficultatibus appulit.

In Germaniam effugit.

Nec multò pòst *Haidelbergam* à serenissimo Electore *Friderico* III. pio, vocatus, cum familia venit, & Electori à sacris concionibus esse cœpit. Tanta fuit illius optimi & nunquam satis laudati Principis erga afflictum *Tossanum* benignitas & clementia: tanta clarissimorum virorum, quibus cùm aula tum Academia abundabat, humanitas: ut penè omnem præteritorum temporum & ærumnarum ei memoriam discusserit.

Haidelb. vocatur.

Electori est à sacris.

Et sanè Palatina domus cùm cæterarum virtutum laudibus inclyta, tum beneficentiæ & mansuetudinis, quâ ad DEI immortalis naturam homines proximè accedunt, nomine commendatissima semper fuit.

Laus domus Palatinæ.

Toto illo tempore, quo *Tossanus* aulici concionatoris munere functus est, & nutricio tam benigno frui potuit, fidem suam, diligentiam, candorem & alia id genus, quæ in fido pastore requiruntur, ita Electori illi pio probavit: ut cum charum & intimum haberet, ac nonnunquam gravioribus religionis negotiis & deliberationibus adhiberet. Quocirca etiam ipsum anno *septuagesimo quinto Ambergam*, unà cum amplissimis legatis spectatæque fidei consiliariis, ad Ecclesiarum quandam visitationem instituendam, & dissidia de religione componenda misit: quâ in legatione sanctè integreque est versatus.

Charus Elect. Toss.

Ambergã mittitur.

Verùm mundi ingratitudo & protervia tanto Principe, quo meliorem & religiosorem vix aliquot retrò secula noverunt, digna non fuit: qui præproperè Ecclesiæ & *Tossano* aliisque multis fidelibus subtractus anno *septuagesimo sexto*, die *vitesima sexta* Octobris de vita decessit, *quadriennio* pòst quàm *Tossanus* in Palatinatum venisset. Ab ejus obitu tota rerum facies in Ecclesiis & scholis fuit immutata. Quippe illicò quidam è vicinis locis irruerunt: qui favore mitissimi Principis *Ludovici* filii abusi, vineam Domini miserè vastarunt. Horum opera & importunis clamoribus cum alii ministri, Doctores & Professores ab officio remoti: tùm *Tossanus*; cui aliquantò antè concionibus Catecheticis, quas diebus Dominicis à meridie in templo *S. Spiritus* habere solebat, interdictum erat, dimissus fuit.

Obitus Friderici III. Elect.

Dimittitur Toss.

At Princeps *Casimirus*, cui melius quam fratri, Ubiquitariorum impostura cognita erant, quique patris sui confessionem, quam testamento suo inseruerat, tutandam suscepérat; tabulis & ornamentis præcipuis ex illa Academiæ Haidelbergensis ruina *Neostadii* collectis, eò quoque *Tossanum* vocavit, eumque Ecclesiarum ditionis suæ gubernaculis præfecit. Itaque ablato Friderico III. pio Electore, Deus Ecclesiis suis *Joannem Casimirum*, paternæ pietatis æmulum, patronum & nutricium reddidit: qui non minori favori *Tossanum*, quam Elector pater complexus fuit, eoque fidelissimo monitore & consultore usus est. Præter ordinariam verò ministerii functionem generalemque inspectionem, quæ *Tossano* commissa, illustris scholæ Neostadianæ à Principe Casimiro erectæ, instaurationem & amplificationem multum juvit: in qua & ipse post obitum magni Theologi *Zachariæ Vrsini* aliquandiu docuit, & sacrum codicem interpretatus est. Ecclesiam præterea S. *Lambertanam* è peregrinis exulibus collectam, dum ordinario Pastore careret, curavit, & sacris concionibus Gallicâ linguâ aliquandiu erudivit. Adde, quod mandatu Principis Theologis præstantissimis *Zanchio*, *Vrsino* & *Junio* adiunctus, operam suam ad gravissima scripta, quæ illo tempore prodierunt, elaboranda communicavit. Nec tacendum videtur, quod *Neostadii* Consilia Ecclesiastica Consistorii rexit: & anno *septuagesimo octavo*, mense Aprili auspiciis Principis *Casimiri* Synodo *Neostadianæ* magna cum laude præfuit, in qua præcipuè actum fuit de ecclesiarum conformitate in doctrina & ritibus, de juvandis & promovendis exulibus Palatinatus. Tantum autem Princeps *Casimirus* ipsius Consiliis tribuit: ut eum crebro ad se accersierit, nec quicquam ferè ardui quod ad Ecclesiarum emolumentum spectaret, ipso inconsulto aggressus fuerit. Quid? quod externi Principes & legati amplissimi, cum fortè *Neostadium* ad Principem Casimirum venissent, nominis ipsius celebritate moti, eum videre & compellare voluerunt: quibus pietatis, officii, doctrinæ, & facundiæ suavitatibus ita satisfecit; ut posteà non raro literas ad ipsum, amoris & benevolentiæ testes, darent.

Docet & in schola Ecclesiam S. Lamberti docet.

Regit Consistorium Ecclesiast. Synodo Neostad. præsit.

Sub illud tempus quo Tossanus Neostadii versabatur, bellum Colonienſe incidit; in quo Principis *Casimiri* erga *Gebhardum* Archiepiscopum & Electorem fides, erga patriam & religionem amor singularis eluxit. Cum verò tota Romani Antichristi vis in utrumque insurgeret, nec socii promissa auxilia præstarent, maximis difficultatibus conflictati *Gebhardus* & *Casimirus*, in tam honesta & pia causa non parum à *Tossano* animati, & divini verbi solatio confirmati fuerunt.

Bellum Coloniense.

Interea dum *Casimirus* bello illi ad *Coloniam* implicatus hosti negocium facessit, & fortiter adversis obluctatur: frater *Ludovicus* Elector è vita excessisse nunciatur. Quapropter *Casimirus* singulari Dei providentiâ & bellicis illis tumultibus & periculis ad nepotis ex fratre tunc pupilli tutelam & Electoralis Palatinatus administrationem vocatus fuit. Cum *Haidelbergam* venisset, è vestigio *Tossanum Neostadio* advocavit: ut ipsius ope & consilio Ecclesiarum Reformationem institueret: dici non potest, quàm tetro atque inimico vultu adventientem exceperint adversarii; quanto in ipsum odio fuerint incensi, quam petulanter nonnulli ex discipulis eorum adversus illum se gesserint. Ille tamen hæc omnia patienter ferre; adversariorum immodestiam & furibundas actiones mirari; & recti verique sibi conscius alacriter officium facere: memor procul dubio illius Senecæ: *Vir bonus, quod honestè se facturum putaverit, faciet, etiamsi periculosum erit: ab honesto nulla re deterrebitur, ad turpia nulla spe invitabitur.*

Ludovic. Elect. palat. mort.

Haidelb. revocatur Toss.

Adversarii autem initio etiam post adventum Principis *Casimiri*, omnia civitatis templa occupabant, qui, velut furiis agitati, maledictis in nostros & doctrinam nostram ita invehebantur; ut suis etiam intolerabiles viderentur. Cum autem cives quidam Ministri & Consiliarii Principis, non exiguo numero à Principe *Casimiro*, templum petiviſſent; in quo purior doctrina ex

puro

puro Dei verbo haustâ, sicut olim tempore *Friderici III.* factum erat, traderetur: petitioni æquissimæ annuendum ratus *Casimirus*, de templo ad D. *Petrum* aut ad *Franciscanos* illis concedendo cogitavit. Verùm *Tossanus* Principem ad primarium urbis templum, quod est Spiritus S. illis concedendum permovit: quoniam intelligebat, ut id fieret, multum & ad Principis existimationem, & religionis sincerioris propagationem interesse.

Ubiquitariorum voces.

Et quia adversarii in omnibus suis concionibus magno clamore deblaterabant, *doctrinam nostram Nestorianismo, & nescio quibus aliis antiquis hæresibus, affinem esse: idque se ad oculum ex Bezæ & Danæi scriptis demonstrare posse: Casimirus* septem præcipuos ex illis, partim ministros, partim Doctores Theologiæ, unaque quatuor ex ministris orthodoxis, & inter hos *Tossanum*, coram se & consiliariis suis in Cancellaria comparere jussit: illos, ut quas hæreses quæque doctrinarum portenta nostri traderent, ostenderent; hos, ut doctrinam orthodoxam à calumniis vindicarent. Sed adversariis placidam & familiarem cum nostris collationem, qualis à Principe petebatur, detrectantibus, interim verò in suggestu, symposiis, & alibi passim horribilium convitiorum plaustra in nostros quotidiè evomentibus, & mandatum Principis de pace & concordia inter utramque partem servanda, omnique modestia in concionibus adhibenda tumidè respuentibus, factum est; ut, cum pace frui nollent, & in officio manere, suâ culpâ & importunitate Principem ad missionem ipsis dandam compulerint. Priusquam verò dimitterentur, *Tossanus* jussu Principis aliquoties cum illis congressus, doctrinæ veritatem fortiter asseruit, & inanes eorum contra mandatum Principis exceptiones refutavit: *Osiandro* & aliis institutam Reformationem sorinsecùs allatrantibus, os obstruxit: denique totius illius Reformationis, quâ etiamnum DEI beneficio gaudet Palatinatus ἐγγοδιώκτης fuit. Neque id dissimularunt adversarii, qui in eum potissimum, tanquam omnium, quæ ipsis præter voluntatem evenerant, auctorem primarium sua tela torserunt, eumque si potuissent, libenter ad Getas aut ad Indos relegassent.

De hoc Acta Haidelberg. Germanica.

Disputatio Haidelb.

Eodem tempore publica in *Academia Haidelbergensi disputatio* de præcipuis capitibus controversis mandatu Principis instituta fuit; ut ex argumentorum contentione & conflictione veritas magis ac magis illucesceret, nec queri possent adversarii, se, ut olim nostri, indicta causa fuisse condemnatos & ejectos. Etsi vero pleraque argumenta ab adversa parte allata, frivola, inepta & puerilia erant, adeo ut vix ullum mererentur responsum: tamen disputatio in undecimam diem continuata, & modestè, leniter & solidè à *Joanne Jacobo Grynæo* disputationis illius præside ad objecta responsum fuit. Disputationi illi bis ipse interfuit Princeps, primo videlicet & postremo actu; cui *Tossanus* à latere assedit, & quæ dicebantur, interpretatus est. Exitus disputationis hic fuit; *Principem velle & mandare, ut, quoniam tota illa disputatione Ecclesiarum nostrarum doctrina nullius hæreseos convinci, nullius erroris coargui potuisset: adversa pars in posterum ab omnibus invectivis, contumeliis & maledictis sibi temperaret: & paci atque concordiæ studeret: juventus autem studiosa argumenta utriusque partis diligenter, & sine affectu ponderaret, veritatem indagaret, nec judicia sua de nostra doctrina præcipitaret.* Verum nihil moderati à plerisque adversariorum impetrari potuit: donec velut œstro Ubiquitario perciti in varias oras dilapsi sunt.

Casimirus interest disputat.

Exitus illius disputat.

Hinc aliæ *Tossanum* curæ, de successoribus in Ecclesia, in Academia, in collegio Sapientiæ & Pædagogio adsciscendis, de ephoris illustrissimo Principi *Friderico* præficiendis, de ministris per totum Palatinatum in loca vacua submittendis, de alumnis Principis examinandis & ab errore revocandis, fatigarunt. Quibus omnibus & ex officii ratione, quia senatus Ecclesiastici membrum erat, & speciali Principis mandato eximia fide & studio intentus fuit.

Curæ & labores Toss.

Anno *octogesimo sexto*, *J. Jacob Grynæo*, Theologiæ Professore primario, *Basileam* à suis revocato, *Tossanus*, licet invitus & reluctans, in ipsius locum suffectus fuit. Urque Academiæ legibus satisfaceret, eodem anno mense Decembri, Doctoris Theologi ἀξίωμα suscepit, promotore *Francisco Junio*, Decano *Georgio Sohnio*: cum jam *decem* ipsos *menses* publicè docuisset. Sic illi duplicati labores fuêre, licet jam antè curarum & laborum satis sustinuerit: quos, ut Principis voluntati & temporum necessitati obsecundaret, animo indefesso pertulit.

Succedit J. Jacob Grynæo.

Doct. Th. renunciatur.

Non diu erat, quod Academicum munus cum Ecclesiastico conjunxisset, cum ad eum mœrorem, quem ex publicis malis, atque adeò ex infausto illo & periculosissimo tumultu inter cives & studiosos *Haidelbergæ* excitato capiebat, domesticus isque gravissimus, luctus accessit. Nam anno *octogesimo septimo*, die *vicesimo octavo* Martij, hora *undecima* ante meridiem, conjunx ipsius fidelissima & charissima obiit, eodem mense, quo ante annos *viginti duos* nuptias cum illa celebraverat: cum paulò ante, die nimirum *decimo nono* Martii (qui dies fuerat nuptiarum) singulari cum gaudio, & gratiis DEO actis ærumnarum & periculorum, quæ ab eo tempore unà passi essent, & admirandæ Dei tutelæ, liberationis & benedictionis, quàm contra experti essent, recordati fuissent.

Amittit uxorem.

Hæc die *vicesimo secundo* Martii gravi lassitudine pressa in febrim continuam inciderat: cum autem dolores accresceret, & extremum vitæ tempus adesse animadverteret, *vicesimo septimo* post vesperam liberis

valedixit, eosque officii admonuit, ac se totam ad mortem componere cœpit. Tota deinde nocte pias sententias protulit ex Psalmo *trigesimo octavo*, *quadragesimo primo*, aliis; interque alia dixit: *cum tot martyres tantos sæpè cruciatus pro veritatis confessione pertulerint, cur nos mortem naturalem non æquo animo feramus?* Paulo namque ante morbum *historiam martyrum* & *theatrum mundi*, Launæo auctore, avidè legerat, & multus ipsi de morte sermo fuerat: imo cum adhuc in Galliis esset, ad martyrium, si Dei voluntas esset, patienter subeundum, pio & constanti animo, se præparaverat. Ejus tumulum hoc Epicedio ornarunt:

Epicedium ejus.

Si virtus diræ posset ferat spicula mortis
Effugere, & mœstas funeris exequias:
Musica si dulcis, morum si mira venustas,
Et pietas castæ juncta pudicitæ:
Non hoc jam, mater, tumulo contecta jaceres,
Conjuge deserto pignoribusque tuis.
Sed qui in te vitæ morumque exemplar habebant,
Exemplar sanctæ nunc quoque mortis habent.

Luctum hunc acerbissimum, nonnihil minuerunt subsecutæ filiarum natu majorum nuptiæ, quas honestissimis doctissimisque viris elocavit: nec non conjugium novum, quod ipso anno *octogesimo octavo*, die nono Novembris cum honesta matrona, vidua pii viri D. *Pintæi de Capella*, qui olim Illustrissimo Principi *Condæo* à sacris concionibus fuerat, contraxit. Sed ut sunt in his terris gaudii & tristitiæ vicissitudines, non leve rursus animo ipsius vulnus ex fortissimi Principis & benignissimi Domini sui, Ducis *Casimiri*, immaturâ morte inflictum est: cum præsertim non multò antè magnanimus heros, re & nomine *Christianus*, Saxoniæ Dux & Imperii Septemvir, magno Ecclesiarum detrimento rebus humanis esset exemtus.

Transit ad secundas nuptias.

Casimiri Palatini obitus. Item Christiani I. El. Sax.

Principe ergo *Casimiro*, qui vitam Deo, Patriæ & Ecclesiæ impenderat, in cœlestem requiem gloriamque translato, Princeps Elector *Fridericus* IV. annis completis, legitimè ad Septemviratus fastigium evectus, nihil prius habuit: quàm ut ecclesiarum & scholarum curam sibi relictam non minori studio ac liberalitate, quam olim avus, pater & patruus, sustineret.

Frider. IV. Pal. Elect.

Anno *nonagesimo quarto* exeunte, vigiliâ Thomæ Apostoli, *Tossanus* communibus omnium suffragiis Rector Academiæ *Haidelbergensis* in annum sequentem designatum est. Ac licet jam antè multis gravibusque laboribus obrutus esset: ut jura merito ab eo onere se posset excusare: tamen ne solus privilegio aliquo gaudere & labores Academicos defugere velle videretur, Academici senatus judicio & voluntati acquievit. In illo autem magistratu nihil prætermisit, quod ad Academiæ commodum & ornamentum & studiosorum emolumentum pertinere existimaret. Quippe in ipso initio serenissimo Electori in Augusto consilio præsentibus quatuor *Decanis*, libellum supplicem de gravaminibus Academiæ, præmissa oratione pathetica obtulit. Legum præterea & disciplinæ diligentem habuit rationem: *disputationum* & *declamationum* exercitia revocavit: *Bibliothecam*, *ædificia*, *reditus*, *stipendia*, & alia, quæ ad Academiam pertinent, vehementer sibi commmendata habuit, & defectus, qui fortè irrepserant, sustulit. Anno revoluto, magistratu illo juxta leges se abdicavit, commemoratis divinis illius anni beneficiis, præcipuè conservatione omnium professorum & aversione motuum, qui propter vigilem à studioso quodam, mense Augusto, interfectum impendere videbantur. Gratiis etiam Senatui actis de honore sibi præstito, & consiliis quibus eum juvissent, excusavit se, quod plura, ut voluisset, non præstitisset. Sic dignitatem illam & insignia successori resignavit: quo facto singuli senatores pro fide & diligentia prolixè ipsi gratias egerunt.

Rector Acad. creatur. Toss.

Secuta est anno *millesimo quingentesimo nonagesimo sexto*, & *sequenti*, gravis pestilentiæ lues, quæ *Haidelbergensem* Academiam dissipavit: & aulam cum universo Principis consilio fugavit, duosque eximios viros, D. *Kimedoncium*, Theologiæ, & D. *Opsopæum*, Medicinæ Professores, sustulit. Talis quoque, ante annos quatuordecim, anno videlicet *octogesimo secundo*, grassata fuerat. *Tossanus* autem *Haidelbergæ* restitit; & non solùm Ecclesiam suam divinissimis concionibus, sed etiam reliquias auditorum in Academia *pœnitentialium psalmorum* explicatione solatus est. Atque illi & familiæ tunc temporis divina manus pepercit, ut seculum, quod ad finem properabat, exigeret. Cum autem ætatem ingravescere & vires corporis debilitari animadverteret, accedente interdum spasmo & vertigine, cui obnoxius erat, non semel de quietiori vita & deponenda professione cogitavit. Atque illud ipsum jam ante semel tentaverat: sed Principe & Academia retinente, in utriusque gratiam munus tunc illud obire perrexit. Verum anno *millesimo sexcentesimo primo* jam vergente, cum paulò ante filias & generos tres *Ambergæ* invisisset, & nuptiis *Pauli* filii Theologi D. *Francothalii*, *decimo* Novembris celebratis adfuisset, iisque singulari cum hilaritate benedixisset, quasi fati sui præscius, finem professioni imponere planè constituerat. Quam ob causam & à summo Electoris consilio, & à Senatu Academico, gravibus adductis rationibus, vacationem flagitaverat. Oratio, quâ ad Senatum Academicum postrid. *Thomæ* in eum finem usus est, hoc, ni fallor, exordio constabat:

Pestis Haidelb. Acad. dissipat.

Tossanus manet.

Petit vacationem officii.

Quod dudum me facere jubebant gravissimæ multæ rationes, & multa etiam ἀπροσδόκητα, quæ hoc potissimum anno, quo sexagesimum ætatis annum complevi, mihi evenêre: id in hanc diem reji-

cere

» cere volui quâ & novi Magistratus Academici ineuntur, & novus init annus, quem » inclitæ huic Academiæ faustissimum ex animo precor. Anni sunt plus minus triginta octo meæ militiæ Ecclesiasticæ, quam in » celebri Galliæ civitate & Academia Aureliana ingressus sum: anni ferè triginta mei » ministerii in hoc Palatinatu Electorali: anni verò septendecim, quibus ex illustrissimorum nostrorum Principum & Senatus » hujus amplissimi voluntate professionis » Theologicæ munus sustineo; quàm benè » aut feliciter, aliorum esto judicium: fidem quidem & diligentiam in docendo & » aliis, quæ mihi imposita fuerunt, ac summum φιλαδελφίας studium desiderari in » me nunquam sum passus. Sed magnam » meam tenuitatem, & quàm parum ab illa » eruditione quæ ad talem functionem requiritur instructus essem, agnoscens, non » semel cupivi & optavi alteri hanc lampada » tradere, si bonâ vestrâ & Principum cum » venia id fieri potuisset. Nunc res ipsa loquitur quàm sim ad talem provinciam inposterum ineptus. Deficit me jam visus, » ut vix ullos amplius auctores in folio evolvere possim, & quæ manu scripta sunt, » satis ægrè. Invadit me subinde jam spasmus, » jam vertigo; ut nonnunquam sine ope » famuli ex domo prorepere non possim. » In Senatu plerunque me obruit somnus: » jacent interim omnia mea privata: jacent » & scripta nonnulla, quæ à me nonnunquam expetuntur, quæque relegere aut recognoscere hactenus non licuit, dum me » totum professioni & rebus Academicis » trado. Imprudens est dux militiæ, qui » non canit receptui, donec ipsum & exercitum tenebræ opprimant; imprudens nauta, qui navem non exonerat, donec naufragium faciat. Levitæ, postquam viginti » quinque annis tabernaculo inservierant, » liberi fiebant. Jureconsulti sonticos excusant, de se sistendo publicis judiciis. » Quapropter illud mihi de vestra pietate & » humanitate spondeo: ut non solum resignationem hujus functionis benevolè admittatis: verùm potius miremini, me ad » hanc usque diem hunc locum occupasse, » qui alii viro debebatur.

Reliqua orationis capita hæc summatim erant: primùm *agebat Senatui amplissimo gratias pro omnibus beneficiis, quibus ab omnibus & singulis toto illo tempore, quo ipsum collegam habuissent, affectus esset: promisitque se, quam diu sibi Dominus vitam concederet, benevolentiæ, humanitatis, amoris, honorisque sibi exhibiti memorem futurum.* Tùm addidit, *se eam doctrinam publicè in templis interpretando & in Academia profitendo docuisse, quam sciret esse veritatem cœlestem, in cujus confessione, quocunque tempore Domino placeret, vitam claudere paratus esset: omnesque collegas graviter obtestatus, ut, si qua pro rerum humanarum instabilitate mutatio impenderet, aut brevi secutura esset constantiam præstarent, nec ab agnita veritate vel spe lautioris fortunæ, vel majoris dignitatis cupiditate, vel impatientia & odio eorum, à quibus premi & contemni viderentur resilirent. Tandem senatores omnes obnixè rogavit, ut hujus suæ confessionis atque constantiæ in verâ & incorrupta doctrina, si quid fortè humani rei entè sibi accideret, contra obtrectatores testes esse vellent.*

Retinetur à Senatu.

Senatus Academicus vehementer hac oratione perculsus, omnibus modis ipsum ab hac sententia dimovere conatus est amicè rogans; ne hoc perturbato rerum statu Academiam, quæ auctoritate & consilio ipsius nunc maximè indigeret, deserere; sed potius quod vitæ superesset, Ecclesiæ & scholæ impertiri vellet: gravamina, quæ in medium attulisset, quæque agnosceret senatus, levari facilè posse: liberum illi fore ad senatum accedere & disputare, cum vellet: locum etiam vicinniorem & commodiorem repertum iri, in quo, quoties per valetudinem liceret, doceret. Hæc tanta Academici senatus benevolentia & humanitas ipsum planè in stuporem dedit: quanquam stabat sententia; ne quid legibus derogaretur, levamina illa detrectare, & deinceps totum se scriptioni atque operum suorum recognitioni dare. Sed Deus ipse, cui jam inserviendo satisfecerat, non modò hanc resignationem ipsi ratam fecit, sed & ampliorem quietem largitus est, ipso in cœlestem Academiam & beatum angelorum, & filiorum Dei contubernium allecto.

Scipio de immortalitate animorum Meditatur & mortem Toss.

Refert *Cicero* in suo Lælio, *Scipionem* perpaucis ante mortem diebus, quasi præsagiret, *de immortalitate animorum disseruisse. Tossanum* verò novimus perpaucis ante mortem diebus, non quasi præsagiret, sed ut qui certò præsciret, sibi brevi moriendum, de morte piè & eleganter commentatum: quæ quidem *commentatio* * *Germanicâ & Gallica lingua* extat, & in multorum est manibus. Illud quoque memoria & admiratione dignum videtur, non solum quod die Dominica eodem temporis momento, cum sub horam tertiam à meridie Ecclesia publico signo ad concionem vocaretur, ipse, qui diu Ecclesiæ in his terris fidelissimè præfuerat, ad cœlestem sanctorum angelorum & electorum concionem evocatus fuit: sed etiam, quod cum in concionibus ordinariis *librum Jobi* piis præceptis & consolationibus suavissimum explicaret, & crebrò se & pios auditores Jobo societate conjungeret, explicationem ad ipsum extremum caput *trigesimum primum* perduxit: ubi ad eum modum, quo in orationibus & disceptationibus forensibus hæc clausula adhiberi solet; *dixi*, vel *dicta est causa*, hæc verba habentur: *Hic finita sunt verba Jobi:* sic ut eodem loco & Jobus sermonem, & socius atque interpres expositionem finiret.

* *Titulus illi est: Vade mecum.*

Morbus ejus fatalis.

Etsi autem statim in ipso emortualis anni initio *Tossanum* invaletudine quadam & catarrho epidemio correptum observabatur, nemo tamen ipsum morti adeò vicinum suspicatus est, cum *quarta & quinta* Januarii in publico auditorio docuisset, & *sexta*, quæ dies solennium precum erat, concionem in templo habuisset. Quæ etiam causa fuit, cur nuntio de ipsius morbo serius ad filium D. *Paulum* Francothalium perlato, morienti adesse non potuerit. Plurimi tamen omnium ordinum viri & amici ægrotandi & morienti adfuerunt, qui, cum eum solari vellent, ipsi ab eo consolationem acceperunt. Nam & ipse sermones pios, sanctos, & certam in Deo fiduciam arguentes inferebat, & ad quodvis scripturæ dictum, quod ab aliis proponebatur, brevem & convenientem paraphrasin subjiciebat. Consolabatur sanè consolantes adspectus ille fortis & invicti athletæ, &

Consolatoria sententia.

ad omnes Sathanæ impetus παντοπλε ἢ παγκρατιαςῦ. Fuit autem sententiis iis, quæ sequuntur, paulò ante mortem cum primis delectatus & crebrò usus, ex posteriori ad Corinthios quinto: φιλοτιμόμεθα εἴτε ἐνδημῦντες εἴτε ἐκδημῦντες εὐάρεςοι τῷ Θεῷ εἶναι, & illo Christi ad Smyrnensem angelum sive Episcopum, Apocalypseos secundo: Τίνα πιςὸς ἄχει τῦ θανάτυ, ἢ δώσω σοι τὸν ςέφανον τῆς ζωῆς: similiterque illo *Pauli* posteriori ad Timotheum quarto: τὸν ἀγῶνα τὸν καλὸν ἠγώνισμαι, & illo ad Hebr. capite decimo tertio: Οὐκ ἔχομεν ὧδε μένεσαν πόλιν ἀλλὰ τὴν μέλλυσαν ἐπιζητῦμεν. Item ex psalmo septuagesimo primo „ mo Deus, docuisti me à pueritia mea, & huc „ usque annunciavi mirabilia tua, itaque et„ iam usque ad senectutem & canitiem, „ Deus, ne deseras me. Non abjicias me „ tempore senectutis, cum deficiet virtus „ mea ne deseras me. *Et ex Psalmo trigesi„ mo primo*: Redemisti me Jehova Deus ve„ rax, in manu tua sunt tempora mea: Jeho„ va, ne pudefiam, nam invocavi te. Quàm „ multa bonitas, quam sepositi timentibus „ te, & quam exhibuisti confidentibus in te „ coram filiis hominum? *Ex psalmo octoge„ simo sexto*: Serva vitam meam, nam tuus „ beneficiarius sum: Serva servum tuum, „ tu Deus mi, sperantem in te. *Ex psal„ mo centesimo decimo nono*: Sit, quæso, cle„ mentia tua ad consolandum me, secun„ dum sermonem tuum ad servum tuum. „ Veniant mihi miserationes tuæ ut vivam: „ quia doctrina tua oblectatio mea. Ut „ maximè præ squallore & mœrore fierem „ ut uter torrefactus fumo, edictorum tuo„ rum non obliviscar. *Ex Psalmo centesimo „ trigesimo*: Si iniquitates observes, Domi„ ne Deus, quis subsistet? Sed apud te est „ propitiatio, ut timearis. Anima mea in„ tenta est ad Dominum præ custodibus ma„ tutinis. *Item ex Cypriano de mortalitat.* „ Mori timet, qui ad Christum, qui in pa„ triam venire recusat qui non nititur meri„ to mortis Christi. *Et ex eod.* Amplecta„ mur diem, qui assignat singulos domiçi„ lio suo, & laqueis secularibus exutos resti„ tuit paradiso. *Et:* Auro te licet & mar„ garitis gemmisque condecores, sine Chri„ sti decore deformis es, *ex eodem. Tum „ ex Hieronymo:* Qui quotidie recordatur se „ moriturum, contemnit præsentia, & ad fu„ tura festinat. *Rursus ex eodem:* Nos ad „ patriam festinantes, mortiferos Sirenum „ cantus surdâ aure transire debemus. „ Habebat & aliquando in ore illud Ovidii XV. Metam.

Nostra quoque ipsorum semper requieque sine ulla
Corpora vertuntur, nec quod fuimusve sumusve
Cras erimus.

Verum ut tandem finem huic narrationi imponamus, concludemus piâ illâ & sanctâ declaratione, quam propriâ manu testamento suo præscripsit, quamque ut omnibus innotesceret, dignissimam judicamus. Ea talis est:

Declaratio Testamento Tossani præscripta.

Primum hac mea propria manu testor, „ me in eâ fide & doctrina, quam Evange„ licæ Reformatæ Ecclesiæ profitentur, & „ quam Aureliæ in Gallia & alibi ab anno „ sexagesimo secundo usque ad finem anni „ septuagesimi secundi publicè in concioni„ bus & privatim docui, & postea Haidel„ bergæ & Neostadii ab initio anni septuage„ simi tertii usque ad hunc diem tum in Ec„ clesia tum in schola professus sum, & pro „ talento mihi concredito explicavi, & vi„ vere & mori velle, agnoscens esse doctrinam „ Spiritus S. & conformem orthodoxo con„ sensui Ecclesiarum verè reformatarum, ut „ maximè alii commodius, alii fortasse non „ ita commodè se explicent & in ipsis ritibus „ & adiaphoris aliquid sit discriminis. Te„ stor etiam, me toto pectore abhorrere à „ schismaticis & à criticis atque arrogantibus „ ingeniis eorum, qui suas cogitationes pu„ blico consensui Ecclesiarum anteponunt, „ aut minùs candidè piorum fratrum & bene „ *meritorum virorum dicta interpretantur, ni„ hil tam metuens, quàm ne domestica dissi„ dia corrumpant nobis & pacem & veritatem, „ quâ fruimur, & nihil tam deplorans, quàm „ quod inter nostros non per omnia is candor & „ ea communicatio consiliorum reperitur, quæ „ merito esse debebat.* „

Obtestor etiam vos liberos & generos „ charissimos, ne illius veritatis Evangelicæ „ unquam vos pudeat, vel propter scandala, „ quæ domi in ipsa Ecclesia conspiciuntur, „ vel propter persecutiones, quæ foris exci„ tantur. Potest enim laborare, sed non vin„ ci veritas. Et non semel expertus sum, „ Dominum Deum mirabiliter adesse iis, „ qui coram ipso ambulant, & in sua voca„ tione sedulò & integrè versantur, licet ad „ tempus odiis aut simultatibus aut calumniis „ agitentur. Precor autem vobis liberis, „ & generis meis, nec non eorum posteris „ omnem à Patre cœlesti, qui incredibili fa„ vore

„ vore me semper est prosequutus, & orga-
„ non aliquod suæ gloriæ in Gallia & Germa-
„ nia esse voluit, benedictionem, perseve-
„ rantiam in fide & incolumitatem, paratus
„ quotidiè ad nutum nostri Imperatoris Jesu
„ Christi ex hac statione, tanquam ex militia
„ laboriosa migrare in cœlestem patriam, &
„ esse cum Christo. Det mihi Deus ille Pater
„ misericordiarum claudere diem meum in
„ pace & constanti invocatione nominis
„ ipsius, præsidio paracleti Spiritus S. A-
„ men.

„ Commendo etiam ardentibus votis cle-
„ mentissimæ tutelæ Illustrissimum nostrum
„ Elect. Fridericum IV. Dominum nostrum
„ clementissimum, de Ecclesia quotidiè be-
„ ne merentem, item illustrissimam & piissi-
„ mam ejus conjugem, illustrissimamque pro-
„ lem. Servet Deus hanc tam illustrem fa-
„ miliam ab omni malo, & ab omnibus cor-
„ ruptelis & insidiis Diaboli.

„ Versatur mihi etiam ob oculos semper,
„ & in meis votis ac soliloquiis commenda-
„ tissima est hæc Ecclesia Haidelbergensis,
„ nec non inclyta schola, quibus vellem me
„ operam meliorem navare potuisse in hono-
„ ratissimis functionibus, quibus Deus me
„ infirmum organum dignatus est.

„ Pro conclusione Dominum Deum, co-
„ ram cujus tribunali sumus sistendi, testor,
„ me in meo Ministerio Ecclesiastico & Aca-
„ demico pro meo exiguo talento, eâ, quâ
„ potui fide, sine ulla personarum acceptio-
„ ne versatum, nec ex odio aut affectu pri-
„ vato aliquid egisse, sed vitia, hypocrisin,
„ ambitionem, ingratitudinem erga Deum,
„ luxum cum in magnis tum in parvis, ex
„ Dei verbo reprehendisse: quod viderem,
„ præstare irasci & increpare ministros, quàm
„ iram Dei omnipotentis nobis accersi: ut
„ eam hoc tempore nostris cervicibus multis
„ modis incumbere videmus. Dominum
„ Deum interim ad extremum usque spiri-
„ tum sum precaturus, ut sua flagella à Pa-
„ latinatu avertat, sereniss. æ aulæ & amplis-
„ simis consiliariis, inclytæ scholæ, reveren-
„ do ministerio & toti Ecclesiæ benedicat:
„ orans, ut si quem offenderim, aut alicubi
„ minus rectè me gesserim, mihi condo-
„ net, & id infirmitati humanæ imputet.

Expiravit Tossanus hora.

Pie tandem exspiravit, anno *sexcentesimo secundo*, die *decima* Januarii, quæ tum Dominica, intra *secundam & tertiam* pomeridianam, anno ætatis suæ *sexagesimo primo*. Elatus est funere honorifico die decimo tertio Januarii, humatusque ad D. *Petri* in sacello Academiæ, cum Epitaphio ejusmodi:

Epitaphium.

DANIELI TOSSANO PETRI FILIO MOMBELGARDENSI, S. THEOLOGIÆ DOCTORI, ET FIDELI CHRISTI SERVO, VERITATISQUE COELESTIS EXPLICATORI ET PROFESSORI INDUSTRIO, ACRIQUE EJUSDEM PROPUGNATORI, TUM AURELIÆ IN GALLIIS, TUM IN PALATINATU GERMANIÆ AD RHENUM, PARTIM NEOSTADII, PARTIM HAIDELBERGÆ PER ANNOS FERME QUADRAGINTA: VIRO PIETATE, STUDIO ORTHODOXÆ RELIGIONIS, ELOQUENTIA, JUDICII DEXTERITATE, VITÆ INTEGRITATE, HUMANITATE, BENIGNITATE ERGA OMNES, INPRIMIS ERGA FIDEI CONSORTES PRÆCELLENTI, PIE ET SANCTE IN VERA DEI INVOCATIONE, ET CHRISTIANA FIDEI CONFESSIONE, POST FRUCTUOSE EXANTLATOS HONESTISSIMÆ FUNCTIONIS LABORES, MORTUO IIII. IDUS JANUARII, ANNO CHRISTI M. DC. II. CUM VIXISSET ANNOS SEXAGINTA, MENSES QUINQUE DIES XXVI. FILII ET GENERI SUPERSTITES HOC MONUMENTUM PONENDUM CURAVERUNT.

Epigramma à Sim. Stenio.

Epigrammma Epitaphium.

Hic athleta jacet, non qualis in Elide quondam
Notus, vel Nemeâ notus in Arcadicâ:
Sed qualem genuit nobis celeberrima Tussus,
Eloquio clarum, servitioque DEI.
Qui simul in terris pulcros absolvit agonas,
Pro vera expertus prælia multa fide:
Victor ovans cœli penetravit adintima regna;
Tempore capturus serta reposta suo.

ALIUD.

Ενθάδε Τοσσᾶνος κεῖται, κεῖται δὲ σὺν αὐτῷ.
Ἐν τάφῳ Εὐσεβίη, πρὸς τάφον Εὐπειθίη.

Tossanus jacet hic, tumulum Facundia propter
Accubat, in tumulo se occultat Pietas.

Virtutes ejus & dona.

Fulserunt in hoc Doctore virtutes non vulgares. Præter studium enim pietatis, quod in eo eximium fuit, morum conspecta singularis sanctitas, egregia vitæ integritas, mira judicii dexteritas, ingenium præstans, memoria, qualis multis non contigit, sermonis facundia tanta, ut in concionando pares paucos habuerit. Quicquid animo & mente conceperat, expeditè sine ullâ hæsitatione proferre potuit, atque ita quidem, ut pulcerrimo ordine periodorum series connecteretur. Comitas ejus non solùm Germanis, sed & exteris nota. Non ad eum accessit ullus; cujuscunque gentis, conditionis, ordinis, ætatis esset, quem non omni genere humanitatis, quod verbis & vultu exprimi posset, exceperit. Familiam etsi numerosam aluit, tamen nemo in eo liberalitatem desideravit: imò ultrò operam, consilium, facultates suas quamplurimis impertivit. Honores nunquam affectavit, & titulum Doctoris ne ambiisset quidem, nisi ut hoc faceret, & Academiæ legibus, & consentiente consiliariorum judicio propemodum coactus fuisset. De constantiâ ejus, in veritatis cœlestis cognitione, res ipsa loquitur. Conjunctionem Ecclesiarum per totam Europam studiosissimè fovit; amicitiam colendo cum præcipuis Ecclesiarum doctoribus,

bus, in Germaniâ, Galliâ, Britannia, Polonia, Boëmia, Belgio, & alibi.

Scripta. Scripta ejus diversis temporibus diversa prodierunt, postea in tomos distributa. Posthuma etiam à filio D. *Paulo* quædam edita; sed plura adservantur. *Et hæc de Tossano, ex narratione de vitâ & obitu ipsius à D. Paulo S. Theolog D. conscripta, & ex oratione funebri à* Doctor. *Simone Stenio habitâ.*

ÆGIDIUS HUNNIUS.

A. 1603. d. 4. April. atat. 53.

Natalis

Parentes

Præsagia de eo matre gravida.

Mittitur. Maulbrunnam.

Et Tubing.

Incidit in prava sodalitia.

Docilitas ejus & ingenii felicitas.

Winenda in agro Wirtembergico, lucem hanc adspexit *Ægidius Hunnius*, anno Christi *milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo*, die *viceſimo primo.* Decemb. memoriæ D. *Thomæ* Apostoli sacro, parentibus natus illiteratis quidem, sed quæ summa est ortus nostri claritas, Christianis, piis, ac honestis. Qualis autem quantusque vir esset aliquando futurus, haud obscurè etiam antè, quàm nasceretur, significatum videtur fuisse.

Aliquoties enim matri, uterum adhuc gestanti, visio, non verè dormienti, oblata fuit ejusmodi. Videbatur sibi illa sedere in templo suo loco, & manu dextrâ quippiam humo attollere, simile culmo, cumque id teneret inter anteriores digitos, cepit ita crescere, mater vero sub mole sic angi, sic laborare, sic afflictari; ac si penitus succubitura esset, cumque jam jam videretur actum, & planè se putaret interituram sub onere, repentè vidit in templi columnam versum, & se onere eo liberatam. De quo tamen quisque quid velit.

Cæterum parentes *Hunnij* licet essent homines plebeji analphabeti, visione tamen hac, quam in primis mater animo servabat & volvebat, moniti; literis ipsum, ut primum per ætatem potuit, in scholâ patria erudiendum curarunt. Inde è patria *Adelbergenſis*, ac paulò post ad *Maulbrunnenſis* cœnobii scholam missus, paucorum annorum intervallo ea fundamenta, quâ ingenii fuit felicitate, posuit; ut postmodum *Tubingæ* sine periculo, quicquid vellet, humanæ ac divinæ sapientiæ superstrueret.

Quemadmodum verò circa ipsius nativitatem illustri planè indicio & documento sese ostendit Dei providentia, ita eadem puerum jam factum non minore curâ complexa est, tenerum illius pectus sic regens, sic adversus hujus mundi corruptelas, & illecebras obfirmans; ut, licet corruptissimos inter adolescentes viveret, nullis tamen rationibus, quantumlibet ad seductionem exquisitè compositis, irretiri laqueis impietatis, & ab honestatis ac pietatis tramite, ad scelera atque flagitia mundi hujus potuerit perpelli, sed Dei spiritu adversus omnis generis offendicula, confirmatus, vitæ suæ modum, in medio lubricæ adolescentiæ juventutisque cursu facilè teneret, imo Diaboli tela, quibus jam tum μυελοτεχνίτης iste generis humani hostis, *Hunnio* tunc adolescentulo est insidiatus, mirabiliter repressit. Quâ de re, si placet, audiamus ipsum Hunnium alicubi differentem: Incidi, *inquit*, in utroque monasterio in adolescentes corruptissimos, per quos diabolus mihi vehementer insidiatus est, ut suis retibus me totum implicaret. Accidit autem aliquando Adelbergæ, cùm nos scholastici unâ consideremus, & de variis rebus colloqueremur, ut unus quispiam diceret de peccato in Spiritum sanctum, esse id irremissibile: cujus venia nunquam impetrari possit. Hic sermo spiculum lethiferum mihi infixit, ut horribilis, & quidem subita tentatio, animum meum fortissimè percelleret. Quia enim latebat me definitio hujus peccati, suggerebat Satanas: *quod si tu tale peccatum admisisses?* Et omninò cogitabat Diabolus me eâ tentatione absorbere. Hoc ipsum tum coram condiscipulis planè dissimulabam. Ibam cubitum supra omnem modum tristis, noctu in lecto orabam, flebam, implorabam Dei misericordiam, petebam, ut me solidâ & idoneâ consolatione erigeret. Vix tandem iis gemitibus & fletibus indormiebam. Mane surgo ad preces consuetas, adhuc valdè tristis. Posteà cùm horâ sextâ matutinâ lectio frequentanda esset; occupo locum meum, & invenio in ipso vestibulo loci mei super mensam, Margaritam Theologicam Joannis Spangenbergii, & quidem librum apertum, ad cujus primum conspectum, offert se mihi quæstio de peccato in Spiritum sanctum, & subjuncta responsio ex Augustino, qui peccatum in Spiritum sanctum finali impœnitentia, definit. Sic lectio ejus loci me efficacissimè consolabatur. Et ego quidem ne tantillum dubito, quin divina providentia factum sit, ut liber ille jaceret apertus, & quidem in meo loco, quem ego in lectione solebam occupare. „ Hactenus Hunnius. Elucet certè hinc miranda Dei providentia, & impletio illius promissionis Apostolicæ: *Fidelis est Deus, qui non permittit vos tentari supra vires*; sed *una cum tentatione largitur exitum salutarem ut sufferre possitis.*

Peccatum in Spiritum S.

Cæterum qui semel opus bonum in Hunnio adolescentulo operari cœpit, illud ætatis progressu, magis magisque confirmavit, tandemque perfecit. Nam, ut cum Hunnio ex monasteriis & scholis, uti vocant, trivialibus, ad Tubingensem Academiam progrediamur, certè vel hîc DEI providentia pleno quasi jubare sese conspiciendam præbet. Postquam enim eò promotus erat, mox admirandæ ἀγχινοίας καὶ εὐσυνεσίας documenta edidit: ut artes atque scientias humaniores non tàm ab aliis accipere, quàm

quàm ex se ipso parere, & proferre videretur: dum per lusum & jocum quasi arripere potuit facilimè, & retinere firmissimè, quæ alii multo tempore, multoque sudore, vix tandem percipiunt, & ægerrimè meminerunt. Philosophiæ discipulus, non, ut hodiè juventus, magnâ cum studiorum jacturâ facere solet, vel in obscuris quorumvis profitentium angulis, vel ex imperfectis, & turbidùm fluentibus compendiorum lacunis, sed à publicis præceptoribus, & ex ipsis limpidissimis fontibus, hoc est, ex sobriis & antiquissimæ notæ magistris hausit, & quidem usque adeò solidè addidicit, ut ætatis anno *decimo septimo* Magister artium magnâ cum ὁμοσημείᾳ in Academia *Tubingensi* fuerit renunciatus.

Magister creatur.

Hoc gradu insignitus ad studium Theologicum animum appulit, & quod Rex & Propheta *David* summa in beatitudine reponit, *in lege Domini voluptatem unicè collocatam habuit.* Unde bibliis suis Latinis, quæ diurnâ nocturnaque manu tum versabat, γνώμην illam propheticam, tanquam quotidianum ὑπομνήσεον literis majusculis in frontispicio adscribere voluit: *Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit anima mea in Deo meo: quia induit me vestimentis salutis, & indumento justitiæ circumdedit me, quasi sponsum decoratum coronâ, & quasi sponsam ornatam monilibus suis.*

Ad Theol. animum appellit.

Isa. 61. 10.

Incidit *Hunnius* in eos Theologos Doctores; quibus clariores Academia *Tubingensis* vix unquam habuit, vix habitura est: *Iacobum* dico *Andream, Iacobum Heerbrandum, Theodoricum Snepfium, Ioannem Brentium*, Brentii filium. Pari itaque studio, cum ex castris Philosophicis ad scholas Theologicas transisset, usus, *annos octo totos*, omnes in facultate Theologica Doctores audivit; concionibus sacris diligentissimè interfuit, disputationes Theologicas nullas neglexit; in quibus etiam innumera specimina diligentiæ, profectus, & ingenii acuminis edidit. In collegio etiam *Tubingensi*, ubi Princeps Wirtembergicus quam plurimos beneficiarios, veluti seminarium Ecclesiæ alit, de Consilio Præceptorum, studia & mores adolescentum rexit, suoque exemplo ad virtutem præivit.

Præceptores ejus Tubingæ.

Vide Mirandar. in collegio.

Postea cum Princeps Wirtembergicus *Ludovicus* animadverteret, *Hunnium* propè in ipsâ adolescentiâ vitæ suæ modum tenere, & cum vitæ innocentiâ eximiam eruditionem conjunxisse; noluit eum quemadmodum alios, ex urbe ad Ministerium Ecclesiasticum vocare: sed *Tubingæ* sacris concionibus præfecit, & quidem eo consilio, ut cum exercitationibus Theologicis conjungeret lectiones præceptorum & ad solidam rerum ac controversiarum Theologicarum notitiam perveniret. Quod Principis consilium in *Hunnio* sanè felicissimum.

Professor Theologiæ Tubingæ.

Factum enim, cum vix *biennium* demandatam sibi provinciam magno cum fructu obiisset: ut *Wilhelmus* & *Ludovicus* Hassiæ Landgravii, à Duce Wirtembergico *Ludovico*, sibi ex Academiâ Tubingensi Theologum doctum & industrium indulgeri peterent, & nominatim quidem eximium illum *Iacobum Heerbrandum*; qui Professori Marpurgensi piè defuncto, succederet, & sacra in celebri illâ Academiâ profiteretur. Ibi negotio hoc à Theologis Tubingensibus probè deliberato; *Hunnius* dignus visus, cui functio ista demandari posset. At ipse, qua erat modestia & humilitate, in oblatam vocationem consentire haud voluit; quod existimaret, tanto oneri se imparem, & sanctè confirmaret, malle se adhuc proficere, quàm docere. Et nisi autoritate præceptorum fuisset permotus, eam provinciam omninò neglexisset. Est autem silentio hic minimè prætereundum præclarum illud elogium, quo *Heerbrandus Hunnium*, Marpurgum abeuntem, prosequi & exornare voluit. Nam cum ille ob causas sonticas vocationi oblatæ parere non posset: verum *Hunnium* ætate adhuc quidem juvenem, sed doctrinâ & ingenio seniorem substituisset, imitari se affirmabat exemplum *Ioannis Reuchlini*, quem Erasmus *Phœnicem trilinguem* vocitabat. Is enim cum à primo fundatore Academiæ Wittembergensis, *Friderico* sapiente, Electore Saxoniæ, ex *Tubingensi* Academia evocaretur; ut nominis sui claritate scholam Wittembergensem tum adolescentem & obscuram, auctiorem magis & illustriorem redderet: justis verò de causis adventum recusaret; *Philippum Melanchthonem*, veluti succedaneum emisit, cum tali elogio; *Hunc juvenem se senem longè superaturum esse.* Id quod Heerbrandus ad se, & *Hunnium* tunc temporis derivare non dubitavit.

Marpurgensis Professor designatur

Elogium Hunnii ab Heerbrando.

Ergo anno *septuagesimo sexto*, *Marpurgi* Profess. Theologiæ declaratus, egregia pietatis & eruditionis dona, tum concionando, tum profitendo, non modò Professoribus collegis; sed ipsi etiam Landgravio *Ludovico* ita approbavit: ut cum cum amplissima commendatione ad Ducem Wirtembergicum remitteret, ac peteret, ut in ea Academica summo grado doctrinæ Theologicæ, quem *Doctoratum* vocant, ornaretur; in quâ tantam eruditionis vim antea sibi comparasset.

Proinde cum disputando, sacra cursim legendo, Professoribus omnibus, & in accuratiore examine Theologis potissimum satisfecisset, Doctor Theologus XVII. Calend. Augusti eodem anno unâ cum *Polycarpo Leysero*, cui cum *Hunnio* per omnem vitam summa intercessit amicitia & animorum conjunctio, solenniter est renunciatus: cùm paucis antè mensibus, virginem *Eleonoram Felderiam* in matrimonium duxisset. Quas autem & quàm serias, quamque frequentes velitationes in Hassiâ tam *Cassellis*, quam *Marpurgi*, jam cum clanculariis, jam cum apertis hostibus, quos *Sacramentarios Lutherani* vocant, subire coactus fuerit: quæ & quam gravia certamina, ob sanctissimum Religionis

Doctor Theolog. renunciatur.

Ducit Vxorem

Certamina ejus in Hassia.

Christianæ articulum, *de personâ Christi ejusque ad dextram Dei sedentis adoranda majestate* sustinuerit, id Deo, rerum omnium inspectori ac judici notum est, neque fugit id multos pios & cordatos homines.

Oppugnat Sacramentarios.

Ac primo quidem professionis *sexennio*, præter privatas illas, sed admodum serias cum gente Sacramentariâ institutas velitationes, præter ordinarias etiam lectionum & concionum operas; materias insuper è mediis Theologiæ penetralibus desumtas, easque benè multas, disputationum publicarum loco proposuit, eo fine, ut in hujusmodi familiaribus συζητήσεσι, collatis utrinque sententiis, veritas magis magisque erueretur, & Theologiæ studiosi ex Spiritus sancti panoplia idoneis instruerentur armis; quibus aliquando, si res postulet, uti possent contra hæreticos.

Scriptis in publicum prodit.

In publicum postea scriptis suis progressus sub annum *octogesimum quartum*, *Danæum* inprimis, *Ursinum*, *Pezelium*, *Grabium*, & alios oppugnavit, editis libellis *de personâ Christi, ejusque ad dexteram Dei sedentis divinâ majestate*: de *altarium abrogatione*. Postea & *Flacianorum* cohorti bellum sacrum indixit, edito libello de *substantiâ peccati originis*. Edidit sequentibus annis & alia scripta διδακτικὰ, tum πολεμικὰ, tum ἐξηγητικὰ de quibus postea.

Flacianis bellum sacrum indixit.

Cum itaque *Hunnii* ingenium & eruditio Germaniam longè lateque esset pervagata, mortuo *Christiano* I. Saxoniæ Electore, & electoratus administratione legitimâ ad *Fridericum Wilhelmum* Saxoniæ Ducem, devolutâ ab eodem ad Reformationem electoratus evocatus est, annuenteque Hassiæ Landgravio *Ludovico*, & indulgente Duce Wirtembergico, *VVittembergam* venit anno *millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo*, atque mox *Professor* Theologiæ primarius, templi arcis *præpositus*, nec non *Consistorii* Ecclesiastici *Adsessor* fuit declaratus.

In Saxoniâ evocatur.

Ubi Profess. præpositus & consistorii adsessor declaratur Reformatio in Sax.

Instituebatur autem tum temporis, mandato Proëlectoris, consensu etiam Ecclesiæ & Provincialium, acris omninò exploratio Religionis subditorum, eorum cumprimis, quorum falsam atque hæreticam esse fidem, suspicio haud levis erat. Hanc ad rem, cum emolumento Ecclesiæ perficiendam, idoneus etiam judicatus fuit *Hunnius*: utpote de cujus tum animi gravitate, tum judicii dexteritate, de zelo pietatis, de scientiâ rerum Theologicarum eximiâ, de facultate ἑρμηνευτικῇ constaret. Anno mox subsequente *nonagesimo tertio*, indicta fuêre Comitia *Ratisbonæ* celebranda; ad quæ Electoratus Saxonici Administrator abiturus, *Hunnium* sibi tanquam fidum παρεδράτην adjunctum voluit. Ibi quid sit actum, etiam Religionis causa, nemini non est notum.

Abit ad comitia cum proelectore Saxon.

Eodem anno *Fridericus IV. Lignicensium* & *Brigensium* in Silesia Dux, *Hunnii* potissimum operâ ac studio usus, Ecclesiarum Lignicensium per Silesiam Reformationem suscepit atque perfecit; ejecto inde *Leonhardo Krentzhemio*, Lignicensium tunc Superintendente, cui *Calvinismi* crimen impingebatur.

Reformat Ecclesias in Ducat. Lignicens.

Anno *nonagesimo quarto* à Principe *Sophiâ Christiani* I. Electoris Saxoniæ, vidua vocatus, *Polycarpus Lyserus*, in locum *Martini Mirii*, *Dresdam* fuit. Vacavit ergò ex istius discessu *Wittembergæ* munus Superintendentis, & quidem annuum integrum, cujus interim operæ *Hunnio*, ratione successionis in collegio Facultatis, incubuerunt: donec tandem anno *nonagesimo quinto* vocante Senatu Academico & oppidano, eamque vocationem ratam habente proëlectore, accedente simul clementi concessione Principis *Friderici*, Ducis Wittembergici, Pastor & Superintendens Ecclesiæ *VVittembergensis* constitutus fuit.

Pastor & Superintendens Wittemb. constit.

Anno eodem in nervum demum erupit infelix incendium, quod præcedente anno gliscebat adhuc, *de universali prædestinatione, sive electione*, proprie sic dicta, *ad salutem, tàm incredulorum, quàm credentium inque fide perseverantium*: flammam contentionis & incendii fodiente *Samuele Hubero*. Fortem itaque se & fidum purioris doctrinæ hyperaspisten, adversus inanes *Huberi* φλυαρίας eo tempore præstitit *Hunnius*, dum partim monendo, partim scribendo, errantem *Huberum* in viam revocare studuit: quod ipsa res loquitur, & monumenta hac de controversia benè multa edita, cumprimis verò ille tractatus *Hunnii de providentiâ & prædestinatione Filiorum Dei*, satis luculenter testatur. Dissidio autem illo *Huberi* remotione sopito, prodiit anno *nonagesimo septimo* epistola, qua variorum errorum, de *cœnâ Domini*, *de Baptismo*, de *libero arbitrio*, de *personâ Christi*, de *æternâ prædestinatione*, fuit insimulatus. Hanc igitur *Hunnius* eodem anno refutavit: ut & eos qui in *Anhaltinis* Ecclesiis altaria, imagines, organa musica, hostias, & alias ceremonias abrogarant.

Certamen cum Hubero.

Et cum Anhaltinis.

Anno sequenti duobus libris D. *Pareo* respondit: qui Calvini patrocinium susceperat: oppositi quoque refutationem libro cuidam, sub Marchionis Badensis *Erneſti Friderici* nomine evulgato, & tractatum de *indulgentiis* jubilæo Romani Pontificis adversus *Bellarmini scriptum*: quo merces istas Papales orbi Christiano mirificè commendarat.

Item D. Pareo.

Ad Bellarmin.

Excepit ventilationem istam *Colloquium inter Theologos Lutheranos & Pontificios Ratisbonæ*, Consilio illustrissimorum Principum *Philippi Ludovici* Comitis Palatini & *Maximiliani* Bavari, anno *sexcentesimo secundo* institutum. In eo quid utrinque actum sit, & quo-

Colloquium Ratisbonense.

& quomodo Hunnius suas partes defenderit adversus *Gretserum*, *Tannerum*, alios, libri super eâ re publicè editi satis superque testantur.

Morbo corripitur.

Tandem post labores & certamina varia cum visum esset Deo eum evocare, ægrotare cœpit, die *decima quinta* Martii, anno *sexcentesimo tertio*, & principio quidem familiares calculi dolores, atque sæviores ipsum invaserunt; sed mox his successerunt cum supremè ad guttur deorsum ruentes catarrhi: tum infernè sursum per stomachum lenti viscidique humoris indesinentes eructationes, à quibus non solum jam ante exasperata columella, sed & palatum & faucium regio universa, veluti incrustata est, ut aditus jam medicamentis pariter & alimentis prohiberetur, medicis nequicquam satagentibus. Supervenerunt nauseabundæ proritationes, non vomitu sed screatu eoque difficili finientes, quas ἐν κακοῖς habet *Hippocrates*: cum non obscuris signis convulsionis ventriculi, & mox eam ab exhausto insecuturi, & inflammationem tandem attracturi, in interitum singultus insanabilis & salutis desperatæ, quod eventus comprobavit. Paulò etiam post febris oborta vires, jam antè calculi tormentis fractas, & multorum dierum media exhaustas, penitus exolvit, & mortem adduxit.

Confessionem edit.

Cæterum priusquam è vita discederet, finem verò vitæ instare persentisceret, die *quarto* Aprilis, *tertiâ* matutinâ, tres collegas suos, & Archidiaconum ad se vocari curavit, inque eorum & medicorum præsentia, articulata, licet submissiore voce, disertè testatus est, *se confessionis suæ & doctrinæ, ad tribunal Jesu Christi intrepidè rationem redditurum*: inque confessionis hujus suæ fideique confirmationem sacrosanctæ eucharistiæ viatico, hoc est, ipso corpore & sanguine Christi servatoris sui instrui, pasci, potarique voluit.

Valedicit suis.

Quâ sacrâ actione magnâ cum devotione inter preces & lachrymas ritè peracta, quieti sese nonnihil commissurus, initio quidem collegis, deinde verò etiam conjugi & liberis, dexteram separatim singulis porrexit, & sic extremum vale dixit. Et quanquam ob defluxiones rari ejus erant sermones, tamen ad scripturarum solatia ipsi recitata semper capite annuit, manibus quoque elevatis, DEO se commendavit, donec eodem die *quarto* Aprilis post *octavam* vespertinam, spiritum Deo reddidit, cum vixisset annos *quinquaginta tres*.

Expirat.

Fortunæ suæ & virtutes.

Fuit hic unus de præcipuis Theologis, qui Lutherani salutari volunt; doctus egregiè, disputator argutus, comis, & humanus, qui nulla ex re majorem percepit voluptatem, quàm ex promotione aliorum commodorum: & ex laboribus Academicis tum se fructum percipere existimabat, non si *Lysandri agrum* egregiè consitum hospitibus ostenderet, sed si studiosos Theologiæ, tanquam plantulas sua manu satas, in templis, in scholis, in Principum & rerumpubl. cancellis, in curiis, oppidis & pagis, fructus proferentes, monstrare & percensere posset. Diligentia fuit tanta; ut non modò diem solidum, sed & post cœnam, magnam noctis partem, scriptionibus & meditationibus impenderit, cùm summo mane ad easdem rediret. Hinc ipse quidem nominis sibi famam; sed corpori imbecillitatem peperit eam, quæ tandem intempestivam attulit mortem. *Diligentia.*

Vita domestica & liberi.

In gubernatione domestica fuit, secundum Apostoli monitum, unius uxoris maritus, liberos habuit subditos cum omni reverentia, domui suæ præfuit σωφρόνως, ἁγνῶς, φιλοτέκνως. Inde divinæ benedictionis vestigia, tum in re familiari, tum in eo potissimùm deprehendit: quod juxta promissionem Psalmi: *vidit filios ac filias, sicut plantationes olivarum, in circuitu mensæ suæ*: nec necesse habuit experiri illud Demosthenis: *Demosth. dictum de liberis bonorum.* τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἰ μαχιμόνη εἴη, φασὶ λοιδοροῦσι.

Scripta.

Scripta edidit plurima, quorum tituli in elenchis librorum laudantur. Nobis hæc sufficiunt, desumta *ex oratione parentali, à Leonharto Huttero*, D. *Th. dicta.*

CYRIACUS SPANGENBERGIUS.

⊖ 1604. d. 10. Febr. atat. 76.

ANno Christi *millesimo*, *quingentesimo*, *viceſimo octavo*, die *decimo septimo* Junii, qui tunc Dominica Trinitatis, *Northusiæ*, patre *Ioanne Spangenbergio* *, viro eruditè docto, bonique nominis Theologo, natus est *Cyriacus Spangenbergius*. Qui cùm in schola patriâ literarum artiumque fundamenta jecisset, & tum Præceptoribus tum parentibus spem sui fecisset præclaram: uberioris ingenii cultus capiendi causa, missus est *Wittembergam*, ubi tunc schola per Germaniam famâ & celebritate, cùm *Martini Lutheri*, tùm *Philippi Melanchthonis*, cæteras superabat.

* De quo supra.

Mittitur Wittemb.

Hîc igitur *Spangenbergius* eam studiis liberalibus operam navavit, ut inter Philosophiæ candidatos complures, locum primum fuerit consecutus. Renunciatus ergò solenni Academiarum ritu artium optimarum Magister, uni deinceps Theologiæ totum se dedidit, ac *quadriennio* toto auditor illius, quem modo diximus, Lutheri fuit. Eo verò defuncto, cùm ad docendas literas in schola, mox ad doctrinæ cœlestis capita in templis explicanda vocatus Islebiam, perque triennium, recta docendo, ac falsa refellendo, munere suo propè perfunctus esset, de voluntate generosorum Comitum, *Mansfeldiam* concessit, Ecclesiæ ibidem tum arcis tum oppidi Decanus & Parochus. Vixit autem inibi magnoque fuit in precio annis *viginti duobus*.

Audit Lutherum.

Vocatur Islebiam.

Migrat Mansfeldiam.

Porrò cum post profligatos fœderis Smalkaldici Principes, & captum *Joannem Fridericum* Electorem Saxoniæ, atque promulgatum illud, quod etiamnum *Interim* appellant, edictum *Caroli* V. institutamque paulò ante religionis mutationem; nihil hic à *Lutheri* Confessionis *Augustanæ* sensu remittendum, neque pontificiis quicquam cedendum putaret; eorum, qui *Interimistæ*, & *Adiaphoristæ*, & *Majoristæ*, & *Synergistæ*, nec non *semipelagiani* appellabantur, concitavit in se odia; atque à *Friderico Staphylo*, cæterisque Pontificiorum doctoribus, *rigidus Confessionista*, sive *Illyricanus*; à Wittembergensibus *Flacianus*, vocabatur. Et *Matthiam* sanè *Flacium Illyricum*, ætate illâ & *Interim* istud, & eos, qui *Wittembergæ* idem atque *Lipsiæ* acceptare, rursumque Pontificis Romani jugum cervicibus Lutheranorum imponere viderentur, publicè reprehendentem eoque nomine malè passim audientem, opera consilioque cum nonnullis per Saxoniam inferiorem Theologis aliis, *Spangenbergius* plurimum confirmabat: & quamvis nominatis antagonistis invisus, & ob notatas eorum opiniones exosus esset: à generosis tamen Dominis suis liberaliter, invitis illis, & clementer defensus est. Cæterum, cum inter eosdem generosos obortis dissidiis in Comitis *Volradi*, cæterorumque inclyti olim bellatoris *Alberti* filiorum ac nepotum, nec non *Petri Ernesti*, fide permaneret; & quosdam præterea fratrum suorum *Islebiæ*, in *Matthiam Flacium*, corruptæ hominum naturæ vitium secius docentem disputantemque, acerbius invectus, publicè culparet; in exilium profligatus, herum suum, *Comitem* * *Volradum*, rei militaris scientia, fideique confessione præstantem, & ipsum exulem, fideliter secutus est, eidemque *Argentorati* * decedenti adfuit, & funeris exequias, ut ex *Joannis Sturmii* tum in publicum edito programmate constat, piè cohonestavit.

Resistit edicto Cæsaris de religione.

Sentit cum Flacio.

Defenditur à Mansfeld. comitibus.

Expellitur.

* *De quo Chyt. in Saxonia. Volr. Comes Mansfeldia.*

* *An.* 1578. *d.* 20 *Julii.*

Hinc *Schlitseam* Buchoniæ ad docendam Ecclesiam, vocatus est: verum defunctis paulò post nobilibus, & præcipuæ per Hassiam existimationis viris *Wilhelmo* à *Schlacht*, & *Joannne* à *Gortz*, denuò in exilium actus, sub principali Landgravii *Guilhelmi* patrocinio tantisper *Fachæ* duravit, dum à Mansfeldensi Comite *Ernesto*, *Joann. Alberti* nepote, *Argentoratum* accersitus, eò tota se cum Bibliotheca, præclara quidem illa, contulit. Ejusdem igitur hic Domini sui clementi liberalitate, tum in literarum sacrarum, tum in historiarum studia omni cogitatione incubuit: donec tandem rebus exemtus est humanis anno *millesimo sexcentesimo quarto*, die *decimo* Februarii, *Argentorati*: cum vixisset annos *septuaginta sex*.

Docet in Buchonia.

Iterum exulat.

Argentoratii abit.

Vbi diem suum abit.

Scripta ejus.

Lucubrationes ejus exstant complures, inter quas eminent editæ *in Biblia sacra tabulæ*: & *Epistolarum Pauli Apostoli interpretationes*, & *enarrationes* tum *Catechismi*, tum *Psalmorum* Lutheri. Rerum item *Germanicarum*, *Saxonicarum* præcipuè & *Mansfeldensium annales* sive *Chronica*, haud vulgaria: & celebres de *nobilitate Commentarii*. Scripta præterea divulgavit non pauca alia, præcipuè de *peccato originali*.

Quamvis autem per *Matthiam Flacium* Illyricum, per *Sarcerium*, per *Irenæum*, *Joachimum Magdeburgium*, *Wolfium*, *Heldelinum*, *Treverum*, cæterosque litis ejusdem consortes, nihil in Ecclesiam novi invehi, sed *germanam* potius *Augustanæ Confessionis & Lutheri*, *sui olim præceptoris*, *sententiam defendi*, contenderit; non ita tamen suorum multis id persuasit: *Bellarmino* quidem & pontificiis Theologis aliis, hac in parte adstipulantibus, etiamnum in Lutheranorum pertinaciorum seriem ipsum referentibus. Ejecti ejusdem Mansfeldiâ historiam præter alios *Schererus*, non parvæ apud pontificios authoritatis scriptor recensuit contra *Osiandrum*. Reliqua ejus scripta in elenchis librorum recensentur. *Tantum de Cyriaco Spangenbergio.*

Defendit suum dogma.

Non persuadet.*

ZACHARIAS SCHILTERUS.

Natus d. 4. Julii ætat. 63.

Patria & parentes Schilt. Natalis.

Zacharias Schilterus patre *Materno*, cive urbis Lipsicæ honesto, & matre *Catharina*, *Nicolai Teuberi* filia, fœminâ piâ probaque, natus est anno *millesimo quingentesimo*, *quadragesimo primo*, pridie Adscensionis. Hic cùm perveniset ad ætatem, literis percipiendis idoneam: parentes & amici animadvertentes in eo ingenium felix, tradiderunt cum bonis & doctis viris formandum: nec id sine fructu.

Præceptores.

E ludo triviali progressus, publicè docentes Lipsiæ, ac inprimis magnum illum *Camerarium*, juxta alios eximios, quibus ea tum Academia florebat, audivit: tantumque adsiduitate sua profecit: ut quemadmodum statuta illius scholæ postulant, per gradus ad fastigium ipsum in artium palæstra conscenderit, magister anno *sexagesimo secundo* renunciatus.

Magister renunciatur.

Hoc brabeo incitatus ad altiora contendit: totumque se sanctæ Theologiæ studio dedidit. In hoc etiam gradatim ita est progressus: ut anno *septuagesimo tertio* Doctoris titulo cum applausu faventium fuerit ornatus: postquam jam ante quinquennium Hebraicæ linguæ professio ipsi fuisset à collegio Theologico commendata.

Et Doct. Theol.

Hebræa profitetur.

Antequam verò illo honorum titulo potiretur, Licentiatus adhuc Theologiæ, matrimonium anno septuagesimo contraxit cum *Elisabetha*, filia *Joann. Cantzleri*, civis & senatoris Lipsici. Cum ea suaviter annos *triginta quatuor* exegit, pater factus *decem* liberorum: è quibus filii *tres*, & filiæ *septem*; quarum tres viris præstantissimis, vivo adhuc patre, fuerunt elocatæ.

Matrimonium Schilteri.

In ordinem Professorum Theologicorum alle-

Lectus communes explicat.

allectus postea opera vicaria loco *Nicolai Selnecceri* locorum communium Melanchthonis declarationem, mandato Electoris Saxoniæ *Augusti*, suscepit, & cum fide ac dexteritate sustinuit.

Curis vexatum.

Eodem, quo doctoris insignia meruit anno, alia ἐξωμάτα quoque illi accesserunt. Nam non modò Rector Academiæ Lipsiensis (quam dignitatem quartùm legitimis suffragiis adeptus est) sed etiam canonicus cathedralis Ecclesiæ Misnensis est creatus, unà cum assignatione professionis Theologicæ. Et quia clandestinæ eorum, qui *Calvinistæ* vocantur, machinationes illis in terris tandem detectæ atque exturbatæ, requirebant virum fidelem, atque circumspectum, cujus diligentia illorum technæ, antequam vicissim suum civibus afflarent virus, averterentur: ordinatione Electoris *Augusti*, *Schilterus* Vicecancellarius, & ceu *Ephorus* Lipsiensis Academiæ, anno *octogesimo* fuit constitutus: quod munus ea fide & dexteritate gessit; ut probata ejus in rebus administrandis industria dignus habitus sit; qui in collegium *Assessorum* Electoralis consistorii mandato illustrissimo cooptaretur.

Fit canonicus Misnensis.

Ephorus Academiæ Lips.

Assessor Consistorii.

Adhibitus quoque postea est Synodis generalibus diversis temporibus, nempe anno *septuagesimo nono*, anno *sexcentesimo*, & *sexcentesimo quarto* in Saxonia celebratis. Hæc munera ita subiit; ut non tam ea ipsi, quàm ille ipsis ornamento essets. Sic etiam in Decantaus Theologici administratione aliquoties suam fidem, & singularem industriam, commendatione dignam, collegio probavit.

Interest Synodis.

Tot curis & laboribus, totis *triginta sex* annis exantlatis, ac relictis post se præclaris, ac perpetuo victuris ingenii, operæ atque industriæ suæ monumentis, tandem cœpit paulatim viribus deficere; ac præsertim eo, quo obiit *millesimo sexcend. quarto* anno; qui ipsi fuit climactericus nonus, sensibilia vigoris naturæ decrementa expertus ac sæpius fassus est. Unde factum, ut *vicesimo nono* Junii, ipso die *Petro* & *Paulo* Apostolis in fastis sacro, cùm post auditam concionem in templo *D. Nicolai*, salvus atque incolumis domum rediisset, circa *undecimam* diei hemiplexia fuerit correptus, qua paulatim vires adhuc reliquæ & sensuum vigor absumtus est: donec die *quarto* Julii violentia morbi naturam superante, circa eandem horam misericordi Deo, à quo illum acceperat, spiritum suum, post editam confessionem, & aliquoties ingeminatam ardentissimam misericordiæ divinæ, atque auxilii imploratione, reddidit, aliquando in extremo die sub adventum Christi Domini & salvatoris nostri, corpori & domicilio suo restituendum ad ἄλυσιν, perpetuam, ac dulcissimam in æterna gloria & felicitate συνοικήμησιν & conjunctionem, quam cum omnibus piè in Domino defunctis, firma ac lætâ spe exspectat. Superstites reliquit filios duos & filias sex.

Fuit φιλήσυχος, ἀμπελοφύτωρ καὶ ἀμπελουργὸς in illa Ecclesia fidelis; qui omni studio contendit, ut post se relinqueret successores similiter affectos erga Christum & cœtum ipsi dicatum. Ipsa Peitho sessitavit in labiis ejus; & S. Sanctus singulari facundia, dexteritate judicii eximia, amore erga bonum publicum incredibili donavit ipsum; ut vix quisquam fuerit, qui rem communem ad decus & utilitatem scholæ pertinentem, pari studio ac fide curaverit. Quæ enim pendebant negocia publica, ita ursit, ut non destiterit crebro instando ante, quàm justa ratione confecta essent. *Elogium ejus.*

Animum hunc suum & scriptis testatus est, de quibus sunt: *Designatio doctrinæ de Christiana libertate, traditionibus, & ceremoniis* in Ecclesia: Oratio *de monumentorum Prophetæ Jesaiæ* præstantia: Oratio *contra Albertum Vngarum*, de consensu Theologiæ *Lutheri* & Philosophiæ *Epicuri: declaratio & defensio dogmatis, comprehensi in libro concordiæ* de adsumtâ Christi naturâ, in obeundis muneribus regni & sacerdotii Christi propriis non συμπλείσμασι duntaxat, sed ἐνεργείαις quoque divinæ socia: *Brevis exegesis concionum* Prophetæ Haggæi *Scripta.*

Hæc de Schiltero perhibent concio & Programma funebre: item elenchi librorum.

DAVID RUNGIUS.

Natus 1604. d. 7 Julii. ætat. 40.

David Rungium excepit oppidum Pomeraniæ *Gryphiswaldia*, Academiâ, anno *millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto* die *decimo septimo* Octobris, à Principe *Vratislao* nono institutâ, celebre. Natus ipse est ibi anno *millesimo quingentesimo sexagesimo quarto*, die *vicesimo octavo* Novembris. Parentem habuit *Jacobum Rungium* Theologiæ Doctorem, & in Academiâ illâ Professorem: *Pomeraniæ* occidentalis Superintendentem, ut vocant, generalem: virum pietate, virtute, doctrinâ, & auctoritate domi forisque celebrem: matrem *Catharinam Gersoniam*, fœminam præstantem. *Academia Gryphiswaldæ.* *Jacob. Rungius pater.*

Mira statim eluxit ex puero etiamdum ingenii naturæque indoles, quam cum parens animadverteret, mox eum, ut reliquos filios, ad omnem pietatem virtutemque assuefacere sedulò allaboravit. Cumque ætas adhuc tenera esset, domestico suoque ipsius exemplo illum excitare studuit, ratus non facilè ad pietatem & virtutem, reduci posse eos, qui pueri pravis exemplis domesticis, quorum vis maxima est, seducti, à vero tramite aberrarunt: nec facilè sanari posse animos eorum, quorum puerilia malâ educatione corrupta, callum nequitiæ obduxit: non minus, quàm *in corporibus nostris, primæ collionis vitia, neque in secunda neque in tertia corriguntur.* *Indoles Rungii.* *Educatio domestica. Exempla.*

Postquam ergo pietatis, artiumque dicendi fundamenta, partim in ædibus paternis, partim in schola patria jecit, uberioris ingenii cultus causâ, *Stetinum* fuit missus; ubi in illustri pœdagogio *triennium* totum ita in curriculo studiorum decurrit: ut inde ad Academiam patriam revocandus à parente judicaretur. In qua cum itidem *triennium* studiis impendisset, *Rostochium* missus, *annum unum* ibi est commoratus. Hinc *Tubingam* ablegatus, virtute & industria sua meruit, ut à Duce *VVirtembergico* stipendio munifico donaretur: quo *biennium* cum semestri ita fuit usus, ut nec Principem beneficii, nec *Rungium* officii pœniteret. Hujus munificentiæ, uti erat beneficiorum quorumvis tenacissimè memor, perpetuam memoriam retinuit, eamque sæpius grato animo deprædicavit.

Stetinum mittitur.

Revocatur in Acad. patria. Rostochiū mittitur. Inde Tubing Stipendio donatur.

Non *Tubingæ* autem tantummodo, sed & in reliquis, quas accessit Academiis, ita vixit; ut pietatis, virtutis, diligentiæ, modestiæque exemplum esset, suorumque præceptorum favorem sibi abunde conciliaret. Ex studiis, Theologicum, cui potissimum se dicarat, non tantum patris & unius fratris exemplo ductus, sed etiam occulta ὁρμὴ à Spiritu Sancto, qui organo hoc in Ecclesia uti volebat, impulsus, elegit: idque non tractavit segniter, aut negligenter, non etiam ἀμεθόδως, aut perversè. Sed cum id sublime planeque divinum esse intelligeret: ea prius adminicula sibi comparanda ratus est; quibus ad sublimitatem illam, Deo juvante, adspirare posset. Itaque ante omnia linguas studiosè didicit, *Latinam*, *Græcam*, & *Hebræam*: in quibus tantum profecit; ut absque interprete libros *veteris* & *novi* Testamenti legere potuerit, & intelligere; imo si qua ἐμφαλικωτέρως dicta, ex proprietate linguæ erant petenda, solertissimè eruere & enucleare.

Tholog. studium amplectitur.

Linguas discit. Earum peritia in Rungio.

Præter linguarum studium, non pœnitendam etiam operam impendit artibus, liberali ingenio dignis. Vidit enim Dominam hanc, famula fideli & industria opus habere: quantumque adminiculi adferret sobrius sobriæ Philosophiæ usus, ad multorum locorum sacræ scripturæ genuinam interpretationem; periculosum denique esse, cum hostibus hac armatura indutis, nudum congredi & inermem. Itaque in hac etiam artium ingenuarum palæstra, strenuè sibi decertandum & desudandum existimavit. Neque verò vulgares in iis fecit progressus: sed ejusmodi, qui artificem peritissimum arguere possent. Fecisses periculum in *Logicis*; fecisses in *Mathematicis*, fecisses in *Metaphysicis*, in *Ethicis*, in *Poësi*, in *Historicis*, in *Musicis*, & aliis omnibus: solertem invenisses.

Discit & artes liberal. Philosophia utilis. Theologo.

In cœlestis autem doctrinæ studio non fuit αὐτοδίδακτος; aut domi latitans, opinionibus suis, quas aliquando ad officium adhibitus propinare aliis posset, sese pascebat, ut quosdam αὐθάδους factitare experimur: sed diligenter auscultabat publicè docentes, quorum etiam familiaritati industria & modestia facilè eum insinuabat: audita publicè domi repetebat: repetita memoriæ mandabat: suo loco & tempore ad usum transferebat. Codicem præterea sacrum legendo & relegendo faciebat sibi familiarissimum: ut jam de utilibus scriptis antiquioribus & recentioribus nihil dicamus. Utque eò magis sese ad certamen cum apertis hostibus veritatis ineundum præpararet; sæpissimè in disputationum publicarum & privatarum velitatione sese exercuit.

Bibliam legit.

Disputationes frequentat.

Hac indefessa & omnibus imitanda industria id est consecutus; ut non tantum eruditionis Theologicæ præclaræ opinionem in animis multorum excitarit: sed etiam præcuntibus examinis, lectionis, disputationis, aliisque solitis, quæ egregiè sustinuit omnia, tentaminibus, SS. Theologiæ Doctor in *VVittembergica* Academia, cum laude & sua & Academiæ, publicè fuerit renunciatus, anno *millesimo quingentesimo nonagesimo quarto*. Mox anno sequenti *VVittembergam* ad Theologicam professionem vocatus, eandem, Deo auspice, acceptavit; atque ita Deo & Ecclesiæ in officio vocationis legitimæ, pro viribus inservire est annixus.

Doct. Theol. renunciatur.

Et profess. Wittemb.

Hanc vocationem tanti fecit; ut sicut eam DEO trahente fuerat secutus; ita quoque in eâdem persistere voluerit semper. Nam licet sæpius vocatus sit aliò, nunc *VVolgastum* ad munus præposituræ: nunc *Rostochium* in excellentissimi Theologi *Davidis Chytræi* locum: nunc ad officium, quod parens olim administrarat, *Gryphiswaldiam*: tamen Electore Saxoniæ manere jubente, à vocatione, quam olim secutus fuerat, discedere nefas sibi duxit; maluitque in legitimæ vocationis officio perdurare, quam aliò, tametsi haud dubiè splendidiore sorte frui potuisset, se conferre. Et hoc in officio qua fide, quave industria, versatus sit: Academia & Ecclesia Wittembergensis novit.

Aliò vocatus.

Manet in vocatione

Lectiones ea diligentia, fide & judicio habuit: ut maximum inde fructum ad se redundasse, auditores diligentes prædicarint. Nec enim aliena immiscebat; sed propria tractabat, non obscuris ænigmatibus res involvebat; sed perspicuè omnia proponebat: non ociosè ad ostentationem verborum molem cumulabat; sed necessaria breviter & nervosè concinnabat. Non auditorem dubium relinquebat; sed controversiam propositam eruditè & solidè decidebat. Testes præter alios plures sunt, *Genesis*, *Exodus*, & aliquousque perductus *Leviticus*: utinam totus pentateuchus. In disputando præterea singulare ejus fuit acumen: dexteritas & perspicuitas, quod præter privatos parietes & publica pulpita testari potuerunt.

Lectiones Rungii quales.

Item disputationes.

Conciones, quarum curæ pars non minima ad ipsum quoque pertinebat, summa λειτότητι & gravitate, cum facilitate atque jucunditate conjuncta habuit; iisque semper semina pietatis, doctrinæ, agnitionis peccatorum, fidei, & charitatis Christianæ reliquit;

Conciones.

ut

ἐυσυχία in deliberationibus.

ut efficaciæ Spiritus Sanct. ἀναίσθητον domum se ex templo rediisse dicere potuerit nemo; nisi qui segnius auscultarit. Ad deliberationes Academicas adhibiti singularem ἐυσυχίαν admirati sunt collegæ, ac pro prudente consilio ipsi vel tacitè vel palàm gratias egerunt.

Præficitur chorus alumn. electoral.

Cum itaque vir esset spectatæ doctrinæ ac prudentiæ: anno *millesimo quingentesimo nonagesimo sexto*, *thesaurus Saxonici electoratus*, cœtus electorum juvenum, qui munifica electoris liberalitate in Academia Wittembergensi aluntur & informantur, ipsius curæ est traditus: quam provinciam *octennium* summa cum fide gessit.

Colloū Ratisbonæ.

Anno deinde *millesimo sexcentesimo primo*, cum colloquium *Ratisbonæ* ab illustrissimis Principibus *Philippo Ludovico* & *Maximiliano*, cum pontificiis esset institutum: etiam hæc provincia à Saxoniæ Electore unà cum *Hunnio* huic *Rungio* fuit demandata. Quo in colloquio, quid uterque præstiterit: & acta illius, & alia scripta de eo edita loquuntur.

In eo Rungius.

Rursum cum anno *sexcentesimo tertio* *Ægidius Hunnius*, Ecclesiæ Wittembergensis antistes, & Academiæ decus, ex hac vita emigrasset: Saxoniæ Elector, *Christianus* secundus, fratrem *Augustum* in Academia Wittembergensi versantem, *Rungii* curæ, inspectioni, & quo ad pietatem, informationi accuratè commendavit. Hac quoque in provincia singulari cum fide est versatus: Deoque opt. max, salutem suorum seriò, præsertim postremis vitæ diebus commendavit.

Augusto duci Saxo. chor.

Officia acad.

Præterea semel *Rectoratum*, *Pro-Rectoratum* secundum dexterrimè administravit: atque utrobique & gravia & intricata negotia ita expediit, ut vel hinc prudentia Rungiana sat testimoniorum reportarit.

In itinere morbo corripitur.

Tandem cum ex itinere Pomeranico, quod & socrus, & fratrum, & sororum, & aliorum amicorum visendorum, & quæ cum illis intercesserant negociorum expediendorum causa, mense Majo anni *sexcentesimi quarti*, rogatus suscepérat *Wittembergam* contenderet: *Berlini* febris malignæ initia vehementiora sensit, indeque properantiore rhedâ *Wittembergam* cum febri est advectus; ad quam subinde invalescentem, alia symptomata, ut fieri solet, accessere, eaque gravissima, præsertim fluor alui, vigiliæ continentes, susurrus capitis, syncope: quæ corporis vires magis magisque afflixere. Quo violentius autem corporis vires posternebantur, eò fortius & fides & patientia & spiritus alacritas invaluere. Testes ejus multi fuere αὐτόπται, qui decumbenti officii causa adfuerunt: testis etiam fuit usus sacræ cœnæ; testes denique preces ardentes, quas durante morbo ipse propria manu præscripsit, & subinde devotè repetivit. Juvat autem adscribere formulas illarum precum: quarum prior hæc fuit:

Patientia & constantia in eo.

Forma ejus precandi.

Omnipotens, æterne, vive Deus, pater Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, unà cum filio & Spiritu tuo Sancto: sapiens, sancte, & potens Deus, gratias ago tibi humillimas, quod me infinitis cumulatum donis animæ, corporis & fortunæ, ad hunc terminum ætatis meæ, clementer perduxisti. Minor sum, Domine Deus, omnibus miserationibus tuis, & veritate, quam impleviſti. Et quia nunc magna corporis ægritudine, te volente, labor (quid enim fiat sine voluntate & nutu tuo?) ideo de per viscera misericordiæ tuæ adoro, si adhuc sum utilis scholæ & Ecclesiæ Christianæ, restitue mihi amissas vires animi & corporis, qui potes suscitare mortuos. Tu Jesu Christe, da, ut sis cor meum unicum, & solatium in hora mortis, vel sana me verbo tuo, sicut dicitur: Non herba, non malagma, sed verbum Domini sanavit eos. *Tu Spiritus Sancte Deus, in æstu refrigerium, in fletu solatium, da, ut horam mortis meæ læto exspectem & superem animo. O misericordissime Deus, projice peccata mea in profundum maris: ne eorum in æternum ulla sit memoria, meque indutum fide & Christo, consolare, sustenta, erige contra infirmitates carnis, & tentationes Diaboli. Hoc, te supplex oro, da mihi Deus, fretus verbo tuo,* Ps. 27. **Mein Hertz hält dir für dein Wort: Ihr solt mein Antlitz suchen.** *Si debemus hoc facere, tu cura, ne frustra fiat.* Psalm. 50. Invoca me in die tribulationis & angustiæ Domini: *Ecce hæc est dies tribulationis & angustiæ Domini:* filii venerunt ad partum, & non vires pariendi. *Eripiam te: Exurge: Deus usquequò? revertere & eripe animam meam: Et glorificabis me: Non mortui laudabunt te Domine, neque qui descendunt in foveam: sed ego vota mea reddam, coram tota ecclesia, & docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Amen, Amen Jesu Christe, in quo sunt omnia Amen: fac & hoc Amen. Bonus & misericors est Dominus.* Hæc est una.

Alia.

Altera sic habet: *O Domine Jesu Christe, fili DEI vivi, ego æger & infirmus ad medicam manum tuam confugio. Tu Domine potes me sanare, tu Domine non abjicies me in ira, ne languescat fides mea de divino auxilio, adesto citò propitius & miserere. Remitte mihi omnia peccata juvenilis & virilis ætatis, propter quæ sanguinem tuum effudisti. Accende mentem meam lumine tui Spiritus, & vivifica consolatione. Et si, Domine, bonum est in oculis tuis, conserva me adhuc aliquandiu inter vivos: Miserere uxoris & filiolæ.*

Spe itaque erectus, post superatas DEI gratia tentationes, uti anteà factitarat, ita tum quoque multis variisque cum aliorum piorum, tum inprimis *Lutheri* cantionibus, singulari Spiritus divini gratia animatus, suam fidem, patientiam, & alacritatem subinde excitavit; adeoque in cantando fuit deinceps mul-

Inter canendum moritur.

multus: ut voce & spiritu tandem inter canendum defecerit, & ad musicam cœlestem, quam hic moriturus inchoaverat, in omnem æternitatem cum beatis angelis & hominibus continuandam, ex hoc mundo evocatus placidè exspirarit: die *septimo* Julii sub *undecimam* noctis anno *millesimo sexcentesimo quarto*, ætatis suæ *quadragesimo*, currente. Viduam reliquit *Elisabetham*, filiam *Balthasaris Rauni*, Theol. D. & in Gryphiswaldiana Academia olim Professoris, cum unâ filiola orphanâ præmissis duobus filiolis.

Scripta quæ edidit in Bibliothecis laudantur: nobis hæc sufficiunt, desumta *ex oratione parentali, habitâ ab Erasmo Smidio Professore Vittembergensi.*

SALOMON GESNERUS.

Ob. 1605. d. 7. Febr. ætat. 46.

BOleslaviæ haud ignobili Silesiæ oppido natus est *Salomon Gesnerus*, anno salutis reparatæ, *millesimo quingentesimo undesexagesimo, octavo* Novembris die; patre *Paulo*, verbi divini in Boëmiæ ac Moraviæ finibus ministro: matre verò *Annâ*, è præcipuâ & honorata ibidem *Cunradorum* familiâ.

Paulus Gesnerus pater.

Quem amittit filius Salomon.

Patrem amisit *sexennis*, cum matre superstite relictus in re tenui ac paupere: quippe cui vix ad victum necessaria supperterent; nedum ut ad studia capessenda, id quod pater & unicè in votis habuerat, & moriens in mandatis uxori dederat, sumtus idoneos haberet. Veruntamen nec Deus, nec boni viri, honestis ejus conatibus defuerunt. Itaque *Troppaviæ* prima pietatis & literarum fundamenta jecit, loci illius *Commendatore*, ut vocant, & Diacono necessaria liberaliter subministrantibus.

Troppaviæ discit.

Matthiae Hilvvigius.

Paulò pòst in patriam reversus, præceptorem nactus est, virum eruditum & industrium, *Matthiam Hilvvigium*, cujus non solum informatione institueretur; sed & liberalitate juvaretur. Accidit tum fato quodam, ut horrenda planè annonæ caritas, non *Silesiam* modò; sed universam penè *Germaniam* affligeret: tum multis aliis onerosa, tum *Gesnero* potissimum; adeò quidem; ut jam de studiis ipsius planè actum videretur. Nam mater, quod filio suppeditaret, habebat nihil: fame ipsa partim contabescens, partim mœrore. Sed ne sic quidem spem omnem abjecit *Gesnerus*: quin extremum illud paupertatis telum arripere, & mendicando panem ostiatim quærere maluit; quam studiis nuntium remittere.

Annonæ caritas in Silesia.

Qua Gesn. pressus.

Pane furfuraceo se sustentat.

Crescente autem annonæ penuria, res eò tandem devenit: ut panem non modò ex avena, hordeo, glandibus pistum; sed merè furfuraceum latranti stomacho objicere necessum haberet: sed & hunc benedictio divina salubrem effecit; nec salubrem modò sed & suavem, ut verè omninò *Socrates: Optimum cibi condimentum* dixerit esse *famem*; *potionis sitim*: & *Antiphanes*; *Famem omnia dulcia reddere, præter se ipsam.*

Cæterùm quod *Venusinus* ille Poëta de se ipse prodidit:

Et laris & fundi paupertas impulit audax,
Ut versus facerem:

idem *Gesnero* etiam accidit. Nam durum hoc paupertatis onus, stimulus ipsi ac incitamentum fuit summo annitendi studio; ut in literis & pietate indies proficeret. Sic autem aliàs comparatum esse videmus, quod *Seneca* habet, *plurimis ad eruditionem viam præcludunt divitiæ, usque adeò; ut si animo vacare velis, vel pauperem, vel pauperi similem te esse oporteat.* Quo tamen erronibus illis minimè patrocinari volumus: qui ventri & ocio dediti, hinc inde vagantur.

Paupertas studiorum calcar.

Sed ut ad *Gesnerum*, exacto ille sub paupertatis durissimo jugo, integro fermè triennio, *Vratislaviam*, metropolin illam Silesiæ, concessit, animo quidem ac spe studia prosequendi: sed parum abfuit quin egestate coactus; & frequenti dominorum mutatione variè jactatus, fabro aurario suam operam addixerit: nisi ipsum orphanorum pater Deus, illius ipsius aurifabri operâ, qui ei liberos suos eruditendos committere, quam artem tradere, satius ducebat, ab officina ad scholam literariam revocasset. Ergo *Vratislaviæ* linguarum *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraæ* rudimenta addidicit: differendi dicendique artes cognovit: doctrinæ sphæricæ initia percepit; in utraque oratione, soluta & ligata, se diligenter exercuit: ita ut præceptoribus charus & acceptus esset. Donaverat ipsum tum temporis hospes dimidio *Vallensi*, quem in *novum testamentum*, Græcis typis impressum, impendit: eoque tanquam peculiari thesauro, quovis auro & argento pretiosiore, ita quotidiè usus fuit: ut periculum faceret, num sine adhibitâ versione Latinâ Græcum textum intelligere posset.

Vratislaviæ concedit.

Agit pædagog.

Discit linguas & artes.

Moris tum erat, ut *Vratislaviæ* tenuioris fortunæ scholastici carminibus salutarent patritios & mercatores; eorundemque gratiam ac liberalitatem vel hoc pacto ambirent. Hic *Gesnerus* è postremis esse noluit, sed carminum scriptione, ad quæ naturæ quapiam propensione ferebatur, aliquid nummorum collegit; unde auctores studiis suis aptos, *Ciceronem* cumprimis & Poëtas utriusque linguæ sibi comparavit. Postea anno Christi *millesimo quingentesimo septuagesimo sexto*, viaticulo corrogato, & consarcinatis libellis, quos neque comparare multos, neque portare plures poterat, *Vratislaviâ* per Boëmiam *Argentoratum* se contulit: ubi cum visitatoribus ejus scholæ profectus suos approbâsset; statim auditor primæ classis factus: nec multò pòst à senatu in collegium *Vilhelmitanum* alumnus receptus fuit, usus eo beneficio per integrum *quinquennium.*

Argentoratum abit. Adscribitur ibi alumnis Senatus.

Studia tractavit tum *Philosophica*, tum *Theologica*. Præceptores Philosophos habuit: *Joannem Ludovicum Havenreuterum*, Medicum & Philosophum è paucis: *Theophilum Golium*

Præceptores ibi ejus.

Golium ethicum, *Melchiorem Junium* oratoriæ Professorem, *Henningum Oldendorpium*, Hebrææ, Chaldaicæ ac Syriacæ linguarum Professorem, *Davidem Wolckensteinium* & *Cunradum Dasypodium*, Mathematicos minimè ignobiles. Præceptores verò Theologos, Doct. *Joannem Marbachium*, Doct. *Joannem Pappum*, Doct. *Erasmum Marbachium*, *Nicolaum Florum* & *Joannem Fabrum*. Cum lectionibus Theologicis conjunxit exercitium concionandi, in collegio quidem, quoties ordo posceret: in pagis autem quoties D. *Pappus* permitteret, permittebat autem singulis fermè septimanis.

Exercet se concionando.

Elapso *quinquennio* nactus est discipulum, nobilem *Livonum*, cujus sumtibus annum adhuc *Argentorati* subsistit, creatus tum Philosophiæ magister, anno ætatis *vicesimo quarto*: Christi autem supra *sesquimillesimum octogesimo tertio*. Hoc ipso anno discedendi a senatu venia impetrata, liberos generosorum quorundam in Polonia plusculis mensibus instituit: unde se, cupiditate ad doctos homines in Academiam aliquam redeundi, maturè expediens, impetrata dimissione *Vratislaviam* rediit, *Argentoratum* repetiturus. Diem unum & alterum *Vratislaviæ* dum moratur, venit in notitiam *Andreæ Dudithii*, trium Impp. consiliarii: apud quem & *Andream* filium natu maximum, honesto stipendio aliquandiu institit, & *commentarium* in libros *Ciceronis de Fato* concinnavit.

Creatur magister.

Subsidit Argentorato.

Revocat Vratislaviam.

Subsistit Vratislaviæ.

Anno *octogesimo quinto Vratislaviæ Boleslaviam* vocatus, *Matthiæ Hilvvigio* scholæ illius Rectori successit; primò in functione scholastica: deinde & anno sequente, in conjugio.

Præficitur scholæ Boleslaviæ.

Quadriennio integro in pulvere scholastico exacto, anno *octogesimo nono* ad Gymnasii *Stetinensis* regimen vocatus paruit: pastore tùm Ecclesiæ collegiatæ ad D. *Mariam Conrado Bergio*: Diacono verò *Joachimo Stygio*, utroque Calvinianæ sectæ, sed timidiusculè addicto. Hac in statione quid Gesnero evenerit, ex publicis *Historiæ Pomeranicæ* monumentis notius est, quàm ut prolixâ commemoratione indigeat.

Ad gymnasii Stetinensis.

Ibi ergò, cum satis acerbas habuisset εὐριδξεις in religionis negocio cum diacono *Joachimo Stygio*; qui aliquando in sacra synaxi, sinistra ultiusmodi verbis hostiam ei ingessit: *Deus sit judex inter me & te*: animadvertisset præterea; se illis ipsis uti patronis non admodum propitiis; penes quos rerum summa erat: anno *nonagesimo secundo Stralesundium* legitimè accitus: ut pastoris ibi senio propè confecti adjutorem; & in schola Professorem ageret: vocationem ambabus, ut ajunt, amplexus est. Quanquam autem Calvinianorum, ut suspicio erat, artificio, supellex ejus libraria & domestica Stetini per totam hyemem fuit detenta: Respubl. tamen *Stralsundensis* defectum omnem liberaliter supplevit, nec quicquam ei etiam hac in parte deesse passa est. Accidit ergò ejus adversariis id, quod Comicus dixit:

Concionatur.

Stralsundium accitus.

Invidere alii bene esse, tibi male esse, miseria est: Qui invident, egent; illi, quibus invidetur, rem habent.

Cæterum vix *septem* menes *Stralsundii* subsistiterat: cum ad Academiam *Vvittembergensem*, tanquam ad messem ampliorem, Dominus evocatum voluit: cui vocanti eò libentius annuit; quod haud obscurè sensit, neque aërem neque diætam Pomeranicam valetudini suæ convenire. *Vvittembergam* autem concessurus *Stetinum* rediit: ubi jussu illustrissimi Principis *Ioannis Friderici* dissidium inter ipsum & *Ioachimum Stygium* super quibusdam religionis capitibus antehac motum, fuit cognitum: ipseque *Gesnerus* cum testimonio honorifico, & doctrinæ & vitæ integræ, dimissus.

Wittemb. evocatur.

Stetino venit *Vvittembergam* anno *nonagesimo tertio*, die *decimo sexto* Maji, Magistertum gradu saltem insignitus, quem paulo post cum axiomate superiore permutavit, Doctor *Theologiæ* solenniter renunciatus, die *decimo* Augusti, ejusdem anni: promotore *Polycarpo Lysero*. Hac ergo in statione Professoris Theologi munus obiit: & aliquandiu Electoralium stipendiariorum inspectorem, & ab anno *nonagesimo quinto*, supremum in templo arcis concionatorem egit. *Rectoram*, ut vocant, bis gessit: *Decanatu* Theologici munus administravit toties, quoties ordo ipsum tangebat: *Assessoris* partes in consistorio ecclesiastico postremo vitæ novennio sustinuit: præter concionandi operas publicè prælegit Psalterium, octo minores Prophetas, *Danielem*, *Historiam* passionis: *Isaiæ* partem, privatim disputando excussit *Formulam Concordiæ*, *Genesin*, *Danielem*, *partes duas* examinis Concilii Tridentini.

Venit Wittemberg.

D. Theol. renunciatur.

Professt. Theol. & Inspector Stipendiariorum Electi.

Et Pastor Templi arcis. Officia alia Lectionis.

Porrò in hâc ipsâ provinciâ non defuerunt ipsi hostes. Vix enim labores aggressus erat, cum infelix ille *Samuel Huberus*, tum reliquis Theologis collegis, *Polycarpo Lysero* & *Ægidio Hunnio*, tum etiam *Gesnero* funestum planè bellum moveret, *de promiscua*, *indeterminata*, sive, ut ille loquebatur, *universali omnium hominum prædestinatione*, eaque propriissimè sic dicta.

Certamina. Cum Hubero.

Quod sanè incendium, quo minus mox in primis favillis sopitum extinctumve fuerit: non per Gesnerum, nec per reliquos Theologos stetit: sed in causâ *Huberi* intemperies & ἰχυρογνωμοσυνη potius fuit: quæ omnibus mediis ac remediis salutaribus locum prorsus nullum reliquit. Verùm nec in hac controversiâ certaminum finis. Etenim in *Lusatiâ* quidam * Ludirector fuit: qui scholas suas his, ut alii appellarunt, emblematis exornavit:

* *Mavt. Mylius. Rect. Gorl. Themata Gorlicii proposita.*

I.

Fracto panis significat fractionem, hoc est, Crucifixionem Corporis Christi.

II.

Distinguendum est inter circumstantias sacræ Cœnæ: quarum aliæ pertinent ad substantiam hujus ritus; quòd panis est adhibendus: quod frangendus; facienda publica precatio, distributio, sumptio.

III.

Hanc propositionem: Verbum caro factum est, *invertunt heterodoxi, & ex subjecto faciunt prædicatum, & ex prædicato subjectum: pro,* verbum caro factum est, *dicunt*: caro est facta verbum, seu λόγῳ. *Hinc est illa exæquatio naturarum, & realis communicatio idiomatum.*

IV.

In verbis institutionis τοῦτο *quid denotat? Id quod obtulit Dominus. Quid Dominus obtulit? Id, quod prius ipse acceperat. Quid ipse acceperat? Panem. Ergo panem indicat particula* τοῦτο. *Nihil ergo aliud, quam panem, demonstrat particula.* Hoc, *nec aliud sonant verba Christi:* Hoc est corpus meum: *quàm,* Hic panis est corpus meum.

V.

Quæ est vera interpretatio horum verborum: Panis est Corpus Christi? *Respondeo: Tres sunt interpretationes.* Prima *est Papistarum, qui fingunt transsubstantiationem.* Altera *scholasticorum, qui fingunt Consubstantiationem.* Tertia *est orthodoxorum, qui dicunt, illa verba sacramentaliter exponenda esse: ut neque substantialis aliqua mutatio panis fiat: neque occultatio, aut coëxistentia substantialis corporis, sub pane, seu ad locum statuatur: sed ut per fidem panis eucharisticus intelligatur esse sacramentum, seu testimonium, pignus atque sigillum, medium ac instrumentum, divinitus ordinatum: cujus usu legitimo obsignetur, id est, non nudè significetur: sed applicetur & confirmetur nobis, vera communio corporis & sanguinis Christi, & omnia beneficia Christi Evangelio promissa.*

* *Mart. Moller. Pass. Gorl.*

Huc accessit cujusdam Ecclesiastæ * *Gorlicensis praxis Evangelica*, typis evulgata, & præcipuis per Silesiam familiis inscripta. Utrumque ergo scriptum cùm *Gesnero* videretur *Calvinismum* alicubi redolere: visum est ipsi, populares suos, scriptâ *Admonitione*, ire dehortatum, quod ejus factum ab aliis aliter acceptum fuit.

Certamẽ cum Calvinian.

Vixit itaque inter varias & occupationes & digladiationes, ad annum usque Christi *millesimum sexcentesimum quintum.* Eo enim anno die *nono* Januarii, circa tertiam matutinam, cum jam ultra annum hypochondriacis affectionibus, ventriculi imbecillitate, ac tussi vehementi afflictus fuisset, venula ei in pulmonibus rupta unâ sanguis copiosus erupit. Ille tamen nihilominus eo manè concionem voluit habere. Cæterum sanguinis ejectione subinde infestante, viribus usque adeò exhaustus fuit, ut de vitâ in dubium venerit. Posterο itaque die duos collegas, qui tùm in loco, & Archidiaconum ad se vocavit: iisque præsentibus, voce articulatâ, judicio integro, manibus complicatis, confessionem fidei satis luculentam edidit: diserte testatus; *se toto pectore abhorrere à dogmate*, quod dicitur, Calvinianorum, Jesuitarum, Huberi, alio- „ rumque quorumvis, tùm recentiorum „ hæreticorum. Certus enim sum, ajebat, „ eam doctrinam, quæ DEI beneficio in „ scholis & Ecclesiis, inclyti hujus Electo- „ ratus Saxonici jam publicè sonat, quam- „ que voce ac calamo, pro donorum divi- „ nitus mihi concessorum modulo, propu- „ gnavi, esse veram ac sanam illam doctri- „ nam, quæ scriptis Prophetarum & Apo- „ stolorum est comprehensa, inque libris „ Ecclesiarum nostrarum Symbolicis, nem- „ pe Augustanâ Confessione, primâ illâ mi- „ nimeque variata, Articulis Smalcaldicis, „ utroque Catechismo Lutheri, Formula „ denique concordiæ, adversus quosvis fana- „ ticos spiritus, altius est repetita & expli- „ cata; profiteor etiam me in hac ipsâ do- „ ctrina, ad extremum usque vitæ halitum, „ per Dei gratiam, constanter perseveratu- „ rum, & ad tribunal Jesu Christi Salvatoris „ mei, intrepido infractoque animo, de hac „ mea doctrinâ rationes redditurum. „ Collegas deinde ad constantiam eandem cohortatus, & sanctæ eucharistiæ sumtione, præmissa confessione, acceptaque absolutione confirmatus, hilari vultu: *Jam*, inquit, *tranquillo* ego ero animo, & Deum patienter exspectabo, fiat voluntatis ipsius, quæ sola bona & sancta est, perinde jam mihi fuerit, „ sive diutius superstes maneam, sive moriar; „ vita mihi Christus est, mors lucrum; si „ vixero, Domino vivam, sin mortuus fuero, „ Domino moriar, sive enim vivimus, sive „ morimur, Domini sumus. „ Postea etsi sanguinis rejectio desineret, medicique spem haud dubiam restituendæ valetudinis ostenderent, tamen succedente febrili calore, subsecuta est tanta totius corporis lassitudo, & angustia pectoris, ut exspiraturus jam jam videretur. His in angustiis ipse constitutus magno semper spiritu illud cygnéum ingeminavit: *Nunc dimittis Domine servum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum:* & illud Davidis: *ad te Domine levavi animam meam, Deus meus in te confido, non erubescam: Respice me & miserere mei, quia unicus & pauper sum ego, angustia cordis mei magna est, erue me de tribulationibus meis.* Et cum consolationes ipsi adversus Diaboli insultus in animum revocarentur: *Nihil*, inquit, mihi prorsus rei est cum Diabolo, „ neque quicquam ille mihi molestiæ, toto „ isto morbi mei tempore, facessit: sed „ esto, veniat, adoriatur me, viresque suas „ in me misero peccatore experiatur: Ego „ propterea non despondebo animum. Scio „ enim, me non ipsi, sed Deo meo pec- „ casse.

Edit confessionem.

Phil. 1, 21. Rom. 14, 8. 9.

Luc. 2, 29.

Psal. 25.

Consolatio ejus adversus tentationes Diaboli.

Variis morbis affligitur.

Quare

„ Quàre Israelitas in deserto secutus, ego
„ monstrabo ipsi non quidem serpentem æ-
„ neum: sed filium Dei de cruce penden-
„ tem, & dicam: Huic ego, non tibi pec-
„ cavi: Huic totum me credo. Credo e-
„ nim quòd ipse, ut pro totius mundi, sic
„ pro meis quoque peccatis, sufficientissi-
„ mum λύτρον DEO patri exolverit. Quare
„ apage sis Diabole, & tela tua in hoc se-
„ men mulieris converte: hunc si viceris, me
„ quoque viceris. Septima deinde *Februarii*, horâ mediâ quartâ vespertinâ, in confessione veritatis, interque preces & cantiones religiosas atque ardentes spiritum cœlo, corpus terræ reddidit: ita placidè ut nemo adstantium mori ipsum animadverterit. Nam versus quosdam & quidem ἐμφαλικωτέρας cantionis illius *Eberianæ* vere cygneæ, clarâ ipse voce simul accinebat: sed vix cantus finitus, & præcatiuncula recitata: oculi ipsius caligare: & pectus bis saltem spiritum ægrius trahere: quem usque adeò tranquillè emisit: ut dormienti, quàm mortuo multò similior videretur. *Exstinguitur.*

Vixit annos *quadraginta quinque*, menses *tres*, cujus spacium dimidium fermè, in scholastico partim, partim Ecclesiastico munere consumsit. Elatus est funere honorifico, & sepulcro Epitaphium additum hujusmodi: *Epitaphium.*

PIETATI ET MEMORIÆ
REV. ET CL. VIRI,
SALOMONIS GESNERI
BOLESLAVIA SILESII,
SS. THEOL. D. ET PROFESS.
IN SCHOLA QUIDEM ANNOS XII.
LEGENDO AC DISPUTANDO:
IN TEMPLO HOC ANNOS X.
CONCIONANDO: UTRINQUE FIDE ET
INDUSTRIA OPT. MAX. QUI INGENIO, DOCTRINA, JUDICIO, ELOQUENTIA, ZELO RELIGIONIS, ET VITÆ INTEGRITATE, PAR SUMMIS ÆVI SUI THEOLOGIS:
MONUMENTIS DE DOCTRINA CHRISTIANA EDITIS NOMINI SUO FAMAM, PIETATE DOMUM ÆTERNAM SIBI VIVUS CURAVIT.
HÆREDD. HOC QUOD EST E SAXO P. C. DEFUNCTO.
VII. EID. FEBR. ÆTAT. SUÆ. XLVI.
CHRISTI ↀ IↃ cV.

Prosopographia Gesneri.

Statura fuit mediocri, colore subpallido, viribus haud ita firmis, cultu corporis neque delicato, neque sordido; sed qui doctorem Ecclesiæ deceret: victu temperato: cibi parcissimi, perpetuam ventriculi imbecillitatem causatus: somni postremis potissimum annis penè nullius: ingenio sagaci, memoriæ tenacissimæ, ut, quæ in vasto illo S. Patrum mari dispersa jacent, angustis memoriæ suæ cellulis inclusa firmissimè retineret: adulationis & simulationis, ut hostis acer; ita veritatis & simplicitatis amans.

Scripta ejus Latina.

Edita ab ipso sunt hæc: *orthodoxa de persona & officio Christi* doctrina ex solido DEI verbo exstructa: *Meditatio* generalis *Psalterii*: in qua de dignitate, usu, argumento, & connexione Psalmorum disseritur; *Passio Jesu Christi* concionibus explicata; *Libri quatuor* de *Conciliis*: quorum unus generalem tractationem; alter historicam narrationem omnium conciliorum; posteriores duo refutationem duorum librorum *Bellarmini* de Conciliis continent; *Explicatio dicti Paulini* 2. Timoth. 3. Omnis scriptura divinitus inspirata; *contra Bellarminum*; *Disputationes* septendecim pro libro concordiæ; item *disputationis* in integram *Genesin*: Hoseas *Propheta duplici versione Latinâ*: una *Hieronymi*: ex Hebræo; altera *Benedicti Ariæ Montani* è Chaldaica paraphrasi *Jonathan* redditus, & commentario *Hieronymi* illustratus. Sunt ipsius etiam *Germanica* haud ita multa; ut *admonitio ad ordines Silesiæ* de cavendo Calvinianismo; *conciones* item tempore pestis, & *Turcicæ*: cum aliis, de quibus Bibliothecæ. *Germanica.*

Hæc de Gesnero ex oratione parentali dicta à Leonharto Huttero Th. D. & P. P. item ex Catal. librorum.

WOLFGANGUS AMLINUS.

Ø. 1606. d. 18. Maji. ætat. 65.

PAtria *Wolfgango Amlingo* obvenit *Münerstadium*, Franciæ orientalis in ditione Episcopi Würceburgensis oppidum; tunc verò temporis etiam *Hennebergorum* dominio subjectum. Ibi natus est anno à Christi hominis nativitate currente *millesimo quingentesimo quadragesimo secundo*, die mercurii, qui Dominicam, *Reminiscere* à majoribus dictam, sequitur. Parens ei fuit *Michaël*, vir consularis ac senatorii ordinis eo loco: qui adolescens literarum quoque amore captus, *Wittembergam* se contulit: ibique Primam Philosophiæ lauream est adeptus. Post cùm fastidium ipsum studiorum, nescio qua de causa, cepillet; animum ad lanificium applicavit; quam artem etiam reliquo vitæ suæ cursu exercuit; eâque rei familiari commodè satis prospexit. Mater fuit *Maria* ex antiqua & honesta *Gesneriorum* prosapia Franciæ orientalis oriunda. *Münerstadium.* *Michaël Amlingus.* *Mater Aml.*

His parentibus *Amlingus* procreatus, natu minor quatuor sororibus; major verò quinque fratribus, puer ad ludum missus est oppidanum, ubi primum tales præceptores nactus est, qui liberalia ingenia ad studia non tam adducerent, quam à studiis abducerent. Incidit enim in *Orbilios*, quorum instituere fuit cædere, & flagris plagisque sævire. *Præceptores.*

Luce verò Evangelii illis quoque terris illucescente, schola etiam civica in dies incrementum sumsit: adeò ut ex ea multi postea docti viri prodierint, qui organa salutaria & pii σωτῆρχοὶ utiliter Dei Ecclesiis & scholis inservierunt. Sed postquam anno *octogesimo septimo* tenebræ Papatus rursum invaluerunt, Jesuitis ibi etiam nidulantibus, hi Evangelii fructus frustra exspectantur.

Naumburgum abit. Et Ienam. Anno *quinquagesimo octavo Naumburgum* se studiorum gratia contulit: inde ad *Academiam Jenensem*, anno *sexagesimo*, est profectus: ubi, perlustrata priùs Academia *Tubingensi* & *Wittembergensi*, sexto pòst anno summos in philosophiâ honores est consecutus. Hoc in itinere commendatione *Joannis Rosæ*, quem ipse, ut & *Victorinum Strigelium* tanquam Præceptorem suum & alterum parentem observavit, in notitiam venit *Eberi* & *Peuceri*, amborum virtute & eruditione clarissimorum virorum. In amicis Præcipuos habuit *Georgium Horn*, Theologum & concionatorem eximium *Hammelburgi* in Franconia; *Joannem Brendelium Dessæ* Inspectorem: tum denique *Balthasarem Kisvvetterum* Illustris Gymnasii *Servestani* Rectorem.

Ioann. Rosa. *Georg. Horn.* *I. Brendel.* *Balthas. Kisvv.*

Servestæ schola præest. Anno eodem *sexagesimo sexto Amlingus*, cùm ad gubernacula scholæ, quæ est *Servestæ*, ad D. Bartholomæi ædem, vocatus esset, *Servestam* venit. Quo tempore lues epidemica illic grassari incipiens, & scholam illam dissipavit: & *Amlingo* acerbam calamitatem attulit. Quare functionem suam deserens Principis *Bernhardi*, cujus erga literatos amor fuit illustris, permissu, in patriam rediit. Scilicet ut in aliis negotiis, ipso sæpe fasso *Amlingo*, evenire ipsi consueverat; ut *principio uteretur gravi & difficili*: ita hic idem accidit. Vix enim elapso semestri *Servestam* est reversus; & scholæ, quâ erat doctrina, ita præfuit: ut Ecclesia & Respub. magnum inde commodum perceperit.

Redit in patriam.

Inde Servestam.

Matrimonium contrahit. Anno *sexagesimo octavo* matrimonio sibi junxit in patriâ suâ piam & honestam virginem *Dorotheam Krebsin*: quæ tanta in maritum fide fuit, ut statim nuptiis peractis cum eo in Saxoniam, relicta patria, proficisceretur; spretisque magnificis ædibus, in exigua casa ibidem habitaret. Hæc uxor ejus sequente anno *sexagesimo nono*, partu in hanc lucem edidit patri cognominem filium: qui postea juris utriusque Doctor, Professorem & Inspectorem illustris Gymnasii Servestani egit.

Wolfg. Amling. F.

Eodem statim anno gravissimis de causis munere suo scholastico se abdicare, & in patriam abire necesse habuit. Quo loci non tam curam gessit rei familiaris, quàm salutis patriæ & Ecclesiæ: quæ à Pontificiis infestabatur. Qua de causa, ne sincerâ verbi divini prædicatione patria privaretur; difficilia & periculosa itinera cum *Spiram*, tum alio suscepit.

Elapso biennio, anno nimirum *septuagesimo primo*, ex eadem uxore filiolam suscepit *Dorotheam*: verùm ipsa mater difficultate partus vitam finiit: quam filia non multò post est subsecuta.

Transit ad secunda vota. Anno *septuagesimo secundo*, ad secundas transiit nuptias, cum honesta virgine *Barbara Neundorfiana*, *Casparis Neundorfii*, præfecti *Hennebergici & Stolbergici*, viri pii & integri, filiâ quæ in hoc potissimùm erga maritum fidem conjugalem demonstravit; quòd posthabita clara familia, & commoditatibus habitationis ac rei familiaris administrandæ, cum marito in ditionem Anhaltinam longum & difficile iter suscepit.

Ministerii sacro initiatur Cosv vigil. Anno enim Christi *septuagesimo Cosvvigium* ad munus pastoris invitatus, vocationi paruit: neque agros benè cultos, neque alia privata commoda à proposito suo se dimovere est passus. Mox eodem anno à *Servestanorum* ministerio ad munus pastoris est expetitus; quo cùm *quinquennium* sacra pro suggestu explicando fideliter functus esset: anno *septuagesimo octavo*, *Abrahamo Ulrico* ex hac vita evocato, ipse ab illustrissimo Principe *Joachimo Ernesto*, Superintendens, sive Inspector Ecclesiarum est constitutus.

Servestæ docet.

Constituitur Eccles. Inspector.

Hoc in officio ita versatus est; ut ædificationis Ecclesiæ princeps illi cura fuerit. Nam quæ ad Ecclesiæ ædificationem & emolumentum maximè faciunt; *sana doctrina* purioris & incorruptæ fidei, *sacramentorum legitimus usus*; *scholarum constitutio*, *cura pauperum* & denique *Ecclesiastica disciplina*: in his omnibus cogitationes suas omnes operamque locavit. Etsi enim ante ipsum quoque Deus præclaros viros excitaverit, D. *Theodorum Fabricium* & *Abrahamum Ulricum*, qui in Ecclesiâ operam suam navarunt; tamen multæ stipulæ fuerunt relictæ; quibus etsi *Amlingus* quoque initio adhæsit; tamen singulari Dei gratia se deinde extricavit, luce veritatis, pro quâ gratiâ suspiriis intimis Deo gratias egit, à Deo illustratus. *Decalogum* primus ipse integritati suæ restituit, & præceptum secundum de Idolis, authoritate sacræ scripturæ & magistratus rursum inseruit. Quod ad *doctrinam* Evangelii *de persona & officio Servatoris nostri Jesu Christi*, ea ab isto tempore, quo Deus ministerio *Lutheri* Papatum è Saxonia exturbavit, ibi secundum scripta *Prophetarum & Apostolorum* semper pura & integra proposita & conservata fuit.

Ad Ecclesiæ ædificationem necessaria.

Decalogū integr. restitut.

Et postquam multæ Ecclesiæ in Germania, novam doctrinam *ubiquitatis & omnipræsentiæ carnis Christi* amplexæ sunt; Deus *Anhaldinum* principatum ab eo dogmate defendit, *Amlingi* opera præcipuè in hoc negocio usus, qui docendo & scribendo, veritatem contra commentum adseruit, & in Symbolo Apostolico fundatam fidem de persona Jesu Christi in Anhaltinatus Ecclesiis puram & integram conservavit. Præterea *Sacramentorum* sacrorum, fœderis signorum ac sigillorum, verum *usum* monstravit, & introduxit.

Vbiquitatem impugnat.

Quæ

Exercismi itidem.

Quæ enim ex fermento Papistico reliqua erant; *exorcismus* in *Baptismo*, & in sacra *Eucharistia* ritus superstitiosi: ab his omnibus inquinamentis Ecclesiam illam repurgavit.

Oralem manducationem.

Homines, etiam externis duntaxat ceremoniis, & orali manducationi carnis Christi, ex mera ignorantia, adhærescentes, ita ex verbo Dei informavit: ut nunc intelligant, *ministros præbere externa gratiæ signa: Christum verò ipsum in recto usu sacramentorum præsentem baptizare igne & spiritu; animas fidelium, pœnitentiam agentes vero & essentiali corpore & sanguine suo ad vitam æternam pascere & potare.* Insuper singulari concionandi dono instructus, non tantùm summa mysteria, quantum necessitas requirere videbatur, absque ulla ostentatione vel ambitione omissis inutilibus disputationibus, claris scripturæ verbis prudenter & nervosè in medium ita proferre potuit; ut verba quasi numerata habere videretur & ad stateram examinare. Quod si publicum ipsi certamen fuit cum hostibus religionis, tantum abfuit, ut veritati aliquid derogarit, ut potius verbum Dei constanter & intrepidè defenderit. Testis hujus esse potest *Colloq. Hertzbergense*, quod anno 1578. D. *Jacobo Andreæ*, & aliis Theologis concordiæ librum tùm fabricantibus, & Ecclesiis quoque Anhaltinis obtrudere conantibus, ab ipso est habitum.

Concionandi ejus ratio.

Colloquii Hertzbergensis.

Cum verò tertio loco *scholæ*, tanquam *seminaria atque novelleta Ecclesiæ & Reipubl. Christianæ* summè necessariæ sint; scholisque neglectis Ecclesiæ ipsæ corruant, hanc etiam curam sibi sumsit, & cum cæteris, quos Deus in hoc excitarat, ad summum magistratum, Illustr. Principem *Ioach. Ernestum* literarum ac literatorum causam fideliter egit; & *Gymnasium Servestanum* solicitè conservavit; quod verè est singulare κειμήλιον illius regionis.

Scholarum necessitas.

Gymnas. Servest.

Pauperes quod attinet, horum quoque egestas ipsi Ecclesiæ Episcopo non immeritò cordi fuit. Nam sub ejus inspectione *ordo currendariorum*, ut vocant, institutus ita, ut currendarii, hoc est pauperes scholastici suo ordine singulis septimanis ter domatim eleemosynas colligant sacris hymnis decantatis; quæ eleemosynæ inter eos postea distribuuntur, ab honestis & piis viris. Quod sanè institutum fructu suo neutiquam eo in oppido caret.

Cura pauperum.

Currendarii.

Nam eo pacto pauperculi scholastici ad ludum frequentandum adiguntur, & fuci atque errones à probis distinguuntur. Deinde ad preces ita etiam adsuescunt, redduntque sibi familiares hymnos ac cantiones pias, quibus aliquando vel ad stivam, vel ad sellam in officinis suis, vel ad alios consolandos uti possunt. Denique illi plateas canendo obeuntibus, haud raro, ut credibile est, pii animi excitantur, conscientiæque territæ erigantur. Ipsius præterea *Amlingi* consilio & exemplo pauperes scholasticos, præsertim civium liberos vestire meliùs cœptum est, ut & *gazophylacium* destinatum, unde egentibus patribusfamilias & exulibus, opera charitatis exhibeantur. Quin & mortuorum, qui verè egeni, curam gessit. Cum enim antè, defunctorum corpora hinc inde passim in cœmiteriis, quin & ponè muros ac mœnia defoderentur, undè haud rarò, venenosi, ut fit, halitus extiterunt, & morbi epidemici sunt orti: *Amlingi* cura totiusque ministerii monitu, rogatuve effectum est, ut magistratus senatusque consensu, symbolis etiam civium collatis, cœmiteria ante oppidum locis arenosis designata & muris cincta sint. Et voluit ipse *Amlingus*, dum viveret, in cœmiterio illo, apud auditores suos, non in templo sepeliri, idque seriò petivit, & in concione inaugurali ad D. *Nicolai* cœmiterium, quæ in lucem emissa, testatus est.

Eleemosyna Servestæ constituta.

Cura defunctorii.

Ultimo tandem loco, quod ad ministrum & Episcopum fidelem pertinet: propter quosdam maleferiatos diu multumque se maceravit, idque unicè egit: uti disciplinâ ecclesiastica introducta scandala, quæ in Evangelii luce & orthodoxæ religionis exercitio irrepunt, seriò evitarentur, & ad posteros orthodoxa religio propagaretur.

Disciplina ecclesiastica.

Inter tantas & officii curas, & privatos labores, vires corporis paulatim sunt exhaustæ: & ipse annum fermè totum de ea virium imbecillitate est conquestus. Nihilominus tamen sedulò vocationi suæ navavit operam; dum præter occupationes & negotia inspectioni incumbentia, singulis septimanis *ternas conciones* in templo, *ternas lectiones* publicas in Gymnasio, & interdum etiam *disputationes* habuit. Itaque & paulò ante obitum, die ultima Martii, *de sacramentis in Genere* disputavit, & sic operas suas in Gymnasio, cum alioquin in ordinaria sua professione, *in explicatione Epistolæ Pauli ad Romanos* substitisset, utiliter finit. Interim cum cibo vesci non posset, idque alii deplorarent; dicere consuevit: *Non solo pane vivit homo, sed ex quovis verbo prodeunte per os Dei.* Monitus ut valetudinis rationem haberet, collegas vices ejus concionando suppleturos, renuit, & λειλικῶς, *donec huic* (inquit, grabatum ostendens) *Deus me affixerit.* Dominicâ Palmarum ardentissimam Salvatoris nostri precationem * explicavit: qua concione se officium quoque suum finiturum dixit. Postea tamen temporis habita ratione, & de *Cœna Domini* concionari in animum induxit. *Si enim*, inquit, *Salvator meus tanto desiderio cum discipulis suis desideravit Pascha celebrare: quidni & ego idem desiderem cum meo cœtu?* Æger itaque suggestum adscendit, sed alacriter & concionem & preces absolvit. A concione ipse etiam cum familia ad sacram Domini cœnam accessit, atque ita functioni suæ finem imposuit.

Labores Amlingi.

* Quæ est apud Ioan. cap. 17.

Concio ejus ultima.

Denique morbo invalescente, Christo se commendans, omne tempus sacris meditationibus transmisit, inprimisque epistolam ad

Romanos totam, expoſuit, ſententiis integris Latinè & Græcè adductis. *Epigrammata* etiam quædam de nocte meditatus eſt in fatali ſuo lecto, quæ mane, ut quiſque ſeſe obtulit, recitavit, aut ad calamum dictavit. Sententia eorum eadem ferè fuit, quæ D. Martini Epiſcopi precationis: *Domine, ſi populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: ſin aliter tibi viſum, fiat quod eſt bonum in oculis tuis.* Alluſit & ad Symbolum ſuum: *Sile Deo, & ara eum*, ejusmodi verſiculis.

Martini Epiſcopi precatio. Symbolum Amlingi.

In prece ſis conſtans, morbi faſtidia vince:
Ceu patri, curæ eſt vita ſaluſque Deo.
In ſpe ſis fortis, ſtimulis nec vincere mortis:
Vita mihi Chriſtus, mors mihi dulce lucrum.

Cùm paſtor templi oppidani idemque concionator aulicus, verſus hos Chriſtiani Poëtæ, ad caput *quadrageſimum nonum Iesaiæ*, recitaret:

Sis infracto animo: nunquid materve paterve
Infantis poſſunt non meminiſſe ſui?
Si tamen uſque parens adeò offerretur iniqua:
Immemor ipſe tui non tamen eſſe queo.
En ſculpſi in manibus teque & tua cuncta, nec eſſe
De te, deque tuis deſino ſollicitus:

Reſpondit ægrotus: *Deo ſit laus, cogitationes & gemitus noſtri egregiè conveniunt! Ita enim hac nocte cum Deo meo collocutus ſum*, & clarâ voce recitavit hoc carmen:

Si ſervire gregi vis me amplius, optime Chriſte,
Pro quo ſolviſti grande Patri pretium,
Da quæſo famulo in præcordia languida vires:
*Sin minus; ô ſedes transfer * in ætherias.*

* *Hic manus elevabat. Precatio alia.*

Dominicâ Cantate, quæ fuit *decima octava* Maij, & ipſi quidem ultima in his terris, precationem hanc inter ſoliloquia antelucana meditatus eſt:

Quis putet! hæc etiam ſuperavi tædia noctis,
Dans animam toties, Chriſte, tuis manibus:
Si mihi pauca libet ſuperaddere ſtamina vitæ,
Amiſſa inſtaures viſcera viſceribus.
Sic pergam ſervire gregi, quem ſanguine lotum,
Flore tui verbi paſcis, & ore regis.
Sin properem mavis hinc ad tua regna beata,
Sum præſto; fiat, porrige, Chriſte, manum.
In tua namque animam commendo brachia: ſoli
Vivo tibi, ac morior; ſpes mea, vita, ſalus.

Voces ejus ultimæ.

Ad filium deinde ſibi cognominem JC. dixit: *hodierna die Filius Dei me liberabit, & ad ſe evocabit*: quæ verba aliquoties repetiit. Collegas, officii cauſa ad ſe venientes, hortatus eſt ex illo Zachariæ: *tantum veritatem & pacem diligite.* Adductis etiam ad lectulum nepotulis exemplo Jacobi benedixit; iisdem uſus verbis: *Angelus, qui eripuit me ab omni malo, benedicat pueris iſtis animâ & corpore, ſalvosque faciat.* Valedixit & filio atque conjugi ejus, aliisque præſentibus. Tandem ad filium, *jam*, inquit, *ſum in agone, veni Ieſu, veni!* petiitque ut humi deponeretur, quod ſimul ac factum, placidè exſpiravit, die ut dictum 18. Maij, anno Chriſti *milleſimo, ſexcenteſimo, ſexto*, ætatis ſuæ *ſexageſimo quinto*, cùm ſcholæ ad D. *Bartholomæum triennium*, Serveſtæ, Eccleſiæ autem *triginta tres* annos inſerviiſſet. Elatus eſt frequenti funere die 21. Maij, ſepultuſque, uti vivus mandarat, in cœmiterio extra urbem, concionem funebrem habente *Caſpare Virico*, aulico concionatore. Mortuum amici virique docti celebrarunt Epicediis & Epitaphiis carminibus, quæ exſtant, ac monumento laudarunt ejuſmodi:

Obitus. *Funus.* *Monumentum.*

CHR. SER. SAC.
Lector quiſquis es cand. benev.
Adverte ſis paululum & diſce:
WOLFGANGUS AMLINGUS MUNERSTAD. FRANC. OPPID. ORIUND.
POSTQUAM VARIAS PATRIA OB PURIOREM VERIT. CONFESS. MISERE AFFLICTA MULTIS A PUERO
ANNIS EXPERTUS ESSET ANGUSTIAS, AD HANC TANDEM DIU MON. CONFUGIENS URBEM:
PRIMUM QUIDEM SCHOLÆ AD D. BARTH. RECT. DILIG. DIGNISS.
DEIN ECCL. HUJUS VERUS AC FID. EPISC. MOX ETIAM VICINARUM ANTIST. VIGIL. INSUPER TH. IN ILL. GYM. PROF. P. DESIGN.
FIDEI AC SEDULITAT. SUÆ SPECIMINA RELIQUIT MINIM. INTERITURA: QUEM
PIETAS SINCERA, EXCELLENS DOCTR. HUMIL. INSIGNIS, IN DOCENDO DEXTERIT. ADMIRAND. ATQUE IN TOLERAND. PRO COMMISSI GREGIS INCREMENTO LABORIBUS INVICTA MAGNANIMITAS,
CELEBERR. QUIBUSQ. VERBI DIV. PRÆCON. HAUD INFERIOREM
DOMESTICIS PARITER ATQ. EXTERIS CARISSIMUM,
NEC INFIMIS SOLUM, SED ET SUMMIS SINGUL. ECCL. NOST. ORNAM. IPS. NUNCUPANTIB. FECERUNT:
FRACTA TANDEM, SEU MATURESCENTIS ÆTATIS MOLE, SEU CURARUM LABORUMQUE VI, CORPUSCULI OECONOMIA, HUMANISQUE ADEO PRÆSIDIIS NEQUICQUAM ADHIBITIS, ANIMO CERTA MELIORIS VITÆ FIDUCIA ERECTO, TOTUS IN EUM,
QUI VITA NOSTRA EST ET LONGIT. DIER. NOSTR. CONVERSUS:
MORTALIT. HUJUSCE VINCULIS SOLUT. AD COELESTE BRABEUTERIUM,
TALENTI FELICIT. LOCATI PRÆM. RECEPTURUS AMPLISS. LÆT. COMMIGRAT. A. S. cIↃ IↃ c. VI. M. MAI. D. XIIX. B. A. LXIV. M. II. D. XVI.

Age lector, ſi quod te voleb. dtdiciſti,
Bene habe, & quo tua te res vocat.
A B I.

Fuit

Fuit & hic Theologus gravis, doctus ac pius, benè de Ecclesiis non in *Anhaltinatu* saltem, verùm & alibi meritus, licet gratiam retulerit à multis haud suis factis dignam. Ac primùm quidem valde graviter tulit calumnias & convitia heterodoxorum, verùm postea Dei jussu, suoque & magistratus judicio patientiæ scuto ac bonæ conscientiæ opposito, omnia neglexit. Sæpe, cùm audiisset hunc vel illum suum adversarium mortuum, vel lethaliter decumbere: *Ego verò optem*, inquit, *vivat potiùs atque servetur*. Frequenter solitus quoque est repetere precationem illam Ecclesiastici capite ultimo, eaque se consolatus est, ut & promissione Christi *, *beati, quos persequuntur homines justitiæ causâ, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*: exemplo denique ipsius Salvatoris, Stephani, & aliorum veritatis confessorum, quamvis ad sanguinem usque ipse non certarit. Magistratum coluit, ita tamen, ut officio, sicubi opus, non deesset. Inde cùm vitio sibi à non nemine verti audisset, quasi modum excederet, sæpe dixit: idem mihi licet de me » dicere, quod Erasmus de monachis con- » querentibus, quasi nimis rigidè ageret, di- » xit, accusant me, quòd nimium fecerim, » verum conscientia mea me accusat, quòd » minùs fecerim, quodquè lentior fuerim. Usus etiam est sæpe dicto Apostoli *, *sive insanimus, Deo insanimus, sive fama mente sumus, vobis sumus*. In œconomiâ ita versatus est, ut nec cura domestica muneri suo esset impedimento; nec quæ justè acquisierat, luxu aut incuriâ perderet. Itaque etsi in patriâ haud levem bonorum fecit jacturam, ut & fratres ejus duo *Matthæus* & *Ioannes Amlingi*, qui Religionis causâ etiam solum vertere coacti, fortunis malignè divenditis, tamen etiam in ipso completum est illud Psalmi *: *Timentibus Dominum non erit penuria*.

Patientia.

* Matth. 5. 10.

* 2. Cor. 5. 13.

Vita domestica.

* Ps. 34. 10.

Scripta.

Scriptis quoque non sine valetudinis jacturâ elaboratis, posteritati prodesse conatus est, de quibus edita, *victoria de triumphata communicatione idiomatum reali*, contra *Ioannem Matthæum* Smalcaldensem, *explicatio item articuli de incarnatione Iesu Christi*; *Processus judicii extremi* ex Apoc. 20. *Christiana repetitio doctrinæ de Cœnâ Domini* ex verbis Apostoli 1. Cor. 10. & 11. *Explicatio γνωρισμάτων electorum DEI* ex Apoc. 7. *Christiana commonefactio* ex dicto Paulino, *quæ supra sunt quærite, ubi Christus est*, & si quæ alia, de quibus elenchi librorum. *Desumta hæc sunt ex concione funebri habita à Casparo Vlrico, & monumentis additis.*

IOANNES KVCHLINVS.

Natus 1606. d. 2. Iul. ætat. 60. Wetteræ.

PAtria *Ioanni Kuchlino* fuit *Wettera*, oppidulum Hassiæ, ob feracitatem ingeniorum haud ignobile Parentes habuit utrumque Wetteranum, familiæ honestæ, & inter cives illius oppidi non exiguæ, quibus l. domi res non esset ita lauta, utpote qui & copiâ liberorum *tredecim* gravarentur, & mechanicam tractantes, labore & operis quotidianis sibi suisque consulerent, tamen pietatis zelo ducti hunc natu è decem filiis minimum studiis addixerunt. Patrem *Hermannum* cùm admodum adolescens amisisset, sub J. *Pinciero*, cujus curæ & tutelæ commendatus à matre viduâ fuit, præclaram pietatis & doctrinæ sementem fecit, & spem messis excitavit amplissimam. Postquam in schola Wetteranâ, cujus inspector tùm *Andreas Hyperius*, Pincieri affinis, pòst Professor *Mapurgi*, Rector autem *Iustus Vultejus* JCti illius pater, in Græcis pariter ac Latinis literis feliciter profeciisset, promovendus ad altiora atque Academica studia, impedimenta habuit, quæ præclarissimos quosque præstantium ingeniorum conatus evertere possent, *rem domi angustam, & innatum pudorem*. Sed fecit, quod solenne est facere, qui in oppidulis nati: extera loca invisit, præsidium, quod domi non suppetebat, foris quæsivit. Abiit primò *Francofurtum*, inde *Moguntiam*, ubi locus apud Jesuitas ei fuisset, si idololatriam eorum amplecti voluisset. Inde venit *Argentoratum* ad *Sturmium*, cui gratus quidem & acceptus; sed ob copiam eorum, qui publica beneficia captabant, dimissus *Tubingam* cum literis ad *Brentium* fuit. Hic cum sentiret à *Pinciero* edoctum, à *Sturmio* commendatum, à Jesuitis repulsum, audiretque supra ætatem de fide alacriter respondentem, suspicatus, quod res erat, remisit cum literis ad *Sturmium*.

I. Pincierus.

Impedimenta Kuchlino objecta.

Peregrinatur.

Moguntiæ venit.

Inde Argentor.

Brentio commendatur.

Remittitur ad Sturmium

Ibi cum videret se undique excludi, *Haidelbergam* petiit, ubi ad *Ebemium* ductus, & ab eo ad *Vrsinum*; qui animadvertens adolescentis ingenium, mores liberales, insignem indolem, variis indiciis emicantem, & in Græcis Latinisque literis promtitudinem: *Tu verò*, inquit, *mi fili, noster esto, ego tibi pater ero*. Et verè fuit. Singulari enim præ cæteris discipulis affectu, ob insignem pietatem, modestiam atque indefessam in studiis industriam semper eum est amplexus. Docebant tunc in ea schola *Boquinus, Zanchius, Tremellius, Xylander, Strigelius, Læonclavius*, præerat collegio *Vrsinus*, templo *Casparus Olevianus*. Sub idem tempus novam hæresin, aut potius Arianam renovatam procudebant, *Sylvanus, Neuser*, aliique; sed *Zanchii* & *Vrsini* inprimis operâ effectum est, ut error serpens statim opprimeretur *

Haidelbergam secedit.

Vrsino commendatus.

* An. 1570. & seq.

Cum *sexennium* totum sub Ursini disciplina transmisisset, evocatus est ad scholam *Neuhusianam*, ubi Pithopæus rector, collegæ *Crellius*, & *Sylburgius*, qui ei patria & consanguinitate junctus.

Neuhusiū vocatur.

Inde à schola ad Ecclesiam *Tuckenhemium* à senatu Ecclesiastico accersitus, ministerium adiit, ibique *Friderico* Electore, anno *septuagesimo sexto*, supra sesquimillesimum mortuo, cum successor *Ludovicus* scholas juxta & Ecclesias innovaret, ejectus cum multis aliis Ecclesiarum Pastoribus illa tempestate, in patriam

Ministerio sacro initiatur.

Expellitur.

ad

ad Landgravium *Haſſiæ* ſe contulit. Ubi per odium *Eumolpidarum* aulicorum cum excluderetur, inſtinctu uxoris, quæ Belgica erat, in *Belgium* abiit, *Embdamque* venit, anno *ſeptuageſimo ſeptimo*. Docuit ibi in ſchola ſæpè, interdum etiam in templo, adhibitus ibidem ad concipienda capita diſputationis, contra *Anabaptiſtarum* errores inſtituendæ.

In Belgium abit.
Docet Embdæ.

Ita cum operam aliquandiu tam in ſchola, quam in Eccleſia Embdanâ navaſſet, eodem tempore & ab *Amſtelrodamenſibus* & à *Groningenſibus* evocatus fuit. Ille cum propter Germanici idiomatis vicinitatem *Groningenſes* præferendos judicaret, à clariſſimo viro *Menſone Altingio*, graviſſimis rationibus permotus fuit, ut operam ſuam *Amſtelrodamenſi* Eccleſiæ addiceret, ſiquidem illa virum ſingularis eruditionis, zeli, & prudentiæ deſiderabat, qui naſcentis fundamenta ſecundum verbum Dei ſolidè collocaret; quâ in re tam fidelem atque utilem navavit operam, ut Eccleſiæ illius pater jure appellari queat. Totis autem *octodecim* annis ei præfuit, tanto cum fructu, & piorum omnium amore; ut deſiderium ejus apud eam intermori nunquam poſſit, adeò ſingularis fuit in eo dicendi majeſtas, & ſuſpicienda morum gravitas, cum affabili humanitate temperata. Sed pluribus eum Eccleſiis Deus prodeſſe voluit.

Vocatur à diverſis.
Menſo Altingius.
Amſtelrodami docet.

Itaque cum anno *nonageſimo primo* illuſtres Hollandiæ ordines collegium Theologicum in Academia *Lugdenſi* erigere ſtatuiſſent, & quærendus eſſet vir doctrina, prudentia, & gravitate conſpicuus; qui huic erectioni atque ipſi poſtea collegio præeſſet, itum fuit ad *Kuchlinum*. Et venit quidem, ſed diu tunc non præfuit. Nam qua fuit modeſtia & quo erga Amſtelrodamenſes affectu, ægrè ab Eccleſia ſua avelli potuit, & multò ægrius Eccleſia eum ad hoc munus à ſe dimiſit. Itaque qua debuit & potuit reverentia ſe excuſavit, ac locum ejus ſupplevit *Ieremias Baſtingus*, quem paulò poſt Dominus Deus ad ſanctorum in cœlo conſortium evocavit. Iterum ergò ad Kuchlinum itum anno *milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quinto*.

Lugdunũ vocatur.
Amſtelrodam, redire cupit.
Ier. Baſtingus.
Iterum Lugd. vocatur.

Cum ergò voluntati ordinum parendum cenſeret, munus prius oblatum in ſe recepit, idque annos *undecim* laudabiliter ſuſtinuit, ita ut nihil omninò neque quoad ſingularem & ſolidam eruditionem, neque quoad morum gravitatem, neque quoad moderatam in regenda juventute ſeveritatem, prudentiam, & ſingularem dexteritatem, ab ullo quopiam in ipſo ſit deſideratum.

Sed verum eſt illud: ὁμικρὸν παλαιὸν σῶμα τὰνδρὸς ῥοπή. Ita enim & *Kuchlinus* cum valetudine eſſet ſatis, ut videbatur, firma, hora *ſexta* matutina, inter diſputandum, cum tractaret *locum de gradibus obedientiæ*, quam in hac vita fideles Deo præſtant, cepit illi lingua ſolvi, vultus & oculi labaſcere. Animadverſum id ab auditoribus, qui ſtatim finem diſputationi imponentes, gratias Deo de more egerunt, & ſuam & Doctoris ſui vicem miſerti. Accurrit illico gener *Petrus Bertius*, & deprenſo morbi genere in vicinum auditorio conclave deportandum curat. Ex eo ad mortem dici non poteſt, quam fuerit animo comparato. Initio auditæ ſæpè ſunt hæ voces: *Obedientia noſtra in hac vita inchoatur: ſucceſſivè fit motus: legem Dei voto hic perficimus, non opere.* A Paſtoribus *Feſto*, *Barrheo*, *Egberto* quoties preces conciperentur, ſemper ipſe attenta & arrecta ad illas mente, addidit ſignaculum orationis, *Amen*. Tandem poſtridiè calend. Julii, anno *milleſimo ſexcenteſimo ſexto* in cœleſtem patriam emigravit, penè ſexagenarius. Defuncto ſucceſſit *Petrus Bertius* in regendo collegio Theologico, gener ipſius.

Corripitur paralyſi.
Voces eius in morbo.
Moritur.
Petrus Bertius.

Kuchlinus autem docendo potiſſimum intentus, ſcripſit *Diſputationes Theologicas*, ad Catecheſeos Eccleſiarum Belgicarum explicationem.

Scripta Kuchl.

Tantum de Kuchlino ex oratione funebri, habita à Luca Trelcatio, Theologiæ in Academia Lugdunenſi Profeſſore.

GEORGIUS MYLIUS.

⊙. 1607. d. 28. Maii. ætat. 59.

PRotulit *Georgium Mylium Auguſta* Vindelicorum, anno ſalutis *milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo octavo*. Patrem habuit *Wolfgangum*, civem ibidem & fabrum lignarium, avum autem *Ioannem Geringum* molitorem, cui ex opificio, more gentis, nomen hæſit, virum militarem, qui Imperatore *Carolo V.* ſtipendia meruit.

Pater. Avus.

Jactis in patriâ bonarum artium & linguarum fundamentis, ad publicas ſcholas anno *ſexageſimo ſexto*, conceſſit, ac primùm quidem *Argentinam*, inde *Tubingam*, hinc *Marpurgum*, in quibus ſingulis ita vixit, ut juvenis ſenibus, tyro veteranis, tanquam exemplum continentiæ, frugalitatis, & quod caput, ſinceræ pietatis proponeretur.

Ad publicas ſcholas abit.

Itaque ſtatim Præceptores in certam ſpem profectus egregii erexit. Et cùm iis indiciis virtutis & diligentiæ in ipsâ adoleſcentiâ ſe omnibus commendaſſet, mox *primam lauream* eſt conſecutus. Deinde ad *magiſterii* quoque honorem adſpirare cepit, quem conſentientibus præceptorum ſuffragiis eſt adeptus.

Teſtimonius Philoſ. ornatur.

E ſcholis *Philoſophicis* ad *Theologicas* progreſſus, lectiones Profeſſorum omnium *quadriennium* amplius diligenter audivit, diſputando ſe exercuit, concionibus interfuit, Philoſophica ſimul non planè neglexit. Cum ergo duabus inprimis in Academiis *Tubingenſi* & *Marpurgenſi* præclara * eruditæ doctrinæ ac famæ fundamenta poſuiſſet, anno *milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſecundo*, in patriam *Marpurgo* revocatus eſt, & ſacris initiatus, inter miniſtros Eccleſiæ locum inibi tenuit extremum.

Ad Theologiam tranſit.

** Contra, Geor. Pomer.*

Hac

Hac in statione cum annos ferè *octo*, non sine auditorum fructu, transegisset, de consensu & voluntate suæ ecclesiæ, *Tubingam* rediit, ubi cum disputando, sacra cursim legendo, professoribus & in accuratiore examine satisfeciisset, Doctor Theologus decimo Calend. Decembris, anno salutis *septuagesimo nono* solenniter renunciatus est, brabeutâ *Jacobo Heerbrando*, Decano verò & Vice-Cancellario *Theodorico Snepfio*.

Doctor Tubing. renuntiatur.

Impetrato gradu *Augustam* reversus, statim concordibus votis ac suffragiis Ecclesiæ, idque ratum habente senatu Augustano, *Pastor* ad D. *Annæ*, atque octo post menses *Superintendens* etiam ministerii generalis, & *Rector* uti vocant simul *collegii Evangelici* declaratur.

Præficitur ecclesiæ & scholæ evangel. Augustæ.

Hoc in munere ipsius accidit, sub exitum comitiorum, Augustæ anno *octogesimo secundo* celebratorum, ut *Gregorius* XIII. Pontifex Romanus, novi Calendarii, quod *Gregorianum* vocant, exemplum, ad *Rudolphum* II. Imperatorem mitteret, eo fine, ut in Germanico etiam Imperio illud promulgaret, sicuti cæteri orbis Christiani Reges & Principes in *Italia*, *Hispania*, *Gallia*, *Belgio* & *Polonia* se facturos receperant. Et Imperator quidem Calendarium illud Principibus & ordinibus Imperii observandum commendavit, sed plerique principes & ordines Imperii, qui *Augustanam confessionem* profitebantur, illud recipere constanter recusabant, non quòd Cæsari morem gerere non cuperent, sed quod Pontifex Romanus, edita Bulla, uti vocant, Calendarium illud omnibus Christianis, sub pœna excommunicationis, recipiendum autoritate Apostolicâ mandasset, Evangelici autem Romani Pontificis authoritatem & dominium non agnoscerent. Cæterum cum Pontifex Calendarii receptionem vehementius urgeret, & Imperator idem in *Silesiam*, *Boëmiam*, *Lusatiam*, *Moraviam*, & cæteras *Austriæ* utriusque ditiones hæreditarias introduxisset, Senatus Augustanus, cujus pars major Pontificii, Cæsari gratificari cupiens, calendarium Pontificium recepit. Qui verò in urbe ex civibus Augustanam confessionem amplectebantur, quorum sanè multò major pars, idem aversabantur. Interea senatus suo quodam consilio, urbem conscripto milite * præsidiario munivit. Quo facto in summis periculis urbs Augusta versari videbatur. Cum enim cives plerique opinarentur, magistratum dissidium illud de calendario vi armisque diremturum, milites verò ipsi, quæ est ejusmodi hominum incontinentia, prædæ atque rapinis vehementer inhiare viderentur, cives partim bona sua peregrè avehere, partim conductis in suas domos præsidiariis sua tutari, vectibus portas atque ostia ædium communire, armis & bombardico apparatu se instruere cœperunt, tantum hostilis, quam ex Jesuitarum consiliis non omninò frustrà metuebant, irruptionis propulsandæ gratia.

Novum Calendar. Gregor.

A Protestantibus repudiatur.

Causa illius rejectionis.

Augusta recipitur à Senatu.

A civibus hom item.

* De toto hoc facto videnda scripta edita.

Istius ergò invidiam universam in *Mylium* præcipuè devolvebant Pontificii, ita ut in aula non tantum vicina Bavarica, sed & Imperatoria, *fax & autor turbatæ Reipubl. Augustanæ* proclamaretur, & Romæ, ut fama erat, imago ejus publico affixa, summis prosciissa fuerit contumeliis. Quin & *Jesuitæ* interim nihil non per fas nefasque tentarunt, quò sub prætextu *Calendarii Gregoriani*, doctrinæ Evangelicæ * jugulum peteretur, & universa urbs pristino servitutis Pontificiæ jugo implicaretur; quanquam, quâ sunt fronte, strenuè id negarint pernegarintque. Re ergò probè deliberata; *Mylius* cæterique symmystæ non vi, non minis, non armis, sed consilio & precibus causam egerunt suam, tùm domi apud magistratum ordinarium, tùm foris apud Imperatorem & quidem in Camera Spirensi Imperiali, donec tandem legitimâ viâ atque ratione mandatum impetraverunt, Imperatoriâ authoritate munitum, quo veteris calendarii usus, posthabito novo, exemplo cæterarum confessioni Augustanæ adjunctarum ecclesiarum, ipsis fuit concessus.

Mylio invidia conflata.

Jesuitarum molimina.

* *Vide ipsam orat. parentalem.*

Mandatum Cameræ de Calendar. novo.

Cum autem senatus in judicio Imperialis Cameræ opponeret, se nihil contra datam religioni pacem moliri, sed politicis tantum causis moveri, ut videlicet commercia usitata cum vicinorum Principum & Episcoporum, qui illud recepissent, subditis, commodius exerceri, & in urbe omnis generis confusiones in judiciis, nundinis, macellis, opificum tabernis, ex dissimilitudine calendarii orientes, vitari queant, aliud decretum in Camera, quo prius illud abrogatum, ineunte Majo obtinuerunt. Quod cum *Augustæ* promulgatum esset, ministri evangelici, quorum *Mylius* præses, sive Superintendens erat, scripto senatui explicant, *se in omnibus politicis negotiis decreto parituros esse, sed in templis ac festorum celebratione, & evangelicæ religionis suæ exercitiis, se nullam obedientiæ Romano Pontifici præstandæ significationem præbere posse.* Ideoque vicesimo quarto Maji, pro concione, festum ascensionis Christi, proxima die *vicesimo octavo* Maji, celebrandum, auditoribus suis * denunciavit, quod uno mense antè pontificii jam peregerant. Hanc denunciationem ægerrimè ferens senatus, postridie, die nimirum *vicesimo quinto* Maji, qui *Urbano* * sacer est, *Mylio* officium ac stipendium, circa meridiem, renunciat, eumque extra urbem educi * mandat. In quo, dum moram præfectus vigilum nectit, cives, re cognitâ, primò inermes, postea armati concurrunt, & pastorem suum, jam currui impositum, propè urbis portam, ereptum eunt.

Senatus Augustanus adversatur.

Decretum contrarium.

Ministri se declarant.

Inter quos Mylius.

* *Chytr. Sax. lib. 22. Ab offic. removetur.*

* *Myl. comm. in ep. ad Rom. p. 218.*

* *Acta tumultus August.*

Sic ergo è manibus hostium liberatus, illâ quidem adhuc vesperâ conjugi & liberis restituitur, sed ita, ut vix paucarum horarum usurâ, in mutuos amplexus concessâ, postridie non sine vitæ discrimine, mutato habitu, patriæ valedicere, & in viam fugamve se dare fuerit coactus. Hic diu multumque hæsitans, quonam se verteret, & ubi tutò pedem figere posset, tandem suasu amicorum

Expellitur.

Vlmam concedit.

Vlmam, Sueviæ metropolin, conceſſit, ubi & à ſenatu, & à civibus, non ut amicus, ſed ut filius ac frater fuit ſuſceptus. Vix dum autem *Vlmæ* pedem fixerat; cùm nuncium de morte conjugis Barbaræ Grundlerianæ, tum gravidæ, uti & ipſius ſobolis accepit, quo vulnus ei inflictum fuit graviſſimum.

Beneficia ab Vlmenſibus in ipſum collata.

Cæterum dum *Vlmæ* ſubſtitit *Mylius*, nihil prius nihilque antiquius habuit, quam ut tum ab ipſo miniſterio eccleſiaſtico, tum à præfectis eccleſiæ, teſtimonia & vitæ & laborum impetraret. Et ſanè impetravit quàm maximè honorifica, quicquid contra impudens cujuſdam os effutiverit. Affectus eſt ab Ulmenſibus toto, quo ipſorum hoſpitio uſus eſt, tempore, beneficiis tantis, ut dignè ea prædicare nunquam potuerit. *Duorum* autem potiſſimum *beneficiorum* ſe ſubinde recordari, ingenuè eſt confeſſus, quorum *alterum à ſenatu* in ſe profectum ſit, qui patria profligatum patriâ donaverit alterâ. Neque enim alio, quàm patriæ loco, ipſi eſſe poterat habitatio, quæ exuli & hoſtium inſidiis ac perſecutione undiquaque appetito, tum tuta, tum honeſta, tempore benè longo, Ulmæ fuit conceſſa. *Alterum*, à viris illis, non ortu magis, quàm virtute, prudentia, & meritis in remp. nobiliſſimis, *Daniele Schadio*, ſeniore urbis tum prætore, & *Joanne Rodolpho Ehingero* reip. advocato, ipſi exhibitum. Uterque enim præ aliis *Mylio* ab omnibus tum derelicto, non patronum magis, quàm patrem longè paratiſſimè ſe præbuit.

Daniel. Schadius.

I. Rodolph. Ehinger

Tranſit ad ſecunda vota.

Durante autem Pathmo Ulmenſi, ad ſecundas tranſiit nuptias, cum virgine *Veronica*, ex familiâ Weiſſiana, patricia Auguſtæ valdè celebri, vel hoc pacto variarum ærumnarum ac malorum levamine quodam recreatus. Quanquam Deus & multis ſignis aliis, paterni ſui favoris argumenta tum quoque dedit. Nam è patria ejecto, & ex ſtatione eccleſiaſticâ Auguſtanâ profligato, Deus non de uno, ſed pluribus, iisque longè clariſſimis Provinciis, paternè proſpexit, ita ut tum à viris principibus, tum à rebuspub. nobiliſſimis fuerit expetitus. Suum enim volebant eſſe *Mylium Argentinenſes*, ſuum *Brunſuicenſes*, vivente adhuc *Martino Chemnitio*, ſuum denique volebat eſſe *Auguſtus* Elector Saxoniæ, qui voti etiam ſui præ cæteris compos, Wittembergenſi ipſum Academiæ *profeſſorem*, *cancellarium* & *præpoſitum* templi arcis conſtituit, anno Chriſti *milleſimo*, *quingenteſimo*, *octogeſimo quinto*, menſe Junio.

Varia & inſignes ei oblata conditiones.

Wittemb. declaratur Profeſſor, Cancellarius, Paſtor.

Verum uti *omnium rerum viciſſitudo*, & *magni brevis eſt fortuna favoris*, ita neque *Mylius* ſingulari illa electoris clementia, neque eccleſia voce ejus diu frui potuit. Nondum enim annus unus abierat, cùm in vivis eſſe deſiit *Auguſtus*, dux & ſeptemvir Saxoniæ. Huic cum ſucceſſiſſet *Chriſtianus* I. & liber *concordiæ*, tanquam *ſeminarium diſcordiæ*, publicè proſcriberetur, *Lutheri* juxta & prototypi confeſſionis Auguſtanæ auctoritas elevaretur, ac corporis doctrinæ *Philippici* prætextu immutatio religionis introduceretur, *Mylius*, *Polycarpo Leiſero Brunſuigam* dimiſſo, diutius commorari ibi non potuit. Nam cùm ad normam *corporis doctrinæ Philippici* in publicâ cujusdam Theologi ordinatione, adſtringere inaugurandum detrectaret, ſtatim *cancellariatus* munere atque dignitate exutus, & de ſtipendio annuo *ſexcentis florenis* privatus eſt, poſt à Ducibus Saxoniæ *Vinarienſibus* & *Coburgenſibus* expetito, mox diſcedendi poteſtas conceſſa.

Liber Concord. ſeminarium diſcordiæ.

Myl. cancell. & ſtipendii magna parte privatur.

Dimittitur Wittemberg.

Sic ergo relictâ *Wittembergâ Jenam* migravit, anno Chriſti *milleſimo*, *quingenteſimo*, *octogeſimo nono*, die *duodecimo* Febr. deſiderio ſui tum apud cives, tum quosdam Academicos relicto. *Jenæ* autem primum inter Theologos locum, & poſtremo etiam biennio *Paſtoris* atque *Superintendentis* munus occupavit, quod tantâ fide, induſtriâ, & authoritate adminiſtravit, ut nominis ſui famam & exiſtimationem longè lateque extenderet. Hinc exteræ civitates atque respubl. *Rigenſis*, *Regiomontana*, *Brunſuicenſis*, hinc comitum haud pauci, *Solmenſis* cumprimis & *Schvvartzburgicus*, hinc ipſi quoque Principes Saxon. *Coburgenſes*, certatim quaſi operam ipſius expetiverunt. Cumque anno *nonageſimo primo*, die *vigeſimo quinto* Septembris, præmatura morte abreptus eſſet, optimus Princeps *Chriſtianus* I. Elector Saxoniæ, & Electoratus Saxonici adminiſtrationem ſubiret *Fridericus Wilhelmus*, Dux Saxoniæ, deque ſummâ rerum conſtituenda, cum ordinibus provincialibus conſilia agitarentur, *Mylius* dignus fuit judicatus, qui unà cum aliis arduo illi & difficili *reformationis* operi adhiberetur. Cui Provinciæ etiam vacans *Mylius*, menſibus quinque integris, in colligenda inſtauranda que eccleſia *Wittembergenſi*, octonis verò aliis in viſitatione *Miſnica* inſumtis fidem, ſtudium, induſtriam, animique alacritatem omnibus probavit in Electoratu Saxonico. Quæ etiam cauſa fuit, ut cum infelix *Huberus* novi diſſidii flammas in Academiâ Wittembergicâ ſuperioribus annis excitaſſet, ad illas reſtinguendas, *Mylii* potiſſimum opera viſa fuerit commodiſſima. Quin cum celebris illius *Hunnii* obitu locus primus in Collegio Theologico: Paſtoris verò in eccleſia *Wittembergenſi* vacaret, *Chriſtianus* II. Elector Saxoniæ *Mylium* ex *Jenenſi Academiâ*, poſtliminio quaſi *Wittembergam* revocatum, & eccleſiæ iſtius Epiſcopum ſive Superintendentem Hunnii loco conſtitutum voluit. Cui vocationi locum etiam ipſe, debita animi ſubjectione, relinquens, rediit *Wittembergam*, anno *ſexcenteſimo tertio*, menſe Octobri, cum magno *Jenenſium* mœrore, quin & ipſius Academiæ luctu.

Fama Mylii.

Chriſtiani I. Elect. Saxon. obitus.

Friderici Wilhelmi. Pro-Elect.

Reformationem inſtituit.

Operâ Mylii.

Huberi diſſidium.

Reſtinguitur Mylii etiam opera.

Revocatur Wittemberg.

Hanc Spartam ad finem usque vitæ cum laude geſſit: donec anno *ſexcenteſimo tertio*, menſe Majo, & quidem ipſo *Adſcenſionis feſto*, ultimam concionem (quam & ante annos *viginti tres Auguſtæ* ultimam indixerat) *Wittembergæ* habuiſſet, & altero die pòſt, ordi-

Ultima ejus concio & lectio.

ordinariam in schola lectionem continuasset, aliquot diecularum ferias ab auditorio petiit. Sibi enim ita re urgente aliquò excurrendum, à reditu ad operas etiam suas rediturum. Sed verè dictum est à principe Poëta:

Nescia mens hominum fati sortisq; futuræ:

Morbus iam. Nam *Mylius* quidem nusquam excurrit, sed calculo renum domi attentus, lecto est affixus; cui accessit febris maligna, quæ omnem medicorum industriam respuens, intra paucos dies effecit, ut vita excederet, eo ipso die *vicesimo* nempe *octavo* Maji, quo conjux ejusdem prior, violento sui mariti raptu exterrita, fuerat extincta. Toto morbi tempore nec doloris acerbitas, nec mortis metus, de gradu dejicere potuit. Mortem enim ipsam usque adeò non exhorruit, ut non modo illud *Augustini* aliquoties ingeminaret: *Illius est nolle mori, qui nolit ire ad Christum*: sed & mortem propiùs adventantem læto quasi vultu exceperit, vel certe majore eam desiderio expetiverit, quàm mors ipsa eum petere videbatur.

Moritur.

Patientia in morbo.

Cujus rei illustrem significationem edidit, quòd feriâ tertia *Pentecostes*, finita concione solenniore, convocatis *uxore, liberis, amicis, collegis Theologis, & ministris ecclesiæ*, orthodoxam fidei confessionem magno spiritu edidit, peccatorum veniam à DEO humilimè petiit, pro beneficiis planè singularibus in se collatis, gratias divinæ bonitati egit devotissimas, Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi Servatoris magnâ cum veneratione suscepit; pacis & concordiæ studium collegis, ipsum verò afflictæ *Ecclesiæ* & *Academiæ* statum, DEO piis precibus commendavit, & tandem singulis ac universis extremum valedixit, ac biduo post placidè in Domino obdormivit, die ut dictum, *vigesimo octavo* Maji anno sexcentesimo septimo ætatis suæ *undesexagesimo*.

Confessio fidei.

Valedicit suis.

Scripta. Edita ab ipso sunt hæc, *explicatio epistolæ Pauli ad Romanos: De re sacramentaria* libri quatuor *Martini Lutheri* per analysin propositi; *Synopsis analytica* libri D. *Martini Lutheri*, contra cœlestes Prophetas: Megalandri *Lutheri* liber secundus in causa sacramentaria, qui inscriptus est, quòd *verba Christi*, Hoc est corpus meum, *adhuc inconcussa maneant.* Τετράβιβλος ἀντιδιατριβικὴ D. *Martini Lutheri*, continens librorum. 1. secundi qui ἀντισοφιστικὸς inscribitur. 2. cui titulus est περὶ τοῦ ῥητοῦ in verbis cœnæ. 3. majoris. 4. minoris Homologetici analysin: Volumen *disputationum theologicarum*: *Prodromus disputationum* ex epistola *Pauli* ad Roman. *Aphorismi Paulini* in caput secundum ad Romanos: *Deus reddet unicuiq; secundum opera sua. & Factores legis justificabuntur*, ἐξέτασις συζητητικὴ: *Doctrina* sancta de *justificatione* ex ipso Pauli tractatu ad Romanos 3. & 4. cap. excepta. *Spongiæ absterforia* pro confessione Augustana; *Explicatio Augustanæ* confessionis: *Explicatio epistolæ prioris Pauli* ad Corinthios. Scripsit & *germanicè* varia, ut tractatum *de regno Papæ, & ejus incrementis*: *Formam confessionis*, juxta quam ecclesiæ in *Russia* docentur, item *quo loco habenda* sit Formula concordiæ, *conciones funebres*; de *Turca*: *Delineationem comediæ Calvinisticæ* in Misnia, epistolam ad evangelicos in *Livonia*, *Polonia*, *Prussia*, *Lithvania*, *Churlandia*, & si quæ alia. Germanica.

Atq; hæc de Mylio ex oratione parentali dicta à Leonharto Huttero Theol. D. & Prof. Wittembergæ: Chytræi Saxon. & elench. librorum.

JOANN. GUILIELMUS STUCKIUS.

☉ 1607. d. 3 Sept. ætat. 65.

PLacuit DEO, ut lucis hujus usura frui primùm inciperet, *Joan. Guilielm. Stuckius*, anno Servatoris nostri *milliesimo, quingentesimo quadragesimo secundo*, die *vicesimo primo* Maji, qui tum dies Solis. Et idem quidem annus * emortualis fuit *Leoni Judæ*, dies verò † natalis *Alberto Durero*, Phidiæ superioris seculi, emortualis * verò *Beato Rhenano*, illi antiquitatis indagatori diligentissimo.

Natalis Stuckii.

* An. 1542 d. 19. Iunii
† An. 1471
* An. 1547

Locus, in quo natus, est pervetustum & nobile *Tossense* cœnobium, jurisdictionis Tigurinæ, uno alterove lapide *Vitoduro* distans, cujus administrationem, Tigurinæ urbis nomine, tunc pater ejus obibat *Rodolphus Stuckius*, ut & Capellani. Quibus muneribus quòd probè integreque esset perfunctus, legatus etiam præfecturæ *Lausensis*, ad Rheni cataractas, tandem est creatus, in qua diem suum obiit.

Patria. Rodolph. Stuckius pater.

Familia Stuckiorum. Fuit autem is ex ea *Stuckiorum* familia, qui regis *Alberti* Austrii temporibus, *quina ante secula*, inter regii *Seconiensis* monasterii armigeros, liberæque conditionis feudatarios viros, vetustissimo instrumento manuscripto in annalibus Helveticis numerantur, ut qui laudatiss. *Glaronensium* reipub. *patricii* & *labarophori*, multis retrò annis, ob belli pacisque virtutem fuissent. Verùm tyrannide & avaritiâ dicti regis moti, unâ cum aliis familiis honestis *Tigurum* commigrarunt: ubi civitate donati, à temporibus primi consulis Tigurini *Rodolphi Bruni*, cum ob alia egregiè merita, quæ rebus dubiis, afflictæ patriæ non semel præstiterunt, tum inprimis ob præsentem fortitudinem *Joannis Stuckii*, in claro illo ad *Titi-Villam* prælio, in quo vexilli *Tigurini* majoris cura ei commissa, tanquam inprimis perspectæ in patriam fidei civi, summa totius urbis *Tigurinæ* laude & commodo, in maximâ semper existimatione dignitateque fuerunt.

Rodolph. Brunus Consul Tigur. I. Io. Stuckii fortitudo.

Mater ei fuit *Martha de Fulach*, matrona non tam generis nobilitate, & avorum nomine, quàm pietate & cæteris virtutibus Christianis ornata, cujus pater *Joann. Guilielmus de Fulach* litibus adductus, quas vicini quidam nobiles insolenter ei intenderant, arcem dominiumque *Lausens.* tradidit primus in fidem & clientelam senatus populiq. *Tigurini*.

Mater Stuckii.

Ioan. Guilielm de Fulach.

Mox autem, infans adhuc *Stuckius*, cum egregia in ipso eluceret indoles, quæ tanquam in herbis significabat, quæ virtutis maturitas, & quantæ fruges industriæ essent futuræ, de parentum consilio studiis literarum est dicatus. Etenim non ignoratunt optimi parentes: ἐν πρώτοις καὶ μέσοις, καὶ τελευταίοις κεφάλαιον εἶναι ἀναγωγὴν ἀπαιδαίστον, καὶ παιδείαν νόμιμον, καὶ ταῦτα φοιτᾷ, καὶ συνεργὰ θεὸς ἀρετῇ καὶ εὐδαιμονίαν, ut sapienter *Plutarch.* In his igitur ordiendis & pertexendis prima in Augusta *Basileensium* urbe, quo *semestre* vix natus ad materteram suam, *Ursulam de Fulach*, antè fuerat translatus, jecit fundamenta, breviterque in iis ita profecit, ut condiscipulos suos non tam ingenio, quàm doctrinâ facilè superarit. Sed quod caput est ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ἐποιεῖ θεόν, à DEO immortali agendi cœpit primordia. Ut enim veræ pietatis ex puro DEI verbo depromta cognitione, statim ab uberibus nutricis depulsus, simul atque fari cœpit, ante omnia imbueretur, uterque parens sedulò curavit, atque hic quidem primus fuit peregrinationis ejus literariæ locus.

Infans Io. Guilielm. Stuck. ad materteram translatus.

Basileâ digressus una cum matertera sua, annos circiter *octo natus*, in *Capellanum* venit *cœnobium*, cujus administrationem parens id temporis gerebat, magistratus *Tigurini* nomine. Salutatis illic parentibus, Tigurum est profectus, ubi in fidem tutelamque *Ludovico Lavatero*, Pastori Ecclesiæ Tigurinæ traditus, cujus pater quondam *Stuckium* ex sacri baptismi lavacro susceperat, *Basileæ* comparata literarum rudimenta, ad annum ætatis *decimum quintum* continuavit, cùm *Lavaterus* ei ad suscipiendam & ingrediendam rationem studiorum princeps exstitisset.

Venit in Capellanum cœnobium ad Patrem.

Tiguri Ludov. Lavatero commendatur.

Decimum quintum egressus annum, in *Lausannensem Academiam*, literis literatisque hominibus tunc florentem, à parentibus est missus, ubi præter Latinam & Græcam linguam Gallicam quoque addidicit, præceptoribus, inter alios, usus *Joanne Randono*, & *Francisco Beraldo*, qui morum studiorumque ejus fideles & assidui γεωργοὶ seu cultores educatoresque fuerunt. Socios studiorum illic habuit aliquot nobiles & summæ industriæ adolescentes, qui magna postea reipubl. & ecclesiæ lumina evaserunt, inter quos postremi haud fuerunt *Joannes Meysius* & *Petrus Junius*, Scotus, Serenissimi magnæ Britanniæ Regis *Jacobi I.* olim Præceptor, mortuo *Buchanano* suffectus, post eidem ab intimis consiliis. *Lausannæ*, ubi biennium commoratus, domum revocatus, in nobile *Argentinensium* concessit gymnasium. Hic etsi in studiorum stadio decurrendo strenuus & acer per se esset, tamen in eo egregiè adjutus fuit à viris æternâ memoriâ dignis, *Joanne Sturmio*, id temporis Gymnasii Rectore, & *Francisco Hotomanno* Juris-Consulto, Theologo, & Oratore perfecto, qui in Latinis literis *Stuckium*, quem ob indolem ac spem præclaram mirificè uterq; amabat, perpoliverunt.

Mittitur Lausannam.

Præceptores ibi ejus, Ioan. Randonus Fr. Beraldus.

Condiscipuli.

Argentoratum concedit.

Io. Sturmius. Franc. Hotomannus.

Argentorato non tam de parentum suorum consilio, quàm ecclesiæ & scholæ *Tigurinæ* præsidum, *Bullingeri*, *Gualtheri*, *Simleri*, *Lavateri*, *Wolfii*, *Gesneri*, *Frisii* senioris, *Collini*, *Pellicani*, & *Lehmanni*, in nobilissimam Galliæ provinciam est missus, in qua, præter alias ejus regni Academias florentissimas, vidit & frequentavit *Lutetiam Parisiorum*, linguarum *Latinæ*, *Græcæ*, *Hebraicæ*, totiusque ἐγκυκλοπαιδείας optimis fideliſſimisque Præceptoribus usus *Sancto-Germano*, *Carpentario*, *Forcadello*, *Turnebo*, *Lambino*, *Aurato*, *Peregrino*, *Mercero*, *Salignaco*, *Genebrardo*, *Quinquarboreo*, *Querculo*, aliis, viris eruditissimis, qui ad unum omnes singulari humanitate benevolentiaque *Stuckium* sunt prosecuti. Ipse vero per eos incredibiles fecit progressus in omni literatura, ut partim monumenta ejus præclara testantur, partim ipse ingenuè sæpe fassus est, illud *Plinii secundi* haud dubiè memoriâ recolens: *benignum est, ut arbitror, & plenum ingenui pudoris fateri, per quos profeceris.* Hic verò studiorum suorum hunc etiam vel maximum fructum percepit, quod ei tunc ad notitiam & amicitiam illustris & generosi viri *D. Philippi Mornæi*, Plessiaci Domini, aditus fuit patefactus, quæ primùm inter eos tunc cœpta amicitia ad extremum firma constansque permansit. Et hæc prima ejus fuit in Gallia peregrinatio ante belli civilis initium.

In Galliam ablegatur.

Lutetis Parisiorum discit.

Præceptores.

Innotescit Philippo Mornæo.

E Gallia ad suos revocatus, ab iisdem in celebrem *Tubingensem* Academiam missus est, ubi præter *Crusium*, *Lieblerum*, *Hizlerum*, *Heilandum*, & alios id temporis philosophiæ, disciplinarumque liberalium doctores eximios, magni illius *Scheckii* præceptis institutisque usus est, qui in profundissimis *Logicis* scientiis eum absolvit, peregrinationis verò & studiorum comitem atq; socium illic habuit Jo. *Jacobum Grynæum*, magnum illud ecclesiæ Basileensis lumen.

Tubingam mittitur.

Scheckii utitur institutione.

Comes Io. Jacob. Grynæus.

Relictâ *Tubinga* denuo in *Galliam* est profectus, visis & salutatis ἐν παρόδῳ civitatis, ecclesiæ & scholæ *Genevensis* proceribus, quod ea civitas plurimorum tunc piorum doctissimorumque virorum, ut hodieque hospitium, atque asylum fuisset. In hoc autem Galliæ regno ejusque metropoli *Lutetiâ* dum medio in cursu studiorum versatur, decantatus ille Possiacenus conventus est indictus, anno *sexagesimo primo*, ut de religione illic colloquia agitarentur, & ratio, si fieri possit moderationis atque pacis iniretur. Regina mater *Catharina* literas quoque tum scribendas curavit ad senatum *Tigurinum*, quibus ad eundem conventum mitti petiit *Martyrem*, in schola Tigurina id temporis divinarum literarum professorem, & ejus seculi Theologorum facilè principem. Huic igitur conventui, magna gravique de causa celebrando, utriusque ordinis senatus, politicus & ecclesiasticus, non tantum *Martyrem* jussit interesse, sed ei adjunxit comitem & interpretem *Stuckium*, quum primum *Martyr* Lutetiam esset venturus; quo munere probè fideliterque

Iterum in Galliam abit.

Conventus Possiacenus.

Ad eum P. Martyr. evocatur.

Qui missus Comite & interprete Stuckio.

terque est perfunctus, adeò ut illo tempore Martyr filii instar illum dilexerit, amaverit, promoverit, hic verò *Martyrem* non præceptoris tantum, sed patris etiam loco constanter coluerit. In eo colloquio inprimis disputatum fuit *de sacra Domini cœnâ*, à *Beza*, *Cardinale Lotharingo*, *Espensæo* Monacho Sorbonico, & *Martyre*, cujus sententiam sanè cedro dignam, totidem verbis, quot eam *Martyr* collocutoribus, scripto comprehensam, tradidit, si hîc inseruerimus, haud ἀπροθυμίας feciſſe videamur. Ea igitur sic habet:

In eo quid actum.

Martyris sententia de S. Cœna.

Reverendi Antistites, ac doctissimi viri, cùm videretur irritus propemodum consensus de Corporis Christi præsentia in usu cœnæ, vobis heri sum professus, quæ mea de illo dogmate fides ac sententia esset, quam ut heri verbis expressi, sic in præsentia de scripto recitare statui, quo certiorem ac magis perspicuam illam vobis faciam. Sentio itaq; Corpus Christi reale atq; substantiale tantum in cœlis esse, fideles tamen communicando verum ejus corpus, & verum sanguinem, quæ pro nobis tradita sunt in crucem, spiritualiter & per fidem percipere. Quare in pane ac vino cœnæ transsubstantiationem & consubstantiationem minime probo. Deinde affirmo, nostræ conjunctioni cum corpore & sanguine Christi locorum distantiam non obstare, quoniam cœna Dominica res est cœlestis, & licet ore corporis accipiamus in terris panem & vinum, sacramenta corporis & sanguinis Domini, fide tamen & ope Spiritus sancti animi nostri ad cœlum evecti, præsenti corpore & sanguine Christi fruuntur. Et ideo assero, non opus esse statuere corpus Christi verè, substantialiter & corporaliter adesse vel nobis, vel symbolis, præsentia locali. Res adhuc significatas ajo non aliter conjungi symbolis externis, quàm sacramentaliter, quod ab eis non profanè ac leviter, sed ex instituto Domini efficaciter significentur. Hæc est summa fidei meæ, quam in hoc dogmate sequor, & idcirco allatas formulas consensûs ea ratione admitto, quâ referuntur vel accommodari possunt ad sensum jam explicatum, contra quem si quis illas vel rapiat, vel interpretetur, ab eo me profiteor dissidere, cumq; in hisce formulis fiat mentio substantiæ corporis Christi, per illud nomen seu vocabulum nil aliud intelligo, quam verum Christi corpus, non enim fides nostra in rem fictam aut phantasma dirigitur, sed in corpus humanum verum & naturale, quod Verbum Dei ex beata virgine assumsit, & in crucem pro nobis dedit. Unde non est, quod ex ea voce credamur existimare, præsentiam ejus realem alibi, quam in cœlis esse. Ego Petrus Martyr Vermilius Florentinus hic manu mea scripsi, & ore proprio sum protestatus coram reverendis Dominis collocutoribus.

Hæc summa fuit fidei Martyris, quam in hoc dogmate secutus est, ob quam testimonium retulit ab *Espensæo* quòd Theologorum illius ætatis tam perspicuè tamque distinctè de cœnâ Domini tractasset nemo.

Cæterùm *Stuckius* Martyrem in Germaniam non comitatus est, sed cum magistratus sui venia in Gallia permansit, magni cujusdam reguli Gallicani filios in fidem disciplinamque suam nactus: quibus instituendis, erudiendis & regendis tanta præfuit dexteritate, moderatione & prudentiâ, ut maximum inde nomen gloriamque apud Gallos, nec Academiarum tantum præsides atque doctores, sed etiam aulæ regiæ proceres, sit consecutus; qui proinde *Stuckium*, licet peregrinum, certatim suum vendicare libenter voluissent, siquidem id cum magistratus ipsius licentiâ fieri potuisset. Et hæc altera ejus literaria peregrinatio statioque fuit in Galliis, post videlicet belli civilis initium.

Præficitur Gallis instituendis Stuckius.

Inde autem tanquam ex impetuosissimo mari ad dulce patriæ solum, ceu in portum se recepit, ubi tamen diu haud substitit, sed salutatis parentibus, inque mentem sibi revocato celebri illo Strabonis apophthegmate: ὁ μεγάλῳ τίθεται πολλῶν ἀνθρώπων ἰδεῖν ἄξια ἢ νεῦν γνῶναι; in *Italiam* se conferens, Venetæ reipub. academiam *Patavinam* invisit, in ipsaque & metropoli Veneria annum est commoratus, paulò ampliùs, ubi eruditissimi viri *Panzeroli*, & celebratissimi Rabbini *Menachemi*, usus operâ, cum lingua *Latina*, *Græca*, *Hebraica*, *Gallica*, & *Italica*, cæterisque scientiis laudatissimis, quas omnes jam perceperat, principes cæteras & planè divinas linguas *Chaldaicam* & *Syriacam* conjunxit, eas omnibus suis numeris & partibus perficiens & explens, summi atque perfecti illius oratoris *Tullii* exemplum & consilium secutus, qui non una Latina vernacula contentus, cum ea Græcam conjunxit, idemque filio suo *Marco*, Athenis Cratippum audienti, faciendum censuit.

Redit ad suos.

Abit Patavium.

Ibi linguas discit.

In iis autem cum linguis, artibus & scientiis, tum rerum multarum optimarum & utilissimarum cognitione & experientiâ profectum admirabilem luculentissimè comprobavit, cum anno *millesimo quingentesimo sexagesimo octavo*, ad patriam redux, è diuturnâ & laudabili suâ peregrinatione literaria *Basilienſi*, *Lausannenſi*, *Tubingenſi*, *Gallica* & *Italica*, magno suorum applausu, exspectationi sui plenè cumulateque satisfecit, illud veterum Græcorum manifestè in se exprimens, καλὴν ἀγωγὴν καλὴν ἐμποιεῖν ἐξαγωλὴν; *præclaram educationem præclarum sortiri exitum.* Etenim operam suam statim scholæ deferens (ut qui probè meminerat, τοῦτ' εἶναι τὸ ζῆν, οὐχ ἑαυτῷ ζῆν μόνον, ut loquitur *Menander*, *non soli sibi se natum esse, sed patriæ, sed parentibus, sed amicis*) *Joanni Jacobo Ammiano*, viro doctissimo & de schola Tigurina, cujus rector moderatorque plures annos fidissimus fuerat, optimè merito seni, adhuc vivo; sed ob decrepitæ ætatis incommoda, rude donato, communibus suffragiis successit, vicarius in artium logicarum professione ad *vicesimum sextum* diem Septembris ejus anni *sexagesimi octavi*. Quam professionem obiit *biennium* & ampliùs, magno cum auditorum suorum fructu & emolumento, cum paulò post electionem, nempe ad *vicesimum tertium* diem Novembris ejusdem

Redit in patriam.

Joan. Jac. Ammianus.

Ei succedit Stuckius.

anni, autoribus & suasoribus parentibus suis, matrimonio sibi junxisset nobilem virginem *Elisabetham Rönsteinam*, nuptiis celebratis in arce *Laufensi*, cujus administrationem pater ejus *Rodolphus Stuckius*, tum temporis gerebat. Fuit illa *Jacobi Rönstii*, senatorii ordinis viri, stemmate & antiquâ propriaque virtute nobilis, filia: neptis verò *Diethelmi Rönstii*, Tigurinæ Reipublicæ consulis, pia & verè nobilis matrona. Matrimonium ipsum & mutuo conjugum amore fuit felix, liberis utriusque sexus fecundum, & ad quietiorem Musisque dicatam vitæ rationem perquàm accommodatum, sed non perinde diuturnum. Nam *novennio* vix exacto, in ipso ætatis flore, anno salutis *millesimo, quingentesimo septuagesimo septimo*, mense Augusto, ipsa rebus humanis exemta, luctum desideriumque sui reliquit immortale.

Uxorem duxit.

Conjugii ejus.

Ipse autem *Stuckius* in cœlestem patriam antè translato eximio scholæ Tigurinæ Theologo *Theodoro Bibliandro*, in professione Theologica veteris Testamenti ei successit, mense Februario, collega factus *Josiæ Simleri* Theologi Mathematici & Historici clarissimi. In hoc autem docendi munere ad vitæ usque finem ita versatus est, ut erat ingenio summo, memoria tenacissima, judicio accurato, & singulari planè facundia, ut auditoribus suis, quos frequentes habuit, abunde satisfecerit, explicatis successivè *Prophetis duodecim minoribus omnibus* & aliis Testamenti veteris libris, interque alios divinissimis *Salomonis Proverbiis*, in quibus terminus ei hæsit laborum scholasticorum, quos in docendo sustinuit. Hos autem sive Prophetas, sive alios sacræ scripturæ libros explicavit, non κῦ πόδας tantum, quod ajunt, sed methodo & sensu Prophetico diligenter observato & declaro. Itaque contextum è codice *Hebræo Chaldæove* explanatè primum legit, perlecti deinde sensum & intelligentiam dedit per ipsam scriptutam, è germano postmodum sensu locos doctrinæ non paucos & utiles collegit, doctrinas denique ritè collectas (quo dono insigniter præditus fuit) applicuit ad vitam & mores auditorum, sermone aperto & eleganti: cujus quidem doctrinæ, quam non tam docendo, quàm scribendo promulgavit, fama impulsi complures è distantioribus quoque locis *Tigurum* se ejus audiendi causa contulerunt.

Succedit Bibliandro.

Josias Simlerus collega.

Lectiones Stuckii.

Methodus ejus in explicandis libris sacris.

Fama ejusdem.

Obivit in eo munere & alia, de quibus hoc silentio præterire hic non possumus. Anno *septuagesimo octavo* mense Aprili, cum aliquot mensibus antè mota esset controversia *Bernæ*, à *Samuele Hubero*, contra pastores ecclesiæ Bernensis, eodemque tempore alia controversia excitata esset *Lausannæ* à *Claudio Alberico Triuncuriano*, philosophiæ illic professore, senatus Bernensis ex ecclesiis suis tam Helveticis, quam Romandicis, quas vocant, bonum numerum pastorum *Bernam* convenire jussit, tunc eidem vocari placuit & ex ecclesiis conjunctis Theologos. Inter

Labores.

Controversia Huberi. Alia Claudii Alberii.

hos igitur *Stuckius* fuit primus, qui Tiguro, alter *Joann. Jacobus Grynæus*, qui Basilea: tertius *Joannes Jetzlerus*, qui Scaphusia, cæteri *Beza*, *Fagius*, *Rotanus*, qui Genevâ eò venerunt. Exitus illius synodi hic fuit, ut *Alberius* cum suis, receptæ doctrinæ, & in confessione tàm Gallicana, quàm Helvetica comprehensæ, *de nostra ad tribunal Dei justificatione per fidem tanquam instrumentum, quo Christus, justitia nostra apprehendatur*, professus sit se penitus assentiri; cum antea & scripto & verbo docuisset, *justitiam nostram apud Deum, esse qualitatem quandam patibilem, in nobis inhærentem. Huberus* autem convictus, & nihilominus perseverans in diversis erroribus, *de Prædestinatione, & electione æterna Dei*, itemque *de Cœna Domini*, clam se subduxit ex urbe & tota ditione Bernensi, & pervagatus *Tubingam*, *Wittembergam*, *Jenam*, *Hamburgum*, & alias Germaniæ urbes, à quibus ob portentosa dogmata rejectus, donec tandem ad Balticum mare, in extremis Germaniæ finibus, *Dantisci* nidum invenit.

Conventus Theol. eo nomine.

Exitus Synodi.

Alberii doctrina de justificatione.

Huberi errores.

Qui se proripit.

Dantisci subsidet.

Sed ut redeamus ad *Stuckium*, is in politicis quoque scholæ negotiis tractandis fidem, prudentiam, & dexteritatem singularem adhibuit. Etenim scholæ rector bis designatus, quæ ad ejus honorem, dignitatem & utilitatem, morumque probitatem facerent, in commune semper optimâ fide, consuluit, fautor, patronus, promotorque omnium eorum, quos ad studia literatum idoneos, aliquandoque ecclesiæ ac reipubl. utiles ministros fore judicabat; ut & contra quos in idoneos, & potiùs oneri, quàm honori ecclesiæ ac reipubl. futuros putavit, pro virili removendos curavit. Præterea in aliis quoque publicis privatisque negotiis, cuicunque vel rogatus, vel admonitus, in rebus vel instituendis, vel componendis, consilio & re ipsa minimè defuit, libentetque gratificatus est.

Gerit magistratum scholasticum.

Verum uti πᾶσιν ἡμῖν καταθανεῖν ὀφείλεται, homoque vitæ commodatus, non donatus est, sic & *Stuckio* accidit. Nam *sexagesimum quintum* ætatis annum vix egressus mense Augusto, anni *sexcentesimi septimi*, aquis Badensibus Helvetiorum ita est usus, ut tunc quidem cum uteretur viribus nonnihil restitutum se confideret, vix autem domum *Badenâ* reversus, veteri & gravissimâ cholica fuerit correptus, ex qua tamen non multos dies lecto prorsus affixus decubuit. Tandem magno cum totius Tigurinæ urbis gemitu, vitam cum morte, aut potius mortem cum vita (nostra enim vita quæ dicitur, mors est, ut verè Tullius) commutavit, die Jovis, *tertio* Septembris, inter *octavam* & *nonam* vespertinam: cum adstantium consolationis plenas voces (quippe mens ad extremum usq; beatæ migrationis halitum optimè semper constitit) cupido animo excipiens, complicatis manibus gratias Deo primùm egisset de creationis, redemtionis, & sanctificationis in se collato bene-

Cholica laborat.

Moritur.

beneficio, tum servatoris sui exemplo, animam ei perquàm placidè reddidisset, postquam hoc in corpore peregrinata esset annis *sexaginta quinq;*, mensibus *tribus*, diebus *quatuordecim*. Proximè verò secuto die sabbathi, quæ *quinta* fuit Septembris, horâ quartâ pomeridianâ funeri illius justa soluta sunt. Elatus est humeris quatuor sacræ Theologiæ candidatorum, exsequias euntibus consulibus illius reipubl. magnificis, senatoribus, pastoribus, professoribus, civiumque multitudine frequentissima. Sepultus est non in extero, quod *Tigari* est, πολυανδρίῳ communi templi *Felicis* & *Regulæ*, sed in contiguo ei peristylio, conjuncto cadavere ipsius cum beatis ossibus *Bullingeri*, *Martyris*, *Gesneri*, *Simleri*, *Wolphii* Medici, quibuscum in vita maxima illi conjunctio necessitudoque intercessit. Celebrarunt hujus Theologi & Philologi præstantissimi obitum passim viri docti magnique epicediis atque epitaphiis carminibus, quæ orationi *Casparis Wasseri*, qua vitæ illius cursum terminumque circumscriptè depinxit, adjuncta. Si autem, ἐπίσημον εὐσέβειας, illustris pietas, καλὸν ὄπτασμα, amplum sepulcri monumentum est, næ *Stuckius* hic reliquit amplissimum. Nam ut pietatem timoremque Dei publicè in suggestis professus est, ita domi suæ & in civili conversatione כאמה כעשר *ut dixit, sic fecit*, quod breviter, sed nervosè dicunt Hebræi: non tantum aureum illud Rabbini veteris, *Doctrina sine opere, non est doctrina; cadit enim super corda, ut imber super saxa*: sed etiam hoc Chrysostomi perpetuò memoriâ tenens: οὐδὲν ψυχρότερον ἐν λόγοις φιλοσοφοῦντος μόνον. Τοῦτο γὰρ οὐ διδασκάλου, ἀλλ' ὑποκριτοῦ: *Nihil frigidius est doctore, verbis solummodo philosophante, hoc enim non doctoris, sed histrionis est*, & hoc Senecæ apophthegma: *Nullos pejus mereri de omnibus mortalibus judico, quàm qui aliter vivunt, quam vivendum præcipiunt.*

Et ipse igitur pietatem virtutum omnium fundamentum, per se coluit, & liberis ac domesticis suis eam verbo exemploque assiduè inculcavit, hæreditatem præterea optimam, & omni patrimonio præstantiorem liberis suis relicturus, erudiendos curavit in optimis disciplinis, linguis, moribusque *quaternos filios* suos, juvenes florentissimos, ex secundis ipsius nuptiis genitos. Mortuâ etenim primâ ejus conjuge, duxit alteram, *Mariam Stockeram*, è patritia *Stockerorum* ortam familiâ apud Scaphusianos, quæ multis annis magno ei subsidio fuit. Verum quum hanc etiam persecuta esset mors, quæ *nec parcit imbellis juventæ poplitibus timidoq; tergo*, tertiam sibi junxit, nempe *Catharinâ Burgavveram*, filiam Gl. *Benedicti Burgavveri*, polyatri Scaphusiani, cujus pater hoc nomine bonis omnibus est commendatus, quod in reformandis ecclesiis *San. Gallensi*, *Lindavianâ*, & *Scaphusianâ*, operam præclaram quondam navavit. Et quum huic quoq; mors importuna injecisset manus citò citius (vix enim ultra annum familiæ ejus firmamentum extirit. οἰκονόμου τ' ἀγαθοῦ, καὶ ὄπασαμένη ἐργάζεσθαι, ut loquitur Phocylides,) rebus domesticis, & senilis ætatis *incommodis*, quæ *multa senem circumveniunt*, urgentibus, *quartam* duxit, *Mariam Magdalenam* ab *Offtringen*, nobilissimo genere natam, & piissimam matronam, quam viduam tandem magno ipsius cum dolore & mœrore reliquit. Porrò ut pietate, ita moribus adeò fuit laudatus, ut nihil prius, nihil antiquius habuerit, quàm quomodo collapsa disciplina, publicè & privatim, in ecclesia, in republ. & schola erigi restituique posset, quò doctrinæ sinceræ, & ab erroribus repurgatæ morum quoque & vitæ reformatio responderet. Fuit affabilis, comis, humanus, nullus in eo fastus, nullus luxus, ostentatio nulla, ut qui hanc virtutum ingratam comitem esse, neutiquam nescivit, frequenterque in ore & animo habuit scitum illud Rab. * Levitæ מאדמאר הוי שפל רוח שתקות אנוש דמדה *Maximè humili spiritu esto; exspectatio enim hominis sunt vermes.*

In victu vel conviviis adeò fuit sobrius; ut uno aut altero cibo contentus, jucundo potius & utili colloquio convivas exhilararet & recrearet, ut quem non latuit in conviviali suo opere sæpius à se inculcatum esse, bonum commodumque convivam esse, qui sit αὐτάρκης ὀλιγόσιτος; νήφων, μετριώτατος; ut loquitur *Pollux*, hoc est, *tenui atq; frugali victu potuq; contentus*, qui sit non ἄπλητος, non πάχοινος, non ἴξοινος, non μεθύων, non κεφαλῶν, non *insatiabilis*, *non vinosus*, *ebriosus*, *crapulæ deditus*, ut loquitur princeps Apostolorum. Et sanè ejusmodi frugalem convivam *Stuckium* fuisse norunt non tantum quos in ædibus convivio adhibuit; sed alii etiam qui ipsum invitabant, domestici & exteri. Non tam enim ab *Helvetiis* & *Germanis*, quàm *Gallis*, *Italis*, *Polonis*, *Anglis*, *Scotis*, *Belgis*, aliisque, quibus ubique gentium & locorum, ob eximias dotes notus erat, visitabatur & invitabatur, quos etiam in hospitiis suâ præsentiâ & misto vino honorabat. Summè enim hospitalis fuit, adeoque liberalis & beneficus, ut nemini, rogatus mutuum, denegarit; pauperibus, orphanis, viduis, exulibus, præsertim ob Christi nomen, non tantum denariatim, sed cumulatim eleemosynas dispendens & impertiens, haud dubiè in illud Apostoli respiciens, qui episcopum φιλόξενον esse debere nominatim jubet: & in illud Senecæ dictum, *generosi animi & magnifici esse, juvare & prodesse; quando DEO est similis vir dapsilis atque benignus*, ut *Palingenius*. Ob hæc & alia dona, quæ ille δωτὴς ἐὼν prolixè in eum contulerat, *Regibus*, *Electoribus*, *Principibus*, *Marchionibus*, *Comitibus*, *Baronibus*, *Equitibus*, *Nobilibus*, literatisque viris ordinum omnium, passim notus charusque fuit, quibus Tigurum, ecclesia, respubl. schola, cives, amici, incolæ, accolæ, advenæ omnes fruebantur.

Reliquit ingenii & doctrinæ suæ monumenta

Patrum Stuckii.

Pietas sepulcri monumentū.

Doctrina & vita par.

Pietas fundamentum virtutum.

Liberi Stuckii.

Altera Conjux.

Tertia.

Beati dictus Burgavv.

Quarta uxor.

Disciplinæ custos Stuck.

Virtutes ejusdem & mores.

* Libr. 3. capit. Patrum Aph. 3. Humilitas.

Convivæ commodus quis.

Amici Stuckii.

Hospitalitas & liberalitas.

Charus summis & imis.

Scripta Theologica.

menta multa & egregia, partim *Theologica*, partim *Philologica*. *Theologica* sunt hæc, *de sacrificiis* tàm Christianorum quàm gentium tractatus, de *sacramentis*, & inprimis *de sacra Domini cœna* meditationes, de *Angelis* erudita commentatio.

Philologica.

Alterius generis sunt *scholia* ejus in *Arriani*, historici & Philosophi gravissimi, *Ponti Euxini* & maris *Erythræi* periplum magno studio & incredibili labore constructa, deinde augustum & præclarum opus, de *antiquitatibus convivialibus*, in quo *Hebræorum*, *Chaldæorum*, *Græcorum*, *Romanorum*, aliarumque nationum, antiqua conviviorum genera, mores, consuetudines, ritus, ceremoniasve, mirâ industriâ non tantum explicavit, sed etiam cum iis, quæ cum apud Christianos, tum apud alias gentes, à Christiano nomine alienas, in usu sunt, diligenter contulit. Sui maximam eo scripto admirationem excitavit in animis antiquitatum peritorum *Scaligeri*, *Lipsii*, *Mercurialis*, *Zwingeri*, *Paschalii*, *Freheri*, *Gruteri*, *Rittershusii*, *Casauboni*, *Remi*, & aliorum. *Rodolphus Simlerus* Vir Cl. defunctum hoc honoravit monumento.

Monumentum.

D. O. M. S.
NOBILISS. VIRI
JANI GUILIELMI STUCKII THEOLOGI PHILOLOGI ET POLYHISTORIS PRÆSTANTISS.
DISERTISS. LECTISS.
PATRIS ÆTERNUM COLENDI
B. M.
RODOLPHUS SIMLERUS E DEFUNCTI MONUMENTIS SUO
ET HEREDUM
NOMINE
P. P.

Ille ego qui veterum convivia pando Sophorum,
Et quo sint priscis sacra agitata modo:
Mystica qui sacræ depromo fercula cœnæ,
Et quo fas diis ve citer ore cibis:
Qui Carolum è tenebris magno conamine Magnum
Educo, & reduci sceptra beata precor.
Qui periplum Euxini Ponti, & Mæotidis oras
Permeo mente sagax, Angelicosq; choros:
Nunc depontanus convivia anhelo Deorum,
Angelico exanimem me comitante choro,
Ut quorum cecinit fatum mea Musa superstes,
Jungier his possit, post pia fata, viris.

Ex oratione parentali habita à D. Casparo Wasero Tigurino.

HENRICUS MAJUS.

© 1607. d. 28. Sept. stat. 62.

Sangerhusium oppidum.

Natalis Henr. Maji Cic. 5. Verr.

Sangerhusii, ditionis Saxonicæ ad Hercyniam sylvam oppido, cupri fodinis noto, *Henricus Majus* exilium terrenum orsus est, anno Christi *millesimo*, *quingentesimo*, *quadragesimo quinto*, die *vicesimo tertio* Novembris, patre natus cognomine, qui *Franckenhusio* eò commigrarat. Est autem gravissimè ab oratore Latino dictum, *qui non rectè instituunt atq; erudiunt liberos, non solùm liberis, sed etiam reip. facere injuriam.* Ejusmodi ergo culpæ ne affines haberentur ejus parentes, homines Germana virtute ac fide, filium pietatis ac literarum elementis, quibus ætas puerilis in Christianis ludis impartiri debet, maturè erudiendum curarunt.

Lipsiam missus.

Postea grandiusculum paterno è nido extruserunt, ac *Lipsiam*, emporio non solum peregrinarum mercium, sed etiam honestissimarum ac liberalissimarum artium celebrem urbem, miserunt, ubi inter alios, duobus Germaniæ nostræ luminibus *Victorino Strigelio* & *Joachimo Camerario* operam dedit, Melanchthoniæ doctrinæ ubique sectator pertinacissimus.

Audit Strigel. & Camerar.

Cùm itaque Latinæ ac Græcæ linguæ cognitionem, totiusque sanioris Philosophiæ supellectilem non contemnendam, improbo labore, sibi comparasset, patriæ & civibus ut prodesset suis, ludo ejus oppidi erudiendo operam suam addixit, sub annum *sexagesimum quintum*. Exinde, cum triennium fidem suam senatui & reipubl. Sangerhusianæ probasset, Wittembergam excurrit, & publicum virtutis eruditionisque testimonium à collegio Philosophico facile * impetravit, Decano *Sebastiano Theodorico Winshemio*. Etsi enim conscientia sua cuique sufficit, propter alios tamen, ad nominis famæque existimationem conservandam ornandamque, ejusmodi testimonia momenti non parum habent.

Præst. ludo patrio. Petit testimon. Philos. Wittemb.

* *A. 1568. d. 9. Mart.*

Utilitas testimon. Academ.

E patria *Northusam* venit, ludoque literario & ibi præfuit, sed ut vita hic est militia, non sine calumniis obtrectatorum, & versipellium amicorum, cùm deceptus ab iis esset, à quibus minime oportebat. Est autem *nullum atrocius vulnus, quàm defectio amici, nec pestilentius malum, quam calumnia & obtrectatio*, gratæ multis hodierna die Sirenes, uti & Græcus gnomologus verè:

Οὐ χαλεπὸν ψέξαι τὸν πλησίον.

Venit Northusium. An. 1570.

Calumnia

Ad sacrum igitur ministerium Evangelii animum appulit, inque Theologorum doctorum numerum adscriptus, *Weringerodæ* sub Comitibus Stolbergensibus aulæ à sacris concionibus aliquot annos fuit. Cumque sub id tempus Formulæ, quam vocant, concordiæ, subscriptio passim locorum ibi urgeretur, *Majus* hic in templo aulico *Vinariæ Jacobo Andreæ* in faciem restitit, & coram ipso Principe *Friderico Wilhelmo*, totaque aula subscriptionem ἀναβάλλω recusavit.

Fit minister evangelii, 1573.

Concionator aulicus Comitum Stolbergensium.

Renuit subscr. Formul. concord. An. 1577.

Postea, rebus in Saxoniæ electoratu ad mutationem vergentibus, à *Christiano* I. Electore commendata ei fuit in Academia Wittembergensi, varios antè paroxysmos experta, primùm *Locorum Theologicorum Melanchthonis*, deindè cùm D. *Georgius Mylius*, *Jenam* abiisset, librorum *Veteris Instrumenti*, & juxta *Evangeliorum diebus Dominicis ac festis* enarratio, prout eam, propter peregrinos,

Vocatur Wittemb. An. 1588. d. 18. Iulii.

Laboret ibi ejus.

grinos, linguæ noſtratis hoſpites, Melanchthon introduxerat. Explicavit itaque in ſchola locos Theologicos aliquot, & in Veteri Teſtamento Danielis Prophetiam, præter diſputationes, conciones, aliasque operas ſcholaſticas, inter quas & examen ordinandorum, collegis *Urbano Pierio*, Paſtore, Superintendente generali, ac Profeſſore, *Andreæ Iodoco* Novi Federis, *Petro Calamino* locorum communium interprete, ut alios hic prætereamus. Rectoratus item & prorectoratus munere eadem in Academia functus eſt noſter Majus, idque inter turbulentas συρράξεις atque diſceptationes, de *formula concordiæ*, de *exorciſmo*, de aliis *Papatus reliquiis*. Multum inprimis tunc dedit turbarum quæſtio ſuper *exorciſmo*, aliis mordicus eum retinentibus, aliis contrà ultra Garamantas & Indos exterminandum dictitantibus. Viſum eſt autem quibusdam, non tam in actionibus, quàm in modo agendi tunc eſſe peccatum.

Collega.

Diſputationes de religione Wittemb. motæ.

Quæſtio de exorciſmo.

Dimittitur. Wittemb. An. 1592. d. 15. Iulii. Abit in Pal. el. An. 1593.

Verùm, ut ſunt κύκλῳ τὰ ἀνθρώπινα, *Chriſtiano* præmatura morte vivis exemto, nova facta eſt rerum converſio, in qua cum aliis idem hic Majus dimiſſus, miſerè cùm familia oberravit. Tandem ubi nullum ſibi apud ſuos locum eſſe vidit, in Palatinatum electoralem cum uxore & liberis ſeceſſit. Hic ei primum paſtoris munus in pago, poſteà Inſpectoris *Bilckhemenſis* eſt demandatum. Inde in ſenatum Eccleſiaſticum, qui eſt *Haidelbergæ*, cooptatus, Eccleſiis & ſcholis conſtituendis, viſitandis, regendiſque tempus omne impendit, inque eo fidem atque induſtriam conſtanter ad vitæ uſque exitum probavit.

Haidelb. in ſenatu eccleſiaſt. aſciſcitur An. 1599.

Ubi moritur.

Ad eum vocatur anno Chriſti *milleſimo ſexcenteſimo, ſeptimo*, die *viceſimo octavo* Septembb. cùm vivendo annos *ſexaginta duos* ferè compleſſet. Sepultus eſt in cœmiterio Petrino extra templum, accubantque patri & avo filii duo, filia una, nepotes duo, glorioſum Chriſti reditum in ſalutem, & καιροὺς ἀναψύξεως ἀπὸ προσώπου τοῦ κυρίου πάντων, cum omnibus electis exſpectantes. In morbo ſupremo cùm gener jam animam agenti dicta ſcripturæ ſacræ conſolatoria recitaret, luctuque perturbato memoria plura non ſuggereret, moribundus hic Majus, *tace*, inquit, *tace, omnia cordi meo infixa teneo:* **Schweigt/ ſchweigt/ Ich habs alles im Hertzen.**

Et hoc eſt D. *Henrici Maji* curriculum vitæ, ſeu ut veriùs dicam, miſera his in terris peregrinatio, adeò ut cum Patriarcha dicere potuerit: *pauci & mali fuerunt dies annorum vitæ meæ, nec attigerunt dies annorum vitæ patrum meorum, in diebus peregrinationum ſuarum.* Elaborarunt omnes ejus curæ, vigiliæ, & cogitationes ad Eccleſiarum & ſcholarum ſalutem, viduarum & tenuiorum commodum, reique literariæ ac gloriæ divinæ incrementum, ſed mercedem alicubi retulit eam, quam mundus optimè cuique merito perſolvere ſolet. In quodam Saxoniæ oppido, ubi tum hypodidaſcalum agebat, accidit: ut civis cujusdam filius, in ludo à congerronibus ſubſelliis alliſus, brachium fregerit. Hic nebulo metuens patris iram, domum cum ejulatu recurrit, & ad patrem opificem, *ecce pater*, inquit, *ut me hypodidaſcalus noſter tractavit!* Mox homo malè credulus exitium inſonti magiſtro minitatus, ad angiportus egreſſum, quà præceptori mane cum lychno, brumæ tempore, in ludum erat eundum, cum ſecuri exſpectat, caput illius diminuturus. Sed bono genio tum noſter illac deflexit; ictumque evaſit inſani patris, qui filii mendacio cognito, propoſitum ſuum faſſus atque deprecatus fuit. Plurimum deinde faceſſit ei negotii Wittembergica illa tragœdia, de qua paulo antè. Cùm ſiſteretur ibi viſitatoribus, inter quos & Theologi, reprehenſum in eo fuit: *quòd* propoſitiones „ ſacramentales annumeraret figuratis, & „ non potiùs inuſitatis: *quòd* Chriſti corpus fidei ore percipi ſtatueret, non corporis: *quòd* Ubiquitatem rejiceret. *Et* „ *cùm interrogatus eſſet*, ecquid impii in „ Cœna ſacra perciperent? nihil, *inquit*, „ ad me impii & hypocritæ, ſuibus Chriſtus cœnam non inſtituit, *item rogatus*, „ annon præclara hæc ſit conſolatio, ſi furi jam ſuſpendendo ſuggeratur, confide „ ô bone, Chriſtus enim ſecundum carnem ita propè adeſt tibi, ut etiam in „ fune habeas; melius, *ſubjecit hic noſter*, „ in corde. „ Fuit vir officii ſui ſatagens, laborum patiens, diſciplinæ obſervans; mathematum *, Melanchthonis imitatione, ſtudioſus.

In vitæ periculum incurrit mendacio pueri.

Viſitatores Theologi. quid reprehenderint in eo.

Exſtant ejus Theologicæ *propoſitiones* Wittembergæ diſputatæ: *de uno Evangelio*, *de uno ſalvandi modo per fidem in Chriſtum*: *de Eccleſia*, *& ſignis eam monſtrantibus*, *& an ſit viſibilis*. Excuſſit & *articulos Bavaricæ* inquiſitionis. Commentaria denique in Danielem, & alia manuſcripta reliquit, quæ penes heredes.

* *In direct. ſui ſchematis hæc ſcripſit, anno 62. m. 6. die 6. venit* ♄ *ad ſuum. Hic quieſcemus.*

PANTALEON CANDIDUS.

Θ. 1608. d. 2. Febr. atat. 68.

* Ipſe appellat.

PAntaleon Candidus, alias **Weiß**/ natione fuit *Auſtriacus*, honeſtis parentibus editus * anno Chriſti, *milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo*, die *ſeptimo* Octobris. Annum hoc diſticho chronologico ipſe expreſſit:

PantaLeon genItVS CLarus eſt LVCIs In oras
CanDIDVs, Vt ferVens ſoLIbVS æſtVs erat.

Wolfgang Weiß Pater.

Patrem habuit *Wolfgangum*, qui ad ſummam pervenit ſenectam, quippe qui annum attigit *nonageſimum quintum*.

Ejus Epitaph.

Mortuus est anno *millesimo, quingentesimo, septuagesimo sexto, Petzenkirchii*, ac tali Epitaphio à filio *Pantaleone* celebratus:

Bis Turcæ insultus, rerum mala multa suarum,
Prolis & expertus funera multa suæ:
Sed Domino semper rebus confisus in arctis,
Sustinuit forti tristia quæque animo.
Quando novem decies vitam produxit in annos,
Wolfgangus jacet hoc Candidus in tumulo.

Pantaleonis φιλομάθεια. An. 1550. Præceptor Pantal. Quem captivum. Vien. comitat. An. 1553. Elabitur cum eod. Constantia Cupicii.

Puericiam apud parentes exegit non abhorrens à literis, quarum studio cum teneretur, famulitio functus est apud alios. *Decimum* ætatis *annum* egressus, ad Pastorem Evangelicum *Weissenkirchii Andream Cupicium Carniolanum* pervenit. Hic cum *Viennam Austriæ* captivus abduceretur, Pantaleonem famuli loco habuit secum, qui in carcere servitia ei necessaria præstitit decem ferè mensibus. Elapsus tamen cum hero est, atque in *metallicas Pannoniæ fodinas* sese cum eodem subduxit. Scribit *Candidus Cupicium* illum à *Canisio* Jesuita celebri sæpe ad defectionem fuisse solicitatum, sed frustra, quæ res proculdubio & ipsi puero calcar fuit ad constantiam. Hæc ita Candidus:

Sæpe fatigabat Iesuita Canisius illum;
Ausoni vellet scita probare Papæ:
Noluit, & tandem cum carcere se expediisset,
Fugimus in montes Vngara terra tuos.
Illic argenti glebæ effodiuntur & auri,
Visitat & teneras turba tenella scholas.
Turca ferox illis semper fera bella minatur,
Seu lux, seu tacitæ tempora noctis eant.

An. 1555. Abbas Seisenstein. fovet Candidum Cum eodē Amberg. venit.

Postea beneficio abbatis *Seisensteinensis*, cui *Vito Nubero* nomen, aliquantisper usus, cursum studiorum ursit. Sed cum ille uxore ducta, non in nullo versaretur discrimine, fugere coactus, *Pantaleonem* secum ex Austria *Ambergam*, superioris Palatinatus caput abduxit, ubi per annum G. Agricolam audivit. Præerat Electoris Palatini nomine eo in loco tunc illustrissimus Princeps *Wolfgangus* Comes Palatinus Rheni, Dux Bipontinus. Is cùm Ambergâ in suum abiret Ducatum, occasione ea usus *Pantaleon Meisenhemium* venit, & paulo pòst, anno *quinquagesimo septimo Bipontum*, ubi nobilissimo viro, *Ulrico Sintzingero* Cancellario *Bipontino* commendatus, filium ejus privatim erudivit.

Meisenhemium in ducat. Bip. venit. Inde Bipontum. An. 1557. An. 1558. Wittembergam mittitur Candidus. Vbi septennii exigit. Quos audierit Doctores.

Cùm autem ætas maturior uberiorem ingenii cultum expeteret, *Sitzingeri* illius intercessione à Principe *Wolfgango* stipendium impetravit Academicum, quo instructus *VVittembergam*, vivente adhuc Melanchthone, cujus desiderio dudum flagrarat, faustis avibus venit. Ea in schola *septennium* consumsit, amanuensis celeberrimi viri *Huberti Langueti*, audivitque diligenter *Melanchthonem*, dum vixit, *Eberum*, *Georgium Majorem*, & alios præclare doctrinæ viros. Itaque cùm progressus in studiis fecisset non vulgares, dignus judicatus est, cui Academiarum more testimonium eruditæ doctrinæ impertiretur. Anno ergo *sexagesimo quarto*, mense Februario, competitoribus *quinquaginta duobus* *, quod ea in schola antea factum erat nunquam, Decano collegii Philosophici *Bartholomæo Schönborn*, magister Philosophiæ solenniter est renunciatus. Primus illorum fuit *Christophorus Pezelius* Theologus post clarissimus: *Pantaleon* autem *sextus* inter eos. Charus ibi fuit doctoribus ob modestiam vitæque integritatem, unde ei & candidi nomen à *Melanchthone* inditum, cùm antea familiæ cognomine Weiß uteretur.

Renunciatur Philos. Mag. 1564. * Candidus habet quinquaginta septem: programmatres & quinq.

Inde à Principe *Wolfgango*, suo Mæcenate, revocatus, scholæque literariæ *Bipontinæ* est præfectus, anno *sexagesimo quinto*, & mox eodem anno, sacro Ministerio inauguratus, Pastorem egit primò *Hintzvillæ* in Lichtenbergicâ præfecturâ, deinde diaconum *Meisenhemii* & *Biponti*. Anno denique *septuagesimo primo*, Pastor & generalis Inspector Ecclesiarum in *Bipontinatu* declaratus, atque *Cunmanno Flinsbachio* surrogatus est.

An. 1563. Præficitur schola Bipontinæ. Mox ecclesiæ. Ann. 1567. & seq. vers. lect. Fit Pastor & insp. Bipont. An. 1571.

Hoc in officio ad vitæ usque exitum quid quantumve præstiterit tum docendo in templo, tum commentando ac scribendo, res ipsa hodieque loquitur. Ipse enim cum paucis hoc unicè egit, ut sintera Evangelii doctrina illo in Ducatu propagaretur, fermentumque omne Pontificiorum expurgaretur, annitente ac provehente sanctum opus laudatissimæ memoriæ Principe *Ioanne* Duce Bipontino. Hic ut primùm gubernationem illius Ducatus adiit, cùm de nonnullis controversis capitibus adhuc hæsitaret, vocati fuêre, aliorum * potissimùm suasu, aliquot Doctores, *Suevicæ* illius *Helenæ* amatores, quibus *Candidus*, utpote Melanchthonis discipulus, illicò suspectus fuit, quamvis ipsemet fateatur, se primò *doctrinam de persona Christi, & Sacramentis*, non ita orthodoxè intellexisse:

Absolvit reformationem in Ducatu Bipont. Ioan. I. Palat. Dux Bip. An. 1575.

*In quib. Petr. Agricola.

Quam post collatis compluribus argumentis,
Pluribus & lectis cepit condiscere libris,
Flaminis auxilio, & læto inspiramine sancti.

Non omnia statim in relig. intelligit. Orat. funebr. 14. pag. 246.

Eò etiam harmostæ illi rem deduxerunt, ut libro *Concordiæ*, uti vocant, ac *censuræ* alicui *Vbiquitariæ* subscripserit, atque fatetur * Candidus, se aliquid humani passum. Verùm cum oculos mentis & illi, & Principi * veritatis studiosissimo indagatori, ac postea constantissimo propugnatori, Deus aperuisset, subscriptionem illam *Candidus* revocavit, & licet *Marbachius* multis in diversam conaretur pertrahere opinionem, negavit tamen se posse capere illorum mysteria, ac orthodoxam sententiam coram Duce & consiliariis non semel disertè exposuit & declaravit: quin etiam cùm Princeps *Ioannes* ad subscriptionem *Formulæ* urgeretur, *Candidus* unicè dissuasit. Tandem ut finis esset litium, voluit Princeps abstinerent ministri suæ ditionis *à notis loquendi formis*, & ut *propositionibus in concreto*, ut appellant, in argumento *de persona Christi* uterentur, quòd cum se facturum

Subscribit for. Concord. Cand. An. 1576. * Orat. funebr. 14. p. 249. *. De qua Cand. orat. funeb. 12. p. 189. An. 1578. or. fun. 14. p. 251. An. 1580. er. funebr. p. 252.

Candi-

Candidus lubens affirmaret, alii qui morem gerere vel nollent vel non possent, dimissi sunt. Et ne quid reliqui Princeps faceret, sub initium anni *octogesimi quinti* colloquium *Biponti* instituit, in quo *Candidus* sententiam suam verbis Philippicis exposuit, quæ Principi & sanioribus probata, non autem heterodoxis.

Colloquiū Biponti mense Ian. 1585.

Explicatio catechismi Bip. 1588.

Anno *octogesimo octavo* prodiit explicatio Catechismi Bipontini, auspiciis illius piissimi Principis, nec sine *Candidi* consilio. Præfixit illi libro Princeps præfationem, quam sex horarum spacio sua manu exaravit.

Itinera Cand. cum Princ. suo. An. 1582. 1583. Orat. fun. II. p. 200.

Interea etiam *Candidus* noster cum Principe suo aliquoties peregrè est profectus, jam in Ducatum *Clivensem*, jam in *Hassiam*, *Cassellas*, jam alibi, quibus in itineribus hoc Principi fuit solenne, ut diebus iis, qui concionibus habendis destinati, viam nunquam ingrederetur, nisi audita concione prius, precibusque habitis. Sub idem tempus *Gebhardus Truchsessius* Archiepiscopus Colonensis liberum suæ ditionis hominibus Religionis exercitium permisit, & *Agneten I. Georgii Comitis Mansfeldensis* filiam, uxorem duxit, benedicente novis conjugibus *Bonnæ* die *quarto* Februarii hoc *Candido*, qui & aliquot conciones habuit privatim tum *Coloniæ* tum *Bonnæ*, ut ipse hisce innuit:

Gebhard. Archiepisc. Col. Vxorem ducit. An. 1583. d. 4. Febr. St. N.

* Orat fun. 16. pag. 311.

*Interea * noster Bonnæ Dux sponte moratur,*
Illic privatim, magnaque Coloniæ in urbe,
Intemerata DEI sum dogmata voce professus:
Atque Electorem vinclo tum ritè jugali
Conjuge cum cara, solenni more sacravi.

Et alibi:

Concio tunc à me Bonnæ atque Coloniâ in almâ
Intra ædes habita est plurima, nulla palàm.
Vxorem Agneten præsul dum ducit, ego illis
Solemni tædas consecro more sacras.

Reliqua deinde vita ipsi peracta est hominum more, inter labores officii & curas, inter certamina spiritus & carnis, inter funera conjugum, liberorum & amicorum. Ætate tandem ad senium vergente maturè mortem meditatus est: multasque & conciones, & orationes præparatorias ad mortem, scripsit, frequenter de *morte corporali*, de *animæ immortalitate*, de *mortuorum resurrectione*, & *gloria filiorum Dei in æterna vita*, cum amicis collocutus. Sæpè enim dixit, *maturè mihi ista præmeditanda, quando in agonis angustia multa alia mihi erunt agenda.* Itaque ante aliquot annos carmen composuit, quod concionibus suis funebribus præfixit hoc titulo: *consolatio Pantaleonis Candidi morituri, quando Deo visum fuerit.* Carmen ipsum est tale:

Maturè ad mortem sepārat.

Consolatio ab ipsomet præscripta.

Non Iesus nihil est, non sunt nihil illius alma
Quæ verba in terris lingua locuta fuit.
Non populus nihil est, ad quem migravit Abraham:
Non vatum nihil est qui viguitque chorus.
Non Petrus nihil est, non est nihil incola Tharsi:
Illorum aut sancta pagina scripta manu.
Non cœlum nihil est, non est nihil Angelicus grex:
In cœlo aut pacta est quæ tibi, latro, domus.
Ergo ego, qui Iesu, qui Iesu fido ministris,
Inter eos moriens, non, scio, nullus ero.

Cum itaque ex ultimis visitationibus ac Synodis, *Cassellæ & Meisenhemii* in autumno, anni *sexcentesimi septimi* celebratis, domum rediisset: *Tabernas* etiam Montanas excurrisset antè, sensit vires paulatim deficere, suamque ἀνάλυσιν appropinquare. Collectis itaque sententiis consolatoriis ex sacra scriptura, quæ in agone sibi recitandæ ac prælegendæ essent, libellum justum confecit, quem deinde surreptum, ægrè admodum tulit. Acquievit autem semper in paterna Dei voluntate, & cum aliis dictis Biblicis, tum his carminibus sese erexit.

Supremus morbus Candidi. Colligit sententias consolatorias.

Componit & carmina.

I.

In me Christe pium statuas, læto omine, signum,
Solus ut auxilii causa probere mei.
Tu mihi quem dederas cursum pie Christe, peregi:
In cœlo patriam, qui benè transit, habet.

II.

Iram portabo Domini, merui quia, sed dum
Occulor in tenebris, lux mihi Christus erit.

III.

Cur Lachesis properæ celeres ego deprecor annos,
Vt doleam vitæ limen adesse meæ?
Nunc ego quod video, vidi quoque nuper, & olim,
Vt vrdeam toties, tædet obestque mihi,
Nugarum satis est, levium satis illecebrarum:
Cœlestes veniant nunc mihi deliciæ.

His adjunxit formas precandi Melanchthonis, & sæpè illud repetiit: *Domine Iesu, fac ut ultimum tuum verbum in cruce, sit meum quoque ultimum in hac luce*, donec die *tertio* Februarii, anno *millesimo sexcentesimo octavo*, placidè animam Redemtori suo reddidit, cum à Domino in terris peregrinatus esset annos *sexaginta octo*, & in præconio Evangelii inservivisset diversis Ecclesiis annos *quadraginta tres*. Sepultus est honorificè Biponti, & Epitaphiis * multorum celebratus. Vivus ipse pridie obitus ejusmodi sibi scripsit:

Obitus Candidi.

* *Quæ edita ab Elia Thalovencio IC. genero, rectore Gymn. Hornb. Epitaphia Cand. à semet script. Samuel Candidus F. Theolog.*

Post annos sexaginta propè & octo, subivit
Mens mea lata polum, corpus inane solum.

In conjugio vixit *terno*, primum cum *Margareta Sturcia sexennium* sine prole: deinde cum *Sibylla Kneupelia*, è qua *sex* suscepit liberos: de quibus unum filium *Samuelem*, nunc Pastorem & Professorem Hornbacensem, & unam filiam, quondam

Eliæ Thalvvencelio JC. nuptam, superstites reliquit. Tertium denique matrimonium contraxit cum *Annâ* celeberr. Geometræ *Tilemanni Stellæ* vidua, qua cum *quatuordecim* annos sine litè jucundè exegit.

Scriptæ Cand.

Reliquit posteritati ingenii quoque sui argumenta hæc: De *præparatione & consolatione Christi fidelium ad mortem orationes funebres: Ex libris Regum, Chronicorum, & Iobi* orationes funebres, *Austriacorum* lib. 6. de *Gothicis per Hispaniam Regibus, ex Teutonica gente oriundis: Tabulas chronologicas*, continentes seriem historiarum à condito mundo, ad annum *nonagesimum septimum* seculi *decimi quinti*; quas deindè produxit ad annum *sexcentesimum secundum, epitaphia antiqua & recentia*, tum eorum, qui in sacris celebrantur, tum aliorum Regum, Principum, atque Doctorum virorum. Sunt ejusdem *varia carmina*; ut *Loci Theologici, proverbia Salomonis, fabulæ antiquæ & recentes*, carmine reddita, *elegiæ precationum* ex Evangeliis Dominicis, *Epigrammata sacra*. Exstat ejus nomine *Belgicarum rerum epitome*, ab anno *septingentesimo, ad deditionem usque Ostendæ*, est ejusdem *Boemias*, de Ducibus & Regibus Boemiæ. Transtulit in vernaculam *Pauli Iovii historiam Moscoviæ*, uti & Germanicam * *de Cœna Domini* institutionem.

* *Fortè est id script. quod D. Tossan. sub nomine Nathanaëlis edidit. 1586. Meminit Gualterius de unione person.*

Ex concione funebri, *à Michaële Philippo Beutherο Theolog. Doct. & hujus successore habita, item ex monumentis ac scriptis Candidi.*

LVCAS BACMEISTERVS.

⊙ 1608. d. 9. Iulii. ætat. 72.

NAtus est hic *Lucas Bacmeisterus Lunæburgæ*, urbe Saxoniæ, multis nominibus celebri, parentibus *Ioanne* & *Annâ Lublingiâ*, anno superioris seculi, *millesimo, quingentesimo, trigesimo*, die *decimo octavo* Octobris, qui, quòd *Lucæ* Evangelistæ sacer vulgò habetur, infanti nomen, pro consuetudine illorum temporum, dedit.

Parentes.

Ut primùm per ætatem visus est, in elementis literarum cognoscendis dignoscendisque non inanem positurus operam, deductus est ad senem quendam, in viciniâ habitantem, qui informandis parvulis ludum privatim aperuerat. In eo, brevi non modò lectionis expeditæ facultatem exercitatione assidua consecutus est, verum etiam pietatis elementa, ex capitibus Catecheticis, dictis scripturæ selectis, & Psalmis brevioribus, unà cum rerum maximè in quotidiano usu obviarum & puerilem captum non excedentium nomenclatura Latina, imbibit. Quam ingenii alacritatem & in discendo ardorem ubi senex, qui ludo præerat, animadvertit; ut eidem fomenta subjiceret, *Bacmeisterum* nondum sexennem sæpiusculè editiorem locum conscenderε, & condiscipulis sententias sacras & Psalmos voce sua præeundo instillare jussit. Eam provinciolam parvulus cum dexterrimè obiret, à magistro suo sæpè *Concionator & Doctor* salutatus fuit, quod præsagium, quantumvis per jocum à senecione illo prolatum, eventus suo tempore serium & verum esse voluit.

Educatio.

Septimum ætatis annum ingressus è privatâ in publicam scholam D. *Ioannis*, templo Lunæburgæ vicinam, à patre translatus est, & *Lucæ Lossio*, celebri & felici pueritiæ informatori, commendatus. Scholæ gubernationi eo tempore præerat, vir ingenio, eruditione, fide, & dexteritate in docendo, & gravitate in disciplinâ tuenda præstans, *Hermannius Tulichius*, ex Academia *Wittembergensi*, in quâ magnâ cum laude suâ & discentium utilitate veteres *Poetæ Latinos, Ciceronis* aliquot *orationes*, & *Rudolphi Agricolæ libros* de inventione Dialectica, publicus illius scholæ Professor enarraverat, ad Rectoratum ludi literarii apud *Lunæburgenses* evocatus. Hic quantoperè placuerit magno illi Luthero, patet ex eo; quod ipsi librum *de captivitate Babylonica*, gratum Deo & utilem pius, in testimonium amicitiæ inscripsit.

Lucas Lossius Præceptor Bacmeist.

Herm. Tulich.

Hoc igitur gubernatore & inspectore studiorum puerilium, eorundemque informatore indefessò *Luca Lossio* usus, in quibus Præceptorum rudimentis tenera ætas, ad pietatem, Latinæ linguæ notitiam, & ad morum elegantiam informari solet, iis publico in loco diligenter excultus fuit, & ut domi iisdem, quæ in scholâ didicerat, repetitione assidua aliisque eodem facientibus exercitiis confirmandis & altius animo infigendis nihil deesset, pædagogos, quos præ cæteris commendari parentes audiebant à ludimagistro fideli & perito, tanquam eorum censore optimo, adjungebat filio: neque ab hoc instituto aut sumtuum magnitudine, aut aliis rationibus se passi sunt abduci. Etsi enim pater, cum jam decimum quartum excesserat annum Bacmeisterus, aliorum, ut opinio fuit, instinctu, de filio à literis ad aurifabrum, artificii discendi causa, transferendo consilia agitare cœperat; tamen matris, matronæ religiosæ ac prudentis, voluntati morem gessit, & quod *Lossius* eidem dederat, consilium amplexus & secutus est. Accesserunt ad id aliorum etiam civium literatorum monitus, qui, quod adolescentis in literis progressum subinde explorabant, si quando patrem, ut fit, comitatus ad congressus familiares accesserat, eumque minimè pœnitendum deprehendebant, authores parenti erant, filii à feliciter susceptο studiorum cursu non avocandi. Ita novit, quò quemque destinavit Dominus, miro & insperato modo perducere, frustrà obsistentibus, qui contrarium moliuntur. Perstitit igitur in eo, quod facere cœperat pater & adolescens, quod aviæ parentibusque gratum animadvertebat, studia literarum in schola patria, ad annum ætatis *decimum septimum*, gnaviter persecutus.

Pater agitat consilium de filio à literis avocando. Dissuadetur ipsi.

Postea cum pestis sæva admodum grassari cœpisset *Lunæburgi*, & in vicinis maritimis urbibus, anno *quadragesimo septimo*, & publi-

Pestis Lunæburgi.

Scholam dissipat.

publici scholasticorum conventus; vitandi contagii causa, haberi non possent; *Bacmeisterus* domi aliquantulum delitescens apud parentes, à populari quodam suo, qui *Hamburgi* privatim, honesti cujusdam civis liberos erudiebat, ad similem provinciam ibi obeundam vocatus, eodem commigravit, & qui hactenus ex præceptoribus pendendo discipulus tantum fuerat, magisterii personam induere, & docendo discere, discendoque proficere incepit. Hoc in munere tum per hyemem versatus fuit; cumque ludus literarius illius urbis publicus, propter luis reliquias, nondum pateret: & tamen auditorii Theologici lectiones celebrarentur, quas tum habebat *Joannes Æpinus:* Theologum hunc eximium, destitutus suo profectui aptioribus eo tempore, diligenter audivit enarrantem *Psalmos* Davidis; & accuratè differentem de gravissimis religionis controversiis, quarum explicandarum occasionem sententiæ hymnorum Davidis suggerebant.

Hamburgabit Bacm. Erudit alios.

Audit Æpinum. Theol.

Inconsideratæ verò festinationis, ad studiorum apicem Theologiam, quicquid fortè in illo progymnasmate Hamburgensi fuit, illud sublequenti anno *quadragesimo octavo*, quo circa Pascha domum revocatus, & inde ad *Vvittembergensem* Academiam ablegatus fuit, ipse correxit. Cum enim gradatim ad supremam scientiarum omnium sibi ascendendum, ex præceptoribus suis intelligeret, &, quem natura ipsa dictitat & præscribit, *ordinem à facilioribus ad magis ardua non invertendum* probè animadverteret: primum utriusque linguæ scriptorum interpretibus; quique eorum intelligendi, judicandi, imitandique artes, *Logicam* & *Rhetoricam*, plenius & solidius docent, quam in trivialibus ludis fieri potest, operam dedit: inprimis *Vito Winshemio*, Græcæ linguæ Professori apprimè docto, facundo & faceto, quemplerasque omnes *Euripidis* tragœdias enarrantem audivit. Ad horum studiorum amorem & industriæ constantiam, excitabatur exemplis summorum virorum: cum illius, in quo vivebat, tum cujusque seculi à barbarie liberioris: ad quæ accedebant præceptorum commonefactiones de necessitate & utilitate istius operæ, in bonis autoribus utriusque linguæ sedulo & rectè collocatæ: quibus & tum non rarò cathedræ docentium personabant, & quas olim ab iisdem non fuisse exclusas, ostendit præter alia insignis *Basilii Magni oratio:* qua, qui fructus ex Ethnicorum Poetarum, oratorum & historicorum lectione sperandus sit, demonstrat.

Wittemb. ablegatur.

Præceptores ibi ejus.

Inter alios Winsh. audit.

Basilii Orat.

His igitur rationibus excitatus & confirmatus, humanioribus literis totique artium encyclopædiæ sedulo incumbebat: cujus cursum & labores publicos Philosophici, imò totius Academici chori Dux & Præses *Melanchthon*, historica & theologica alternatim docens, moderabatur. Huic adjuncti erant inter cæteros *Paulus Eberus* Physices, *Erasmus Reinholdus*, superiorum matheseos partium, *Sebastianus Vvinshemius* inferiorum Professor, alique aliarum artium: de quorum singulorum disciplinis, ordine quemque eorum audiendo tantum discebat; quantum ad sacram Theologiam, cui se totum daturus erat, necessarium esse à rectè monentibus didicerat: nec Hebrææ linguæ fundamenta, quorum rectè jaciendorum rationem tradebat *Matth. Flacius Illyricus*, negligebat.

In hoc studio liberalium artium & linguarum, dum se pro viribi exercet, initia simul solidioris Theologiæ addidicit: cujus curriculum quoniam *tria* præcipuè regunt & promovent, teste *Luthero: oratio, meditatio & tentatio*; ne priores duæ torpescerent, tertia divinitus immissa effecit. Vixdum enim alter annus processerat, cum pestis, quæ antea patriam adolescentis *Bacmeisteri* afflixerat, vires resumsit, eique aviam, patrem, aliosque cognatos abstulit: cujus calamitatis nuncio novus in schola crucis tyro ita conturbatus fuit; ut parum abfuerit, quin de Academia & studiis deserendis decrevisset; nisi, qui matrem ipsi superstitem benignè reliquerat, ejusdem solatio animum labascentem benignè erexisset & stabilivisset. Hæc enim sumtum omnem, qui ad continuanda studia requireretur, se suppeditaturam promittens, effecit; ut consilium abjiceret; &, quæ studia rectè cœperat, indefesso labore persequeretur.

Tria Theol. docent.

Deserere studia cogitat.

Mater retinet.

Mansit itaque Wittembergæ ad annum usque *quinquagesimum secundum*, & quidem continuè, excepto eo tempore, quo à matre domum accersitus venit, anno *quinquagesimo*, cum ei lites intenderentur de hæreditate aviæ, ipsaque ad secunda vota, cum quodam monetario esset transitura. Hoc pietatis officio, quod matri denegare non poterat, expedito, pristinum studiorum locum repetiit, in eoque ad id, quod indicatum, tempus perduravit: quin etiam ne tum quidem avelli se ab eo passus fuisset; nisi pestis, quæ Torgam docentes & discentes migrare adegit, & vitrici animus ad suppeditandos sumtus aliquanto difficilior, ab amatâ Musarum sede ipsum expulisset.

Redit igitur denuò in patriam; ubi per hyemem hærens functionem aliquam scholasticam expectavit: id quod vitricum unicè expetere animadvertebat. Ejus adipiscendæ ratio cum nusquam appareret mentibus hybernis: excurrit sub tempus vernum anno *quinquagesimo tertio Hildesiam*, ad veterem commilitonem & amicum singularem *Joann. Udemium*, scholæ ea in civitate Rectorem, à quo nulla spes ipsi injecta; qua tamen per civis cujusdam in eadem repub. filium competitorem dejectus, ad suos re infecta, est reversus: nec tamen etiam tunc animum despondit; sed quod ea viâ non successerat, id alia alibi fuit aggressus.

Redit in patriam.

Excurrit Hildesiam.

Scripsit enim ad amicos & familiares, quos variis in locis habebat, & inter eos ad popu-

Henricus Burmeister.

larem suum *Henricum Burmeisterum*, Ecclesiæ *Flensburgensis* in *Holsatia* diaconum: quem de omni rerum suarum statu certiorem fecit. Hic, quia subinde in aulam *Christiani* III. Regis Daniæ & Norwegiæ, quam tum in eam civitatem transtulerat, ad habendas conciones vocabatur, iisque habitis cum *Casparo Mulen* Othonienſi, qui filio Regis, Duci *Magno* informando præerat, nonnunquam prandebat; & cum non multò post, quam de statu & desiderio amici veteris *Bacmeisteri* cognovisset, in mensa audivisset, consilia in aulâ agitata esse, de collega & socio laborum magistri, qui præfectus erat studiis & moribus filii regis, eique adjunctorum nobilium puerorum, adsciscendo: propterea quod septennis jam, Dux *Joannes*, itidem Regis filius, unà cum Comite *Oldenburgensi Ioanne*, qui præceptoris fidelis institutioni committendus erat, plurium quàm unius informatoris operam requireret: ibi *Burmeisterus* injecta *Bacmeisteri* conditionis & voluntatis mentione apud præceptorem Regium; cui jam ab eo tempore, quo idem in scholâ Lunæburgensi vixerat, notus & familiaris erat, nullo negotio impetravit: ut regi cum commendaret, sibique collegam expeteret. Quod ejus de *Bacmeistero* vocando indicium ita clementer accepit Rex: ut eum è vestigio cum literis ablegato tabellario ad se in aulam vocandum mandaverit.

Vocatur ad informandum filium Regis Daniæ.

Vitrici igitur matrisque, & amicorum, inter quos *Lucas Cossius*, voluntati obsecundans, vocationi paret; venitque paulò ante ferias Pentecostes quo vocatus erat, & hypodidascali munus, cui destinatus erat, ex mandato regio susceperit. Id qua fide & vitæ integritate obierit: patris regia munificentia, post *triennalis* spacii labores & molestias exantlatas declaravit; tam abituro, quam Wittebergæ commoranti sæpiusculè declarata, transmissis ad tolerandos studiorum sumtus nummis; inprimis honorifica à vidua regina ad concionatoris aulici munus revocatio, de qua postea.

Dimittitur ex aula.

Dimissus ex statione aulicâ patriam cognatosque invisit (matrem enim primò suæ in Holsatiam migrationis anno amiserat) quibus salutandi cum pauculas hebdomadas dedisset: Wittembergam rediit, eodem quidem erga studia, quo fuerat, amore; sed non erga eadem illa vetera. Tantum effecerat consuetudo & familiaritas cum aulicis, & præcipuè cum uno eorum, qui Regi à secretis: ut commendatæ à parentibus & præceptoribus, adamatæ hactenus & cultæ Theologiæ amor exspirasset: nisi qui ejus discendæ desiderium inspiraverat adolescenti: idem in juvene conservasset, resuscitassetvé. Ibi enim jam erat, idque quibus poterat viribus agebat: ut relicto sacrarum literarum studio, juri civili cognoscendo se daret. Itaque privatim explicantem *Iustinianas* institutiones audiebat *Casparum Alteneich.* Colonienſem, publicè

Wittemb. redit.

A Theologia ad juris studium transit.

Schneidewinum, Cracovium, & *Beustium*. Sed ab hac, per juvenilem temeritatem, recti itineris deflexione, subitò ut revocaretur; fecit Deus, immissa ipsi promissionis, quam parentibus & aviæ fecerat, cogitatione seriâ; qua ita commotus fuit: ut perpetuum valedixerit; quam aggressus erat, jurisprudentiæ; pristinisque sacrarum literarum studiis se totum constanter addixerit; & præter *Melanchthonem*, cujus docentis ab ore etiam ante aliquot annos pependerat, operam dare ceperit Cl. Theologis *Ioanni Bugenhagio*, Jeremiam, *Georgio Majori* epistolam ad Ephesios, & *Ioanni Forstero* psalterium explicanti: idque non semel aut iterum neque ex intervallo rariùs: sed assiduè & constanter. Siquidem persuasissimum sibi habebat, idque in omni vitâ retinebat, & aliis inculcabat: ut ut eximio quis ingenii acumine esset à naturâ donatus, insigni judicii dexteritate præditus, copiosâ librorum supellectile instructus, laborum ad legendum meditandumque necessariorum tolerantissimus: præstare tamen modis omnibus, ut divinitus institutum docentium & discentium ordinem quisque suo loco servaret: nec ab eo temerè deflecteret, cum non frustra *Timotheo* suo Apostolus de sacris studiis inculcet; *sciens à quo didiceris*. Hanc audiendi industriam & discendi modestiam quanto Jehovæ ejus autori gratiorem suoque ordini magis decoram sciebat; tantò impensius ipse colebat & discentibus commendabat.

Inde iterum ad Theolog.

Eadem de causa honestum suorum præceptorum de se judicium & publicum Academiæ testimonium, quo & aliis innotescere posset, qualem se in studiis & moribus gessisset, non negligendum judicavit: sed id ipsum de more scholarum sibi impertiendum petivit anno *quinquagesimo octavo*, unà cum *triginta quinque* competitoribus: quorum ipse primus suffragiis censorum declaratus est; & impetratum non ad ambitionem, sed ad suam aliorumque utilitatem convertit. Ornatus enim eo privatas cœpit habere ἀκροάσεις; in quibus præter alia *Livianæ* historiæ partem illustravit. In studiis etiam Theologicis eorumque fructu cum aliis communicando, ut quotidiè proficeret, crebrius habendis concionibus se exercuit. Quod ejus studium mirificè juverunt *Georgius Major*: cujus convictu & consuetudine domesticâ utebatur, & hujus gener, in templo arcis tunc diaconus *Paulus Crellius*, quos fideliter monentes audiebat suggestum conscensurus; & eorundem ex eo reversus judicia scisitabatur. Horum itaque monitis & exemplis, ad quæ se suasque conciones conformare studebat, inprimis numine Jehovæ, sine quo nihil est in homine, eruditus, & in dicendo ad populum exercitatior factus, ita placere cepit Wittembergensibus Professoribus, ut de ipso ad sublevandos ministerii labores, adjungendo consilia inierint: quæ, quod functionis illius partes antehac nemini assignatæ fuerant, lentius

Petit testimonium Acad.

Docet privatim.

Concionando se exercet.

Paul. Crellius.

Commendatur Camerario à Melanchth.

tius procedebant. Itaque *Melanchthon* cum cl. viro *Joachimo Camerario*, qui tum quod sæpè solebat, amicum suum intimum *Wittembergæ* invisebat, egit; ut quem amabat, *Bacmeistero*, si posset, alibi honestam functionem dispiceret. Ibi vir optimus, qua erat humanitate, & benè merendi de omnibus bonis studio, spem injicit de loco concionatoris in ludo illustri, qui est *Portæ* propè *Neoburgum*.

Hæc dum illi inter se agunt, & quibus rationibus, quòd instituerant, ad exitum optatum perducerent, porrò laborant: nuncius in aulam Electoris *Augusti* à Regina ablegatus, venit: qui piissimum Regem Christianum III. rebus mortalibus exemtum refert, quod factum Cal. Januarii anno *quinquagesimo nono*, & literis collegæ veteris M. *Caspari Mulenii*, *Bacmeisterum* certiorem facit; reginam viduam, quæ non multò post in sua dotalitia concedere cogitabat, de consilio *Cornelii Amsforti* & M. *Pauli Noviomagi*, requirere ipsius operam, in munere concionatoris aulici. Impellebant quidem juvenem præclara regis defuncti merita: quæ animo hærebant, & clementissima, qua usus erat, vocantis heroinæ gratia: contra retrahebant loci, qui offerebatur, sublimitas, & formidolosæ aulicarum conditionum vicissitudines. Ambigenti hic dubitationem omnem eximunt, quos in consilium adhibuerat, *Melanchthon*, *Eberus*, & *Major:* qui omnes vocationem oblatam non negligendam dicebant. Persuasus itaque horum monitis per revertentem nuncium sui adventus spem certam facit: promissamque præstat; ut primum ritu ordinationis usitato per Ecclesiæ Wittembergensis Pastorem D. *Palum Eberum*, munus docendi ipsi commendatum fuit: id quod media fere quadragesima, ut vocant, factum est, imponentibus ei manus una cum pastore, illis vocationis suscipiendæ autoribus & ibidem verbi ministris.

Vocatur à regina Dania vidua ad concionat. aulici officium.

Initiatur ministerio.

Publicâ illâ ceremoniâ verbi minister declaratus, ad suos in patriam profectus est; cum quibus pauculos dies commoratus *Coldingam*, ubi sedem aulæ regina vidua fixerat, abiit. Eum in locum ubi salvus advenit, primamque edendi speciminis causa, ut moris, concionem habuit, è vestigio opera ejus honesto salario conducitur; ipseque de omni suæ conditionis futuræ statu plenius edocetur. Hanc novi concionatoris immissionem sequenti anno *sexagesimo* nova excepit felicitas. Volente enim ita divina providentia, urgente idem negotium Heroina Regina vidua, desponsata ipsi est virgo lectissima, *Joanna D. Iacobi Bordingi*, Medici Regii & Professoris Hafniensis filia primogenita, germana D. *Iacobi Bordingi*, quondam megapolitani cancellarii, primariæ Anseaticarum civitatum *Lubecæ* consulis soror: cum qua nuptias sumtibus Dominæ suæ die quarto Augusti celebravit.

Abit Coldingam.

Ducit uxorem.

Verum hanc ejus felicitatem humanarum rerum vicissitudo & inconstantia non diu sivit esse solidam & illabatam. Vix dum enim mensis abierat, cum ei eripitur socer desideratissimus, vir ob religionis veræ constantem professionem, quæ eum à patria *Antverpia* perpetuò extorrem fecerat, propter insignem humanarum & divinarum rerum scientiam, &, quæ individua comes esse consuevit, vitæ sanctimoniam & virtutem minimè fucatam memoriâ sempiternâ dignus. Reverso *Coldingam* & muneris sui partes fideliter administranti de παῤῥησίᾳ, qua Christo legationis suæ autore fretus pro concione utebatur, & quorundam mores & vitam carpebat, vafris quidam machinationibus diminutum ituri, consilia agitare apud reginam ceperunt de accidendo ejus salario. Cumque istis artibus nihil efficerent; novas technas excogitarunt, nec jam de obstruendâ ipsius παῤῥησίᾳ, sed de ipsomet quoquo gentium amovendo & prorsus eliminando laborarunt. De quibus cum aliquid ad familiarem quendam *Bacmeisteri* emanasset: qui de successore consilium rogatus fuerat: quod erat fidelis amici, rem omnem ut resciscere et *Bacmeisterus*, curavit: sibique in tempore consuleret. Effecit ergò socrus *Bacmeisteri* per amicos: ut gener in *Andreæ Martini*, pastoris ad D. Virginem & Professoris Theologiæ Rostochii locum subrogaretur: qui ejus conatus, aspirante divinâ gratiâ, felicem sortiti fuerunt successum. Senatus enim Rostochiensis testimonio virorum rectè intelligentium & dextre judicantium; inter quos *David Chytræus* & *Caspar Pasilicus* Consiliarius Regius, quæ debebatur fidem habens, literis vocavit *Bacmeisterum* anno *sexagesimo primo* mense Novembri ineunte.

Socerum Bordingū amittit.

Offendit aulicos libertate sua.

Vocatur Rostochii.

Quas cum accepisset partim paternam DEI erga se suosque curam exosculatus, partim conditionis veteris dimittendæ, novæque accipiendæ causas in timore Domini expendens, & cum fidelibus amicis seriò examinandas communicans, cum quid aliud ageret non reperisset, salutem suam ceptorumque consiliorum successum Deo commendans, subsequentis anni initio in viam se dat, & die *decimo septimo* Januarii salvus suo cum comitatu appulit: nec multò post, approbatis ejus in docendo donis, quæ ex unica quam de Psal. CXXX. habuerat, concione auditorio toti innotuerant, Pastor Ecclesiæ *Marianæ* & Professor *Theologiæ* declaratur. His ce peractis in Daniam ad Reginam viduam redit, quid Deo duce, suadentibus amicis factum sit, narrat: dimitti se submissè petit, quod etiam impetrat, quamvis non sine difficultate. Regina enim favebat concionatori suo aulico magis, quàm quidam ex ejus aulicis, eumque si retinere potuisset, à se non dimisisset, frustra indignantibus, quibus odio erat ejus in docendo corripiendoque libertas. Cujus rei fidem fecerunt, quo abeuntem ornavit, honorificum testimonium, &, quæ cle-

Pastor ibi & Professs. declaratur.

clementiæ regiæ Symbola veteri ministro cum literis subinde misit, donaria.

Liber dimissus à servitio aulico *Rostochium* commigrat die *decimo octavo* Martii, suique muneris labores ipso *Annunciationis Mariæ*, ut vocant, festo publicâ concione exorditur: & reliquas gemini sui muneris partes prò viribus aggreditur. Statim autem sub ingressum muneris sui, quia partim ipse videbat, partim à collegis fidelibus edocebatur, quo malo civitas tum laboraret, cum nec subditi parerent, & quam ejus inobedientiæ causam palam dictitabant, magistratus malè administratæ Reipub. incusaretur: ibi, ut bonus civitatis hujus tanquam corporis politici, unà cum symmystis medicus, præcipuis ejus membris luxatis per enormem ab ea, quæ in verbo divino rectè vivendi regula præscribitur, deflexionem, commodè in suum locum restituendis graviter incubuit. Quam ad rem usus est, præter sacras literas, quarum explicandarum & ad præsentes, qui incidebant, usus accommodandarum dexteritate insigni valebat, partim *prudentia* quadam *civili*, cujus initia quodam naturæ bono habebat, eaque in aula accurata rerum, quæ tractabantur quotidiè, observatione auxerat, partim *moderatâ & leni*, qua utebatur in dicendo, *ratione*, quo ad ejus fructum non desperabat. Neque tamen severiori illâ destituebatur, quoties malitiæ & improbitatis suorum auditorum pertinacia ita exigebat. Cæterum quod utroque illo instituto Saturniniam illam animorum turbulentorum pertinaciam non emollire, nedum expurgare poterat; angebatur quidem animo & vehementer dolebat: ut qui salutem publicam urbis, & privatam singulorum seriò expetebat: sed tamen solabatur se muneris rectè administrati conscientia, & exemplo Prophetarum & Apostolorum, quibus eadem in mundo sors contigit: ipsiusque salvatoris nostri *Jesu Christi*, cujus nota est de auditoribus suis querela, quos neque cantu ad saltandum, neque lamentis ad plangendum adducere potuit. Interim de studio suo nihil remittebat, sed & tempestivè & intempestivè, ut monet Apostolus, instabat, omnes diligenter erudiens, & ad virtutum studia incitans, illos à pravis dogmatibus revocans, & à flagitiorum sordibus reducens: alios solatio relevans, alios consilio succurrens, alios etiam auxilio recreans.

Academia Rostoch. status.

Jam in Academia, cujus status ante ejus adventum, & aliquandiu post, non minus quàm Reipubl. civilis, erat conturbatus ex confusione, quâ laborabat, imò oppressâ erat, vindicanda, vindicataque conservanda, se gessit plane sui similem: & in mandato munere fidelem, atque contra quasvis difficultates magnanimum & constantem. Ut primum enim ipsi à collegio Theologico certa lectionum materies, *Epistola ad Romanos* fuit assignata: ipse è vestigio operi manum admovit, &, quam scripturæ sacræ clavem, ut à magni judicii viris passim appellatur, tractare, ejus multiplicem usum suis auditoribus monstrare jussus erat, sedulò prælectionibus publicis illustrare conatus. Ea absoluta volentibus ita collegis, *Epistolæ ad Hebræos*, utriusque *ad Timotheum*, *Titum*, *Philemonem*: item *Jacobi*, *Petri* & *Judæ* explicationes subjunxit, cumque ad praxin Theologicam, quæ pro concionibus docendo, redarguendo, admonendo, corrigendo, consolandoque peragitur, & ad quam plerique sacrarum literarum studiosi se parant, summopere necessarium putaret, tradere Theologiæ initiatis elegantem & *artificiosam docendi ad populum rationem*, accepta ex epistolis ad *Timotheum* occasione, peculiarem *de modo concionandi commentarium* confecit, & cum suis auditoribus prælegendo communicavit. Simili ratione eruditam *typorum veteris Testamenti*, quorum multa in Epistola ad Hebræos mentio, *enarrationem* aggressus est; quod utrumque scriptum postea de consilio amicorum publicavit.

Lectiones Bacmeisteri.

Commentarius de modo concionandi. Enarratio typorum V. Testam.

Hanc novi *Testamenti librorum* interpretationem publicam excepit difficiliorum quorundam *veteris Testamenti* scriptorum expositio. Cum enim numerus Theologorum, post obitum *Henrici Strevii*, accessione *Valentini Schachtii* redintegratus esset, & prophetarum enarratio, quam *Chytræus* extra ordinem, interpretando aliquot de minoribus δωδεκαπροφητῶν libris susceperat, peculiarem lectorem desideraret; provincia ipsi demandata est. In qua obeunda sustinendaque ita se præbuit; ut fidelitatis laudem ab intelligentibus reportarit.

Explicat & libros V. T.

Quod enim à plerisque optimæ notæ interpretibus in tractatione sacrarum literarum observari videmus, primo singulorum verborum & phrasium, quibus divinitus tradita sunt Prophetica & Apostolica scripta, & quibus conversa leguntur, sive veterum, sive recentium translationibus accuratam expositionem, collationem, & dijudicationem suscipere solebat: cui postea artificiosam & luculentam enarrationem addebat: *denique explicatorum usum* in doctrina, redargutione, institutione & correctione fideliter monstrabat. Absolvit autem hoc posteriori laborum Academicorum cursu omnia *Prophetarum majorum & minorum scripta*, excepto uno *Daniele*: *Psalmos pœnitentiales*, qui vulgò ita dicuntur, cum aliquot aliis: quin etiam quorundam explicationem, de consilio & voluntate collegii theologici, iteravit: ut in *Jesaia* vaticiniis omnibus & epistola ad Romanos, factum.

Methodus ejus docendi.

Atque hæc in schola ad juventutem studiosam: in templo ad populum præter Christianæ doctrinæ capita, usitatas *Evangeliorum pericopas*, *passionis Dominicæ historiam*, hebdomadariis concionibus *totum Psalterium*, *Iesaiam*, *Genesin* & *Exodum* explicavit. Cæterum præter illos docendi labo-

In templo qua docuerit.

res,

res, quos in Ecclesia & Schola perpetuò hebdomadibus penè singulis subibat, *disputandi provinciam* cum in ordinario illo anniversarii circuli cursu, tum extra ordinem, idque partim domi, partim in collegiis Academicis, subire non detrectabat. Amabat enim & colebat suo etiam loco erudita & placida de materiis utilibus & necessariis peritorum tum rei, de qua conferendum erat, tum artis & modi, quo id fieri fas est, colloquia: quæ autem secus instituebantur, tanquam certas legitimi in discendo ordinis corruptelas, fœcundas multorum malorum genitrices, & inevitabiles bonorum quæ ex studiis rectè susceptis sperantur, pestes, seriò improbabat & detestabatur conventicula. Hisce laboribus docendi & informandi commissos suæ fidei adjungebat non minorem *disciplinæ ecclesiasticæ & Academicæ* instaurandæ, instauratæque contra machinationes tive apertas sive clandestinas conservandæ, curam.

Disputationes.

Disciplina ecclesiastica & Academica.

Erga Academiam, quam, primum ex *Dania* veniens, miserrimè turbatam offendit, in ordinem & dignitatem restituenda, restitutaque conservanda idem erat animus, idemque studium. Cum enim probè intelligeret, regiarum *scholarum florem & dignitatem ibi perire, ubi ipsæ suo jure & privilegiis non fruuntur*; omni cura cum collegis, qui & ante ejus adventum idem agere cœperant, in hoc incubuit: ut quibus ornamentis & præsidiis autoritate publica, *Pontificum* & *Imperatoris* à prima ejus fundatione, decoratum & munitum fuit Lycæum, iisdem ad Dei gloriam, provinciæ & vicinarum regionum decus & commodum, floreret. Quocirca non destitit tam laudabile & necessarium institutum sedulo cum parastatis industriis & fidelibus urgere; donec magistratui Academico, ejusque senatui, sua dignitas & potestas, imò totireipubl. literariæ, suorum privilegiorum usus restitueretur. Restitutis autem ut rectè uterentur, quibus ea destinata sunt, docentes & discentes, proximus ipsi labor fuit; utrisque & monitis & exemplo suo ut calcar adderet, perpetuò studuit: eodem nomine *octies Rectoratus* molestias fortiter exantlavit, & perpetuò fidelis consiliarii munere tum in conventibus & deliberationibus consilii, tum extra has, probè functus est.

Academia instauranda dat operam.

Rector & Consiliarius Acad. Rostoch.

Cum autem non minima studiosorum pars destituta plerunque sit necessariis ad sapientiam, virtutem & eloquentiam addiscendam sumtibus: & ad horum conatus præclaros contra fortunæ, ut loquimur, asperitatem juvandos, tum publicè illustriss. Principum munificentia *communis mensa* adornata, tum privatim quorundam opulentiorum civium benignitas iisdem subveniat: utrovis modo, ut sua ad virtutem tendentibus adminicula supperterent, pro virili annixus est. Nam & mensæ pauperum publicæ rationibus, unà cum altero quodam collega, ultra annos decem præfuit; & quos, sive ex incolarum, sive aliorum liberos mittentium numero, pædagogos suis adjungere velle intellexit; iis idoneos dum dispexit, etiam horum commodis consuluit. Verùm cum non minoris studii & laboris sit, secunda fortuna rectè frui, quam adversam æquo animo tolerare; ne quis omnium reipubl. literariæ civium sortis melioris blandimentis in victu, vestitu, conversatione quotidiana, aliisque abuteretur; *Bacmeisterus*, & cum clavum gubernationis Academicæ tenebat, & cum tenenti assidebat, vigili oculo observando, voce libera monendo, & contrà nitentes severè coërcendo allaborabat.

Cura tenuiorum studiosorum.

Custos disciplinæ.

Talem ergò vitæ cursum cum instituisset, graviterque urgeret: honores ipsi non exigui obtigerunt. Nam annos nondum *triginta unum* nato, Pastoris in Ecclesia *Rostochiana* prima & *Professoris Theologiæ* in Academia, functiones binæ sunt demandatæ: quas felix laborum utrobique successus, amor auditorum, fama apud exteros excepit, quæ eum ita commendavit aliis ut sequenti statim anno, quo *Rostochium* venit, consilio & hortatu collegii Theologici in Academia *Vittembergensi* ab amplissimo *Bremensis* reipubl. senatu ad munus docendi in Ecclesia sit vocatus. Anno proximè secuto honorifica accessit vocatio in aulam *Friderici* II. Danorum Regis, ad concionatoris, & in Academia *Hafniensi* sacrarum literarum Professoris munus: eaque non tantum ab ipso heroë literis oblata: sed amicorum in aula & Academiâ degentium hortationibus pressa, & aliquoties etiam altero, qui sequebatur, anno repetita: ex qua commodorum ad ipsum & liberos devolvendorum spes ostendebatur locupletissima. Nec *quadriennium* ipsum intervenit, quando pluribus quam quatuor è locis ejusdem opera in publicis functionibus, iisque dignitate amplissimis & emolumentorum fructu minimè spernendis, fuit requisita. Primò enim *Lubecensium* Reipub. anno LXVIII. operam dare cepit: qua ratione *Bacmeisterum* ad Superintendentis munus in suis Ecclesiis obeundum impetraret. Nec multò post misso hujus negotii apud senatum *Rostochiensis* civitatis expediendi gratia, viro gravi & prudenti, senatore suæ Reipubl. dignissimo, *Lunæberga Bacmeisteri* patria ad ejusdem generis officium civem suum expetivit. Successit anno subsequente LXIX. similis desiderii ab illustrissimo Principe & duce Holsatiæ *Joanne* seniore, Christiani III. Daniæ Regis fratre, literis clementissimis testata declaratio; qua ad partes aulici concionatoris & ecclesiarum Inspectoris deposcebatur, idque cum primo conatu non successisset, etiam altero anno dux urgere perrexit. Vix dum domum redierat tabellarius ille prior, cum *Regiomonte* missus adest cum literis legatus, nomine amplissimi, ex veteri oppido senatus; qui Bacmeisterum ad defuncti pastoris, *M. Christophori Langii*,

Officia eidem demandata.

Et delata t. à Bremensibus.

2. Daniæ Rege.

3. à Lubecensibus.

4. à Lunæburgensib.

5. à duce Holsatiæ.

6. à Regiomontanis.

locum suscipiendum, incitante & urgente hoc negocium *D. Joachimo Marlino* Episcopo Sambiensi, abduceret.

7. à duce Brunsuicensi.

Post omnes intra anni spacium, illustrissimus Princeps *Wilhelmus* Brunsuicensium & Lunæburgensium Dux, sui desiderii indices literas misit; quibus ad generalem totius sui ducatus ecclesiarum & scholarum inspectionem gubernationemque allicere conabatur, & quod priori non successerat, id secundâ vice per virum præstantissimum & de sacris Theologiæ studiis præclarè meritum *Martinum Chemnitium*, urgebat: cui velut succenturiatus ex eâdem Brunswicensium Ecclesia M. *Gregorius Stammich.* accedebat. Afferebant illi vocationis, quam divinitus offerri dicebant, amplectendæ necessitatem: doctrinæ, quæ in Academiâ & Ecclesiâ sonat, alibi propagandæ & contra errores defendendæ, fructum: nec dissimulabant, quæ timenda forent ex neglecta vocatione tum in iis locis incommoda, tum in animo vocati pastoris cruciatus, extollebant dignis laudibus Principis in pietate ardorem, depromebant sua, ut amicorum, desideria & benevolam voluntatem. Hic verò qui in solâ vocationis divinæ certitudine totius negocii decisionem positam censebat; tum denique ex Deo pristinæ suæ stationis mutationem esse statuebat: si ille magistratus oppidani auditorumque animos ad concedendum aliis sui pastoris usum inflecteret: & quos prudentes & fidos, bonique consilii spiritu instructos, habebat amicos, ab eâ sententiâ in contrariam non cuntes animadverteret.

Horum verò nihil quia omnibus rationibus diligenter ponderatis deprehenderet: divinitus se retineri firmiter statuit: ut qui eandem dimittendorum, quæ est admittendorum verbi ministrorum rationem tenendam: & proinde quemadmodum neminem invitæ & justis de causis repugnanti Ecclesiæ obtrudendum: ita nec quemquam ab eâdem retinere honestis conditionibus volenti, avellendum optimè sciebat. Reliqua magnatum gratiæ, dignitatum, commodorum, jucunditatum allectamenta: quibus mundana arrident, lubens relinquebat, sibi unum spectandum ratus, qua ratione, quem locum ipsi Dominus assignaverat, in eo fidelis & frugi servus deprehenderetur. Qua cogitatione repulit omnia illa incommodorum terriculamenta: quibus eum in aliam mentem viri illi præstantes, quorum meminimus, permovere non malo studio nitebantur.

Atque hæ omnes tam honorificæ tam opimæ conditiones, intra unius anni spacium oblatæ sunt: ac *Lubecensium* quidem respubl. propositum suum & per ministerii literas & per magnificum consulem *Ifermannum Vechselden*, Bacmeisteri familiarem urgere non destitit, &, cum post *quadriennium*, partim componendæ cujusdam controversiæ gratia, quæ mota erat ministris verbi à quodam eorum collega *Ioanne Beato*, & quibusdam aliis ex auditorum numero, *de administratione eucharistiæ*, partim alius salutaris negotii causa, *de certâ concordiæ formulâ*, quam Suevicæ Ecclesiæ Saxonicis offerebant ineunda, Theologorum quorundam consilium & opera requireretur; *Bacmeisterum Rostochio*, ut alios aliunde vocandos curarunt. Nec vicinis tantum *Bacmeisterus*, verùm etiam remotioribus fama nominis sui notus fuit: id quod abundè evincit illustrium *Austriæ* ordinum vocatio. Cum enim anno LXXIX. Comites, Barones & Nobiles istius loci requirerent, qui ecclesiarum & scholarum suarum, quibus religionis sinceræ exercitium publicum ab Imperatore *Maximiliano* II. clementissimè concessum erat, visitandarum curam & labores susciperet; consensum firmum in doctrinâ, concordiam stabilem inter docentes, ordinem legitimum in ceremoniis constitueret: ad eam provinciam subeundam *Bacmeisterum* misso legato, viro apprimè nobili *Wolffgango Christophoro à Memmingen*, vocarunt.

Vocatur in Austriam.

Hic verò impetrata ab illustrissimo Principe *Ulrico* Megapolitano, & ab Academiæ & urbis senatu abducendi secum ad tempus aliquod *Bacmeisteri* potestate, sub initium sequentis anni LXXX. iter ingressus, cùm id, cujus causa evocatus fuerat, expedivisset, invitis ordinibus *Rostochium* reversus ad suos est. Fuerunt & aliorum Principum atque civitatum judicia de *Bacmeistero* honestissima, literis etiam favoris ac benevolentiæ plenissimis declarata: quæ in præsentia omittimus. *Bacmeisterus* autem perspecta suorum in se civium voluntate ac studio totius reipubl. Rostochianæ: lubens in veteri sede substitit: & à qua ornatus ipse erat republ. eam contra ope & consilio suo amplificare & conservare, quaqua potuit, allaboravit.

Abit eò cum legati.

Postquam ergo bonum certamen certasset, vitæque suæ curriculum in fide decurrisset, soluturus tandem Dominus & perfectissima libertate donaturus servum, impositurusque ei coronam justitiæ, quam reposuit omnibus revelationem ipsius diligentibus; conjecit ipsum in scorbutum aliasque huic conjunctas infirmitates, cum quibus aliquandiu in vera fide & patientia luctatum tandem liberavit, & ad se transtulit anno *millesimo sexcentesimo octavo*, die *nono* Julii, ætatis *septuagesimo octavo*: cum toto decubitus supremi tempore mens ipsi integra ad extremum usque halitum constitisset, nec Ecclesiæ ac Reipubl. Rostochiensis curam deposuisset. Elatus est frequenti funere eadem in urbe: ubi Academiæ & Ecclesiæ *quadraginta sex* annis præfuerat. Defuncti memoriam ac merita celebrarunt Epitaphiis Carminibus viri clarissimi & doctissimi: quæ typis procusa exstant. Unum *Eilhardi Lubini* Theol. D. & generi Bacmeisteri lubet adjiceret:

Morbus ejus fatalis. Obitus.

Epicedia, & de iis Eilhardi Lubini.

Si

Si quem de cunctis bene præclareque merendi
Infractum studium maturo fregit ab ævo;
Ardui & officii labor, & cura ardua & ingens:
Te venerande senex, senior meritissime fregit;
O desiderium, & nostri spes magna Lycæi,
Et latè fragrans flos, Bacmeistere, Roseti.

Ad cujus tumultum passis laniata capillis
Strata jacet pietas: rerum & prudentia victrix,
Juncta suæ Sophiæ, tam fidum deflet alumnum.
Inprimis Varni hæc ad curva fluenta Rhodantho,
Et templa atque schola, tam sidi clade patroni,
Atque Patris, gemitus imo de pectore ducunt.
Clade Patris, quæ quanta siet qualisque, futura
Forte brevi & ventura dies atque hora loquetur.

Interea securus agas sine parte pericli
Æterni placidique tenens tutissima portus:
Dum nos congeries obnubit turbida rerum,
Et cymbam in pelago hanc sors non satis æqua fatigat;
Et pulsatque rotatque & parte incursat ab omni
Fluctibus & scopulis, non unus turbo procellæ.
Dum quoque nos tandem portum teneamus eundem,
Et mox in patrio tibi conjungamur Olympo.

Scripta. De scriptis ejus sunt hæc: lib. *de modo concionandi*: *Explicatio historiæ passionis, mortis, & resurrectionis Christi*: *Theses de Sacramentis* cum notis *Zachariæ Ursini*: & si quæ nobis nondum cognita.

Ex oratione parentali dicta à Paulo Tarnovio Th. D. & Professore Rostoch.

POLYCARPUS LYSERUS.

NAtione *Polycarpus Lyserus* fuit Suevus, editus in agro Wirtembergico, *Winendæ* oppido, anno *millesimo quingentesimo quinquagesimo secundo*, die *decimo octavo* Martii, horâ *quintâ* pomeridianâ. Patrem habuit *Casparum Lyserum*, Pastorem & Superintendentem Winendensem: quem Polycarpus vix bimus amisit.

Mater exacto viduitatis tempore, sibi libertisque rectiùs consultura, ad secunda vota transiit: & *Lucæ Osiandro* Theologo nupsit, Ecclesiastæ primum aulico *Wirtembergico*, pòst *Stutgardiano*, tandem *Eslingensi*. Hic non vitrici, sed patris affectu, privignum suum prosecutus, pietatis & literarum fundamentis puerum statim erudivit. Scholas ergò quas triviales vocant, ingressus, primum *Blabyræ* in cœnobio reformato, duobus miliaribus ab Imperiali, *Ulma*, deinde *Stutgardiæ*, primâ studiorum fundamenta felicissimè posuit: ita ut anno ætatis *decimo quarto*, Græcis & Latinis literis excultus, inque artibus Logicis magnâ cum curâ exercitatus, ad Tubingensium Academiam, de consilio parentis & præceptorum se conferret: dignusque judicaretur, qui in numerum alumnorum Principis Wirtenbergici cooptatus, publicis sumtibus aleretur.

Auream hanc discendi occasionem nactus *Polycarpus*, rectè eâ utendum sibi esse censuit: ac proinde alumnum sive stipendiarium se esse assiduè cogitans, non otio, non comessationibus, non voluptatibus, non luxui in vestitu; sed pietati, continentiæ, honestati, diligentiæque incumbendum sibi esse, rectissimè statuit. Itaque cum iis indiciis virtutis & diligentiæ in ipsa adolescentia, se omnibus commendaret, mox primam lauream studiorum est consecutus. *Laurea prima ornatur.* Deinde ex hâc metâ legitimo curriculo tanquam ex carceribus ad Magisterii in bonis artibus honorem contendere & aspirare cœpit; quem & suis felicissimis conatibus & consentientibus suorum præceptorum suffragiis ita adeptus est; ut inter competitores *triginta duos*, natu majores omnes, ipse natu minimus *octodecim* annorum juvenis, primum locum fuerit sortitus. *Mox secunda.*

Pari diligentiâ, curâ & studio, cum ex castris Philosophicis ad scholas Theologicas transiisset, usus est. Nam per annos *tres* cum *dimidio* continuo, semper lectionem Theologicam cum Philosophicis studiis conjunxit; omnes in Theologica facultate Doctores audivit; concionibus sacris diligentissimè interfuit: nec non respondendo & opponendo in publicis disputationibus talem se probavit: ut non modò Professoribus satisfecerit studio diligentiaque suâ: sed dignus etiam visus, cui Ecclesiæ ministerium commendaretur. *Conjungit Philosoph. cum Theol.* Itaque publicè die *octavo* Martii, anno *septuagesimo tertio*, cum invocatione nominis divini & consueta manuum impositione, coram universa Ecclesiâ ministerio initiatus est. *Ministerio initiatur.*

In collegio etiam illo Tubingensi præclaro, ubi illustrissimus Princeps quam plurimos beneficiarios, veluti seminarium Ecclesiæ alit, de consilio præceptorum non modo studia, sed mores etiam adolescentum rexit: ita ut non modò ipse quotidiè ad egregios profectus elaboraret; verùm etiam aliis ad ingrediendas veras vitæ & studiorum rationes esset ἐγχοδιώκτης. *Regit studia & mores in stipend. illust.* Postea anno ætatis *vicesimo primo* uni certi functioni ecclesiasticæ in oppido **Gellersdorff** / sub ditione tunc illustris & magnifici Domini *Michaëlis Ludovici*, Baronis à *Buchaim*, Dapiferi hæreditarii *Austriæ* inferioris, ac Consiliarii Augusti, est præfectus: unde fama de ipsius præclaris in docendo donis mox universam *Austriam*, vicinasque regiones, omnium sermone percrebuit; ut non modo *Viennam Austriæ* multoties ad habendas conciones: sed & à proceribus *Styriæ*, ad pastoratum *Grezensem* illustrem sanè provinciam, solenniter fuerit evocatus. *Præficitur ecclesiæ Mich. Ludov. B à Buchaim. Fama Lyseri. Viennam & Græciæ evocatur.* Verùm cum neque patronus, neque ecclesia ipsa *Gellersdorffensis*, in dimissionem *Polycarpi* consenture, tantique Doctoris jacturam facere vellet: neque ipse oblatam, quantumvis splendidam atque opimam provinciam, invitâ Ecclesiâ capessere voluit. *Manet Gellersdorffii.*

Fato autem quodam singulari & occulto Dei nutu ac arbitrio accidit; ut tum sic jubentibus præceptoribus, Tubingam excurreret, ibique summum in Theologia gradum unà cum *Hunnio*, sibi legitimè conferri non tam peteret, quam ultrò à Tubingensis Academiæ Theologis oblatum, magno cum applausu reliquorum ordinum impetraret; anno ætatis *vicesimo quarto*: qui erat Christi *millesimus quingentesimus septuagesimus sextus*.

Tubingam excurrit. Doct. Th. renunciatur.

Sub id tempus in Saxoniâ locis suis moti & *VVittembergâ* ejecti fuerunt *Caspar Cruciger* junior, *Henricus Mollerus* Hamburgensis, *Fridericus Widebramus*, & *Christophorus Pezelius*. Ibi cum de pastore, Wittembergensi Ecclesiæ in locum *Caspari Eberhardi* demortui præficiendo, deliberaretur: *Lyserus* constanti omnium ordinum consensu literis Electoris *Augusti* solennibus fuit evocatus, mense Novembri, anno *septuagesimo nono*.

Vocatur Wittemb.

Videbat Lyserus equidem muneris oblati dignitatem, cum onere multiplici conjunctam, eamque deprecabatur: sed accedente ad Electoris Saxonis voluntatem Principis etiam Wirtenbergici *Ludovici* permissu, officium resignavit in *Austria*, novum acceptavit. Venit *VVittembergam* mense Februario, anno *septuagesimo septimo*, ætatis suæ *vicesimo quinto*, & de mandato Augusti Electoris Ecclesiæ illius Pastor, ac reliquarum Superintendens, à *Jacobo Andrea* publicè inauguratus est; mox eodem anno in ordinem Professorum Theologicorum solenniter cooptatus, atque Consistorii Ecclesiastici Adsessor declaratus.

Vbi Pastor, Superintendens, Professor, & Consistorii Adsessor designatur.

Hic curis laboribusque ita flagitantibus, cum Apellis Germanici *Lucæ Cranachii*, consulis Wittembergensis filiâ, virgine egregia, nuptias celebravit, anno *millesimo quingentesimo octuagesimo* ætatis suæ *vicesimo octavo*. Ex hac liberos suscepit *tredecim*; nepotes vidit *tres*, & neptem *unam*.

Vxorem ducit.

Inciderunt autem initia ministerii ipsius Wittembergensis in id tempus; quo impensis curaque *Augusti* Electoris *Liber concordiæ* fuit conscriptus, & calculo plurimorum approbatus. Hoc ergo in opere promovendo ipse, unà cum aliis, *VVittembergâ*, *Torgæ*, *Lipsiæ*, *Misenâ*, *Hertzbergæ*, & alibi; partes minimè postremas sustinuit: & subscriptiones exposcere necesse habuit ab illis: qui publicis docendi muneribus, vel in Ecclesiis vel Scholis, tum erant præfecti. Anno *octogesimo tertio*, mense Januario, conventus *Quedlinburgi* Theologorum institutus est, de *Apologiâ libri concordiæ*. Huic Lyserus quoque de voluntate Electoris Augusti interfuit.

Librum concordiæ promovet.

Conventus Quedlinburg.

Ei interest Lyserus.

Subsecuto anno *octogesimo quarto*, mense Majo, Dresdæ instituta est Synodus; in qua deliberatio de concordiâ aliquâ inter *Lutheranos* & *Calvinianos*, ut vocant, sic petente Rege *Navarræo*, agitata: quod negocium *Magdeburgi* postmodum resumtum. Istis in congressibus & Lyserus adfuit: ac consilia quæ putabat Ecclesiæ saluti futura, dedit.

Synodus Dresda.

Eodem fermè tempore, cum Theologi *Anhaltini* subscriptionem recusarent; gemina fuit indicta Synodus: una *Lipsiæ* anno *octogesimo quinto*: ubi refutatio Anhaltinorum sub nomine *Timothei Kirchneri* pòst edita est: altera *Hertzbergæ*: in quarum utraque itidem *Lyserus* non postremas tulit, opponente se potissimum *Wolffgango Amlingo* Theologo Servestano, in disputatione de *Persona Christi*, & *communicatione idiomatum*: quæ præcipuè ventilata. Anno eodem *octogesimo sexto*, die *undecimo* Februarii, in vivis esse desiit *Augustus* Dux & septemvir Saxonicus, rerumque potitus est filius, *Christianus*, Elector Saxoniæ.

Anhaltini subscribere nolunt concord. lib. Ea de re Synodi. in quâ Lyserus.

Augusti Elect. Sax. obitus.

Ibi cum aliud agens *Lyserus*, conditionis optimæ occasionem apud *Brunsuicenses* sibi obtingere, datis ad aulam literis, ostendisset: responsum planè ἀπροσδόκητον tulit; *ut frueretur, quàm sibi oblatam putaret, felicitate; Ecclesiæ VVittembergensi de alio Pastore prospectum iri*. Hoc responso ordines consternati non literis modò, sed & legatis ad aulam Electoralem missis, causas plane sontitas, exposuerunt; ob quas de retinendo *Lysero* sint soliciti: verum irrito planè conatu.

Lyseri litera ad aulam. Aulæ responsum.

Sic ergò *Polycarpus* dimissus, ipso brumalis solstitii tempore, instructusque præclaris testimoniis, ab Academia, à Consistorio Ecclesiastico, à Facultate Theologica, à senatu denique oppidano, *Brunsuigam* concessit, ac initio quidem coadjutoris, postmodum verò *Superintendentis* munere ibi functus est. Hac autem quoque in statione ut morsus tum *Calvinianorum*, ut appellantur, tum *fratrum* quoque *falsorum* effugere non potuit: ita acriter certamina omnia depugnavit, atque animos hominum sibi devinxit.

Dimittitur Wittemb.

Brunsuigæ docet.

Certamina varia sustinet.

Sexennio igitur circiter pòst, cum mortuo *Christiano* I. summa rerum ad *Fridericum Wilhelmum* Ducem, tutorio nomine ac jure, pervenisset: *Lyserum VVittembergam* revocavit. Vix autem annum *unum VVittembergæ* commoratus, mortuo *Martino Miro*, *Lyserus* in aulam Electoralem est evocatus, quo anno Christi *nonagesimo quarto*, supra *sesquimillesimum* concessit. *Dresdæ* ergò cum concionatoris aulici partes primas suscepisset: statim cuivis gratus fuit, ingeniorum judici perspicaci: cumprimis autem ipsis Principibus, *Proelectori*, deinde *Electori* ipsi, *viduæ* item electorali ac *conjugi* serenissimæ. Interea autem ipse, quod sui erat muneris atque officii sedulo curabat, & in erudiendis informandisque junioribus Principibus Electoralibus utriusque sexus, singulari prudentiâ,

Wittemb. revocatur. Et in aulam Elect. Sax.

Dresdæ agit.

Gratus ibi Principib.

Erudit juniores Principes.

dentiâ, fide ac industria versabatur: id quod præter viva rerum documenta, abundè satis testantur *Institutiones Catecheticæ* in utraque linguâ *Germanicâ* & *Latinâ* iterum iterumque editæ, jurisque publici factæ. Eadem in functione varia certamina cum variis subiit, non modo cum iis, quos à *Calvino* agnominant *Lutherani*; sed & cum aliis. Nam cum *Samuele Hubero Bernate* Helvetio, qui ex patria progressus, Wittembergam venerat, ibique dogma absurdissimum de *universali omnium electione*, etiam *reproborum redemtione sparserat*: cum isto, inquam, totis annis *septendecim* pugnavit. Deinde cum Jesuita Ingolstadiensi *Iacobo Gretsero*, ob publicatam historiam *Hasenmüllerianam* publicum ei intercessit certamen: in quo post unam atque alteram velitationem illud Poëtæ usurpandum sibi statuit:

Cede repugnanti: cedendo victor abibis.

Fuit ei etiam certamen cum *Gleselio*, patre *Andreæ*, Capuzino quondam Pragensi, & aliis, ut de privatis velitationculis, quas cum quibusdam *falsis fratribus* sustinuit, nihil dicamus; nihil etiam de concionibus, meditationibus, Ecclesiarum & Scholarum visitationibus, pecuniæ eleemosynariæ administratione, pro viduis & pupillis ministrorum per electoratum Saxonicum à D. *Augusto* Electore legatæ.

Hæc dum agit, en tibi lenta quædam, & omnem medicorum industriam fallens febricula, vires ejus ita paulatim depascitur: ut ad postremum, inevitabilem ei attulerit ex hac vita migrandi necessitatem. Senserat ipse mali hujus semina jam ante *septennium*, & quidem tanto impetu omnes vires corporis occupantia; ut jam tum sibi diuturniorem vitæ hujus usuram vix polliceri posset. Sed Deus, qui mortuos suscitat, & lassis vires sufficit, ex mortis faucibus eum tunc extraxit, novasque ipsi vires concessit. Sic autem ipse pristinis viribus restitutus, nihil prius aut antiquius habuit; quam ut demandato muneri, quo præerat, studio atque fide iterum vacare posset. Nihil proinde intermisit eorum, quæ sui esse officii arbitrabatur, magno quidem cum Ecclesiæ commodo, sed cum majore virium detrimento. Sic enim perpetuis curis, vigiliis, laboribus, itineribus, virium vigore paulatim magis magisque absumto, tum respirationis difficultatem, tum reliquorum membrorum externorum lassitudinem ac infirmitatem, indies augeri animadvertit.

Accesserunt varia alia & gravia symptomata; quorum paroxysmos aliquot vehementiores, tum alibi, tùm paulo ante obitum *Torgæ* sensit, in ipsis comitiis provincialibus cum pro rostris sacris stans, deque rebus gravissimis verba faciens, citiùs concioni colophonem imponere necessum haberet, quàm præfixam telam pertexuisset. Inde *Dresdam* reversus, medicorum quidem consilia minimè neglexit: sed viribus modes decrescentibus, tempus instare animadvertit, quo corporis hujus ergastulo, & laborum omnium jugo solutus, ad Deum migraret. Proinde domui suæ rectè disposuit, & testamento cavit: quâ ratione bona & facultates ad hæredes pervenire debeant. Ubi & pauperum rationem habuit, *centenis* aliquot *florenis*, in istorum usum destinatis. Et cum singulari quodam amoris affectu Wittembergam & tenuioris cumprimis fortunæ studiosos, quales plerunque esse solent, studiis Theologis qui se manciparunt, prosequeretur; testamento etiam cavit; ut quotannis in die *Polycarpi* & *Elisabethæ*, certa quædam pecuniæ summa impenderetur, in lautiorem victum eorum, qui communi mensa uterentur. Sic reliqua privata, singula ac universa atque adeò accuratè disposuit; ut nullam litis aut contentionis materiam, hæredibus post se relinqueret.

His omnibus ita ritè dispositis, uxorem, liberos, aliosque propinquos & amicos ad se vocavit: & plerisque plorantibus, ipse solus imperterritus, exitum vitæ jam sibi instare, significat. Collegis verò Theologis astantibus sanctè testatus est: se in morte sua obstignaturum eam doctrinam; quam voce & calamo contra quosvis, tum veteres, tum recentiores hæreticos, publicè propugnasset: neque vel latum unguem ab hac doctrina recessurum: quin læto animo migraturum jam ad Christum Servatorem suum, cui paratus sit rationes reddere de doctrinâ, hactenus à se assertâ.

Tandem *vicesima secunda* Februarii, cum sese ad quietem quasi composuisset, in Domino quietè obdormivit, vix ipsis adstantibus id animadvertentibus, anno Christi *millesimo sexcentesimo decimo*, ætatis suæ *quinquagesimo octavo*, nondum completo.

Edidit Theologica varia: ex quibus sunt libri tres *harmoniæ Evangelicæ: passio Domini nostri Jesu Christi* secundum quatuor Evangelistas paraphrasi expositæ, & in certos actus tributæ: *Commentarius in Geneſin: Christianismus*, *Papismus*, & *Calvinismus* ejusdem, id est, triplex explicatio Catecheseos Lutheri; prima ostendit quibus in capitibus *Lutheranis* cum *Calvinistis*, altera, in quibus *Evangelicis* cum *Papistis* conveniat, tertia, quomodo Christianus doctrinam Catecheticam ad usum transferre in exercitiis pœnitentiæ debeat: consilium *de exorcismo*: & si quæ alia, de quibus Bibliothecæ. Tantum de *Polycarpo Lysero ex oratione funebri à Leonharto Huttero D. Theol. & Professore Wittemberg. dicta: item ex elenchis librariis.*

Institutiones Catechet.

Certamina cum Calvinianis & Hubero.

Dogma Hub. Certamen cum Iac. Gretsero.

Item cum aliis Pontif.

Etiam cum fratrib. falsis.

Labores alii Lyseri.

Corripitur morbo.

Quem diu ante sensit.

Quo tum liberatus.

Patitur recidivam

Testamentum condit.

Legatum pro pauperibus.

Valedicit suis.

Fidei Confessio.

Obdormit, dum somnum optat.

Scripta.

IOANNES PAPPVS

⊙. 1610. *d.* 13. *Iul. ætat.* 61. *curr.*

HIc natus est anno *milleſimo*, *quingenteſimo*, *quadrageſimo nono*, die *decimo ſexto* Januarii, *Lindavii* ad lacum Acronium, patre viro nobili *Hieronymo Pappo*, conſule Lindavienſi prudentiſſimo, viro atmatâ togataque militiâ claro, & de Religione ac repub. Chriſtiana benè merito, & matre itidem nobili fœmina, *Barbara Funckia*, *Balthaſaris Funckii*, conſulis Memmingenſis filia.

Hieronym. Pappus.

Martinus Bremius.

Poſtquam in ſchola patria, à *Martino Bremio Iſnenſi*, viro doctiſſimo, rudimenta trium linguarum Principum, Latinæ, Græcæ & Hebraicæ ſic ſatis percepiſſet, atque fundamenta Dialectices juxta & Rhetorices jeciſſet, menſe Martio anni *milleſimi quingenteſimi*, *ſexageſimi*, *ſecundi* à parentibus, augendæ eruditionis ergò, ad *Argentinenſem* Academiam primum miſſus eſt; ubi ad claſſem primam promotus, eam in diſcendo induſtriam & diligentiam adhibuit, ut anno proximè ſequente, ad publicas auſcultationes, à clariſſimis tum temporis Acad. ephoris admiſſus ſit.

Argentoratum miſſus Pappus.

Exinde Tubingam

Hinc anno *ſexageſimo quarto Tubingam* profectus, ibidem menſe Septembri ejusdem anni, ætatis *decimo quinto*, primum in Philoſophia gradum adeptus eſt. Inde anno *ſexageſimo ſexto* ad aulam vocatus, generoſorum duorum Comitum *Falcoſteinenſium*, *Wolfgangi* & *Friderici Melchioris*, privatam inſtitutionem ſuſcepit. Cum verò parens ipſius ardentiſſimo purioris doctrinæ zelo flagraret, & Religionis ſinceræ acerrimus vindex ac propugnator eſſet, utpote qui non ſolum *Vvittembergæ*, reverendi Patris, *Martini Lutheri*, auditor diligens fuerat, ſed imperterritum ſe quoque teſtem eidem præbuerat, cum anno *decimo octavo* à *Leone* decimo Pontifice, revocationem theſium de indulgentiis propoſitarum urgente, & diris anathematum comminationibus confeſſorem Dei gravante, ad generale ille atque liberum & legitimum concilium appellaret; voluit hic parens, ut vitæ aulicæ filius valediceret, & ad Academiam rurſus ſe conferret, ſtudiumque ſanctæ Theologiæ, Tubingæ priùs inchoatum continuaret, ſicque appellationem Lutheri, cujus teſtis ille fuerat, quantum poſſet, proſequeretur.

Præficitur comitibus Falcoſteniis.

Ex aula avocatur.

Redit Argentoratum.

Anno itaque *ſexageſimo ſeptimo*, menſe Auguſto *Argentoratum* reverſus, totum ſe ſtudio Theologico addixit, in quo moderatorem, & præceptorem habuit *Ioannem Marbachium*, Acad. Argentinenſis tum Profeſſorem, & Eccleſiæ Antiſtitem. In eodem ſtudio tantos, divina gratia, progreſſus fecit, ut biennio poſt *Reichovillam* miſſus ſit, ubi eâ fidelitate miniſterium ſuum obiit, ut ejus loci Superattendenti, *Nicol. Cancerino* charus acceptusque fuerit.

Eccleſia præficitur.

Revocato inde anno *milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo*, ætatis *viceſime primo*, ad Argentinenſem Academiam, lectio primum *Hebraica* demandata eſt, mox propter ſingulares ingenii dotes, & *Theologica profeſſio* in ſchola, & docendi munus in Eccleſia commiſſum. Ad eos igitur dignitatis gradus evectus, quo majori authoritate officiis ſibi commiſſis præeſſet, anno *ſeptuageſimo primo* à clariſſimis Academiæ *Baſilienſis* Profeſſoribus, tum temporis, Magiſterii gradu condecoratus eſt.

Argent. Profeſſor declaratur.

Baſilea Magiſter renunciatur.

Poſt honeſtiſſimo Facultatis Argentoratenſis ſcholæ Theologicæ teſtimonio inſtructus, *Tubingam* iterum petiit, cumque ibidem eruditionis ſuæ aliquot ſpecimina edidiſſet, *viceſimo tertio* Novemb. anni *ſeptuageſimi tertii* S. Theologiæ Doctor, ſumma cum laude & applauſu renunciatus eſt.

Et Tubingæ Doctor Theolog.

Ad Argentinenſes reverſus, Spartam, quam nactus fuerat, ornavit, & utrique officio, tam Academico, quàm Eccleſiaſtico, quâ potuit fide, dexteritate & induſtriâ præfuit. Matrimonio ſibi dehinc junxit, virginem *Mariam Magdalenam*, ex vetuſtiſſimâ *Linſiorum* à *Dorndorc* familia, oriundam, quæ cum prudentiâ, obſervantiâ, humanitate, & morum amabilitate eidem conhabitavit. Ex eâ ſuſcepit filium unicum avitæ laudis æmulum, *Ioannem Pappum*. In Academiâ eâ non ſolum præcipuos S. ſcripturæ libros explicuit, & commentationibus illuſtravit, ſed ad tempus *Hiſtorica* quoque profeſſus eſt, anno *octuageſimo ſeptimo* ad hanc ſubeundam provinciam vocatus. Chriſtianæ Religionis noſtræ capita ferè omnia diſputando defendit; eorumque veritatem contra adverſarios tam *Pontificios* quàm *Calvinianos* publicè aſſeruit. *Viſitaturam* collegiorum & Academiæ ſemel, *Decanatum* verò *quinquies* geſſit, & *Rectoris* Magnifici officio *bis* functus eſt. Ubi erga collegas humanum, erga officium facientes ſtudioſos benevolum, erga negligentes, gravem & ſeverum ſe præbuit.

Vxorem ducit.

Ioan. Pappus F.

Officia Pappi.

In Eccleſia Argentinenſi anno *ſeptuageſimo octavo* Paſtor ſummi templi eſt factus, cui tamen officio ob multas ac varias, tam Academicas, quàm Eccleſiaſticas occupationes, abdicare ſeſe, anno *nonageſimo tertio*, coactus eſt. Conventui Eccleſiaſtico, per *annos viginti novem* præfuit, anno *octuageſimo primo* ad hoc officium cooptatus. In eo autem tanta prudentia verſatus eſt, ut Eccleſiarum miniſtri, inſpectioni illius commiſſi, conſilia & actiones ipſius ſuſpexerint & admirati ſint, Deoque pro eximiis in ipſum collatis donis, gratias egerint.

Paſtor ſummi templi.

Præſes Eccleſiaſt. conventui

Exteris quoque ob nominis celebritatem innotuit. Nam anno *nonageſimo Ementingam* ad habendum cum Pontificiis colloquium, & anno *nonageſimo primo Auguſtam*, unâ cum *Nicolao Selneccero* ad componenda inteſtina, quæ ibidem exorta erant diſſidia, vocatus eſt. Diſcipulos plurimos habuit, quorum plerique magna cum laude,

Fama ejus

non

non ſolum Eccleſiis in Argentinenſi urbe & agro præſunt, ſed in aliis quoque Germaniæ locis Miniſterio funguntur, & cum fructu, quæ ab illo acceperunt, Eccleſiæ communicant.

Cum autem annos *quadraginta duos*, Eccleſiæ & ſcholæ, pro virili ſua inſerviiſſet, placuit omnipotenti Deo, enervato laboribus corpore, curis atque moleſtiis variis exagitatum, liberare, & ad ſe ex hac ærumnoſa vita placido mortis genere, abſque manifeſto acrioris doloris ſenſu, ſomnum referentis, ad patriam cœleſtem vocare. Quod factum die *decimo tertio* Julii, anno, quem ipſe hoc verſu, ſibi in inſcriptionibus familiari, expreſſit:

Obiit.

AD ſIneM ſI qVIs ſe parat, ILLe ſapIt

Scripta.

Scripta tam *didactica*, quàm *polemica* aliquot edidit. Reſtant plura, partim inchoata, maturitatem tamen nondum adepta, partim verò abſoluta, digna quæ & ipſa lucem adſpiciant.

De controverſia, quæ ei cum *I. Sturmio* interceſſit, exſtant libri, ad quos lectorem cupidum remittimus. *Nobis hæc in præſentia ſufficiunt, deſumta ex ſcripto publicè propoſito, & ex concione in funere ejus habitâ.*

AMANDUS POLANUS.

Amandum Polanum voluit Deus lucis hujus uſuram accipere *Oppaviæ* Sileſiorum, parentibus honeſtiſſimis, *Henrico Polano* à *Polansdorff*, Syndico illius reipub. & *Marthâ Cominiâ*: anno Meſſiæ exhibiti, *milleſimo, quingenteſimo, ſexageſimo primo*, die *decimo ſexto*, Decembris.

Ob. 1561 d. 18. Julii. ætat. 46.

Parentes Polani.

Puer liberalium elementa artium in patrio ludo didicit. Inde anno *milleſimo, quingenteſimo, ſeptuageſimo ſeptimo*, quo & fidelitatis juramento ſe Sileſia *Rodolpho* Imperatori obſtrinxit, cùm idem *Vratislavienſes* præſtarent, eò venit, inque ſcholam *Eliſabethanam* eſt adſcriptus, in qua *ſexennium* ipſum poſuit. Ibi ſtatim, ut fit, indoles ejus & ingenii felicitas ſeſe exeruit, & probata fuit præceptoribus, juventutis informatoribus ibi celebertimis, *Petro Vincentio, Nicolao Steinbergero*, & *Caſparo Brutmanno*. Condiſcipulatus neceſſitate junctos ſibi habuit *Bartholomæum Pitiſcum*, Electori poſteà Palatino à ſacris: *Ioann. Schachmannum* & alios.

Vratislaviâ mittitur.

Ibi ejus Præceptores. Condiſcipuli.

Vratislaviæ Tubingam uberioris doctrinæ cauſa abiit, ibique occaſionem nactus ſtudiis commodam, plurimum *Theodorici Snepſii* moderatione in docendo & dexteritate delectatus eſt, quam & deinceps ſæpè commendavit. Cum autem in publica quadam diſputatione à præſide D. *Iacobo Andreæ* invitatus eſſet: ut *de electione* conferret, ipſe conſtanter illud * *Apoſtoli* pronunciatum adſeruit: *Nondum nati pueris, cum nihil feciſſent boni vel mali, ut propoſitum DEI, quod eſt ſecundum ipſius electionem, id eſt, non ex operibus, ſed ex vocante, firmum maneret.* Quin & privatim ſuper eodem argumento interrogatus, indicavit, cur in diſputatione, quæ tum *Lamberto Danæo* cum eodem D. *Andrea* intercedebat, ſubſcriberet, & veritatem à *Danæi* partibus ſtare dixit. Itaque ſuo iſto reſponſo quosdam commovit, ut penitiùs rem totam conſiderarent, quorundam verò, ut fit, animos à ſe alienavit.

Tubingam abit. Theod. Snepſii moderatio. Sententia Pol. de electione.

* Rom. 9. v. 11.

De conſilio igitur celeberrimi medici *Iacobi Scheckii Baſileam* ſe contulit, ab eodem Scheckio, D. J. *Iacobo Gryneo* commendatus. Factum id anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, octogeſimo tertio*. Civibus Academiæ illius adſcriptus eſt à Rectore tunc *Chriſtiano Vrſtiſio*, totumque animum ad Theologiæ ſtudium applicavit. Exinde variis in regionibus *Genevæ, Baſileæ, Haidelbergæ, in Moravia*, & alibi, tum aliis Baronibus erudiendis operam ſuam addixit, tum inprimis generoſo cuidam *Zerotinio*.

Baſileam ſe confert.

Præficitur Baroni Zerotinio.

Anno *milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo*, menſe Novemb. de voluntate illuſtris & generoſi D. D. *Caroli* ſenioris, L. Baronis *Zerotiniani*, ipſi ne cogitanti quidem tale quicquam à D. Grynæo perſuaſo, Theolog. Doctoris honor collatus eſt, promotore D. *Ioanne Brandmüllero* Paſtore ad S. *Theodorum* minoris Baſileæ. Id quod non citra ſingulare DEI conſilium factum ducimus. Elapſis enim annis ſex, eidem promotori ſuo in explicatione *Veteris Teſtamenti* ſucceſſorem eum deſtinarat.

D. Theol. renuncia. tur.

Nam cum anno *nonageſimo ſexto*, *Malachiæ* Prophetæ explicatione publica *Genevæ* abſoluta *Baſileam* rediiſſet, ordinaria vocatione invitatus profeſſionem librorum Veteris Inſtrumenti in ſe ſuſcepit: quam & obiit fideliter, annis *quatuordecim*, ad vitæ uſque exitum. Quo intervallo publicis prælectionibus illuſtravit *Danielem* & *Ezechielem* Prophetas, bonam item *Pſalmorum* partem: præter lectiones extraordinarias, quas diebus Jovis & Sabbati habuit, ut nihil de diſputationibus & aliis exercitationibus publicis dicamus. Fuit itaque *Polanus* ornamentum Academiæ Baſilienſis, eique decus magnum & ingenio & ſcriptis ſuis adjunxit.

Profeſſor item.

Tandem anno *milleſimo ſexcenteſimo decimo*, die *decima octava* Julii intra duodecimam & primam noctis placidè exſpiravit, cum totius morbi, febrilis nempè ardoris, tempore voluntatem ſuam divinæ voluntati aggregaſſet, ſcripturæ ſacræ dictis firma fide ſe erexiſſet, animamque Chriſto Servatori unico, identidem commendaſſet. Illatus eſt honorificè ſepulcro proximo ſuæ *Mariæ Grynææ* uxoris primæ, cui accubant ſorores tres, *Suſanna, Salome*, & *Irene*, in peripſylio templi cathedralis Baſileæ. Ut autem

Moritur.

ante

ante annos aliquot *Ioannes Oecolampadius*, ita & *Polanus* anno *undequinquagesimo* & vitam & functionis curriculum cum laude finiit.

Monumentum. Monumentum ei à socero D. J. *Jac. Grynæo* scriptum est hujusmodi:

CHRISTO SERVAT. SACRUM.
AMANDUS POLANUS A POLANSDORF, THEOLOGUS BASILEENS. LITERATISS.
QUI DEXTRE DOCENDO, ACCURATE SCRIBENDO, LUCULENTER OSTENDIT
EGREGIA INGENII BONA, JUDICII DONA, HUMANÆ VITÆ PERTÆSUS
MORTALE CORPUS HIC DEPOS.
XVII. JULI ANN.
CIↃ DC. X. ÆTAT. XLIX.
AT ANIMA COELUM ADIIT.
QUO ET
MARIÆ GRYNEÆ PRI. UX. ANIMULA
QUINQUENNIO ANTE EVOLAVERAT:
NON MULTO POST
LAVINIA CANONIA BONONIENS.
SOCRUS LECTISSIMA:
UT ET SALOME WASSERHUN.
ALTERA
CONJUX FIDELISSIMA:
IN COELESTEM COLONIAM TRANSLATÆ
UNA CUM PRIUS DEFUNCTO
BEATÆ ÆTERNITATIS DONA EXPECTANT.

Καλῶς θανὼν ἐν Χριστῷ παλιμφύει.

Virtutes ejus & dotes. Illustres in hoc fuerunt vera pietas & solida eruditio. Valuit enim ingenio juxtà & judicio, scientia linguarum Principum, & Ecclesiasticæ antiquitatis. In officio fuit assiduus, studia adolescentum, etiam generosorum & illustrium sua diligentia excitavit. *Officia.* Summum in Academia Basilienſi magistratum semel iterumque gessit, idque cum sua laude & scholæ emolumento. *Amici.* Amicitiam coluit cum viris & Theologis insignibus *Theodoro Beza, Daniele Tossano, Georg. Sohnio, Guilielmo Stuckio, Pareo, Pitisco* & aliis.

Conjugium In conjugio vixit gemino. Primum cum *Maria I. Iacobi Grynæi* filia, quæ in partu unà cum infante extincta est. Deinde cum *Salome Wasserhunia*, quæ mortua est anno eodem, quo maritus, mensis Novembris die *decimo quinto.*

Scriptæ. In ultimum denique Ecclesiæ Dei elucubravit multa, inter quæ ipse foras dedit, *Commentarium in Danielem* contra *Bellarminum*: *Analysin Hoseæ* Propheræ, cum *orationibus Historicis & Dialecticis* de anno *Iubilæo*: de *morte Christi*, pro quibus eam subierit: de *quatuor Monarchiis* apud Danielem: *Analysin* Prophetæ *Malachiæ* aliquot prælectionibus Genevæ propositam, *partitiones Theologicas* juxta naturalis methodi leges duobus libris conformatas, quorum 1. *de fide* 2. *de bonis operibus.* Sunt ejusdem *Polani* etiam *Theses Bellarmino* potissimum *oppositæ*, *enarrationes* item aliquot *vaticiniorum* de *Christi nativitate, passione & morte, resurrectione & adscensu in cœlos.* In disciplinis humanioribus quomodo versatus fuerit, docet *Logica* ejus juxta naturalis methodi leges formata, quæ exemplorum copia suam præclaram laudem meretur.

Tantum de Polano ex concione funebri, & enarratione I. Iac. Grynæi soceri.

ADRIANUS PAULI.

© 1611. d. 30. Mart. ætat. 63. NAtus est *Adrianus Pauli*, celebri Borussiæ urbe *Dantisci*, anno Domini *millesimo, quingentesimo, quadragesimo octavo*, die *vicesimo nono* Junii, Petri & Pauli memoriæ sacro, ex piis honestisque parentibus, patre *Adriano*, matre *Elisabetha.* *Parentes Pauli.* Quemadmodum autem latere indoles illustris nunquam potest, ita ipse, qualis vir progressu ætatis futurus esset, non obscurè puer etiam tunc indicavit. *Mercaturæ addicitur.* Cùm enim, post præmaturum parentum suorum obitum, à tutoribus & cognatis ad mercaturam, in granariis illius urbis condiscendam, esset adhibitus, ipse ad lectionem & relectionem eorum libellorum, quos ex scholâ secum attulerat, identidem recurrens, & dolium Musarum potius, quàm Mercurii versans, non sibi modò mercaturæ tædium lectitando fallebat, sed & alios tribules subinde ad se in granarium alliciebat, *Ipse libris addictior.* iisque ex loco altiori nunc prælegebat, nunc prælecta explicabat, ita ut veluti concionatoris vice apud eos fungeretur. Quod cum sæpius eum factitare tutores & cognati inaudissent, consultius tandem esse judicarunt, si id vitæ genus excolendum ei relinquerent, ad quod ipse naturâ suâ ferretur. Itaque ex granario in literarium ludum iterum missus, *Iterum in ludum mittitur. Henric. Moller. Præceptor ejus.* & deinceps in Gymnasio patrio annis compluscul is institutione & operâ viri & poëtæ eximii *M. Henrici Mollerι Hessi* usus, eo Præceptore diligenter percepit initia doctrinæ Christianæ, & artium dicendi linguarumque rudimenta. Cum enim valeret ingenio, discendique cupiditate flagraret, ad quæ accedebat studii assiduitas, facilè sibi comparavit ea doctrinæ fundamenta, quæ ad solidam eruditionem ei aditum aperirent.

Dantiscò in Academiam *Wittembergensem*, tunc temporis florentissimam venit, *Wittenb. petit.* anno

anno Christi *millesimo quingentesimo, septuagesimo*, Rectore viro nobili & clarissimo D. *Ioachimo à Beust*, J. U. D. ac Professore, ibique pædagogum agens apud consulem & Bibliopolam civitatis celeberrimum *Samuelem Selfsch*, ad rerum cognitionem conversus, utilem operam in omnibus Philosophiæ partibus posuit, animum suum excolens cognitione rerum optimarum & in vita necessariarum. Doctrinæ enim *de natura rerum, de historia* mundi, & de *vitæ communis officiis*, adjunxit simul linguarum studium, *Latinæ, Græcæ ac Hebraeæ*: quod harum notitiam cùm ad cæteras artes percipiendas, tum ad lectionem historiarum & ad doctrinam Filii DEI rectè discendam necessariam esse intelligeret. Simul autem studia sua ac vitam decoravit piis & probatis moribus, ita ut omnibus quibuscum versaretur, satis declararet, se & intelligere atque amare virtutem ac modestiam, & studiosum esse consociationis ac tranquillitatis.

Samuel Selfsch.

Philosoph. aut operã.

Quæ etsi præclara ingenii ornamenta erant, tamen longè majus decus fuit, quod esset vivum membrum Ecclesiæ Christi, & rectè intelligeret salutarem de Deo doctrinam, fundatam & revelatam in scriptis Prophetarum & Apostolorum, cujus studio & professioni sese totum deinceps addixit, sedendo assiduè ad pedes *Gamalielum* suorum: *Crucigeri*, *Molleri*, *Pezelii*, *Widebrami*, quibus Præceptoribus ipsi magno Dei munere, uti datum fuit. Quamobrem cum Academia judicaret, ipsum propter pietatem, eruditionem ac modestiam dignum, qui honorifico titulo, pro more Academiarum ornaretur, petenti de communi collegii Philosophici sententia, decretus est gradus Magisterii Philosophici, facta solenni renunciatione in consessu Academiæ die *vicesimo sexto* Augusti, anni *septuagesimi quarti*, Decano *Andrea Schatone* Torgensi.

Et Theol.

Parentes Pauli.

Creatur Magister.

Magisterii itaque gradu insignitus *VVittemberga* discessit paulò post *Thorunium* in Borussiam, ubi authoritate & decreto senatus Conrectoratus officio in schola præfectus est. Hac in functione talem se gessit, ut Senatus Dantiscanus, eruditione & dexteritate illius in docendo, nec non vitæ & morum integritate cognitâ, dignum judicarit, quem ad patriæ scholæ gubernationem adhiberet. Vocatus igitur à patriæ Patribus per literas solennes, cum nihil tale cogitaret, nedum peteret aut ambiret: *Dantiscum* redit, anno *septuagesimuo octavo*, ibique oblato & demandato sibi munere *Rectoratus in Schola Petro Paulino*, cum evidenti studiosæ juventutis emolumento, præclare defunctus est.

Discedit Thorunii.

Præficitur schola.

Vocatur Dantisci.

Ibid. schola præst.

Cum autem pulcerrima illa ingenii talenta, quæ Deus benignè in eum contulerat, indies magis magisque sese exererent, ita ut non solum in schola Spartam, quam nactus erat, ornaret; sed etiam in templis concionandi exercitium felici successu obiret, factum est, ut post biennii decursum illius senatus decreto à Rectoratu scholæ ad Ministerium verbi divini fuerit promotus. Et initio quidem in locum pii & reverendi viri M. *Petri Weidneri*, Diaconi in templo *Petro Paulino* surrogatus, & M. *Petro Holstio* primo Ecclesiæ istius, post fugatas tenebras Pontificias Pastori, quàm optimè merito, collega adjunctus fuit, in qua statione annos *duodecim* mansit.

Ecclesiæ

Petrus Holst. primus Dant. Evang. Pastor.

Postea verò M. *Holstio* è vivis excedente ejusdem Ecclesiæ *Pastor* per Senatusconsultum declaratus fuit, cui officio annos *novendecim* præfuit, ita ut totum ejus in Ministerio curriculum annos *unum & triginta* complectatur. In utroq; autẽ, nempè tum *Diaconi* tum *Pastoris*, officio, ut Dei ministrum se approbavit, gregem Domini non αἰσχροκερδῶς, sed προθύμως pascens. Cumque ab initio Reformationis post Papatum factæ, Ecclesia Dantiscana hoc fatum experiretur, ut dissidiorum plurimum haberet, ipse assiduè in ore habebat illud Zachariæ: *Veritatem & pacem diligite*, atque ad hanc veluti geminam Cynosuram, omnes ministerii sui actiones referebat. Itaque omissis parergis, ad caritatem ex puro corde, & conscientiam bonam, ac fidem non fictam, auditores suos, oratione non in labiis nata, sed ex ipso corde scaturiente, & aliquid latentis energiæ habente assiduè hortabatur, ac propterea, ut domi suæ apud liberos, precationes & recitationes Psalmorum Davidis urgebat, ita etiam explicatione illorum publicâ inprimis delectabatur.

Pastor Ecclesia designatur Pauli.

Zach. 8.

Doctrina ejus.

Quod autem voce alios docebat, id vita etiam ipsa exprimebat, *exemplar fidelium* existens *in sermone, in conversatione, in caritate, in spiritu, in fide, in castitate, in longanimitate, in patientia*, & in aliis virtutibus Christianis.

Vita ipsius. 1. Tim. 4.

Hujus suæ pietatis non fucatæ fructus etiam uberrimos tandem percepit, ex quibus duos tantum hoc loco commemorare libet, εὐτεκνίαν scilicet & εὐθανασίαν. In primo enim matrimonio ex *Elisabetha Fischeriana*, matronâ honestâ, quâ cum *viginti sex* annos sine lite exegit, factus est pater *octo liberûm*, quos omnes quoque sibi superstites reliquit. Atque è filiarum elocatione nactus est generos viros præstantes *Ioannem Martinium*, scholæ Marianæ apud Dantiscanos rectorem, nec non *Tobiam Rhuelium* Ecclesiæ propè Dantiscum Pastorem, ex generis etiam vidit nepotes neptesque. Verè itaque de illo dici potuit: ὁ γαμβρὸς μὲν ἐπιτυχὼν, υἱῷ υἱὸν, ὁ δὲ δυστυχὼν, ἀπώλεσε κληρονόμους. Cumq; *filius sapiens exhilaret patrem*, certè & hunc Pauli perfusum gaudio fuisse credibile est: ubi cognovit, filium natu maximum patri cognominem primùm Haidelbergæ utraque Philosophiæ laurea decoratum, deinde *Monspelii* in Galliâ Medicinæ Doctorem solenni Academiarum ritu, renunciatum: alterum autem filium *Georgium* itidem Haidelbergæ primò discentis, postea & docentis Mathemata publicè personam sustinuisse. Qui postea *Basileæ* summis in Theologia honoribus à venerando sene *I. Iacobo Grynæo* ornatus, atque in patriam revocatus, sacris & in schola & in templo docendis præfectus est.

Fructus pietatis.

Εὐτεκνία.

I. Martinius. Tobias Rhuel.

Laërt.

Adr. Pauli F.

Georg. Pauli.

Ἐυθανασία. Sed ut à liberis ad patrem revertamur, supereſt extremus vitæ ipſius actus, ſilentio minimè prætereundus, ob multas pias & Cygenas voces, quas in morbo edidit. Cum enim morbum, qui erat maraſmus ſenilis gradatim, ſed tamen abſque dolore, invaleſcere ſentiret, ipſe modis omnibus ad beatam migrationem magis magisque ſe præparavit, frequenter in ore habens *verſiculos illos* *, quos & ſanus cum filiis ſuis libenter precari ſolebat:

* Hieronym. Vida.

Da Pater extremæ cum vitæ advenerit hora,
Te præſente mori, nil me terrentibus umbris;
Inque tuos animam amplexus effundere ovantem.
Hoc unum mihi, plura aliis optantibus adde.

Ubi igitur animadvertit vitæ periodum appropinquare, primo convocatis liberis ſuis, ſingulos ad pietatem inprimis & pacem colendam adhortatus, omnibus deinde benedictionem divinam paternè precatus eſt, cum hac pia & inſigni coronide: *Benedicat vobis Dominus & cuſtodiat vos, oſtendat Dominus faciem ſuam vobis, & miſereatur veſtri, convertat Dominus vultum ſuum ad vos, & det vobis pacem.* Poſtea prælegi ſibi juſſit tum alios ſcripturæ textus, tum inprimis Apoſtoli verba: *Ego jam libor, & tempus meæ migrationis inſtat, certamen illud præclarum decertavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi: Quod reliquum eſt, repoſita eſt mihi juſtitiæ corona.* Ipſe ſibi quoque de curſu feliciter ad metam ferè perducto, ſpiritualis lætitiæ plenus, gratulatus eſt, & gratiis Deo devotè actis, quod Miniſterio ipſius in Eccleſia militante, per multos annos clementer uti voluiſſet, inque palæſtra hac ſpiritu ſuo ſe ſuſtentaſſet & confirmaſſet, ſe jam jam tendere dixit, *ex Eccleſia hac militante ad Eccleſiam triumphantem*: ut eandem juſtitiæ coronam recipiat, & conſociatus angelicis choris æternum Deo *Alleluja* canat. Tandem converſus ad M. *Copium*, ſuum & in ſcholis olim commilitonem, & in Eccleſia per multos annos collegam, inter alia petiit ab eo:

2. Tim. 4.

„ ut in concione funebri, poſthabitâ pro-
„ lixa laborum ſuorum, quos in vinea Do-
„ mini ſuſtinuiſſet, commemoratione, tria
1. „ potiſſimum publicè proferret, *primum, ut*
„ ſenatui gratias ageret, pro variis in ſe &
„ ſuos collocatis beneficiis, cui proinde quia
„ nihil præter votum referre aut relinquere
„ poſſet, ex animo precabatur felicem & ſa-
„ lutarem gubernationem, ut ſub ejus re-
„ gimine & patrocinio Reſpub. tranquil-
„ lam & quietam vitam degeret, cum om-
2. „ ni pietate & honeſtate. *Deinde* ut gra-
„ tias ſimiliter ageret ſymmyſtis & ſynergis
„ ſuis pro mutuæ amicitiæ & fraternæ cha-
„ ritatis officiis, illisque precaretur ſpiritum
„ veritatis & pacis, ac ne labor illorum in
3. „ Domino inanis eſſet. *Denique* ut ſuo
„ nomine valediceret quoque auditoribus
ſuis, iisque ſignificaret, ſe tum ex verbo Dei, tum ex interno Spiritus ſancti teſtimonio, de veritate doctrinæ à ſe per tot annos publicè propoſitæ, certò perſuaſum, cum illa ipſa doctrina ad tribunal Chriſti læto & intrepido animo jam compariturum, eundemque Principem Paſtorum jam inter extremos ſpiritus devotè orare; ut de fidelibus Paſtoribus gregi ſuo proſpiciat, ab omni malo eum cuſtodiat, & ad paſcua vitæ æternæ tandem adducat. „

His ita diſpoſitis in precibus & votis ad extremum uſque vitæ ſpiritum, conſtanter perſeveravit; tandemque manibus complicatis precationem B. Joannis: *Veni Domine Jeſu, veni citò*, ratione, & ſenſibus omnibus integris, iteratò oravit, ac oculos claudens, placidè, ſine ullo doloris vel corporis vel animi ſenſu, ſine ulla membrorum diſtorſione, verè ἐν εὐφημίᾳ, animam exhalavit, anno peregrinationis ſuæ in terris *ſexageſimo tertio*, die menſis Martii *trigeſimo*, à Chriſti verò natali currente anno *undecimo ſupra ſeculum decimum ſextum*. Elatus eſt funere frequentiſſimo & memoriam nominis honeſtè reliquit ſempiternam. Obitus. Funus.

Vir docendo potiùs, quàm ſcribendo occupatus, libros publicè edidit nullos, longè abiens ab iis, quos tenet ſcribendi inſatiabile cacoëthes; quique ſuam potius gloriam, quam Eccleſiæ quærunt pacem. Certè ut multi medici Regem ſuſtulerunt: ita multi libri φιλονίκων veritatem obſcurarunt.

Hæc de Adriano Pauli ex narratione filiorum ipſius, verè patriſſantium.

STEPHANUS GERLACHIUS.

O. 1612. d. 30. Jan. ætat. 66.

INitium terreni exilii fecit *Stephanus Gerlachius*, anno Salvatoris exhibiti, *milleſimo, quingenteſimo, quadrageſimo ſexto*, poſtridie feſti Nativitatis, qui Protomartyri ſacer, unde & nomen huic in Baptiſmo inditum. Natus autem eſt in pago *Knitlingenſi*, qui primarius inter pagos Monaſterii *Maulbrunnenſis*. Parentes fuerunt ei honeſti & pii, cives illius loci, qui filiolum ſibi natum, eodem ſtatim quod editus fuit die, ſacro Baptiſmate Eccleſiæ inſeri voluerunt, & à puero Catecheſi Chriſtianâ & literarum elementis imbuendum curarunt in patriâ, & poſtmodum in vicinâ Meckmühlenſi ſchola, *Mel. Heroldo* Præceptore, poſt ibidem Paſtore.

Natalis Gerlach. Parentes. Educatio. Mel. Heroldus Præceptor Gerlach. Mittitur Stutgardiam. Ioann. Wackeri.

Anno *quinquageſimo octavo*, ipſe jam duodecennis, à parentibus in *Stutgardianum* eſt miſſus Gymnaſium, & diſciplinæ *Ioannis Wackeri* commendatus. Sub hujus inſtitutione tantos fecit progreſſus *Gerlachius*: ut vix dum biennio exacto dignus habitus fuerit, qui in nobilem *Maulbrunnenſem* ſcholam transferretur. Commendatus autem tunc fuit *Ioanni Brentio*, Studgardianæ Eccleſiæ præpoſito,

Inde Maulbrunn.

Brentio consanguineo commendatus.

sito, suo consanguineo. Nam *Brentii* mater, & *Gerlachii* avus maternus fuere consobrini. *Brentius* igitur adolescentis studia gnaviter ursit, omnisque ejus vitæ rationem habuit accuratam.

Celebritas schola Maulbr.

Florebat id temporis *Maulbrunnense Monasterium* duabus potissimum rebus, *Abbatis*, qui ei præerat, *zelo*, & *Magistrorum* præcipua quadam *eruditione* ac diligentia. De præceptorum autem numero facilè Princeps fuit *Valentinus Vannius*, olim superstitionibus Pontificiis imbutus, pòst Evangelicæ veritatis luce illustratus. Hic quantò acerbiore odio idololatricum cultum fuit detestatus, libroque *de Missâ* edito, insectatus, tantò majore diligentia zeloque puram putam verbi divini veritatem, fidei suæ concreditis adolescentibus instillavit. Qua de re *Gerlachium*, jam in senectute, non rarò, & maximâ semper cum animi gratitudine, narrantem amici audiverunt. Ex eorundem numero fuit & M. *Conradus Weissius*, de quo dubitaris, pietatene an eruditione, admirandaque docendi dexteritate, & inimitabili industriâ præstiterit.

Valentinus Vannius.

Conr. Weiss.

Recipitur in colleg. Tubing.

E *Maulbrunnensi* schola in illustre Theologicum collegium, quod *Tubingensi* in *Academia* floret, *Gerlachius*, anno salutis *sexagesimo tertio*, Novembris die *vigesimo tertio*, translatus est, ubi sub disciplinâ *Iacobi Heerbrandi*, *Ioannis Brentii*, Theologorum, *Samuelis Heilandi*, Magistri domus, studiorum cursum insigni cum diligentia, & singulari obsequii exemplo feliciter ursit, indiesque majores, non sine gratulatione præceptorem, profectus fecit. Itaque unico elapso triente anni, statim sub *Heilandi* decanatu, promotore *Georgio Hizlero*, una cum aliis *sexaginta sex*, juvenibus, primæ laureæ honorem cum laude est adeptus.

Ubi Præceptores ejus.

Baccalaureus renunciatur.

Postea cum Philosophica studiosè & indefessè persecutus spacia esset, præceptorum magis jussu, quam voluntate sua, aut φιλοδοξίᾳ ad alteram adspiravit lauream, quam Magisterii gradum vocant. Renunciatus est Philosophiæ Doctor *Eslinga*, quo schola Tubing. pestis causa secesserat, anno Christi M. D. LXVII. Cæterum præceptoribus in Philosophicis usus *Iacobo Scheckio*, in explicatione Organi, *Ioanne Scheubelio*, in astronomicis, *Georgio Liebleto*, in Physicis, *Samuele Heilando*, in Ethicis, *Martino Crusio* in Græcis. Horum colonorum opera & laboribus, incrementum largiente Domino, eos ingenii cultus fructusque consecutus est *Gerlachius*; quibus non tantum in mox inchoato Theologiæ studio cursuque, verum in omni deinceps vita, functionumque muneribus fructuosè & feliciter uti frui omni tempore potuit. Nam, *fundamento probè fideliterque posito, firmum & tutum est, quicquid superstruxeris, & instrumentis accuratè paratis, quævis operæ rectius atque felicius inchoantur & perficiuntur.*

Et Magist. Philosoph.

Quam autem diligentiam & maturitatem *Gerlachius* in studiis Philosophicis præstitit ostenditque, eandem etiam aut majorem in Theologicis quoque probavit, sacras scripturas, quæ precibus præmissis, prora hic & puppis sunt, diurna nocturna versavit: præceptores quos tunc habuit, *Iacobum Andreæ*, *Iacobum Heerbrandum*, *Theodoricum Snepfium*, *Ioannem Brentium*, diligenter & assiduè publicè docentes audivit, audita sedulo ruminavit, disputationum & concionum elaboratione crebrò se exercuit, adeoque eorum omnium, quibus secundum gratiam benignitatemque Dei excellens rerum Theologicarum cognitio atque notitia comparari potest, nihil quicquam unquam prætermisit. His quasi calcar accessit, quod aliquot annis post repetens, ut loquuntur, in illustri stipendio factus, in inspectorum mensa clarissimorum virorum colloquiis frui illi quotidiè licuit, in quo stadio Theologico decurrendo, συνδρόμους atque commilitones habuit *Ægidium Hunnium*, *Polycarpum Lyserum*, *Philippum & Iacobum Heilbronneros*, fratres germanos, omnes suis laudibus dignos notosque. In Theologicis itaque ad celeritatem nihil reliquum fecit, sed ab anno sexagesimo septimo in iis, ad annum septuagesimum tertium usque strenuè perrexit. Hac pertinaci & divinitus plurimum provecta diligentia, laudatam omnino, raram, & profundam omnis Theologicæ scientiæ notitiam sibi comparavit. Quamobrem ex ea Theologici Præceptores, plurimum inde Ecclesiæ commodis adjunctum iri præsagio vero prædixerunt.

Theolog. studium urget.

Fit repetens in stipendio.

Commilitones eius in Theologic.

Nam paulo post in publicum, & quidem in *Thraciam* usque è *Suevia* prodiit, hac occasione. Annus à nato Salvatore currebat *milleſimus*, *quingenteſimus*, *ſeptuageſimus tertius*, quo Romanorum Imper. Divus *Maximilianus II.* Generosum *Davidem* Ungnad / liberum Baronem in Sonneneck, in aulam Turcicam, quam ad *portam Ottomannicam* vocant, oratorem mittere decrevit. Hic cum sine concionatore aulico, quæ fuit Herois pietas, sibi ad gentes Mahometicas minimè abeundum statueret, ex Academiâ Tubingensi idoneum ad tale officium, istis in locis obeundum, petivit. Deliberatione habita, dignus eo munere visus est *Gerlachius*, jam & ætate, & judicio & eruditione Theologica sat maturus. Eodem itaque anno mense Aprili, postquam solemni ritu Ecclesiastico ministerio initiatus Tubingæ fuisset, *Viennam* Austriæ venit, & mense *Iunio* cum oratore illo & legato Cæsario, ac reliquo comitatu nobilium juxta & ignobilium *sexaginta Constantinopolitano* itineri sese, Deo Duce, commisit: idque partim navibus *Danubio*, partim curribus fecere, non sine valetudinis, ut fit, mutatione. Nam præter alios tunc & Gerlachius in oppido *Sophiæ*, capitis dolore & discrasia totius corporis correptus, *Adrianopolin* est trans-

In Thraciam qua occasione profectus.

David Ungnad orator Cæsarius.

Cum eo abit Gerlachius.

In itinere ægrotat.

Restituitur.

translatus, ubi à Judæo quodam, secundum Deum, valetudini pristinæ, succo inprimis è malogranatis, restitutus fuit. Unde μνημόσυνον ut sibi esset, *tria mala Punica vel granata sigilli loco* sibi postea elegit. Tandem mense *Augusto Constantinopolin*, Turcicorum jam Imperatorum sedem, appulerunt, ubi orator quæ sui, *Gerlachius* itidem, quæ sui erant muneris, curarunt, neque nobis omnia, quæ ibi gesta, referre animus est, præter unam atque alteram memoria dignam narrationem. Invitati fuerunt *duo* Imp. Romani *oratores*, alter Pontificius, alter Evangelicus, ad prandium, in palatio Imperatoris Turcici, præsentibus quos vocant Bassis, summæ autoritatis in aula Turcica viris. Ibi ergò quidam è Bassis, pungendi forte Pontificii causa, *ego verò*, inquit, *Lutheranos apud vos*, (conversa oratione ad Baronem ab Vngnad) *multò rectiùs de rebus divinis sentire arbitror, quàm Pontificios. Nam illi unicum tantum Deum colunt, hi verò multos, id quod Christus, Propheta illorum, minimè ipsis præcepit.* Eadem in aula Turcica, cum duo Imperatoris Romani oratores *Sultano Selymo* munera oblaturi, unà cum Comitibus suis, inter quos & *Gerlachius*, palatium Imperatoris inter multa Turcarum millia, mirandumque eorum silentium, ingrederentur, è media turba illa quidam Germanicis verbis, **welches Glaubens bistu:** hoc est, *cujus fidei es Religionisve?* quæ prima est quæstio Catecheseos Wirtemb. proclamat. Mirari ibi omnes & obstupescere, sed posteris diebus inquisitione institutâ compertum est, eum, qui sic sub ingressum nostratium exclamasset, fuisse quendam *Ioannem Ferberum*, Pistorem & olim civem *Backnangensem Wirtembergicum*, qui locus non tribus amplius milliaribus *Stutgardiâ* distat. Is ad impietatem Mahometicam defecerat, ut & alii, vel intolerabilis servitutis levandæ causa, vel opum honorumque gratia adipiscendorum facere solent, & voculis illis Germanorum Religionem, in primo limine aulæ Turcicæ voluit irridere. Venit tamen apostata ille postea aliquoties ad *Gerlachium*, & cum eo familiariter de multis variisque rebus est collocutus.

Signum Gerlachii.

Constantinopolin venit.

Turcæ judicium de Lutheranis & Pontificiis.

Ioann. Ferber. Wirtemb. Apostata.

Vidit ibidem *Gerlachius* & contulit cum *Adamo Neusserο*, Pastore olim *Haidelbergensi*, qui turpiter primum ad *Arianismum*, & inde ad *Mahumetismum* defecit. Interrogatus quomodo eo errorum devenisset? respondisse fertur, *nisi Calvinianus factus essem, eò non devenissem.* Sed quàm verè hoc, nostrum nunc non est disceptare. *Exiverunt*, inquit Apostolus, *de nobis, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum.* Periit ille *Neuserus* apostata miserrime Constantinopoli, *duodecimo* Octobris, anni *septuagesimi sexti*, cùm aliquot diebus dysenteriâ laborasset, & à familiaribus, qui aderant, inter quos & ille Suevus, hoc solatio erectus esset: **Bruder sey frisch auff/ wir wollen einen guten Suff miteinander thun:** *Bono animo sis, frater, potabimus tecum, poculisque nos largè invitabimus.* Cæterùm abnegationis forma hæc est. Deficiens à Religione prior, sublato uno dexteræ digito, præeunte *Zanschio* hæc pronunciare jubetur: *Confiteor ego, unum solum Deum esse, & Mahometen ejus servum. Confiteor idem, me ex falsa religione pervenisse ad veram, & abnego fidem meam priorem, cum omnibus adhærentibus articulis.* Et sic suscepta circumcisione, novum accipit pileum, signum Muselmanni. Accidit & hoc Constantinopoli *Gerlachio* ibi commorante. *Iudæus* quidam cum *Græco* rixans Christum blasphemarat, quasi illegitimè natum. Re ad Cadi delatâ, condemnatur Judæus ad plagas octoginta. Sed cùm levior pœna Christianis videretur, ipsi Sultano supplicant. Sultanus ad *Muphti*, hoc est Alcorani interpretem remittit. Hic supplicium tale proponit: *Iudæus aut terræ ad pectus usque infossus lapidetur comburatur ve, aut perpetuo mancipatus carceri, primis quadraginta diebus singulis octogenis cedatur verberibus*, & hanc ille blasphemus subiit. Sed nos ad Gerlachium.

Adamus Neuser: de quo Gerlach. in libro adversus Ioann. Busæum.

Interitus ejus.

Forma abnegationis.

Pœna blasphemiæ apud Turcas.

Vixit is *Constantinopoli quinquennium*, & quod excurrit, dum à sacris oratori Cæsario fuit, & Græcarum Ecclesiarum de præcipuis fidei capitibus sententiam exquisivit cognovitque. Hoc enim nomine, non tantum cum *Patriarcha* Constantinopolitano, aliisque præcipuarum Ecclesiarum Græcarum *Metropolitis*, multoties est collocutus, verum etiam Wirtembergicis Theologis suasor auctorque fuit, ut præter *Augustanam Confessionem* & *compendium Iacobi Heerbrandi*, *a Martino Crusio*, Græco idiomate conversos, & illuc transmissos libros, plures quoque, de gravissimis fidei articulis scriptas epistolas, cum Patriarcha Constantinopolitano *Ieremia* commutarent. Quæ scripta, ut speramus, in Ecclesiis Græcis sine fructu lecta non fuerunt, nec posthac legentur. Præclara itaque laude dignus est hic *Gerlachius*, qui *Constantinopoli* Romani Imperatoris oratoris aulam, diversis diversarum nationum hominibus constantem, verbi cœlestis puritate fideliter instituit, in verâ fide contra *Turcarum*, *Iudæorum & Pontificiorum* superstitiones & blasphemias, sedulò diligenterque confirmavit, cum *Græcis*, *Italis*, *& Turcis* de præcipuis Religionum articulis, animæ salutem concernentibus, sæpè graviterque disseruit, proceres denique Ecclesiæ Græciæ primarios, utpote *Patriarchas*, *Constantinopolitanum* Jeremiam, & *Alexandrinum* Sylvestrem; *Metropolitas* etiam, *Thessalonicensem* Joasaphum, *Nicenum* Cyrillum: *Berrhoeas* Metrophanem, *Philadelphias* Gabrielem, *Melenices* Methodium *Ioannem Zygomalam*, & *Theodosium* filium, illum oratorem, hunc Protonotarium, sicut & *Matthæum Calogerum*, & Didascalum Patriarchatus, nec non *Armeniorum* Episcopum, id temporis Constantinopoli agentem, aliosque plurimos, eximiâ suâ pietate, rarâ eruditione, amabili humanitate, & humilitate singulari, in sui amorem & favorem pertraxit, quâ de re editæ epistolæ, quibus abunde illum ad amicos comitati, publicè restantur.

Inquirit in religionem Græcorum Gerlach.

Scripta à Wirtembergicis ad Græcos missa.

Gerlachii fidelitas.

Charus Græciæ antistib.

Con-

Redit Tubingam ex Thracia. Præficitur Ecclesiæ & Academiæ

Constantinopoli itaque, ubi, ut diximus, annos amplius quinque exegit, reversus Tubingam est, anno *septuagesimo octavo*. Ibi mox, de voluntate Principis *Ludovici*, ad docendam tum Ecclesiam tum Academiam, est adhibitus. Quibus muneribus ut majori cum auctoritate defungi posset: uno & eodem tempore & ad matrimonium contrahendum, & ad testimonium Theologicæ doctrinæ summum petendum, animum adiecit. Anno igitur *septuagesimo nono*, die Novembris *vicesimo tertio*, competitore *Georgio Mylio*, Doct. Theologus renunciatus Tubingæ, postridiè nuptias cum *Brigitha* virgine, filia *Joannis Schwartzii* archiatri Stutgardiani solenni ritu celebravit.

Renunciatur Doct. Tholog. Et nuptias celebrat.

Munia ejus Tubingæ varia.

Provinciæ autem, quas Tubingæ sustinuit ad vitæ usque exitum, hæ fuerunt. Primum *locorum Theologicorum*, juxta descriptionem ac methodum *Jacobi Heerbrandi*, extraordinariam suscepit *explicationem*. Qua nondum absoluta anno *octogesimo septimo*, cum *Theodoricus Snepfius* diem hujus ævi clausisset, ordinarius *Propheticorum scriptorum Professor*, *Ecclesiæ* insuper *Tubingensis Decanus*, *& collega Academici Senatus* allectus est. Inde anno *nonagesimo* epistolarum Paulinarum explicatio ei est commissa: quarum posteriores decem, cum ea, quæ *ad Hebræos* scripta, explicavit. Eodem illo tempore illustris quoque *collegii Theologici*, quod Tubingæ est, inspectio & cura, munusque Superintendentis ipsi fuit commendatum. His officiis ad vitæ usque pausam, quantum per valetudinis infirmitatem, postremis præsertim annis, potuit; integrè & industriè est defunctus; multis interea etiam extraordinariis laboribus, Ecclesiæ & Scholæ nomine, occupatus.

Cerebri infirmitas in Gerlachio.

Superest postremus ejus vitæ, in his terris actus. Cum enim mortali conditione omnes nati simus; nec ipse illam potuit devitare aut declinare. Erat quidem cætera benè habitus, & firmo membrorum musculorumque robore; cerebri tamen temperiem naturâ infirmiorem, ad frigiditatem & humiditatem magis declinantem, jam inde ab infantiâ, sentire cœpit. Puero autem cum febris æstu cerebrum aliquantò esset exsiccatum: Grammatica præcepta (quod sæpius ex ipso auditum) feliciter didicit, nec unquam promtiorem sibi memoriam fuisse, crebrò affirmavit. Secutis verò temporibus, de memoriæ debilitate perpetuò solitus est quiritari. Quam imbecillitatem iter Constantinopolitanum, & febris, qua in eodem, ut supra dictum, propè exustus, & reliquus cerebri vigor multum exhaustus fuit, plurimum adauxit.

Memoriæ imbecillitas.

Constat enim ipsum, ut *Messalam Corvinum* oratorem, vel *Georgium Trapezuntium* Philologum, tum omnium aliarum rerum, tum sui ipsius, propè oblitum fuisse. Nec mirum: nam ætate graviore, cum magno omnium ingenii virium conatu, in theologicarum rerum gravissimis quæstionibus, contra pervicacissimos divinæ veritatis hostes, orthodoxiam asserendo, cerebrum validè exerceret; & cæteris animi occupationibus reliquum calorem ejus omnem propè attereret: factum est, ut *sexagenario* major, cruda licet, vegetâ tamen corpus senectâ uteretur, nec quicquam ventriculus, hepar cæteraque vitæ & nutricatus humani organa à naturâ alienum paterentur; nisi, quòd renes calculos in vesicam, tolerabili tamen excretionis dolore, nonnunquam demitterent. Sed cerebri functiones indies in pejus titubantes, indies gravius quid *Gerlachio* sunt minatæ.

Laborat vertigine & tremore.

Quem metum superiorum annorum intercurrens vertigo, & tremulus membrorum, digitorumque quorundam interveniens motus, brevique discussus stupor confirmavit. Contra ista mala, variis quidem medicationum generibus, thermis item, pugnatum; sed dilata tantum illa sunt, non protelata, minimè debellata. Etenim ingravescente ætate, vires isthæc omnia subinde majores sumserunt: Principum sensuum & motus crurum infirmitas, supra modum adaucta, & negato corpori omni exercitio, ad lectulum id, & sellam, maximam partem defixum fuit.

Summa hæc senilis valetudinis impedimenta, major tandem sensitivæ & motivæ operationum debilitas excepit, atque complurium symptomatum concursu, multitudine & impetu, natura triumphari; venter sub finem intumescere, ex capite violenter ruentes in spiritalia aliaque vitæ organa humores, cuncta, turbare; premere, solvere, hinc nulla ciborum appetentia, concoctio nulla, extrema omnia.

Sic ruptis tandem corporis, quibus firmioribus nexum erat, vinculis; felix Theologi anima, relicto ruinoso hospitio, & vitæ melioris invento principio, in gaudia Domini æterna inter multas preces & suspiria adstantium, congratulationes etiam & vota profecta *; cùm vixisset in his terris, annos *sexaginta quinque*, dies *triginta septem*.

* *A.* 1612. *d.* 30. Jan. *Obitus Gerlachii.*

Scripta ab ipso edita sunt, primum *adversus Lambertum Danæum* super condemnatione errorum Cœnæ Domini; & de Majestate Christi hominis: deinde *Disputationes* aliquot *contra Jesuitas & Calvinianos: epitome item historiæ ecclesiasticæ*, & alia plura, præter ea quæ apud heredes latent.

Hactenus de Gerlachio ex oratione parentali habita à Matthiâ Hafenreffero Theol. D. & Professore.

QUIRINUS REUTERUS.

A. 1613. d. 22. Mart. ætat. 25. curr. Mosbacum

PAtria *Quirini Reuteri* fuit *Mosbachum*, Palatinatus inferioris haud procul à ripâ Nicri, oppidum, non tam eleganti cultrorum fabricatione, quàm ingeniis nobile. Natus ibi est anno Christi *milleſimo quingenteſimo quinquageſimo octavo*, die *viceſimo ſeptimo* Septembris. Patrem habuit virum honestissimum *Ioannem Reuterum Ballebergenſem:* matrem vero *Barbaram Ciſneriam*; *Nicolai Ciſneri*, JCti celeberrimi, consobrinam. Ἀναδόχος ejus ex Baptismo fuit *Quirinus Ackermannus*, oppidi illius advocatus.

Parentes.

Primis literarum elementis eruditus fuit in patriæ ludo. Cum autem à Præceptore *Wendelino Heſſero*, tum scholæ Rectore docilitas in eo deprehenderetur, quanta in nullo altero, vix *decimum* ætatis annum ingressus, *Haidelbergam* missus est, & commendatus Rectori Pædagogii illustris *Oliverio*, & Conrectori *Joſuæ Lago*, ac propter ingenii præstantiam statim anno *ſeptuageſimo* in numerum alumnorum receptus est. In tertia Classe Præceptorem habuit *Joannem Heuſerum*, postea J. U. Licentiatum & Procuratorem Spiræ factum. In secunda *Eliam Schilderum*, & post hunc *Vitum Gravium*. In prima successorem *Joſuæ Lagi*, *Joannem Jugnitium & Chriſtoph. Schillingium*, natione Silesios & viros doctissimos.

Wendel. Heſſ. Præceptor Reuteri. Haidelb. miſſus Quirinus. Joann. Heuſerus.

Anno *ſeptuageſimo tertio* in Collegium Sapientiæ, judicio Præceptorum, progressionem ejus commendantium, promotus est, unà cum septem aliis, inter quos ipse tertius fuit. Magna autem felicitate, tum Præceptorem nactus est in collegio illo summum Theologum, Doctores Theologiæ clarissimos, *Petrum Boquinum*, *Immanuelem Tremellium*, *Hieronymum Zanchium*, Academiæ tum Professores: quorum omnium institutione cum multum profecisset, eam de se opinionem commovit; ut etiam aliis docendis idoneus haberetur. Et specimen diligentiæ atque progressus ejus est oratio anno *ſeptuageſimo ſexto* mense Aprili habita.

In collegiũ Sapientiæ recipitur. Præceptores ibi ejus.

Anno sequente, mortuo jam Electore *Friderico* III. publicè respondendo defendit Theses, ex Epistola *Pauli ad Galatas* sumtas, præside *Boquino*, quæ disputatio ultima fuit Theologorum tum Academiæ Professorum. Nam non multò post *Joannes Reckius* & *Mylius* ministri Ecclesiæ dimissi, & Gallicæ conciones prohibitæ: eodemque tempore omnes ferè Ecclesiarum ministri in oppidis, & pagis cum ludimagistris, qui Lutheranam doctrinam amplecti nollent, cedere jussi: ut etiam Rector pœdagogii *Joan. Piſcator*, & reliqui collegæ, quibus surrogati alii. Eandem fortunam experti Nicrinæ scholæ discipuli & Pœdagogii illustris alumni, ut paulò post studiosi, qui in Sapientiæ æde liberalitate Electoris sustentabantur, in quorum numero etiam Quirinus. Qui majorem conscientiæ & veritatis cœlestis rationem habendam ducens, quàm lautæ culinæ, & dogmatum cum verbo DEI pugnantium approbationis, maluit in domo *Dionyſiana*, quod hodie *Collegium Caſimirianum*, tenuiter victitare, quam alibi delicatis cibis vesci. Stipendium autem in domo illa impetrarat, deprecante pro illo *Ciſnero*; cui literis *Urſini* diligentissimè commendatus fuerat. Sub finem anni illius, *quinto* Decembris Theologi *Boquinus*, *Zanchius*, *Tremellius* à professionibus abstinere jussi.

Religionis mutatio in Palatinatu.

Anno *ſeptuageſimo octavo*, cum innotuisset, illustrem ludum apertum *Neoſtadii* ab Illustrissimo Principe *Caſimiro*, Quirinus literis D. *Toſſani*, è domo *Dionyſianâ* evocatus, eò profectus est: antequam tamen abiret stipendium illud Dionysianum Magnifico Rectori *Joann. Jacobo Grynæo* resignavit, addita gratiarum actione, & sequente anno mense Aprili *Neoſtadii* declamavit *de reſurrectione Chriſti*, & disputavit Philosophicè *de anima decimo quinto* Augusti.

Neoſtadii concedit. Vbi declamat & diſputat.

Sub id tempus *Neoſtadii* eum convenit *Carolus Oslevius*, qui indicavit, se mentionem ejus fecisse apud D. *Andream Dudithium* Baronem Ungaricum, cum *Stephano Bathorio*, qui postea Poloniæ Rex, educatum; quod si jam animus esset in Silesiam excurrere, se facilè curaturum, ut in illius magni viri ædibus honestissimè sustentetur. Promissionem *Quirinus* libens accepit: annoque octogesimo, cum *Vrſinus* literas ei ostendisset, quibus expeteret operam *Quirini* in instituendo filio natu maximo *Dudithius*, in viam se dare statuit, impetrata per D. *Toſſanum* à Principe *Caſimiro* discedendi facultate: hac tamen conditione additâ; ut quocunque tempore à Palatinatu revocaretur, se sisteret. Abiturus igitur D. Cancellario, *Ehemio*, *Zanchio*, *Toſſano*, *Vrſino* salutem dixit; qui ultimus ita eum affatus; *idem tibi dico, quod mihi Philippus Melanchthon VVitemberga diſcedenti: In his terris iterum me non videbis. Quare hortor te, ut in Theologiæ ſtudium ſerio & alacriter incumbas, & omni conatu enitare: ut mihi aliquando ſuccedas.* Utrique quasi præsagitioni eventus respondit.

Carolus Oslevius. Abit cum eo Quirinus. Vrſini ad Quirinum verba.

Vratislaviam ergò venit, DEO duce, die *decimo tertio* Aprilis, anni supra laudati, ad magnum illum *Dudithium*, cujus rogatu paulò post *refutationem* scripsit *Epistolæ Nicolai Redingeri, de ſignificationibus cometarum:* item Epistolarum *Petri Monavii*, de eadem materia. Filium autem natu maximum *Andream* à *Quirino* in Latinis, Græcis, Philosophicis, Theologicis eruditi voluit; cui mandato *Quirinus* magna cum fide satisfecit, provinciam illam per *triennium* impigrè obeundo.

Venit Vratisl. Quir. Refutatio de ſignificat. Cometarum. Erudit filium Dudithii.

Anno

Anno secuto *Vratislaviæ* adhuc commoranti nonnulli patricii autores fuêre : ut ad medicinæ studium applicaret animum ; sed obsequutus non est , unicè mutationem studii dissuadente *Dudithio* ; qui ejusdem anni mense Decembri librum *Fausti Socini* Catabaptisticum *Quirino* obtulit , & ut refutaret petiit : qua in re Dudithio à *Quirino* mos gestus.

Fausti Socini liber. Refutat Quirinus.

Anno sequente consiliariis *Casimiri* placuit , ut revocaretur ex Silesia Quirinus : quæ res injuncta D. *Tossano* , cujus Epistolam brevem , quasi emblema , inferere lubet : *S. Meministi procul dubio , Quirine ornatissime , quibus conditionibus partim ad satisfaciendum petitioni Magnifici & Nobiliss. viri D. Dudithii , partim ad majorem rerum usum tibi comparandum , a nobis sis dimissus. Cum autem præscriptum tempus elapsum sit , & tum studiorum tuorum ratio , tum nostræ de te cogitationes postulent : ut ad nos revertaris : petimus à te , & id me tibi significare voluerunt amplissimi D. consiliarii , ut postquam Clariss. & Magnifico viro , qui te omni humanitate complexus est , reverenter ut debes , valedixeris , & pro acceptis beneficiis gratias egeris , te rursus nobis sistas : ne vel patriæ desis vel eorum studiorum , quibus consecratus fuisti , cursum diutius abrumpas. Vale , mi Quirine , & salve. Neustadii Palat. 11. April. anno. 82.* Sed istis addatur & schedula inclusa manu ipsius *Ursini* scripta ad *Jacobum Monavium.*

Revocatur è Silesia. Epist. Tossani.

Ursini Ep. ad Iac. Monavii.

S. Omnino volunt Consiliarii , ut Quirinus redeat quamprimum huc. τὰς αἰτίας σὺν ἐπιστολικὰς οἶδα κἀγώ. *Mitto ei literas vocationis à D. Tossano scriptas mandato consiliariorum. Ad ipsum ego nihil addere debui. Tu autem cum Epistolam trades , dices vel significabis ei ; ut adveniens in ædes meas divertat , quæ jam sunt propè templum , contiguæ ædibus Dn. Copii. Hic habebit paratum hospitium , donec inveniat melius. 11. April. 82. ann.* Hæc Ursinus.

Ægrè dimisit *Quirinum Dudithius* , ut ex iis intelligi potest , quæ ipse sua manu in libellum , amicorum memoriæ consecratum adscripsit ; quæ quia singularem *Dudithii* erga *Quirinum* affectionem declarant , lubet recitare ; ut ita altero quasi emblemate nostram narrationem spectatiorem reddamus. Sic autem Dudithius : *Quirino Reutero Mosbacensi tanquam filio suo charo Andreas Dudithius. S. P. D.*

Dudithii de Quirino verba.

Quid dicam ? si tempora utriusque nostrum , vel tua potius tempora ita tulissent ; ut una semper vivere potuissemus , equidem vitam longè jucundiorem ducerem. Quid enim ? In pietatis & bonarum literarum studiis , ut hoc biennio fecimus , reliquum tempus omne transigendo , eo cum liberis meis , atque adeo familia tota , in tua doctrina , pietate , modestia , humanitate , benevolentia conquievissemus : sed te aliò tua fata vocant. Nobis quidem magnum tui desiderium relinquis , quod omnibus officiis lenire , mutuumque amorem conservare mihi certum deliberatumque est. Par ut pari referas , multis abs te verbis contenderem , nisi tua mihi virtus & constantia plenè perfecta esset. Nunc quoniam abeundum tibi est , quo te Deus vocat , i pede fausto , nostri memor : ac creberrimis dolentem abitu tuo animum meum literis recrea , si me verè amas , ut certè amas. Vale & feliciter vive , atque inter vivendum benè mori disce , quæ ars est artium omnium difficilima , simulque præstantissima. Vratislaviæ ex ædibus nostris 13. Iunii ann. M D LXXXII. Subjunctum Nazianzeni dictum : φίλε πιστῷ σὸν ἔστιν ἀλλαγμα τῶν ὄντων ἁπλῶν : *Nihil est in rebus humanis , quod cum fido amico permutari possit.* Idem *Dudithius Quirinum* iter ingredientem luculento viatico instruxit, *quinquaginta* , ut vocamus , thaleris. Non autem *Dudithio* tantum *Quirinus* charus fuit ; sed multis etiam aliis præstantissimis viris *Cratoni* , archiatro Imperatorio, *Rediger is, Martino Schillingio,* & aliis.

Viatico Quirin. à Dudithio.

Neostadium ergò sub finem Martii anni sequentis reversus est ; quo in oppido se ali quandiu continuit : ita tamen ut in classe interdum , ne planè otiosus videretur legeret , quod certæ vocationis nondum mentio facta esset. Undecimo Septembris *Neostadii* pro Tossano primam concionem habuit , & post mortem *Ludovici* Electoris , cum *Casimirus* cives Haidelbergenses juratos in fidem & tutelam recepisset , Tossanumque ad se vocasset ; tertium locum inter ministros Ecclesiæ *Neostadianæ* , qui ei Tossano autore , offerebatur , recusavit : interim inter alios privatos labores *Catecheseis Palatinæ censuram* vertit & *Ursini ad hanc responsionem* Catechismo Latino insertam : qui Haidelbergæ impressus.

Redit Neostadium.

Anno *octogesimo quarto* disputatione solenni Haidelbergæ habita , cum iis , qui Lutherani audire volunt , præsente *Casimiro* Principe , *Reuterus* opponendo se egregiè exercuit , ac paulò post , mense Aprili Præceptor secundæ classi in illustri Pædagogio est datus. Sub finem ejusdem anni *Benshemium* missus est : ut succederet M. *Ulrico Marbachio* , quem Senatus Ecclesiasticus removerat , propter importunas orthodoxorum insectationes , quos quasi flagello conviciorum verberarat.

Disputatio Haidelb. solennis. Præceptor Pædagog. Quir. Inde Benshem. transfertur.

Anno sequenti *octogesimo quarto* Ecclesiasticus Senatus cogitavit eum transferre *Mosbacum* in patriam : à quo consilio abhorruit ; quod sciret , *Prophetam* , ut dici solet , *in patriâ suâ parum gratum esse.* Literis etiam *Casimiri Haidelbergam* revocatus , apud Senatum Ecclesiasticum se excusavit ; expositis difficultatibus , quibus se implicatum iri videbat.

Eodem

Conjugium Quirini.

Eodem anno nuptias celebravit die *vicesimo quarto* Augusti cum virgine *Maria Anastasia*, filia *Ioannis Anastasii*; & *Ioannæ Pithopœæ, Ioannis Ingnitii* privigna; ex qua duodenos liberos, numero horum in conjugio par parenti, suscepit; de quibus ternos moriens reliquit. Matrem *Ioannem* viduam *Ingnitius* duxerat mortuo marito *Anastasio*; qui ob orthodoxæ religionis confessionem & professionem in Belgio carcerem & exilium perpessus, tandem in Palatinatu nidulum invenerat, Ecclesiæ Baccharacensis Inspector factus.

Neuhusii Pastor constit.

Anno deinde *octuagesimo septimo* mense Junio *Benshemio*, *Neuhusium* migrare jussus est; quo in loco *Casimirus* Palatinatus Electoralis Administrator, ludum illustrem sub *Ludovico* Electore collapsum, instaurarat: Ecclesiæ illius loci senatus Ecclesiasticus Pastorem esse voluit. Hæsit ibi usque ad annum *octogesimum nonum:* cujus anni mense Novembri locus secundus in collegio *Sapientiæ* ei assignatus est; quo commigravit anno *nonagesimo* mense Februario. Biennio post optimarum artium Magister Decano Philosophicæ Facultatis *Ioanne Christmanno*, Promotore *Simone Stenio*, publicè renunciatus est.

Præceptor colleg. Sapient. Magister renunciatur.

Præficitur Eccles. Spiræ.

Anno *nonagesimo tertio* Ægidiana Ecclesia, quæ Spiræ est, post *Ammonii* mortem, operâ *Quirini* uti voluit; quam ille petenti, consentiente Senatu Ecclesiæ denegandam non censuit; cum lubens ad ministerium rediret. Huic cum præfuisset summa fide & diligentia ultra *quinquennium*, accidit non fortuitò, sed DEI dispensantis omnia, velut Basilius loquitur, τὰ μικρά τε καὶ μείζω θεῖ ἡμᾶς οἰκονομοῦντος, voluntate; ut *David Pareus* post obitum D. *Kimedoncii* ab Academia, judicium ejus approbante illustrissimo Electore, ad professionem Theologiæ vocaretur; cum esset tum in collegio Sapientiæ primarius Præceptor. Ejus successorem statim Senatus Ecclesiast. *Quirinum* esse voluit, ut γνήσιον *Ursini* Discipulum: cui & sedulitas Præceptoris carissimi in docendo, & in subeundis laboribus alacritas aliquot annis perspecta fuerat, & præclarè cognitum disciplinæ conservandæ studium. Acta autem hæc sub finem anni *nonagesimi octavi.*

Revocatur Haidelb.

Præficitur colleg. Sapientiæ.

Doct. Th. renunciatur.

Et Profess.

Anno deinde *sexagesimo primo* Theologiæ titulo ornatus fuit; & sequente cum suâ provinciâ satis operosa, & molestiæ ac difficultatis plena, ipse neque industriæ expers, neque in ullo munere exequendo languidus, post Doct. *Tossani* obitum, volente sic Electore Friderico IV. & operam ejus efflagitante Academico Senatu, conjunxit eam professionem, quæ publicam veteris Testamenti interpretationem complectitur. Ubi utrobique studiorum & laborum onus eo animi robore sustinuit, ut censoribus etiam quamvis curiosis satisfaceret.

In hoc igitur curriculo per novem annos defatigatus, tandem anno *sexcentesimo septimo* Rector Academiæ, quod legibus ejus & antiquæ consuetudini neque refragari vellet, neque fas esse putaret, creatus est: de qua dignitate idem usurpari posset, quod *Antigono* Rex quondam in Asia potentissimus dixit. Cum enim audiret, se à vetulâ quadam, opes ejus & splendorem admirante beatum prædicari; *mea matercula*, inquit, *si nosses quantis malis hic panniculus* (ostendebat autem diadema regium) *refertus esset, ne in sterquilinio quidem jacentem tolleres.* Sic si parva licet componere magnis, sceptrum illud scholasticum plus solicitudinis habet, quàm pulchritudinis, plus curæ, quam auri, plus impedimenti, quàm argenti. Ex laboribus tandem variis, ut dictum, in locis continuatis post filii *Quirini* adolescentis ingenioši obitum mœrore confectus, anno & non multò ante filiæ in matrimonium elocationē, quæ nupserat *Ioann. Reinarto* doctissimo optimarum artium magistro, & patris collegæ; paulatim sensit ad tenuitatem corporis se redigi; quæ indies augescens tandem in tabificos catarrhos devoluta est. Non ignarus igitur ille, se mortalem esse natum, & memor *Dudithianæ* admonitionis, *Bene disce mori:* in infirmitate quotidiana ad migrationem ex his terris in Christi mansionem maturè se præparavit, rebus domesticis placidè compositis, & filio unico *Davidi* ministro Ecclesiæ Heppenheimensis desponsâ virgine, *Philonis* pastoris olim Ilfelshemensis filia. Cum amicis invisentibus ipsum piè collocutus est, uxoremque & familiam suam ac liberos ab immoderato luctu abstinere jussit; quod ille à Christianis alienus esset, subinde iterans & inculcans illud, quod in prima quæstione Catechetica continetur: *Nos per Christum redemtos, liberatos, ita conservari: ut sine voluntate patris nostri cœlestis ne pilus quidem de capite nostro possit cadere, imò verò etiam omnia, omnia, omnia,* inquit, *nullo excepto, saluti nostræ servire oporteat.* Horâ mortis instante, placidissimè expiravit, vix iis sentientibus, qui lecto adstabant, tantum hæc verba exiliter prolata audientibus: Ich bin ein Kind des Lebens: Τέκνον ἐγώ ζωῆς εἰμί. Quam vocem *Simon Stenius* Græco Latinoque Epigrammate complexus est, similem sibi vitæ exitum precatus:

Rector Acad.

Antigoni regis dictum.

Morbus fatalis Quirin.

A luctu nimio suos dehortatur.

Consolatio.

Obitus.

Ultima ejus verba

Epigramma ex iis Stenii.

Τέρμα βίοιο λαχὼν μογερῷ ὁσίως μὴ μόχθος
Οὓς ἐξαντλήσασκ' ὠφιλίμους πόλεσιν,
Ἔντ' οἴκῳ σοφίης, ἱεροῖς τ' ἔτι, ἔντε λυκείῳ
Οὐκ ἀλέγων θανάτῳ τῷθ' ὁ Κυβῖνος ἐφη:
Τέκνον ἐμὲ ζωῆς οἱ δ' ὄντ' αἰωνίης, ὄφρα
Θνήσκω, ἀλλὰ βιοτῶ ἄρξομ' ἐν ὑψίστοις.

Hoc est:

Sortitus vitæ finem, finemque laborum,
Quos exantlarat non sine laude sua,

Et

Et fructu multorum, in templis, inque Lycée,
Inque domo Sophiæ, ista Quirinus ait:
Mortis securus: vitæ sum filius: ergò
Non morior, reliqua est altera vita mihi.

Funus. Epitaphium. Elatus est funere honorifico corpusque in sacello Academiæ, quod est in D. Petri, conditum, cum monumento ejusmodi.

A DEO TER OPT. MAX.
QUIRINUS REUTERUS MOSB TH. DOCT. INCLYTÆ HAIDELB. ACAD. PROF. ILL. COLLEG. SAP. EPHORUS,
ANNO M DC XIII. XI. CAL. APR. MATUT. SEPT. EX LABORIOSA HAC ÆRUMN. SCHOLA IN COELEST. BEATOR. ACAD. MIGRARE JUSSUS,
CORPORIS SUI DEPOSITUM IN HOC SUPREMÆ SCHOLÆ SEMINARIO CONDITUM HABET
NATUS AN. LIV. MENS. V. D. XII.
IPSO AUTUMNALI ÆQUINOCTIO EJUSDEM ANNI MARITUM DESIDERATISS. SEQUUTA CONJUGE MOESTISSIMA MARIA ANASTASIA, DUODENUM LIBERORUM MATRE EX EODEM CONJUGIO, EX QUIBUS
JOANN. QUIRINUS SPEI PRÆCLARÆ ADOLESCENS, XVI. ANNOS NATUS, ANNO M DC XI. XI. CAL. AUG. NON SINE MAXIMO PARENTUM DESIDERIO EXTINCTUS, PROXIME HIC ACCUBAT.

Virtutes & mores. Ad mores & vitam ejus interiorem quod attinet, eluxit in ipso pietas, modestia, humanitas, frugalitas, studium & diligentia quærendæ & cognoscendæ veritatis. In colloquiis sæpè querelam movit *de negligentia juventutis in discendis & excolendis humanitatis studiis*; quorum interitum à posteritate non sine lacrymis deploratum iri existimabat. Nam ut superiore seculo cum opera *Bembi, Sadoleti, & Victorii* in Italia, *Erasmi, Philippi, Camerarii, Sturmii* in Germaniâ; *Budæi, Silvii, Turnebi, Lambini* in Galliâ, politior doctrina usurpari cœpisset: statim etiam Theologia spinosis & intricatis quæstionibus planè obscurata, *Latinæ, Græcæ, & Hebraicæ* linguæ cognitione illustrata fuit, & nugatoria subtilitate sublatâ, ad sacrarum literarum lectionem, quarum loco antea somnia monachorum, & fabulæ legendarum appellatarum, templa repleverant, juventus traducta: sic verebatur, ne neglectis optimarum artium & linguarum studiis, posteritas ad antiquam barbariem & superstitionem, nullo animadvertente, sensim delaberetur. Initia autem hujus mali satis conspicua esse ajebat, cum multi etiam magnâ autoritate præditi de his studiis ita sentiant & loquantur: ut hæc nihil aliud esse dicant, quàm *verborum inanem strepitum & loquacitatem quandam:* nonnulli qui magis propitii esse videntur, fatoantur quidem, *copiam & facultatem de omnibus dicendi luculentè & præclarè ornateque, nequaquam splendore & dignitate aliqua carere, sed utilitatem habere nullam, ut qui in his industriam suam occupare, & tempus consumere velit, is pretium operæ suæ facturus non esse videatur.* Querela ejus. Contemtus humaniorum literarum.

Scripta. Quir. Scripta ab eo in lucem emissa hæc sunt: *censura Catecheseos Haidelbergensis*, cum D. *Ursini* responsionibus latinitate ab ipso donata: *Diatribe de ubiquitate* cum eadem Catechesi: oratio *encomiastica in obitum* fortissimi heroïs *J. Casimiri: responsum*, ad M. *Joannis Magiri*, præpositi Stutgardiani, pro D. *Marco* zum Lamb scriptum: *Hieronymi Zanchii* in Epistolas Paulinas ad *Philippenses, Colossenses, Thessalonicenses* Commentarii restituti, & supplemento ab ipso aucti: *Aphorismi Theologici* ab anno *sexcentesimo secundo*, aliquoties editi. Præterea edidit:

Notas in orationem Cic. *pro Roscio Am.* sub ficto nomine Joannis Cyrenii Paraschii.

Heresbachii de re rustica libros recognitos.

Andreæ Dudithii quædam scripta, ut Orationes Trident. Apol. ad Maximil. Imp.

Nicolai Cisneri varia opuscula.

D. *Zachariæ Ursini* Opera tribus Tomis comprehensa.

Quantum insuper in *Zanchianis* edendis laborarit, testes erunt ipsi hæredes, & præfationes variæ ipsis operibus præfixæ.

Nondum edita. Post obitum prodiit *commentarius in Obadiam* Prophetam, unà cum illustriorum quorundam de *Messiæ persona & officio vaticiniorum* explicatione. Reliqua sunt adhuc edenda, *commentarii in Exodum* Mosis luculentissimi; *in Joelem & Amos* Prophetas: *Exegema Catecheticum* pro usibus ministrorum verbi DEI planum & perspicuum: *Libellus compendiarius definitionum & divisionum Theologicarum*, secundum methodum Catecheseos Palatinæ: *Tractatus insignis de Ecclesia* contra Papistas: *Isagoge candidatorum ministerii* ad facultatem concionandi, ut & legendi commentaria Biblica.

Hæc de Quir. Reutero ex oratione funebri dicta à Simone Stenio; ex concione item funebri & aliis.

OTHO à GRUNRAD.

Otho à Grunrad editus in hanc lucem est, cum post *millesimum quingentesimum*, annus Christi nati hominis curreret *quadra-* ⊙. 1613. d. 14. April. ætat. 68. curr.

Familia Grünradiorum.

gesimus quintus, *decimo* die Septembris, in familiâ nobilissimâ & antiquissimâ *Grünradiorum*: quorum laudes & res gestæ alibi recensendæ. Patria illi urbs Misniæ *Delitschum* fuit: ubi in ludo literario prima fundamenta jecit humaniorum artium; seque in pietatis officiis diligenter exercuit. Ab his puericiæ studiis jam informato, doctores in Academiis quæsiti: *Lipsensi* primùm, deinde *Wittembergensi*: utraque liberalibus studiis & Professoribus in omni artium genere tum affluente. His in Academiis adolescens ingenio nobilis degens, ita tempora studiorum dispunxit: ut

Dat operam Phil. & Theol.

Philosophiæ dans operam simul in Theologiâ felicissimè progrederetur. Cum enim in ejus pectore quasi natum & natura insitum esset *pietatis semen*, & studium rectè DEUM cognoscendi: omnes ingenii sui vires & nervos in divinam illam scientiam, quam Græci θεολογικὴν appellant, intendit. Amplexus nimirum facultatem eam, quæ Principem locum inter omnes omnium confessione tenet, & quam multi, deserto juris studio, tanquam sanctiorem secuti sunt.

Eo in studio annos ipsos *tredecim* summâ cum industriâ diligentiaque & maximo fructu versatus, non tantum de præcipuis orthodoxæ religionis momentis solidam cognitionem percepit: verùm etiam de controversiis religionis accuratum judicium potuit afferre. Quo tempore non in minima felicitatis suæ parte ipsemet illud posuit; quod Wittembergensis ejus profectio in *Peuceri*,

Casp. Peucери.

viri eruditionis laude præstantissimi, ætatem incidisset: in quo quicquid solidæ eruditionis & profundæ cognitionis ac sapientiæ unquam fuit,

Cum eo Grünrad.

omne resedit. Cum hoc tam insignis eruditionis viro cum nobilis adolescens quotidiè versaretur familiarissimè: non potuit non ipse doctissimus evadere: vel Menandro teste:

Σοφοῖς ἐμιλῶν καυτὸς ἐκβήσει σοφὸς.

Sed cum alia in hoc *Grunradio*, tum vel hoc præcipuam quandam laudem meretur: quod

Theologiæ studium an nobili suscipiendum.

nobilis cum esset ad Theologiæ studium animum ipse appulit. Nam multi eodem loco nati hodierno die, ad aulicas se delicias natos ducunt: & equos canesque ad venationem alunt: sacrarum verò literarum studium etiam dehonestare suum ordinem statuunt. Quanto rectius *Grünradius*: qui veram DEI agnitionem summam arbitratus sapientiam, nobilitatis ornamentum maximum duxit, secutus in eo exemplum illustrissimi Principis *Georgii* * *Anhaltini*, illustris * *Joannis à Lasco*, nobilissimi *Antonii Sadaëlis* ac *Theodori Bezæ*: quorum scripta & monumenta hodiè adhuc testes nobis sunt; quales & quanti fuerint Theologi.

* *De quo supra.*
* *De tribus his. in decadib. exteror. Theol.*

Non caruit autem fructu præclarum hoc *Grunradii* propositum. Primum cum jam studia illius, industria, fides, candor animi, omnibus & maximè *Peucero* in oculis essent; hic cum illustri & generoso Comiti *Joanni Nassovio*, ut fidelem in aula ejus operam navaret, literis diligentissimè commendavit.

Commendatur Joanni Nassov.

Exinde cùm Comiti illi fidem suam & diligentiam in demandato munere probasset: *undecim* ipsum generosis Comitibus adolescentibus (in quibus *Mauritius* ille Hispanici Regni fulmen, & Comites à *Berga*) præfecit: curam illorum ipsi demandavit, illosque sub ejus inspectione in Academia *Haidelbergensi* esse voluit.

Præficitur Comitibus undecim. Vivit Haidelberg.

Vixit itaque Haidelbergæ *Friderico* III. rerum potiente: quo mortuo revocatus ad *Nassoviæ* Comitem non sine fausto omine & singulari Nassovici Comitatus auspicio rediit.

Redit ad Nassov.

Erat tum temporis fortissimus heros Nassovicus in *Geldria* Militiæ Gubernator, grave sustinens ac difficile onus. Aberat autem non sine maximo desiderio suorum civium, quos ne orbos relinqueret, eorum moderandorum & regendorum potestatem quasi quasdam habenas, cum aliis tum nobili *Grunradio* tradidit. Ab ipso itaque, velut patre patriæ, sibi omnes cives consilium expetebant, suarum rerum incerti: quos ipse sibi sua ope ex incertis certos, compotesque consilii dimittebat: ut ne temerè aliquid tractarent. Neque tamen Reipubl. commoda atque utilitates solùm procuravit, rebus afflictis & perditis civium succurrendo, & injuria pressos eripiendo: sed quod caput erat, Ecclesiæ utilitate & emolumento omnia mensus est. Erat tum istis locis religio orthodoxa adhuc propè in cunis; & primulum instituta fuerat Reformatio. Opus erat ergo prudentibus viris, qui populum ignarum ac plebem ad quosvis casus mobilem, regerent & quasi manu ducerent.

Præest cum aliis comitatui

Adhibitus itaque est *Grunradius*, vir autoritate gravis, consiliis pollens, animi lenitate mitis; qui à Comite *Cunrado* ad Reformandas ditionis *Solmensis* Ecclesias, socio laboris *Casparo Oleviano* Theologo gravi, accersitus, Rempubl. sapienter constituendo, & religionem orthodoxam introducendo, utilem ac salutarem illis regionibus operam navavit.

Reformat Ecclesias.

Atque his rebus præclarè gestis, cùm fama illius ad exteras quoque nationes dimanasset: à multis iisque principibus viris adamatus & ad præclara munera obeunda expetitus fuit. Ex multis unum nominamus illustrissimum heroem ac Principem *Casimirum*, tutorem & administratorem tum temporis Electoralis Palatinatus: à quo regendi adolescentis Principis *Friderici* IV. cura illi demandata. Hunc ille, socio amplissimo viro *Georgio Michaele Lingelshemio*, summæ curiæ assessore, in optimarum artium studiis & disciplinis, in lectione bonorum autorum, in divinis denique & sacris ita instituit, informavit, perpolivit: ut vel hoc nomine ipsius memoriam nulla unquam oblivio deletura sit, nec ulla ætas laudes ejus tacitura.

A variis expetitur.

Ephorus Frider. IV. designatur.

Inprimis autem Principem ac dominam cæterarum virtutum omnium constituit pietatem:

In Catechesi Principem instituit.

tem: hanc ut in pectore adolescentis Principis reconderet; viva voce in præcipuis Christianæ religionis capitibus, quod Græci κατηχίζειν appellant, Principem ipse instituit: & ad captum accommodata institutione quæst. quam simplicissimè & nuditer formatas ita proposuit: ut responsio ex interrogatis quasi fluere videretur. Neque verò in his parvis solum proponendis bibliis officii sui satisfecit: sed ipsius sacræ *scripturæ textum* plenè planeque magno labore Principi explicuit: historias sacras ad vivum, resecando enarravit: egregiè dicta & ad locum, ut vocant, communem pertinentia doctè inculcavit; & quæ ad fidei incrementum, ad vitæ integritatem spectarent, sanctissimè pertractavit. In precibus præterea cum matutinis tùm vespertinis ardenter magnaque animi devotione ea, quæ mens erat meditata, & animus flagrantissimè optaverat, ipse verbis conceptis & ore prævit.

Biblia exponit.

Precet præit.

Hoc in officio cum *octennii* labores ab anno *octogesimo quarto*; ad obitum usque inclyti herois *Casimiri* exantlasset, *Fridericus* IV. per ætatem constitutione Carolinâ præfinitam, sceptra imperii capessens, ut pro fideli institutione grati animi monumentum aliquod erga *Grunradium* extaret, & amplissimas dignitates summosque cum honores evexit.

Præses senatus Ecclesiastici declaratur.

Nam cum ipse jam Princeps didicisset plusculis annis, neminem magis ad Ecclesias scholasque natum *Grunradio* & quasi factum, senatui eum ecclesiastico præfecit. Quo in munere obeundo cum se præstitit: ut prudentia, gravitas, & fervens religionis defendendæ defensæque propagandæ zelus in ipso conspicerentur.

Recitationem capitum religionis sanxit.

Erat tum magna plebis in religione barbaries; cæcitasque obstinata; cui ut succurreret malo, ordinavit ut capita pietatis & religionis Christianæ à senibus juxta & pueris quâvis Dominica recitentur: quod institutum ut in se pium: ita fructu suo minimè caruit. Accessit ad hanc curam, pro ovibus Christi susceptam boni Episcopi munus.

Præest visitationi Ecclesiarum.

Primum anno supra *millesimum quingentesimum nonagesimo quarto*, solenni totius inferioris Palatinatus visitationi susceptæ non interfuit solum; sed & præfuit. Deinde eâ visitatione feliciter obitâ, ad assuetos ac ordinarios labores reversus, etiamsi munere fungeretur laboriosissimo, Principi tamen *Friderico* IV. nec tum defuit: sed manè ac vesperi privatim sacra explicavit.

Et Reformationi in comitatu Hanovico. Melch. Angerus Tbesi.

Anno deinde supra *millesimum quingentesimum nonagesimo quinto*, illustri & generoso Comiti *Hanoviæ*, in Reformandis Ecclesiis operâ ejus & consiliis uti volenti, lubentissimè paruit. Profectus est Hanoviam cum reverendo & integerrimo viro *Melchiore Angero Silesio*, curiæ sacræ assessore: atque ibi gloriæ DEI serviens, id cujus gratia venerat, summâ prudentiâ felicissimè effecit. Mox pedem inde referens, anno sequente nonagesimo sexto, unà cum Electore *Friderico* VI. in Palatinatum superiorem est profectus: & biennii spacio Ecclesias & Scholas Bavaricas sapientissimis prudentissimisque consiliis instruxit.

Abit in superiorem Palatin.

Reversus anno *nonagesimo octavo*, rebus Ecclesiæ jam constitutis, omnem curam atque operam in eo locavit, ut scholas quoque constitueret; constitutas firmaret, firmatas amplificaret; collapsas instauraret. Quo de negotio hodieque loquuntur tres Electoralis Palatinatus inferioris Scholæ præcipuæ, *Haidelbergensis*, *Neostadiana & Neuhusiana*.

Scholas constituit.

Eodem anno, ducatu *Simmerensi* ad Electoratum revoluto, Reformationi ejusdem & interfuit & præfuit. Postea anno *sexcentesimo sexto*, cum *Abrahamo Scultero* rerum in superiorem abiit Palatinatum & *Amberga* pædagogium illustre, ad illorum quæ in inferiori Palatinatu celebrantur, Gymnasiorum formam reduxit.

Reformat in Simmerensi ducatu.

Amberg. Gymnasium ordinat.

Anno deinde *millesimo sexcentesimo nono*, secundùm evocatus, cum *Abrahamo Scultero* in comitatum Hanovicum venit, & Ecclesiæ res constituit, atque ad Palatinarum Ecclesiarum formam revocavit.

Iterum in comitatum Hanovicum abit.

Tandem multis & maximis laboribus fractus anno *sexcentesimo duodecimo*, ultrò officio se abdicavit, & à publicis laboribus conquievit. Id temporis assiduus fuit in mortis hora contemplanda: cum amicis multa de beatâ & æternâ vitâ differens, non obscurè ostendit: se jam initia æternæ beatitatis in pectore suo præsentiscere. Nihil enim tàm anxiè desideravit, quam uti brevi pòst ex hac æruinosa & miseriarum plena valle, in æternam beatitatem commigraret. Nec longum ei tempus fuit exspectandum. Lectulo enim per aliquot dies affixus anno *sexcentesimo decimo tertio*, mensis Aprilis die *decimo quarto*, vesperi intra *octavam & nonam*, placidissimè animam expirans in Christo obdormivit. Vixit annos *octo & sexaginta*, exceptis quinque mensibus: annos *viginti* senatui Ecclesiastico præfuit: *novem* verò & *triginta* Deo & Ecclesiæ & amicis inservivit. Elatus est funere honorifico, & in D. Petri choro sepultus, tali cum monumento:

Abdicat se officio.

Exspirat.

Monumentum.

OTTO A GRYNRADE
EQUES MISNICUS.

NASCITUR DELITSCHII 1545. 10. SEPT. DISCIT PIETATEM ET LITERAS WITTENBERGÆ ANNO 14. GUBERNAT STUDIA ET MORES MAURITII PRINCIPIS AURAICI. ANNO 1575. ET 76. JUVAT REFORMATIONEM ECCLESIARUM NASSOV. SOLMENS. WITGENSTEIN. ANNIS SEQUENTIBUS.

FRIDERICUM IV. ELECT. PALATIN. VERA PIETATE ET OMNIBUS LAUDATI PRINCIPIS VIRTUTIBUS OCTEN. INSTRUIT. PRÆSES SENATUS ECCLES. RENUNCIATUS, VIGINTI IPSOS ANNOS ET PRECIB. ET CURIS ET LABORIB. PRO ECCLES. ET SCHOLIS PALATINIS IMPENDIT. PRINCIPIBUS PALAT. AUCTOR CONDENDI ET SCHOLAS, QUIBUS PUELLÆ PIE INFORMARENTUR: ET HORREUM, QUO IN ANNONÆ DIFFICULTATE NECESSITATI PUBLICÆ SUBVENITUR. INSTITUTIONEM CATECHETICAM SENIORUM ÆQUE AC JUNIORUM PRIMUS ECCLES. PALAT. COMMENDAT. VITAM CÆLIB. SANCTE AC LABORIOSE ACTAM PLACIDA MORTE FINIIT.

Anno 1613. 14. April. cum vixisset annos 67. M. 7. D. 4.

UNUM EST NECESSARIUM.

Janus Gruterus vir cl. mortuum elogio honoravit, & Epigrammate ejusmodi:

J. Gruteri Epigramma.

*In * sepulcrum Othonis Grynradii:*
Qui sepulcrum aves videre vile, cujus astriças
Nominis sublimitate verberat fama faces:
Hic adesdum; ubi repostus est Otho Grynradius.

* *In dalic. poët. Belg. p. 2.*

Symbolum Grünradii. Pro scito & symbolo, ac tesserâ quasi Christianæ suæ militiæ, delegit illud * Christi ad Martham verbum: ἑνός ἐστι χρεία, *Unum est necessarium:* ad quod actiones & cogitationes suas direxit: idemque ut alii facerent, auctor & dux fuit. Est autem illud Unum ardens desiderium cognoscendi DEUM, & cognoscendi viam: qua ad salutem pervenitur.

* *Luc. 10. v. 42.*

Fontem deinde benignitatis suæ clausit nemini: adeò ut domus ejus perfugium toti civitati ac Palatinatui esset: libellos supplicum humaniter accepit: querimonias placidè audivit: ope & opera, quà quà potuit; egenos juvit: adeoque quæ *Casimiri* Principis munificentia in ipsum collata erant beneficia, ea largissimè ad publicos usus impulit. Cumque aliquando maxima premeret Palatinatum annonæ charitas, incendentibus eam Dardanariis: *Grünradii* consilio granaria ordinata, fructusque agrorum, ad necessitatis casum, adservati.

Granaria constituit.

In vestitu denique fuit simplex: in victu frugalis; in cœlibatu castus. Vestium ornatum simplicem & ad vetustatem quam proximè accedentem ita adamavit; ut splendidiorem ornatum, qui modum excederet, summopere fuerit detestatus. Multò illi preciosior vestis visa; *conscientiæ integritas, inculpata vita, fides sancta, castæ preces.*

Vestitus ornatus mus.

Librorum, quod sciamus, ipse quidem edidit nihil: sed ut ab aliis ederentur author promotorque exstitit: inter quæ Theologica pleraque omnia & scholastica.

Scripta.

Ultimum scriptum, quod ipsius cura prodiit, & quo absoluto, se eò suavius moriturum sæpius affirmavit, fuit *Catechesis scholastica Germanica*, cum analysi & scholiis perspicuis: quæ etiamnum in Palatinatu usitata. *Ex oratione parentali.*

BARTHOLOMÆUS PITISCUS.

Ob. 1613. d. 27. Iulii ætat. 52.

ANno à Christo nato, *millesimo quingentesimo sexagesimo primo*, die *vicesimo quarto* Augusti, qui *Bartholomæo* sacer, natus est *Bartholomæus Pitiscus* in pago *Schlaunâ*, *Grünbergæ* inferioris Silesiæ oppido, adlaterali, loco humili, atque innocentissimis agriculturæ reditibus ferè contento: ut vel hoc exemplo firmetur illud * Senecæ: *ex casâ etiam virum magnum prodire posse.*

* *Epist. 64.*

Parentes. Parentes ipsi fuere honesti; sed fortunæ longè tenuioris: quàm ut iis adjutus filius videri possit; qui eò usque pervenerit. Verùm sapientior est æterni Patris providentia: quàm ut viis nobis patentibus constringatur. Nec ipsius parentes, quod pietas piis dictare solet, media, quibus in filio, ad optima quæque præparando, uti possent, negligebant. Docebat tum eo in loco Evangelium Christi *Andreas Carchesius*; vir eâ pietate & eruendi alios cupiditate: ut rusticorum etiam filios instituere non dedignaretur, potiori loco Christi gloriâ habitâ, quem molestiarum evitatione. Huic primùm *Pitiscus* fuit commissus: à quo & pietatis Christianæ summam, & literarum primordia ita feliciter accepit: ut singularem ingenii promtitudinem magistro suo facilè proderet.

Andreas Carchesius.

Is Pitiscii institutor.

Animadversa ergo ea pueri solertia, vir optimus agendum sibi cogitavit idem, quod in recens plantatâ arbore, ad ostensam frugum futurarum spem, facere hortulani solent. Eam nempe non ipsi tantum industriè colunt, sed & ad fructuosas ejusmodi operas eos invitant maximè, quibus colendarum arborum rationes sciunt esse exploratas. Quapropter nobilem, qui agro illi tum præerat, pueri nomine convenit, eoque de solerti industria insigniter commendato, obnixè flagitavit: ut in vicinam aliquam scholam suo cum sumtu ablegaret, nec optimæ spei plantulam humana aliqua negligentia deflorescere pateretur. Nec pia hæc prudensque commonefactio, atque intercessio successu optato caruit. Nobilis illius enim animus flexus est ita: ut promtè parendum judicaret Politicorum monito, quod magistratui dictitat: ut, *si quod ruri sit ingenium excellens, & quod magnam futura virtutis spem*

præ-

præbeat, in collegia & Gymnasia urbana transferat, ibique accuratius formari jubeat.

Mittitur in scholam Grünberg.

Quantum igitur in ipso quidem fuit: felicioris ingenii puero non defuit: sed in scholam *Grünbergensem* eum statim misit: quam celebriorem insignes aliquot moderatores fecere: quorum in numero fuit Theologus ille & chronologus *Abrahamus Bucholzerus*, & secuti eum postmodum *Petrus Titus*, *Jacobus Ebertus*, & *Paulus Bernavus*.

In eam musarum officinam ut devenit Pitiscus; prædicatam modò antè in se ad studia optima promitudinem, novis continuò characterismis confirmavit; & quos primo accessu reperiit æquales, brevi temporis intervallo superavit omnes. Ut verò annum *decimum octavum* attigit, inde *Vratislaviam* præceptorum fautorumque monitu abiit, ceptam illam studiorum telam promtissimo animo continuaturus: operam simul suam ad sublevandam rem domi angustam, institutioni puerili navaturus. Adscitus ibi locorum fuit in familiam *Sigfridi Ribischii*, qui filio *Gottfrido*, ante aliquot lustra in defensione *Varadini* celebre nomen consecuto, eum ab institutione esse cupivit. Erat *Ribischio* illi insignis librorum apparatus, Historicorum, Politicorum, Theologicorum. In sacrum illud conclave sæpius se abdebat, & quod apes in pratis floridioribus facere laboriosè solent, idem ipse non ignaviter agebat.

Abit Vratislaviam.

Gottfridus Ribisch.

Quem erudit Pitiscus.

Vivebat eodem tempore *Vratislaviæ Amandus Polanus*, qui nemini ob eruditionem Theologicam hodiè ignotus: studiisque humanioribus itidem tum advigilabat. Eum sæpiusculè *Pitiscus* ad se accersebat, ad doctores istos mutos deducebat, industriæque suæ in legendo & conferendo socium comparem habebat. Optima verò hæc tractandorum feliciter studiorum ratio, quippe cum conjunctis operis & frequentatis inde colloquiis, & facilius multa scitu dignissima apprehendantur, & tenacius apprehensu difficiliora imprimantur. Et imbibit ita uterque felici satis documento piæ eruditionis succum; qui ipsis etiam tenacissimum sinceriorisamicitiæ gluten fuit: ut eam in scholis olim inchoatam ad obitum usque sanctè continuarint.

Amandus Polanus.

Condiscip. Pitisci.

Innotuit autem tum etiam insignibus aliquot viris *Andreæ Duditio*, *Joanni Cratoni*, *Petro & Jacobo Monaviis*, *Martino Schillango*, *Engelhardo*, aliisque qui Uratislaviæ agebant; & ad sacra de rebus divinis colloquia convenire sæpius solebant: cum quidem non ita multo pòst ex Palatinatu illuc etiam venirent *Quirinus*, *Christmannus*, & *Calamnius*, quorum deinde virtus & eruditio luculenter in Academiâ Palatinâ enituit.

Sed visitanda erat Pitisco, in studiis humanioribus sic satis progresso, Academia: nec excitatissimi juvenis animus magis appetebat quicquam: quam ad fundamenta rectè præstructa, quicquid eruditionis solidæ posset, superstruere. Verum suprema tum dies Mæcenatem illum nobilem abstulerat; ut cujus subsidio urbanam illam scholam ingressus erat, ejusdem munificentia in Academiam conferre se non potuerit. Non defuit autem hic paternum divinæ providentiæ remedium, quod paratum perpetuo iis esse solet, quos ordinationis divinæ majestas ad insignia quædam munia prædestinavit. Conjux enim viri domi forisque nobilissimi *Ioachimi à Berge*, prudentissimi illius trium imperatorum consiliarii, religionisque orthodoxæ in Silesia promotoris munificentissimi, alebat tunc aliquot in Academiis adolescentes, qui rerum divinarum meditationi animum applicarent. Eorum in numerum *Pitiscum* etiam admisit: & necessariis ipsum ad studia Academica sumtibus instruxit.

Conjux Ioachimi à Berge.

Priusquam verò patriam *Pitiscus* relinqueret, non imprudente consilio clarissimos quosdam in Silesia Theologos conveniendos sibi putabat, eo quidem animo: ut consilia rectius instituendi sacrosanctæ Theologiæ studii à peritioribus artificibus audiret. Addidicerat enim; esse studiosè eorum commonefactiones attendendas, qui experti jam norint, ut in studiis rectissimè sit procedendum, nec negligenda illorum consilia, qui pro ea, quam annis & vario rerum usu sibi parârunt, prudentia expeditiores sint, ad ostendenda pro diverso adolescentum scopo media. Freistadii tum *Abrahamus Bucholcerus* verbi divini ministerio fungebatur, Lignicii *Leonhardus Crenzhemius*. Utriusque colloquia & consilia illa ambibat, & talia etiam nanciscebatur: ut studiosè ea in adversariis postea consignarit. Duo *Bucholcerus* monuerat, quæ in studio Theologico sint attendenda.

Consulit Theologos Pitiscus de studio Theol. instituendo.

Bucholceri monita.

Primum adjumentorum nomine insigniri potest, ut quod linguas *Græcam*, *Latinam*, *Hebræam* itemque *Logicam* cum cæteris dicendi artibus discendas esse voluerat Theologiam dextrè cognituro. *Alterum* ea concernit, quæ res ipsas vicinius complectuntur. Inprimis hic de *textu Biblico* diligenter evolvendo monuit: adhiberique posse in veteri quidem Testamento *Vatabli*, in *Novo Bezæ* Latinam: in utroque Germanicam *Lutheri* versionem: cæterum Christianæ doctrinæ summam ex methodicis quibusdam libellis ad sacræ scripturæ lectionem esse afferendam: in his verò ipsis *Melanchthonis locos communes* præstare, cum alii quidem sint nonnulli eruditè à clarissimis quibusdam Theologis scripti; sed lectorem illi requirant judiciosiorem. Commonefactionis hujus rationem subjunxerat aliam, esse ad sacrorum Bibliorum lectionem afferendum *caput regulatum*, *judicium confirmatum*: optimum autem judiciorum formatorem *Melanchthonem*. Posthæc innuerat esse Theologo futuro cognoscendam *Historiam ecclesiasticam*, *Eusebiique monumenta* perlegenda, commentarios etiam

ad sacrorum librorum lectionem negligendos non esse, certos tamen quosdam ex universo illorum numero ad singulos libros esse seligendos, quorum aliquos judiciosissimus homo etiam designarat ita, ut quid in uno quoque studiosè animadverti debeat, simul indicarit. Regulam præterea hanc tradiderat, *recentium scripta legenda quidem, at magno cum delectu, adversariorum verò librōs eò potissimum fine esse evolvendos, ut controversiæ rectiùs cognoscantur, & argumenta ab illis adduci solita accuratiùs refutentur.* Cæterum inculcaverat illud studiosissimè esse *sæpius de lectis atque cognitis conferendum, illud enim esse, quod multis magnis viris desit*: atque hoc quidem contentissimè inculcaverat, ut *hoc, hoc*, esse inclamitarit, *quod multis desit, summè verò omnibus sit necessarium.* Postea de patrum lectione sigillatim illud addiderat, *esse eos eo legendos ordine, quo vixissent*, & alia in hanc sententiam plura. Jam quæ ad praxin pertinent, hæc suggesserat. Hortatus præcipuè fuerat, ut *maturè se dicendo futurus concionator exerceat, & juventus discendo atque exercendo, ætas autem provectior docendo atque concionando impendatur.* Maximè verò *exemplum aliquod vivum* esse *proponendum*, censuerat, cum hac in re nihil αὐτοδιδαξίᾳ sit unquam periculosius. Suaserat etiam *concionum Germanicarum lectionem*: quæ etsi propter rerum tractationem necessaria non usque adeò sit, utilissima tamen sit ad pleniorem idiomatis Germanici cognitionem, quandoquidem & illud sit artis, *Germanico sermone expeditè uti posse*, & reperiantur non pauci, quibus rerum cognitio minimè, verborum tamen promtitudo desit. Atque è multis *Mathesium*, qui eo in genere legi possit utilissimè, judicaverat seligendum.

Adversariorum libri legendi.

Patres ut legendi.

In praxi Theolog. quid observandum.

I. Mathesius legendus.

Tandem ad *duo* in suæ functionis officio concionatori respiciendum perpetuo esse asseruerat, ut nempe *in applicando potens sit, idemque in commovendo.* Duo enim hæc esse, quæ concioni si desint, exangue quasi corpus relinquant, & ipsam vitalem animam complecti in se videantur. Hæc sunt quæ prudentissimè *Pitisco* abiturienti suggesserat *Bucholcerus*. Ab iis non ita multum recedunt, quæ à *Crenzhemio* audierat. Id enim agere se fuerat professus, ut ordinatè quidem legat Biblia primo *Hebraica*, inde *Germanica*, post *Græca*, tandem vulgatæ versionis *Latina*, cum ejus ferè in omnibus disputationibus sit usus. Atque ibi perutile esse dixerat, conferri inter se versiones, annotarique discrepantias, utilius autem illud, ut *in locos communes sacrosanctæ scripturæ dicta digerantur, eaque ipsa, quæ patrum lectio subministret.* Alias de controversiis nonnullis egerat, quales sunt de *Christi persona*, ejusque *adoratione, quantum ad naturam humanam attinet*, de *electione*, itemque *de justificatione*, in quibus judicii sui summam exposuerat paucis.

Duo concionatori observanda.

Crentzhemii monita.

Loci communes ex dictis scripturæ.

Atque ita quidem utrinque Pitisco obtigit, quod in votis habuerat unicè: ut jam in Academiam avolare cogitaret. Erant verò tunc sub annum *octogesimum tertium* tres tantum in universa Germania scholæ, quæ orthodoxiam Religionis profitebantur, *Neapoli* Casimiriana, *Servestæ* Anhaltina, & Saxonum *Bremæ*. In proximam ergo *Servestanam* se ille contulit, invitatus Theologi *Wolfgangi Amlingi* celebritate, quem per annum tum audiit.

Servestam venit Pitiscus.

Reformato interea Palatinatu circa annum *octogesimum quartum*, Principis Casimiri auspiciis: *Pitiscus* Servesta relicta in Palatinatum se contulit, atque tum solerti sua industria animum ad *Ioannis Iacobi Grynæi* imitationem convertit ita, ut filii loco habere eum dignaretur. Nec infrequenter tum collegium Theologicum adiit, ipsum, perorantem, disputantem, opponentem, respondentem audiit, probavitque ita suos ipse etiam in Philosophica cognitione progressus Academiæ *Haidelbergensis* Antistitibus, ut & eum *Casimirianæ* ædis regentem designare, & cum *Davide Pareo* Magisterii gradu decorare placuerit. Quin placuit ipse summis tandem hominibus ita: ut communi eorum suasu ad illustrissimi Principis *Friderici IV.* institutionem adhibitus postea fuerit, cum viris de Palatinatu optimè meritis nobili *Othone à Grünrad*, itemque *Georgio Michaële Lingelshemio*. Hoc in officio, arduo ac difficili, *Pitiscus* rationem eam optimam esse duxit, ut nempe humanæ solertiæ tantum haudquaquam concrederet, quantum ad incrementa salutaria exigitur, sed ad veram, vivam, primamque omnis felicitatis scaturiginem se converteret.

Inde in Palatinatum

Charus Io. Iac. Grynæo.

Renunciatur Magist.

Adhibetur institut. Palat. Princip.

Omnis enim donatio bona perfectumque bonum è supernis à patre luminum proficiscitur, non cœlitus ea dona ac bona feliciùs impetrare ratio ulla potest, quàm supplex divini nominis invocatio, & adsidua sacrarum rerum meditatio. Ac dum ipse præmissis semper devotissimis precibus, indefesso postea studio allaboraret; ut vitalis ille succus ex sacris Israelis fontibus promanans summo Principi infunderetur, veritatem eloquii illius divini, quod maximum precibus & votis valorem adscribit, singulariter est expertus. Optato enim incremento ad plantationem rigationemque accedente tantum apud Principem institutione eâ præstitum est, ut postmodum selectiorum sacræ scripturæ monitorum & expeditè meminisse & in gravissimis negotiis sapienter uti potuerit.

Hac ergo in functione cum eum dexteritas commendaret, concionatoris aulici secundarii munus ad finitos tutelæ annos Princeps *Casimirus* ipsi demandavit, ut quem pupillus ante suus privatum habuisset, eundem publicum Doctorem sortiretur. Antequam autem munus oblatum aggrederetur, patriam, ætatisque decrepitæ parentes ultimo invisit, honorificeque à summis quibusque in *Silesia* viris fuit exceptus, quorum in numero non solum consules senatusque *Grunbergenses* fuere, verum etiam nobilissimi magnificique viri, *Nico-*

Aulicè diaconi munus suscipit.

Invisit Parentes.

Honorificè excipitur.

Nicolaus à Burckhaus, Georgius à Dyhr, Sebastianus à Schwartz, Iacobus Monavius, & quem ille fautorem & Mæcenatem munificentissimum experiebatur, *Ioachimus à Berge*, cujus etiam eruditissimorum sermonum, quos singulariter cum ipso instituerat, non potuit non sæpè magna cum voluptate meminisse. Et quales illi fuerint, adversaria ejus fuerunt testata. Egerat nobilissimus vir non de laudatissimo suo proposito solum, quo stipendiis per Silesiæ civitates à se constitutis, prospicere per hæredem ipse, executores, examinatoresque vellet; *ut in Reformatione à se susceptâ progressus esset, quid de præsenti Religionis statu judicari posset*, sed varia etiam ἀξιομνημόνευτα recensuerat, quæ in peregrinationibus Imperatoribus *Ferdinando, Maximiliano*, cum illustrissimis Principibus *Friderico III. Philippo Wilhelmoque* Landgraviis aliisque summis hominibus, itemque quæm honorificentissimis legationibus observarat. Inprimis etiam de doctissimis quibusque viris, quæ memorabilia ipse maximè noverat, adduxerat. Inter quæ illud præterire fas non est, quod *Fridericus III.* scisitatus ab ipso fuerat aliquando; *Vrsinum ne nosset, quantique illum faceret?* cumque *eum se nosse & magni facere* respondisset Bergerus, ipse Princeps prudentissimus subjunxerit: *Tanto verò viro patria haudquaquam digna fuit; dicas populoribus tuis, ut multos tales ad me expellant.* Ægrè tandem nobilissimus, eruditissimusque vir *Pitiscum* dimisit & exoptavit secum eum retinere, ut patriæ bono concessa divinitus talenta impenderet. Sed res aliter non ferebant, revertendum erat in Palatinatum, demandatum à Principe munus subeundum, quod & ea fidelitate & felicitate *triennium* pòst obiit, ut Electori fuerit visum, Pastoris aulici munus ipsi dehinc committendum. In cujus quidem officii demandatione, (quod æternitati omninò sacrandum) ipse Princeps in synedrio Ecclesiastico, eum „ jussit, ut *animo imperterrito officii sui rationes exequeretur, ac libere se moneret, sic „ ubi sacræ literæ monendum dictitarent.* Factum id sub annum *nonagesimum quartum*, post quem biennio elapso, in Palatinatum superiorem cum Principe est profectus, & eruditis atque perspicuis concionibus divinorum dogmatum veritatem, non sine gregis Christiani augmento & incremento, docuit.

Elaboravit tum librum, *pro Ecclesiarum Anhaltinarum Reformatione*, de quo hoc fuit eminentissimi Theologi judicium, *à nemine hactenus controversiam de imaginibus tam nervosè, tamque diluciдè pertractatam esse, quàm à Pitisco*, qui quidem, qua fuit modestia, sine nomine suo librum illum edidit. Collegit eodem tempore *constantes Lutheri de servo arbitrio sententias*, quas jussu superiorum evulgavit.

Post reditum è superiori Palatinatu, antiquum obtinuit, officiumque tum docendo tum commentando gnaviter fecit. Inter alia meditatus est tunc aureolum libellum, quem *Confessionem fidei* nuncupavit, in quo brevibus *aphorismis* summam doctrinæ orthodoxæ complexus est, singulosque testimoniis scripturæ invictis ita munivit: ut labor iste fructu suo non caruerit. Operam etiam utilem Ecclesiæ impendit in scriptis illis conficiendis, quibus Germanicarum Ecclesiarum, quæ à Papatu secesserunt, uno quæsita, & controversa Religionis capita planius sunt declarata, quæ tamen scripta quomodo excepta sint, palàm est.

Audiverunt autem ipsum Principes non solum domi agentes: sed etiam peregrè abeuntes adesse sibi cum voluerunt. Itaque cum *Friderico IV.* Electore Palatino in Saxoniam est profectus, eoque mortuo cum Electoratus Administratore illustrissimo Principe *Ioanne* tum aliò, tum ad celeberrimum Principum *Francofurti* conventum abiit, in quo de Imperii Romani capite eligendo actum.

Hoc in officio cum ita inter assiduas curas & labores versaretur, morbum ex obstructione scirrhosâ hepatis mense Aprili, anno *sexcentesimo tertio*, nactus est, quo accedente continua febri, paulatim exhaustus, editis miris patientiæ documentis, inter preces assiduas die *decimo septimo* Julii, mane inter horam *sextam & septimam*, anno ætatis suæ *quinquagesimo secundo* nondum completo, piè in Christo obdormivit. Elatus est die *vicesimo nono* ejusdem mensis funere honorifico, & ad D. Petri sepultus. In obitum ejus Epicedia à viris piis & bonis scripta sunt: de quibus hoc est *Simonis Stenii*:

Ευσεβίη Παύλοιο, ἠδ' Ευκλείδεο μαθησις,
Εν ἑνὶ Πιτίσκου τοῦδε τάφῳ ἐκρύβη.

Hoc est:

Ut Pauli pietas, sic Euclidea matheſis,
Hoc uno Pitiſci occulitur tumulo.

Fuit hic Theologus doctrinæ profundæ, ingenii acris & perspicacis, ipsemet vitæ suæ censor, ne in aliorum incurreret voculas, in docendo & scribendo methodi summè observans: adeò, ut absque ordine nihil dici, nihil disci posse rectè statueret. Et quæ concionatori apprimè est necessaria, tanta usus est semper perspicuitate, tamque dextra ad auditorum usum omnia applicandi felicitate, ut illa quidem laudem ipse summam apud omnes invenerit, in hac verò pares habuerit perpaucos.

Illud vero mirandum, quod homo Theologus, in Mathematum studiis, nullo, nisi se Magistro, eo usque progressus est, ut editis scriptis, disciplinæ illius gloriam magnis Matheseos Professoribus præripuerit. Qua de re cum amicus ei aliquando gratulatus esset, nihil aliud respondit, quàm hoc: gaudete, „ quòd nomina vestra scripta sunt in cœlo. „ *Juvat huc adscribere, quod nobilis ille* Tycho „ *de* Brahe *ad* Conradum Asslachum *de nostro* „ *Pitisco*: Doctissimi, *inquit*, illius Bartholo- „ mæi

Ioachim à Berge.

Colloquia Pitisci cum Bergero.

Gratus Principibus. Peregrè cum iis abit.

Morbus ejus fatalis.

Iudicium de Vrsino.

Quo extinguitur.

Epitaphia ejus à Sten.

Fit Pastor aulicus.

Doctrina & Virtutes

Abit in superiorem Palatinat.

Perspicuitas in docendo & applicando.

Defensio Reformationis Anhaltinæ.

Excellit in Mathematicis.

Redit Haidelbergam

Tychonis de Brahe judicium de eo.

» mæi Pitiſci de triangulis acutum & compendioſum libellum lubens accepi: rogo» que ut illi ex me gratias agas. Optarem, » plures ejusmodi concionatores reperiri, » qui Geometrica gnaviter callerent: forte » plus eſſet in iis circumſpecti & ſolidi judi» cii, rixarum inanium & logomachiarum &c. » minus. Si is mihi aliquando ſcripſerit, » & de iis ſtudiis mecum contulerit, inve» niet reſponſorem non invitum. Hæc ille. Ac ne quis hæc talia ab ipſo tractata exiſtimet, cum officii neglectione, ipſe ſe * alicubi ſic excuſat: *Alii ſchacchia ludunt & talis, ego regulâ & circino, ſi quando ludere datur. Ex eo genere luſus hæc Trigonometria mea.*

*Præfatione in trigonometricum primum.

Scripta vernacula

Scripta ab ipſo edita vernaculè ſunt, *pro Reformatione Eccleſiarum Anhaltinarum*: de *vera fide* ex Martino Luthero: item *Irenicum*: & conſecuta Wirtembergica.

1. Außführlicher Bericht.
2. Anhang.
3. Antwort/der Heidelbergiſchen Theologen.
4. Endliche Uberweiſung.
5. Beſchluß der Uberweiſung.

Latinè edidit: *Antiroſarium*, contra Jeſuitam quendam Moguntinum: *Synopſin Theologiæ* Methodicæ: *Trigonometriam* parvam, item magnam: *Theſaurum* Mathematicum. Nomen optimi viri ejuſmodi anagrammmate aliquando expreſſimus:

Anagramma nominis ejus.

BARTOLOMÆUS PITISCUS

μεταγραμματίζομαι.

MORS JESU SUBITO PLACAT.

Dum peccatorum circumcirca agmina gliſcunt:
Dum tonat offenſi cœlitùs ira Dei:
Dum pice torrentis Stygis obſervatur imago,
Et latus omne timor circat, & omne tremor:
Quid faciat tantis mens obvallata procellis?
Totque malis ubinam territa quærat opem?
Ad Chriſti ſolùm tollat ſacra vulnera vultum:
A Chriſtoque animæ pharmaca ſola petat.
*Mors etenim Ieſu *, noſtra unica cauſa ſalutis,*
*Et cœlum ſubitò placat *, & atra fugat*
Terrorum: redeunt ſuaves in corda reſultus,
Lætitiâ ætheriâ mens animique micat.

*Act. 4. 12.

*Rom. 3. 25.

Tantum de Pitiſco *ex oratione parentali, programmate funebri, elenchis librorum.*

CONRADUS GRASERUS.

⊙. 1613. d. 30. Decemb. ætat. 56. currr.

CONradum *Graſerum* Franciæ orientalis oppidum Königsberg protulit, anno æræ Chriſtianæ *milleſimo, quingenteſimo ſeptimo*, die *ſexto* Maji. Pater ei fuit *Adamus*, mater *Eliſabetha*; è familiâ *Mollerorum*: unde oriundus fuit & inſignis ille Mathematicarum diſciplinarum inſtaurator *Ioannes de Regio monte*: qui, familiæ nomine omiſſo, patriam nobilitavit. Interceſſerunt autem, à natali illius Joannis *Regiomontani*, ad natalem hujus Graſeri uſque, anni circiter 121. ab obitu autem *centum triginta ſex*, ad obitum Graſeri.

Parentes.

Ioanni Regiomontano Graſeri cognatus.

Primùm in patriâ ſcholâ operam literis dedit, & inter cæteros Præceptores habuit *Paulum Schedium Meliſſum*, Poëtam poſtea celeberrimum. Fuit deinceps etiam aliò ad trivialem ſcholam miſſus. Tandem anno ætatis ſuæ *decimo quinto*, qui fuit à nato Chriſto *milleſimus, quingenteſimus, ſeptuageſimus ſecundus*, Lipſienſem in Academiam ſe contulit, in qua difficultate victûs compulſus, Advocato cuidam operam ſuam, in deſcribendis actis & materiis litium Juridicarum, addixit. Cum verò aliquando illius Advocati quidam clientes in abſentiâ patroni ab amanuenſi *Graſero* conſilium, in ſua cauſa difficili, & longo tempore in judicio pendente, exquiſiviſſent, & exitum cauſæ ſuæ, qualiscumque ille futurus, anxio animo exoptaſſent: *Graſerus* tale iis conſilium ſuppeditavit; quod litibus illis finem citò impoſuit. Id ubi reſciviſſet Advocatus ille, domum reverſus, cœpit *Graſero* iſtam animi ſinceritatem & candorem exprobrare: *Situ*, inquit, *ita agere, ô bone! cauſas perrexeris, non multum proficies, neque aureos montes lucraberis.* Graſerus perculſus hoc nobiliſſimæ artis ad avaritiam & φιλαργυρίαν abuſu, ab Advocato bonâ gratiâ diſceſſit, & ſtudio *Iurisprudentiæ*, in quo jam non contemnendos progreſſus fecerat, ſepoſito, *Theologiæ* deinceps incumbere cœpit. Cum verò ſine linguarum eruditarum, *Hebraicæ* inprimis, deinde & *Græcæ* cognitione ſe Theologiæ myſteria non poſſè perſcrutari videret, has veluti inſtrumentarias addiſcere conatus fuit.

Lipſiam ſe conferi.

Addicit operam Advocato.

Diſcedit ab Advocato.

Theologiæ ſe addit.

Profectus deinde *Lipſia* in Academiam Marchiam, *Francofurtum* ad Oderam, ibi inter alios Theologos *Chriſtophero Cornero* familiariter uſus fuit. Verſabatur tum temporis *Sabbatharius* quidam in eadem Academia *Matthias Helvius*, Hebrææ linguæ benè peritus. Hujus opera uſus non modò in illa Academia, ſed poſtea etiam *Thorunii*, in officio Eccleſiaſtico jam conſtitutus, tantum in eâ linguâ profecit, ut cum peritiſſimis ejusdem certare poſſet. Quo ſanè facto egregiam ab omnibus φιλελλήνοις laudem iniit *Graſerus*. Nam & ſancta ea eſt lingua, & cuivis Theologiæ ſtudioſo neceſſaria. Etſi enim monumenta *Apoſtolorum* & *Evangeliſtarum Græca* ſunt, tamen phraſis eſt Hebraica. Itaque rectè dixerunt veteres: *Hebræos bibere ex fontibus*: *Græcos ex rivulis*: *Latinos ex lacunis.*

Abit Francof. ad Oderam. Matthias Helvius.

Hebræa lingua præſtantia.

Poſtquam deinde *Thorunii* in novo oppido ex obitu *Ioachimi Gerſtencorni*, officium Eccleſiaſticum vacaret, itemque alius locus in veteri

Ioachim Gerſtencornius.

veteri oppido fidelem Ministrum verbi & Sacramentorum desideraret: Thorunienſis Reipub. Senatus ad Rectorem & Profeſſores Academiæ Marchiæ, ex qua, utpote Boruſſiæ, inprimis verò Thoruniæ maximè vicina, Eccleſiæ ſcholarumve Miniſtri plerumque vocari ſolebant, literas dedit, quibus ad Eccleſiæ ſuæ redintegrationem viros pios, doctos, & moderatos expetivit. Ibi duo Thorunium miſſi fuerunt; *Schutzius* & *Graſerus*, quorum alter ſine exploratione recipi voluit, alter *Graſerus* nimirum, ſuam concionem judicio Magiſtratus & Eccleſiæ ſubjecit, atque ita fretus divino auxilio officium ſuſcepit.

Thoruniã mittitur.

Eccleſiæ ibi præficitur.

Miniſterio ergò Evangelii initiatus in Academiâ Marchicâ, abivit Thorunium, ubi ſuo in officio ita verſatus fuit, ut exemplar vivum veri Theologi eſſet. Cumque in viſitatione ægrorum, & ad emigrationem ex hac vita beatam præparatione deprehendiſſet, controverſias illas Theologicas, quæ ſcientiam quidem inflantem pariunt, conſcientias verò fluctuantes non ſedant, quæque hodie magna animorum contentione agitantur, & magnos tumulus in Rebuſpub: excitant, nullum prorſus uſum habere, quin imò conſcientias ſimpliciorum, non aliter ac olim in Papatu humana figmenta intricare, cœpit ab eis toto animo abhorrere, & in publicis concionibus tantum ea proponere, quæ ad fidem ſalvificam in Chriſtum accedendam, & ad pietatem veram juxta verbum Dei exercendam, veramque conſolationem in vita & morte præſtandam faciebant. Et quia *Papatus* ſub ementita larva *Eccleſiæ*, ſubque aſtutè excogitato *Principatus*, *Primatus*, vel *vicariatus* figmento, quibusdam dictis per vim ex ſacris literis detortis ſimpliciorum animos effaſcinat, & ex fidelibus nonnullis terrorem incutit, dum interdum non ſine fatali ſucceſſu, quietas Reſpub. turbat & evertit; ut piis ſibique ex verbo Dei certam firmamque conſolationem afferret: *Prophetiam Danielis & Apocalypſin Ioannis* Evangeliſtæ & Apoſtoli enucleandas ſibi propoſuit, & inde triplex ſcriptum in publicum diverſis temporibus emiſit: de quo poſtea.

NB.

Abhorret à diſputationib.

Papatus faſcinum.

Danielem & Apocalypſin explicat.

Non ſolùm autem publicè in templo officium fidelis diſpenſatoris myſteriorum Dei obivit, ſed etiam in *Gymnaſio Thorunii*, recens tunc, auſpiciis *Henrici Strobandi* Scholarchæ, & ejus collegarum, à Senatu illius Reipub. aperto erectove. In eo enim *linguam ſacram*, & *hiſtorias* profeſſus, multos fideliſſimè, quantum per valetudinem potuit, erudivit. Reipubl. etiam operam eximiam, nunquam tamen niſi requiſitus, præſtitit, tum præſertim, cùm Regni proceres, afflicto Reipubl. tempore, patriâ laborante de recuperandâ, & impoſterum ſtabiliendâ pace conſultarent. Quin ſæpè in rebus dubiis conſultus, ſalutaria monita, quæ ejus fuit prudentia, & animi judiciique acumen, ſuggeſſit, felici plane ſucceſſu & eventu.

Decet etiam in Gymnaſio.

Verùm ut in aliis, ita & in ipſo completum illud vatis fuit: *Virgil.*

Optima quæque dies miſeris mortalibus ævi
Prima fugit: ſubeunt morbi triſtisque ſenectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Morbo enim arthritico obnoxius diu fuit, quem ille quidem cenſebat huic ultimæ mundi ſenectæ fatalem, cùm temperantiâ ſuâ illum neque præcavere, neque ab eo liberari poſſet. Sic enim iſte morbus eum impedivit, ut officio citra animi moleſtiam fungi ſuo integrum ei non eſſet. De die verò in diem incrementum ſumſit, donec tandem omnem & pedum & manuum uſum ademit. Interea nihilominus liberaliſſimè à Senatu ſuſtentatus fuit: uti ipſius officia & diligens ſtudium, hoc jam antè promeruerant. Quotieſcunque autem cibus, graviter jam corpuſculo à podagricis fluxionibus contracto, & quaſi diſſoluto, illi capiendus erat, è lectulo fatali in ſellam collocatus ad menſam deferebatur. Incedere enim ipſe, aut ſe loco movere non poterat. Cùm paulò ante obitum pedes imos intumuiſſe ſibi videret, & ex interiori quodam amico quæreret, *an non hoc eſſet hydropis principium?* isque reſponderet, *ſibi prorſus ita videri:* ibi *Graſerus* lætabundus in hæc verba prorupit: *Euge, DEO ſit laus & gloria! quòd jam mea inſtet liberatio & horula gratiſſima.* Adeò pertæſus miſeræ vitæ ſuæ, & dolorum podagricorum fuit; cupivitque cùm Apoſtolo tandem *diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, Domino & Servatore ſuo.* Hujus ſui voti tandem compos factus, penultimo die anni *milleſimi, ſexcenteſimi, decimi tertii*, ſtylo Juliano, ex hac lacrymarum valle & miſeriarum Oceano, in cœleſtem patriam emigravit, & placidè abiit.

Arthriti. de laborat.

Fit podagricus.

Alacritas ad mortem.

Moritur.

In vivis adhuc dum eſſet, teſtamento caverat, ne corpus ſuum exanime, magnâ cum pompâ funebri, aut cum aliquo ſplendore, ſed ſimpliciter, honeſtè tamen, & non in aliqua *Baſilica*, loco videlicet olim ab Idolis & Idololatris profanato, ſed in communi cœmiterio extra urbem ſepeliretur, quod minimè in templis convenire exiſtimaret mortuorum cadavera collocari, in quibus vivos homines ad cultum Deo præſtandum, convenire tantùm decet. Præterea ſuperſtitione non caruit unquam illâ in Baſilicis ſepeliendi conſuetudo. Itaque ſepultus eſt in cœmiterio extra urbem ad ædem D. *Georgii* publicè, quod nuper ad imitationem aliorum in Germania cœmiteriorum extructum. Cui Epitaphium lapideum, deauratis literis exornatum, ſpectabilis vir *Ioannes Zimmerman*, Senator Reipub. Thorunienſis, cum aliis amicis, memoriæ viri, præclarè de Eccleſiâ, ſcholâ, Republ. Chriſtianâ meriti, erexit. Epitaphium eſt ejusmodi:

In templis an mortui ſepeliendi.

Epitaphium Graſeri I. Zimmerman.

CONRADUS GRASER
REGIOMONT. FRANCUS.
HIC JACET:
MILES JESU CHRISTI STRENUUS;
ET IN EJUS
ADVERSARIUM
SPIRITU, ORE, ET CALAMO VIGILANTISS. IS CURSU MILITIÆ SUÆ FELICITER ABSOLUTO; GRAVIBUSQUE QUI IN HOMINEM CHRISTIANUM CADERE POSSUNT, EXANTLATIS LABORIBUS, TANDEM IN HOC CAMPO PLACIDE OCCUBUIT, BRABEUM QUOD JUDEX ILLE GENERALIS, IN EXTREMO JUDICIO, SUIS DISTRIBUET, EXSPECTANS:
CUJUS MEMORIA SIT IN BENEDICTIONE, SORSQUE ILLIUS INTER FILIOS DEI NUMERETUR,
TANTUM DIC, VIATOR, ET ABI. MILITARE DESIIT III. CALEND. JANUARII ANNO M. DC. XIII. AD VII. VESPERTINAM, CUM VIXISSET ANNOS LVI. MENSES VII. D. XIV.
MONUMENTUM HOC EI P. P A. A.

Virtutes ejus. Verè fuit, ut monumentum perhibet, *Christi miles strenuus* in hostes Evangelii, mitis autem Pastor suæ curæ comissarum ovium, humanus, ἀπέρωχος, & officii sui satagens, id quod paucula hæc exempla declarant. Fuit pater quidam de *Societate*, uti vocant, *Jesu*, is, ut erat impudens, & perfrictæ frontis homo, ad *Graserum* venit, collaturus cum ipso de *Bibliorum textu Hebraico*, quem depravatum esse nec authenticum posse haberi, contendebat. *Graserus* libenter collationem illam amplexus, voluit audire, quidnam pomposus pater in medium esset prolaturus; petentique Biblicum textum, porrexit Biblia Hebraica non punctata, ut vocant. Pater ille codicem ita accepit, & in evolutando occupatus fuit, ut summa imis commutaret, inversamque scripturam Hebraicam, quia fortè ejus aut rudis, aut leviter saltem peritus fuit à recta dignoscere non posset. Spectator istius arrogantis impudentiæ fuit quidam discipulus *Graseri*, qui adhuc in vivis, is risum tenere non potuit, sicut & *Graserus* vix suppressit. Nobilis, quocum pater ille venerat, hoc animadverso; patrem monuit, ut abiret. Videbat quippe eum ludibrio ob arrogantem imperitiam Hebraicæ linguæ haberi. Ita appetitus est etiam ab iis, qui inferiores ipso eruditione erant, expositus variis impotentum hominum injuriis. Nam cum lineamenta facici ipsius fefellissent aliquando nobilem quendam Polonum, benè potum, obvio Grasero, dum Judæum putat, colaphum impegit, quem Graserus quieto animo nec ullius vindictæ cupido accepit tulitque.

Disputatio de textu Biblior. Hebræo, an depravatus.

Colaphum accepit.

Narravit præterea sæpè, canonicum quempiam Herbipolensem in Franconia adeò audacter & protervè suam suorumque felicitatem jactasse; ut dixerit: *Si Lutherus adhuc triginta circiter annos emansisset, nos spirituales Domini eò rem deduxissemus, ut rustici quidem coacti fuissent stramine & fœno vesci, & spiritualibus non nisi capones in ædes afferre, nobiles autem & proceres coacti fuissent ocreas nobis spiritualibus purgare & arvina ungere.* De numiis Theologorum divitiis hoc sentiebat; *eas bona ratione non posse acquiri, nec bona conscientia possideri*; idque dixit tum temporis cum ei quidam narrasset, non neminem Theologorum in Germania *triginta* circiter *millia florenorum* reliquisse.

Canonici jactantia.

De divitiis Theologorum sententia Graseri.

Scripta posteritati elucubravit profutura, ut sunt: *Historia Antichristi illius magni*, quam amplissimo & propriis virtutibus non minus, quam generis nobilitate conspicuo viro *Henrico Strobando* seniori Reipub. Thorunensis proconsuli & Burggravio Regio, nuncupavit. Hic *Strobandus* Grasero ad studia Theologica accuratius excolenda autor fuerat, dum cunctanti institit, suaque exhortatione acres stimulos addidit. Deinde, doctrinæ quæ eo in scripto explicatur, tùm quando in schola publicè tradebatur, non solum attentus auditor, sed argutus etiam censor fuerat, deque locis aliquot non inutiliter ipsum monuerat. Præterea ex suo penu literario ad hæc ipsa felicius perficienda, omnia ipsa liberaliter suppeditavit, quæ ad certiorem judicii informationem momenti aliquid habitura intelligebat. Deinde edidit & *plagam regiam* seu *explicationem Apocalypseos*, in qua etiam transactam historiam proponit, & adhuc magis horrenda, quæ à Papatu Ecclesiæ Christi eventura sunt, fata prædicit. Quod scriptum *Casparus Waserus* Professor sanctarum linguarum in schola Tigurina consscio & volente autore *Jacobo* Magnæ Britanniæ, Franciæ, Hyberniæque Regi, dedicavit. Quia verò Graserus in eo scripto Papatus historiam fundamentaliter proposuit, adeò, ut nemo non videat, quod fatalis fuerit defectio Ecclesiæ à veritate cœlesti ad Antichristi figmenta, & tyrannidem, doluit hoc Jesuitis, proinde inventus fuit elumbis & enervatus quidam Sophista è Blasphema nigrorum Monachorum Societate, qui splendido titulo refutationem *plagæ regiæ* pollicitus, meras calumnias & nugaces bonorum virorum insectationes congessit. Hæc verò duo scripta revisa fuere & aucta ab ipso autore, & suo tempore lucem sunt visura, ut & alia. Exstat præterea scriptum, cui titulus *Conradi Graseri ultima verba*, in quo ostendit Jesum Christum Filium Dei & Mariæ virginis esse verum illum promissum Messiam, qui jam venit, & officium suum pro mundi vita moriendo absolvit. Hoc inscripsit tribus primariis regalis Borussiæ civitatibus *Thorunio, Elbingæ & Gedano*. Edita est & *oratio de lingua sancta addiscendâ*, quam sub initium lectionum in

Scripta.

Henr. Strobandi de eo in literorum vitis.

Plagatrgia.

Monachorum vita.

Gymna-

Gymnasio Thorunienſi habuit. Scripſit & alios tractatus, qui adhuc in pluteis Bibliothecæ ejus, quæ hæreditario jure ad filium patri cognominem, Rectorem Gymnaſii *Thorunienſis* pervenit, continentur: *Liber* nimirum *generationis Edom*, Hebraicè & Latinè: Item de *Principiis cæcitatis Iudaicæ* tractatus, & liber *fundamentorum Rabbi Ioſeph Bar Albonis*, quem ex Hebræo latinitati donavit. Scripſit & refutationem *Ioannis Vberi* Jeſuitæ de Eccleſia & verbo Dei, quæ omnia nondum prælo ſunt ſubmiſſa, poterunt autem ſuo tempore ſubmitti. Contulit etiam ſuper quibusdam verſionis Biblicæ locis cum D. *Ioanne Piſcatore*, qui libenter in *Graſeri* ſententiam admonitus ab eo inclinavit.

Nondum edita.

Ioan. Vber Ieſuita.

Tantum de Graſero ex narratione M. S. de vita & obitu ejus, ab amicis transmiſſa.

ANDREAS BAVDISIVS.

©. 1615. d. 3. Ian. ætat. 58. curr.

ANdream Baudiſium Vratislavia, Sileſiorum caput, edidit honeſtiſſimâ in familiâ natum patre cognomine, cive urbis illius, matre *Annâ Neugebauerâ* matrona piiſſima, anno Chriſti *milleſimo, quingenteſimo, quinquageſimo ſeptimo*, die *tertio* Junii. Parentes iſti, cùm ſcirent *fundamentum* * *omnis felicitatis eſſe rectam liberorum inſtitutionem*, tenello filioli ſui animo pietatem ac virtutem cum ipſo materno lacte inſtillarunt, & ut primùm per ætatem potuit, in ludum literarium miſerunt, ubi indoles ejus ſtatim ſeſe prodidit.

Parentes. Educatio. * Plutarch. περὶ παίδων ἀγωγῆς.

Tanta enim diligentia ad ſtudia literarum incubuit, Magiſtris viris illis celeberrimis & juventutis feliciſſimis informatoribus, *Andrea Wincklero* & *Petro Vincentio*: ut anno *milleſimo, quingenteſimo quinto*, de conſilio præceptorum illorum, ad Academiam *VVittembergenſem* à patre miſſus fuerit, ubi non ſolum, ut teſtimonium ab eo, qui tum Rectoris fungebatur officio, *Ioachimo à Beuſt*, J. U. D. perhibitum docet, diſciplinis Philoſophicis operam cum fructu navavit, ſed inprimis ad Theologiam animum totum applicavit. In quo ſtudio ut felicius progredi poſſet, convictu *Ioannis Avenarii* Theolog. D. ſtatim, ſimul ac eò venit, uſus eſt. Et quamvis altero ſtatim, quo in ſcholam publicam venerat anno, parentem amiſerit, tamen inchoatam ſtudiorum telam ipſe minimè abrupit. Literas enim perinde ut & alia, qui ſemel verè amare ceperit, odiſſe deinde nunquam aut reliquiſſe poteſt.

Wittembergam mittitur.

Peregrinatur.

VVittembergæ ergò cum in ſtudiis transmiſiſſet tempus ad annum uſque *milleſimum quingenteſimum ſeptuageſimum octavum*, inde diſcedens præcipuas Germaniæ Academias perluſtravit: inque aliquibus earum aliquot annos, augendæ doctrinæ gratia, ſubſtitit. *Humiles* enim *animæ domi reſident, divinior cœlum imitatur, motuque gaudet.* In literaria ergò iſthac peregrinatione ad clariſſimorum tunc temporis Theologorum, quo fine primario ipſi iter inſtitutum; notitiam amicitiamque ſe penetravit, fuitque omnibus, qui virtutem & doctrinam ejus norant, gratiſſimus, & jam ab hoc in convictum, jam ab alio ad reſpondentis locum, in diſputationibus Theologicis ſuit invitatus, à non nemine *ſuus Sileſius* appellatus, adeoque, ut ex amicis nonnulli retulêre, ultro ei duabus in Academiis Doctoratus Theologici honos fuit oblatus, quem tamen ſuo conſilio, modeſtè ipſe recuſavit. Nimirum ita eſt ut optimus poëta * canit:

* *Claud. in conſolat. Manli.*

Ipſa quidem Virtus pretium ſibi, ſolaque latè
Fortunæ ſecura nitet; nec faſcibus ullis
Erigitur, plauſuve petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animoſa ſuis, immotaque cunctis
Caſibus, ex alta mortalia deſpicit arce.
Attamen invitam blandè veſtigat, & ultrò
Ambit honor, docuit toties à rupe profectus
Lictor, & in mediis conſul quæſitus aratris.

Redit ad ſuos.

Jactis ergo feliciter ſtudii Theologici fundamentis, in *novennali* Academica *peregrinatione*, in patriam, anno *octogeſimo tertio* rediit. Quo ſimul ac venit, ſingulari DEI providentia factum eſt, ut in Ducatu Lignicenſi conditio ei Eccleſiaſtica *Nicolſtadii*, à Magiſtratu legitimo fuerit oblata, quam vocationem tanquam divinam agnovit. Cum igitur eo ipſo anno illud adiiſſet officium à D. *Leonhardo Krentzhemio*, inſigni Theologo & Chronologo, Ducatus *Lignicenſis* tum Inſpectore, ſolenni manuum impoſitione inauguratus eſt, cum cujus filia etiam ſimul *Catharina*, virgine lectiſſima, eodem tempore nuptias celebravit, quam ſibi ſuperſtitem viduam, ut dicemus, reliquit. Factum id anno *milleſimo quingenteſimo octuageſimo quarto* ipſis Calendis Maji. Eodem ſtatim anno tribus menſibus poſt à ſenatu *Lignicenſi* Diaconatus ei officium ad D. *Petri & Pauli* oblatum eſt, cui ipſum *novennium* præfuit, oves Chriſti fideliter paſcendo, & pedo verbi divini ſalutariter regendo.

Mitiatur miniſterio Eccleſiæ.

Leonhard. Krentzh.

Ducit Vxorem

Lignicii fit diaconus.

Anno deinde *milleſimo, quingenteſimo, nonageſimo quarto* à ſenatu *Trautenavienſi* invitatus fuit, ad Paſtoris officium ibidem ſubeundum. Sed cum paulo poſt & ferè ſub idem tempus ab illuſtriſſimo Principe *Petro Wockio Reſenbergio*, poſtremo ejus familiæ, *Cromavium*, oppidum Bohemiæ evocatus eſſet, ut ibidem Eccleſiam Auguſtanæ Confeſſionis, in medio Papatu inſtauraret, & Evangelii lucem eò transferret, habita deliberatione, vocationem priorem abnuit, & Cromavienſem, quæ in caſtris ad *Preſburgum* data erat, ſecutus eſt. Itaque nihil remorante itineris longitudine, admirabilem Dei agnoſcens & amplectens providentiam, eò cum familia commigravit. Divinæ ſunt etiamnum vocationes ducendæ, quæ legitimo vocante magiſtratu, ſine αὐθαδείᾳ, aut φιλοψυχίᾳ ſtimulante, aliisque de cauſis, ſuſcipiuntur.

Vocatus Trautenaviam. Et Cromavii à Principe Roſenbergico, Petro Wockio.

Eò commigrat.

Vocationes divinæ.

Docet in templo & schola.

Cromavii ergo, DEO labores ejus fortunante, & in templo Evangelico auditorium habuit frequentissimum, & in ludo egregie instituto discentium multitudinē copiosam; quorum neutrum ibi unquam fuerat ante conspectum: id quod ipse *Baudisius* inter præcipua, quæ Deus suo ministerio effecisset, grato animo agnovit, & memoria sermoneque frequenti prædicavit. Expertus est ibi non modò singularem ipsius Principis erga se favorem; sed etiam præcipuum quendam auditorum amorem, qui sanè ut olim *Galatæ* erga *Paulum*: ita & ipsi erga *Baudisium* fuerunt affecti: ut, si opus fuisset, oculos etiam ipsius causa eruturi, ipsique daturi fuissent.

Vocatur à Ioach. Frid Princip. Silesia.

Sed quid fit? dum ita magno cum successu Evangelii præconem agit: anno *millesimo quingentesimo nonagesimo nono*, à reverendiss. juxta & illustrissimo Principe *Joachimo Friderico*, *Duce Lignicensi & Brigensi*, *Magdeburgensis Archiepiscopatus Præposito*, literis honorificè scriptis revocatus; tandemque à Principe *Rosenbergico* impetratus est.

Fit Lignicii Pastor & Inspector.

In Silesiam igitur reversus *Inspector generalis* ab ipso quidem Principe ducatus Lignicensis Ecclesiarum: à senatu verò oppidano Pastor ad D. *Petri & Pauli* constitutus est. Et sanè hanc etiam vocationem, ut inopinam ita divinam esse, ipse *Baudisius* ratus, exemplo D. *Jacobi Patriarchæ* sese consolatus est: quem etiam in regionem à patria procul dissitam, in *Mesopotamiam* nempe, ire Deus jussit; tandem verò in patriam, *terram Cananæam*, reduxit: simul etiam Deum serio invocavit: ut in munere tam arduo Spiritus sui sancti gratia sibi adesset; ut doctrina salutari erudire suos auditores, & disciplina Ecclesiastica ita regere posset in terris: quo aliquando cum iisdem in cœlis æternum viveret.

Et Wolavienſis ducatus.

Eodem anno à Principe *Joachimo Friderico* ministerio totius ducatus *Lignicensis*: & postea anno *millesimo sexcentesimo decimo quarto*, mense Martio, jussu illustrissimi Principis *Georgii Rudolphi*, *Ducis Lignicensis ac Brigensis*, etiam *Wolaviensis ducatus* ministris Inspector datus est, publicè oratione à præfectis & consiliariis dicta.

Fides ejus & industria.

Hoc in munere ita versatus est: ut & fidem suam Deo ac magistratui abundè probarit: industriam, studium, ac diligentiam à se desiderari passus sit nusquam. Et quid quantumve Deus per hoc organum in sacro ministerio effecerit; res ipsa hodieque loquitur. Nam ut alia latere nunc patiamur, initiavit ipse sacro ministerio, dum *Lignicii* egit, *ducentos viginti duos*; (inter quos & filius ejus,) candidatos sacri ministerii: quorum multi in vicina regna ac finitimas provincias, *Lusatiam* dico, *Moraviam*, *Poloniam*, *Boemiam* & *Ungariam* usque evocati emissique fuere. Ita nempe etiamnum Christus, sedens ad dexteras patris, constituit suos *Evangelistas, Pastores & Doctores*, ad ædificationem corporis sui mystici, quod est Ecclesia.

Cum ita Baudisius certamen bonum decertasset, cursumque suum absolvisset, anno *sexcentesimo decimo quarto* exeunte ante Cal. Januarias febri corripitur, ad quam & pleuritis accessit. Nulla tamen hujus habita ratione, cum speraret brevi, ut antehac, discessurum malum, concionem ordinariam habuit, eâ cum virium declinatione; ut non tam venti, quàm morienti fuerit similis in suggestu conspectus. Cum itaque facilè, secum habitans, colligere posset: morbum supremum, imò horam adesse: maturè sese precibus, tum publicis aliorum, tum privatis suis ad beatum ex hâc vitâ exitum paravit. Sequenti die cum morbus ingravesceret, præsertim de nocte, preces ipsi præivit conjux, animadvertens ἀγῶνα jam instare ultimum. Precibus finitis, *jam satis est*, inquit, cumque dicto se quasi ad somnum componit; placidèque exspirat, cæteris vix quicquam animadvertentibus adstantibus: cum vixisset annos *quinquaginta septem, unam & triginta* hebdomadas, in ministerio autem *triginta duos* annos cum Ecclesiæ incremento transmisisset. Elatus est honorifico funere, convocatis omnibus ducatus utriusque *Lignicensis & Wolaviensis* ministris, sepultusque in templo, ubi conciones sæpè efficacissimas habuerat, die *duodecimo* mensis Januarii, addito ad tumulum Epitaphio tali:

Mortis fatalis.

Moritur.

Funus ejus.

Monumentum.

REVERENDA DIGNITATE CLAR. ET AMPLISS. VIRO ANDREÆ BAUDISIO URATISLAVIENSI: THEOLOGO GRAVISS. ECCLESIAR IN DUCAT. LIGNICENS. ET WOLAVIENS. ULTRA XV. ANNOS SUPERINTENDENTI B. M. CONSIST. ILLUSTR. ADSESSORI PRIMARIO, VERITATIS ET PACIS ECCLESAST. ADSERTORI FELICISSMO:

QUI POSTQUAM NICOLSTAD. PRIMUM, POST LIGNICII, INDE CROMLOV. ET RURSUM DENIQUE LIGNIC. ECCLESIÆ MINISTERIO ET GUBERNATIONE AD ANNUM USQUE XXXII. FIDELITER LAUDABILITERQUE FUISSET PERFUNCTUS, HONORUM LABORUMQUE SATUR, JUCUNDA NOMINIS SUI MEMORIA PUBLICE PRIVATIMQUE RELICTA,

CUM

CUM FIDE AD CHRISTUM MIGRAVIT, ANNO EJUSD. M DC XV D. III. M. JAN. CUM VIXISSET ANNOS LVII. M. VII.

CATHARINA KRENTZHEMIA MARITO, ET ROSINA, LEONHARTUS, ANDREAS, DANIEL, GOTFRIDUS, DOROTHEA, LIBERI SUPERSTITES, PARENTI AMANTISS. DESIDERATISS. Q. EXTREM. PERSOLVENTES DEBIT. M. H. M. M. P. P.

Virtutes ejus.

Fuit Theologus eruditione, integritate vitæ, humanitate, & fide præstans: qui pacem Ecclesiasticam salutariter pro virili asseruit: quemque amore ac honore pii quique & boni viventem prosecuti sunt: defunctum affectu desiderioque prosequuntur: nec immeritò. Fuit enim Pastor Ecclesiæ legitimè vocatus; doctrinæ suæ certus: διδακλικὸς; qui tenuit ὑποτύπωσιν ὑγιαινόντων λόγων, in fide & charitate: officii sui fategit, ut fidelis œconomus mysteriorum Dei. In supremâ senectâ cum res ipsi non cum uno esset morbo, & à collegis atque amicis, uti rationem valetudinis haberet, moneretur: *faciam*, inquit, *officium, dum potero; etiamsi mortem mihi concionando accelerem.* Hoc est: *Imperatorem oportet stantem mori.* Ita & evenit: quatriduo enim ante emortualem diem concionem habuit funebrem.

Privata vita.

Privata ejus vita plena fuit exemplorum pietatis, sobrietatis, concordiæ, modestiæ, patientiæ, in morbis variis ac sæpè diuturnis.

Conjugii.

In conjugio vixit fecundo & tranquillo, unum & triginta annos, relictis superstitibus filiis *quatuor*, filiabus *binis*, cum matre vidua.

Ex concione funebri, habita à Simone Grunæo, & ex carminibus epicediis.

PHILIPPUS HEILBRUNNERUS.

Q. 1618. d. 17. April. St. N. ætat. 70.

EDitus est hanc in lucem *Philippus Heilbrunnerus*, *Lauffæ* ducatus Würtembergici oppido, anno Christi *millesimo quingentesimo quadragesimo sexto*, die ultimo Junii. Patrem habuit *Hieronymum*, natum anno *vicesimo secundo*, tunc illius oppidi pastorem: cui postea *Entzuailingam* translato, *Specialis*, ut vocant, munus fuit demandatum. Obiit is ibidem anno *sexagesimo quarto*, supra *millesimum quingentesimum*. Avus paternus nostro huic cognominis, præfuit Ecclesiæ *Auracensi*: tandemque, emeritus Christi miles, rude donatus est.

Hieronym. Heilbrunner pater.

Obitus ejus. avus.

Educatio.

Parens igitur, cùm animadverteret in filiolo nondum infantiam egressò ingenium ad studia aptum: maturè literarum primis imbuendum elementis curavit, primum in patria schola Præceptore *Bartholomæo Heilero*, deinde *Vahingæ* sub *Simone Schladerero*. Postea ne quid remoræ puero objiceretur, *Stutgardiam* illum ablegavit: ubi Præceptore usus *Joanne Wackero*, eos in literis fecit progressus: ut jam tum quasi in flore futuræ doctrinæ ac virtutis fruges apparerent.

Mittitur Stutgard.

Adscribitur alumnis Wirtenbergici. Eberh. Bidenb.

Quamobrem in Principis Wirtenbergici *Christophori* alumnorum numerum adscriptus, primùm *Murharti* sub magistro *Joanne Roslero* vixit: exinde *Bebenhusium* translatus ejus monasterii tunc abbatem D. *Eberhardum Bidenbachium* Præceptorem habuit, præter *Joannem Resmannum*, & *Wolfgangum Reinclium*. Bebenhusio *Tubingam* venit anno *sexagesimo secundo*, mense Februario: ubi in Philosophicis audivit *Georgium Liblerum*, *Samuelem Heilandum*, *Joannem Mundlinum*, *Georgium Hizlerum* & *Martin. Crusium*: in Theologicis *Jacob. Andream*, *Jacob. Heerbrandum*, *Theodoricum Snepfium* & *Ioannem Brentium*. His omnibus & singulis Præceptoribus suis eam in discendo probavit diligentiam, vitæque ac morum elegantiam, ut omnes suo ipsum favore dignum judicarent. Itaque anno *sexagesimo sexto* publico ipsum Academiarum more, testimonio, quod Philosophiæ magisterium vocant, Tubingenses ornarunt: ornatoque *Repetentis* munus demandarunt.

Venit Tubing.

Creatur magister.

Repetens constituitur.

Hisce ergo jactis eruditæ doctrinæ, ac Principum linguarum fundamentis, animum ad studium S. Theologiæ, ad quam natura ferebatur, penitus applicavit, totumque isti studiorum generi sese mancipavit. Et verò id rectissimo atque saluberrimo consilio fecit; ut cuilibet certum vitæ ac studiorum genus maturè eligendum, & constanter est persequendum.

Theologiæ se addicit.

Cum itaque non solum in auditoriis; sed & in concionibus assiduus atque frequens esset; primamque concionem publicè *Eslingæ*, quo Academia pestis causa secesserat, habuisset: post examen acre ordinatus est diaconus *Bitikhemii*, unde anno vix exacto *Lustnaviam* haud procul *Tubinga*, translatus pastorque est constitutus. Eo loco cum esset, atque Theologiæ & Theologicorum doctorum desiderio flagraret; solitus est è vicino pago *Tubingam* itare; lectionum & disputationum Theologicarum causa; nec se vel viæ incommoditate, vel aëris inclementia ac tempestate ulla, à proposito retardari passus est: adeò quidem, ut ipsimet Professores & inter eos Snepfius eum fuerint dehortati; quibus ille respondit: *se usurum occasione, quam fortè non semper esset habiturus.* Et verè id, non solum ex monitis sapientum, sed clarissimis exemplis Philosophorum veterum, inprimis illius Euclidis, de quo res nota.

Primam concionem habet.

Audit Theologos è pago excurrens.

Lustnavia *Bernhusium* anno *septuagesimo primo* translatus diœcesecos *Stutgardianæ*: ubi ad gubernacula Ecclesiastica adhibitus, Pastorem egit gnavum ac fidelem. Anno verò *septuagesimo quarto* permissu *Ludovici* Ducis Wirtembergici *Lavingam* commigravit: ubi ei à *Philippo Ludovico*, Comite Palatino Rheni, publica Theologiæ in Lavingano Gymnasio, professio est demandata. Hic quæ antè & à doctoribus suis hauserat, & privatâ diligentiâ ac industriâ comportarat, fideliter aliis impertivit, & Spartam, quam nactus erat, pro virili exornavit, tum sacra explicando, tum exercitationibus & disputationibus Theologicis frequentandis: adeò ut multos præstantes viros reliquerit suæ quondam disciplinæ alumnos. Quâ ex re ipse *Heilbrunnerus* eximiam cepit voluptatem: non secus ac hortulani arbores aut plantas sua manu satas feliciterque fructum ferentes conspicati.

Lavingam migrat.

Professor ibi designatur.

Cum autem omnes officii sui partes explere cuperet; non tantum auditores voce vivâ in cathedra erudivit, & sacris disputationibus exercuit: rudimentaque linguæ Hebrææ perspicuè tradidit: sed etiam contra adversarios *Pontificios* & *Calvinianos* multa scripsit: quorum quædam in lucem edita, quædam in pluteis librariæ ipsius delitescunt. Consultus insuper de controversis capitibus aliisque negociis, responsa non pauca dedit: & cum non Professor solum, sed & Scholarcha esset; eam in curam incubuit: ut discentes non literis modò fideliter erudirentur; sed & disciplinæ freno in officio acriter retinerentur. Duabus enim istis salus Gymnasiorum nititur: *institutione & disciplinâ.*

Labores ejus eo in officio.

Salus scholarum in duobus consistit.

Cæterum cum hoc ordinario in schola docendi officio conjunctum fuit extraordinarium quasi docendi munus in Ecclesia: nec ipse tantum conciones in primaria Lavingani oppidi æde habuit: sed etiam eas conciones, quas publici auditores diebus festis in collegio de more frequentant, elimavit. Præterea totus in hoc fuit; ut *Bibliotheca*, cui præfuit, aptè digereretur, indicibus ejusdem confectis, quod tandem non sine labore & operâ profecit.

Bibliothecam digerit.

Ita cum Professorem *Lavingæ* aliquot annis egisset; visum est, majoris authoritatis causa, Academicum petere doctrinæ ac virtutis testimonium. Anno igitur *septuagesimo septimo Tubingæ*, habitâ prius accuratâ studiorum morumque inquisitione, publicâque disputatione, solenniter ei unà cum fratre *Jacobo Heilbrunnero*, abbate cœnobii *Anhausensis*, & *Joanne Wesenbeccio*, Pastore *Ulmensi*, summum Doctoris Theologi ἀξίωμα solenniter ac publicè, promotore *Jacobo Heerbrando* est collatum.

Theol. D. renunciatur.

Lavingam reversus antiquum in studiorum adsiduitate, officiique cura obtinuit; gratusque tum aliis, tum Principi suo *Philippo Ludovico* fuit: qui sæpius ejus consilio in religionis negociis usus. Nam anno *octogesimo Bipontem* ipsum misit, cum *Tobia Zozero* JC. ut *Formulæ Concordiæ* subscriptionem ibi urgeret. Anno *octogesimo quinto* idem Princeps *Düsseldorpium* in *Belgium* ad *Guilielmi* ducis Juliacensis, ejus familiæ ultimi, nuptias eum adduxit, ut à concionibus aulicis sibi esset. Quotannis etiam Synodis & consultationibus Theologicis, quæ *Neoburgi* celebrari solent, jussù sui Principis interfuit, etiam antequam Superintendentis munere fungeretur; ut nihil dicamus de anniversariis diœceseos illius visitationibus Ecclesiarum. Anno *sexcentesimo primo* Colloquium *Ratisbonæ* inter Theologos *Lutheranos* & *Pontificios* institutum est. Ad id *Heilbrunnerus* quoque venit; & cum antagonista *Conrado Wetzero*, Jesuiticæ sectæ monacho, coram quatuor Principibus, & nonnullis eorum consiliariis cominus pugnavit: strenuumque se *Lutheranæ* doctrinæ defensorem præstitit, ut acta ejus colloquii edita docent.

Interest Synodis & visitationibus.

Et colloquio Ratisbonensi Conrad. Wetzer Iesuita.

Postea anno sequenti mortuo M. *Abrahamo Mannio*, Pastore Lavingano, & Ecclesiarum ejus Provinciæ Inspectore ac Scholarcha, *Heilbrunnerus* ejus in locum surrogatus, auditores & pro scholastica cathedra, & pro sacro suggesto ita ex salutaribus Israëlis fontibus, quod cognomen ejus monebat, potavit: ut à lacunis commentorum humanorum, & *cisternis aquâ carentibus*, semper sedulò abduxerit. Hocque in officio arduo & multiplici ad extremum usque vitæ suæ diem perseveravit.

Abrahamo Mannio. Inspector Ecclesiarum declaratur.

Cum autem metam ferè attigisset illam, quam vitæ humanæ in oda * sacra *Moses* præscribit: facilè colligere potuit, & suam ἀνάλυσιν haud procul abesse. Itaque quasi præsagiens brevi sibi de statione muneris sui abeundum; indici, quem anno *sexcentesimo decimo sexto* ineunte, confecit, hæc dicta scripturæ præfixit: *Dispone domui tuæ: quia morieris tu, & non vives: Non moriar, sed vivam & narrabo opera Domini: sive vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Nihil tamen ipse ab officii cura remisit, & tum ipso Paschа, tum feria secunda, concionem in templo habuit: ubi inter alia precatiunculam illam discipulorum Emauntem euntium explicavit: ac deinde *sexto* Aprilis vicinam Ecclesiam *Mörslingensem* ratione sui muneris, visitavit.

* *Psal. 90.*

Præsagit mortem.

Tandem die *septimo* Aprilis Gregoriani cum collegii Lavingani progressiones solennes & anniversariæ haberentur, podagra solita correptus, decumbere cepit; ad diem usque *decimum septimum* ejus mensis, qui *Misericordia Domini* indigitatur. Eo die manè cùm haud ita malè habere videretur, familia ad audiendam concionem ire jussa, suorum brachiis nixus in cœnaculo dum obambulat, repentè viribus deficere cepit. Quare in lectulum reclinatus, quasi ad somnum se composuit; quo & sensibus paulatim hebescentibus, placidè obdormivit, cùm annum fermè explesset *septuagesimum*. Honorificè ibidem sepul-

Morbo corripitur.

Moritur.

Obiit. sepultus est die *vicesimo* Aprilis in cœmiterio communi, ad uxorem & liberos præmissos, ut testamento caverat, funebri tamen concione in primario ejus urbis templo prius habita. Exstant & carmina lugubria in obitum ejus à viris claris & doctis scripta.

Virtutes. Fuit Theologus nostrâ memoriâ insignis: in docendo fidelis & assiduus, in concionando & disputando sedatus & modestè severus, in vitæ conversatione sincerus, pacificus ac moderatus, æqui & justi tenax: frugalis atque hospitalis; in verè egenos prolixè beneficus, erga collegas, senatum, ministros ac cives humanus, gravis in congressibus ac comis, de conservanda Evangelii doctrina dies noctesque solicitus. In matrimonio vixit gemino: primo cum *Agnete Henrici Weickersreuteri* Theol. D. & præsulis Hirsaugiensis filia, annis *tredecim*, è qua filios suscepit quatuor: quorum tres reliquit superstites, deinde cum *Barbara Zebeliana* Lavingana annis *triginta quinque*, quæ ei decem peperit liberos.

Conjugia. Scripta. Libros autem ab ipso foras datos Bibliothecæ recensent; de quibus sunt *Iesaiæ*, *Ieremiæ*, *Ezechielis & Danielis* vaticinia, in locos communes Theologicos digesta, & quæstionibus methodi illustrata: Item *duodecim minorum prophetarum* vaticinia, simili ratione illustrata: *Synopsis variorum hujus temporis errorum* circa doctrinam de *sacra cœna* & *de peccato*. Plura in elenchis librorum, ut & ἀνέκδοτα in scriniis heredum.

Ioan Seizenius Pastor Gündelfingensis in concione funebri: Georg. Cleminius IC. ac Lavingani Gymnasii Rector in oratione parentali, & elenchi librorum.

URBANUS PIERIUS.

Natus. Mortuus. Ætat. 70. ORtum suum *Urbanus Pierius* traxit ex *Sueto* oppido ad viadri ripam, in territorio tunc *Martini* Comitis *Hohensteinii*, & ordinis D. Joannis, seu Teutonicorum equitum per *Marchiam*, *Saxoniam*, *Pomeraniam*, & *Vandaliam* magistri. Eo in loco parentibus natus est humili sorte ac conditione contentis, sub annum Christi *millesimum quingentesimum quadragesimum sextum* die... mensis...

Martinus Hohensteinius Comes Mecenas Pierii. Sed ut *non domo dominus*; *verum domino domus honestatur*: ita & ipse splendorem non à patria accepit: sed patriæ attulit. Cum enim indolem pueri, literis abditi, probasset Comes *Hohensteinius*; uberioris ingenii cultus capiendi gratia *Francofurtum* ad Oderam sive Viadrum, adolescentem à primis literarum rudimentis mediocriter instructum misit, dato in annos aliquot stipendio liberali.

Mittitur Francofurtum ad Viadrum Pierius. In Academiâ itaque Marchicâ probitatis atque solertiæ laudem ingenio, calamo, & officiis adeptus, favorem sibi bonorum atque gratiam collegit. *Virtuti* enim *omnes etiam inimici favent*; *& in adolescentia præcipuam quandam laudem egregia indoles meretur*. Ad juris autem studium principio animum adjecit ductâ uxore filia causidici divitis & opulenti: sed ab obitu soceri illius totum se studio Philosophico dedit: ita tamen ut Theologiam rerumque divinarum scientiam minime negligeret. Hic cum multus in exercitio qua publicè quà privatim disputandi esset, locum inter Philosophos nactus, Decanus vice repetita fuit. *Iuris studium amplectitur.* *Inde Philosoph. & Theol.* *Docet publice Francofurti.*

Deinde ubi profectus suos in Theologiâ collegio illius Academiæ Theologico approbasset: Theologiæ Doctor ab *Andrea Musculo* renunciatus, facultatis illius pars quoque & Professor declaratus est. Exinde *Brandeburgum*, urbem Havelo fluvio dividuam, evocatus, primarium ibidem Ecclesiæ Pastorem egit. Postea Custrinum accitus, aliquantisper ibi Ecclesiæ concionando præfuit profuitve. *Doct. & Professor Theol. declaratur. Brandeb. Ecclesiæ præst.* *Et Custrini*

Accidit autem postea ut Christianus I. Saxoniæ Elector, concionibus ejus in Marchiâ aliquando interesset: nec sine affectu easdem audiret. *Dresdam* ergò ab ipso & senatu oppidano evocatus; eò venit, Superintendens simul civitatis, & *aulæ concionator* designatus. *Wittembergam* inde missus ac vocatus, consilio, ut volunt, inprimis *Nicolai Crellii*, Electoris Saxoniæ Cancellarii, primùm vicepastor, deinde anno *nonagesimo* supra *millesimum quingentesimum* Academiæ Professor, Ecclesiæ Pastor, & Superintendens ab *Henrico Majo* Theol. Doct. publicè in templo est declaratus. Ubi quæ docuerit tum de sacro suggesto, tum de scholastica cathedra; quæve motæ controversiæ fuerint super *Exorcismo*, ut vocant, in Baptismo: pleni de eo sunt libri, plena superiorum annorum historia. Illud saltem addimus: Pierium, ut primum Wittembergæ docere cepit, & quædam aliter, quàm in libro concordiæ præscribitur, * explicaret: in summum incurrisse odium non solùm apud plebeculam imperitam, sed etiam apud vulgus studiosorum. Itaque & libellis famosis ferè quotidiè fuit prosciissus; & ædes furiosè oppugnatæ: & vita ipsa in præsentissimum discrimen adducta, cujus culpâ, notum vel lippis. *Dresdam evocatur.* *Nicol. Crellius. Wittemb. docet.* *Henr. Majus.* * *Inprimis propter Exorcismi omissum.* *Incurrit in odium Pierium.*

Rebus humanis Christiano I. Electore Saxoniæ exemto, anno *nonagesimo primo*, die *vicesimo quinto* Septembris, cum *Fridericus Wilhelmus*, Dux Saxoniæ, & Administrator electoratus, visitationem Academiarum *Vvittembergensis* & *Lipsiensis*, ut & ecclesiarum in Saxonia & Misnia, super articulis *de Persona Christi*, de *Baptismo*, de *cœna Domini*, de *Prædestinatione*, instituisset, ac prior religionis status immutatus esset; *Pierius* cum aliis Theologis in publico *Vvittembergæ* concilio hæreseos Calvinianæ damnatus, & à duobus oppidi consulibus in carcerem arcis ductus, *Visitatio in Saxonia & Misnia.* *In carcerem compingitur.*

ctus, ultraque anni decursum in eo attentus fuit.

Liberatur. Inde tandem anno *nonagesimo secundo*, intercessione potissimum Angliæ Reginæ, *Elisabethæ*, cui aliquando & carmine triumphali de classe Hispanica victâ conscripto, innotuerat, liberatus: *Servestæ* Anhaldinorum aliquantisper commoratus, postea à Palatino Electore *Ambergam* superioris Palatinatus caput, translatus est: ubi cum *Henrico Salmutho* Theol. Licent. Principem locum obtinuit.

Ambergâ vocatur.

Henric. Salmuth.

Bremam invitatur. E Palatinatu deinde *Bremam*, celebrem Saxoniæ urbem, vocatus, eò commigravit: fidelique operâ doctrinam Christi docuit, collegâ & laborum socio *Christophoro Pezelio*, viro de scriptis suis satis noto. Tandem ad meliorem vitam abit ipse vitæ satur, anno *millesimo sexcentesimo decimo sexto*, die *duodecimo* Maji, ætatis suæ *septuagesimo*.

Christoph. Pezelius.

Moritur Pierius.

Hujus viri actiones in illo Reformationis negocio excusari fortasse omnes non possunt: quando ἁμαρτάνει ἡ σοφὲ σοφώτερος: tamen laudanda in eo est constantia in veritatis orthodoxæ semel agnitæ confessione: in qua, periculis maximis propositis, perstitit. De cœna autem Domini, quid senserit ac docuerit; hæc ejus confessio ad Electorem Saxoniæ loquitur.

Confessio ejus de cœna.

„ In sacra cœna Domini nostri JESU „ Christi duplex est cibus & potus. Visibilia „ enim Sacramenta panis & vinum sunt cor„ poralis cibus & potus: cœlestia autem bo„ na, quæ nobis pane & vino offeruntur & „ exhibentur, sunt verum corpus, pro no„ bis in mortem traditum, & versus sanguis „ Jesu Christi, pro nobis effusus. Sicut „ itaque duplex cibus & potus in eucharis„ tia nobis offertur: ita & duplici modo „ illorum participes simus. Juxta hominem „ externum percipimus externa visibilia si„ gna panem & vinum, ad sacrum usum, ut„ pote Sacramenta, ordinata: sed secundum „ internum hominem percipimus simul ope„ ratione Spiritus Sancti, verâ fide ipsum „ Christum, verum ejus corpus ac sangui„ nem: sicut corpus suum pro nobis tra„ didit & sanguinem suum pro nobis fudit: „ atque hoc corpore ejus & sanguine verè „ percipimus etiam totum ejus meritum & „ omnium ejus beneficiorum participes si„ mus. Alius itaque cibus est qui ventrem „ intrat: alius qui mentem animamque; & „ qui fide percipitur nobisque acquiritur. „ Hac enim de re Suevici Theologi in suo „ syngrammate rectè scripserunt:

Ventrem, quod terimus; mentem, quod credimus, intrat. *Et ipse D. Lutherus in majori Catechesi Christi corpus, animæ cibum nominat: qui novum hominem nutriat & confortet: Christiana præterea Ecclesia hymno Paschali canit:*

Christus wil die Koste seyn.
Und speisen die Seel allein/
Der Glaub wil keines andern Leben.

Hoc est:

Christus hic vult cibus esse, & animam pascere solam. Fides alius nil satagit. „ Quapropter ad cœnam Domini non afferendæ „ sunt crassæ illæ & Capernaiticæ cogitatio„ nes: ac si ibi corpus ejus edere & sangui„ nem bibere possimus, ut cibus potusque „ communis editur & bibitur: cum caro no„ stra Christi carnem & sanguinem nec per„ cipere nec sibi applicare possit: sed perci„ piendum est Christi corpus & sanguis adeo„ que totum ipsius meritum, utpote cœlestia „ & spiritualia dona, spirituali modo: cùm „ verum Christi corpus & sanguis verbo ipsius „ ad id ordinata sint; ut animas fide pascant „ ad vitam æternam, ut Lutherus loquitur. „ Et in catechesi majori idem: „ cum tantus thesaurus in verbo nobis offeratur, apprehendi aliter, quàm corde animove non potest: manu certè capi ejusmodi dona & thesauri non queunt. Jejunare & precari externa sanè sit præparatio: ut corpus se modestè, & gestu decenti erga Christi corpus & sanguinem gerat: sed quod in eo datur, id corpus percipere non potest. Item quod in pane traditur, id corpus accipere nequit; fides autem cordis id facit, tantum thesaurum agnoscens & desiderans. *Eandem planè in sententiam Syngramma Suevicum loquitur*; sicut fides verbum DEI, quod aures percipiunt, secundum fidei naturam accipit & intelligit: ita substantiale Christi & reale corpus, quod in pane sacræ cœnæ accipitur, hominis corde animo ac fide non alia ratione aut modo, quàm ratione & modo fidei, quæ spiritualis est, accipitur, etsi Christi corpus in se corporeum & carneum est. *Quare, ut concludam, hoc tenendum est: benedictum panem & poculum ore corporis; corpus autem & sanguinem Christi ore animæ & vera fide accipi, & qui non ita discernit corpus Domini, is sibi edit & bibit judicium.* Hactenus Pierii confessio. Mota præterea ipsi fuit lis super hoc quod scripserat enunciationem hanc: *Deus est homo*: figuratam esse, unde etiam Arianismi non nemo insimulare eum ausus est. Sed ipse & ex carcere ad Electoratus Saxoniæ Administratorem, & alias ita respondit: *Christum una in persona verum esse Deum ac hominem: sed quod propositiones istas attinet*: Deus est homo: *& conversim*, Homo est Deus: *duplici modo eas impropriας figuratas aut tropicas dici posse.* Primo *quatenus habitudo & affectio prædicati ad subjectum consideretur. Aliud enim esse; rationem & modum prædicationis, aliud, Christum in persona sua considerare. Persona*, inquit, *Christi in se considerata*: Deus est homo propriè: *& homo est eadem persona, quæ & Deus: sed si modum prædicandi alterum de altero consideres: tum est figurata vel tropica, vel ut aliis dicitur, inusitata enunciatio.* Deinde affirmat posse ejusmodi propositiones etiam tropicas & improprias dici, quatenus propriis opponuntur. Sed de his satis.

Lutheri de cœna sententia.

Syngrammatis istius Suevici.

Deus est homo, an sit figurata enunciatio.

Scripta

Scripta.

Scripta ab ipso edita sunt: *oratio* περὶ τῆς ἀνθρωπογνώσεως *Christianæ: Brevis repetitio doctrinæ de persona & officio Christi*, in tres disputationes distributa: *Typus doctrinæ orthodoxæ* de Persona & officio Christi: *examen concionis in funere Nicolai Crellii*, capite plexi, quondam Cancellarii Saxoniæ, à *Nicolao Blumio* habitæ: *confessio publica: Absolutio & precatio*, ut ea Custrini post concionem dici solita: *Negatio seu refutatio vi extorta*, quod verum non sit, quod Magnus Christophorus sub titulo: *Refutatio D. Urbani Pierii* typis evulgavit: *Formulæ* item *precum*; & si quæ alia, nobis ignota.

Hactenus de Pierio ex comment. Marchicæ historiæ Nicolai Leuthingeri, & scriptis Pierii.

ANDREAS OSIANDER junior.

B. 1617. d. 21. April. ætat. 55.

Blaubeura oppidum Patria.

Lucas Osiander pater.

Obitus ejus.

Puer quinquennis in scholam missus.

Docilitas ejus.

Prima Laurea honoratur.

Remora studiorum.

Altera Lauru ornatur.

Fit repetens Astronom.

Andraas Osiander junior, natus est *Plabyræ* vel *Blaubeuræ*, agri Würtembergici oppido, aëre, aquis, & situ, peramœno, Anno Christi *millesimo quingentesimo sexagesimo secundo*, die *vicesimo septimo* Martii. Pater ei fuit *Lucas*, Theologus celeberrimus tum è scriptis, quæ edidit non pauca, tum è colloquio *Maulbrunnensi*, in quo notarii munus gessit, jamdudum notus: aulæ Würtembergicæ, postea *Eslingensium* Pastor: qui obiit anno *sexcentesimo quarto*, die *decimo septimo* Septembris. Sed nos de filio agamus.

Hic ergò modò *quinquennis*, pietatis & literarum studiis, in triviali Scholâ, Præceptoribus *Wackero* & *Kaufmanno*, initiatus est. Quemadmodum enim pater admodum parcus temporis fuit dispensator: ut qui nullam diem sine linea abire pateretur: ita & filium segnescere domi noluit: sed statim atque à lacte materno amotus esset, pietate & virtute imbuendum curavit.

Tam facili autem promtoque ingenio fuit puer, ut anno ætatis *decimo quarto* stipendiariorum *Würtembergicorum* numero adscriptus; pauculos post menses *primæ laureæ* honores promeruerit: citius eos consecuturus, nisi docendi illâ methodo, in regularum infinitate & quæstiunculis; in humaniorum artium aditu, melior ferè ætatis ejusmodi pars, cum rectissimorum ingeniorum tortura; ne ad adyta & interiorem illarum noticiam penetrent, inemendabili errore distinerentur.

Biennio post alterâ lauro ornatus, & anno uno inde, cujus esset pullus hic facet Theologicus, *Moringæ*, pago supra *Stutgardiam* (in Agris indigitant) primum auditus, *Repetitioni*, ut vocant, *Astronomicæ* præfectus fuit.

His ita ætatis partibus, in Philosophiâ addiscendâ & Theologiæ mysteriis pernoscendis, summa animi contentione & præclaro superiorum testimonio gnaviter & graviter decursis, ad munus, cui se totum devoverat Ecclesiasticum; magna, ut res ipsa probat, præviâ mentis devotione accessit; Diaconus Ecclesiæ *Uracensis*, anno supra *millesimum quingentesimum octuagesimo quarto*, die *secundo* Maji, præpositus.

Præsitur Uracı Ecclesia.

Sub id tempus, ut castitate etiam exemplum esset fidelium, & unius uxoris maritus; sanctos illos & primos Ecclesiæ antistites imitatus; sociam sibi vitæ, virginem, *Barbaram*, gravissimi viri, *Samuelis Hailandi*, Professoris olim Ethici, filiam anno *millesimo quingentesimo sexagesimo quinto*, die *decimo sexto* Decemb. natam, & *Martino Crusio* ministrante è sacro baptismate levatam, specimen prius sui eximium *disputatione de peccato originis* habitâ, publicè cum dedisset, adlegit.

Matrimonium contrahit.

Cum hoc concorditer in matrimonio annos *triginta tres* vixit; atque eo felicius vixit: quod fructus conjugii minimè fuere exortes; quæ res felicissimas alioquin nuptias turbat, sed utriusque sexus, *octodecim liberorum* pater factus: è quibus superstites reliquit *novem*, cæteris præmissis.

Liberi.

Sed ad majora natus, & curriculo quasi pergens pater *Osiander: biennium* ubi Diaconatui, pastorali fide & vigilantiâ, *Uraci* subservisset: Pastor *Gigligensi* Ecclesiæ præfectus, nec ibi ultra biennium est moratus. Nam jussus est officio illo abdicato, à concionibus & consiliis illustriss. Principi Würtembergico, *Ludovico*, esse; atque anno post *nonagesimo secundo*, quo ducalis collegii novi Tubingæ auspicium factum, honores ab Academia illa Doctorales accipere.

Fit concionator & Consiliar. aulæ Wirtemberg. Et Doct. Theol.

Abbas verò cœnobii *Adelbergensis*, anno *nonagesimo octavo*, volente Principe *Friderico*, constitutus; primo simul ordinum Provincialium loco & generali proximarum Ecclesiarum Superintendens dignus judicatus; anno *sexcentesimo quinto* supra *millesimum*, Martii die *decimo nono*, Ecclesiæ *Tubinganæ præpositus* & Academiæ Cancellarius: præsente binis inaugurationis actibus ipso illustrissimo Principe Würtembergico *Friderico* magni electionis solennitate renuntiatus fuit. Magnus certè & ipse in omni isthoc officiorum genere fuit: quibus ipsum potius splendorem dare, quam decus ab iis accipere, cordati judicarunt.

Abbas Adelberg. cœnobii.

Et Superintendens.

Ac præpositus Tubing. nec non cancellar.

Quæ causa fuit, ut à *Lipsiensibus*, *Rostochiensibus* & *Jenensibus* Academiis, Theologus sit expetitus: & dignus visus, qui Clarissi. *Hunnio* defuncto Witteinbergæ surrogaretur.

A variis expetitus.

Arduum istud *Præpositi* & *Cancellarii* munus ubi annis *duodecim* cum laude obisset; tussi tabifica laborare cœpit & catarrhis perpetuis; qui tandem quod ante octimestre minati fuerant, effecerunt. Nam quanquam ipse supra vires, labores officii non inter-

Morbus ejus fatalis.

mitteret: ut qui etiam Theologum ſtantem mori oportere exiſtimaret, tandem tamen viribus prorſus collabaſcentibus intermittere coactus, ſerius medicinæ opem admittens, vitali ſucco planè exhauſto & depaſto: placidè exſpiravit inter preces, & ſuorum lacrymas die *viceſimo primo* Aprilis, anno *ſexcenteſimo decimo ſeptimo*, cum vixiſſet annos *quinquaginta quinque*, dies *viginti quinque*. Elatus eſt funere honorifico, & Chriſtiano ritu in æde *Georgiana* ſepultus, concionem funebrem habente *Matthia Hafenreffero*; Theologo D. & Profeſſore.

Exſpirat.

Virtutes ejus.

Fuit & hic Theologus vigilans, prudens, conſtans, in concionibus nervoſus ac diſertus: in conſolando placidus, in erigendis lapſis, & viſitandis ægris, facilis: robuſtus, elencticus; perſpicuus, exegeticus: utrobique artificioſus orthotomicus, verbo ut dicamus:

Αμφότερον σωστὸς κοσμήτωρ, ἠδ' ἀγορητής.

Domui ſuæ ita præfuit, ut ſui exemplum aliis eſſent virtutum pulcherrimarum. Reliquit viduam novemque liberos ſuperſtites; & fortunarum ſatis. Nec enim ſapiens à ſe ſpernit vitæ iſta adminicula: quin recipit domum ſecurus, ſi animo exeſſe jubeat. *Sæpè ſub paupertate tantum latent ambitio, ſuperbia, crudelitas, luxuria; eruptura mala, ſi divitiis excitarentur.*

Divitiæ an ſapientem deceant.

Scripta Oſiandri.

Scripta ab eo edita ſunt hæc: *Biblia* cum emendationibus & explicationibus ſuperiorum verſionum, & obſervationibus ex Theolog. *Andreæ, Heerbrandi, Chemnicii, Chytræi, Hunnii, Selnecceri, Welleri, Althameri* & Formulæ Concordiæ lucubrationibus: *aſſertiones Theologicæ* de conciliis: Item reſponſa ad *analyſin* de Eccleſia *Gregorii de Valentia*. Scripſit & contra *Waldenſem Calviniſtam* anonymum; *precationes ſacras, informationem* ad cœnam ſacram accedentium: & alia id genus Theologica meletemata.

Geſta.

Geſta verò ipſius loquuntur: actio *Waldenburgica*, in qua D. *Jac. Andreæ* additus fuit: Item colloquia *Badenſe* & *Ratisbonenſe*: acta *Hallenſia, Mompelgardica*, & alia.

Tantum de hoc Oſiandro ex concione & Programmate funebri gemino.

BARTHOLOMÆUS COPPENIUS.

Ω. 1617. d. 23. Maji. ætat. 25.

Wolfgang. Coppen. pater.

NAtus eſt *Bartholomæus Coppenius Roſtochii*, urbe ad litus maris Baltici, Academiâ haud incelebri, Anno Chriſti *milleſimo quingenteſimo ſexageſimo quinto*, ipſo die Epiphaniorum, vel trium, ut vulgò numerant, regum. Pater ei fuit *Wolfgangus* civis Roſtochienſis, vir honeſtus, ac præfectus alicubi Principis Megapolenſis. Hic, ut erat literarum amans, filium à teneris in ſcholâ doctrinis iis, quibus ætas puerilis impertiri debet, erudiendum curavit. Adultiorem factum *Davidi Chytræo*, cujus inclyta tunc per univerſam Germaniam eruditionis fama ferebatur, commendavit; doctrinâ diligentiaque viri permotus. Parente paulò pòſt rebus humanis exemto, ne adoleſcens apud matrem viduam, ocio torpeſceret; ac, quod comicus turpe putat, quæ didicerat dediſceret; avunculus, *Caroli* Ducis, & poſtea Regis Sueciæ Cancellarius, *Roſtochio* eum abduxit, & in Palatinatum cum Principe ſuo iter facturus, in comitatu ſuo habuit.

Davidi Chytr. commend. Cop.

Ab avunculo in Palatin. abducitur.

Hic *Haidelbergam* ubi venit: D. *Nicolao Dobbino*, *Neoſtadii* tunc agenti, de meliore eum commendat: cujus ope ac favore in Electoralium alumnorum numerum adſcriptus, ſtudia aliquandiu intermiſſa, recoluit; & cum ingenio valeret, è ſuprema ſcholæ claſſe paulo pòſt *Haidelbergam*, in Collegium *Sapientiæ*, ut vocant, translatus, tantâ diligentiâ, tantoque fervore, ad literas incubuit; ut aliquot menſibus pedem collegio illo non extulerit, non ſine valetudinis detrimento. Nam in gravem incidit κεφαλαλγίαν, quæ tamen ſolertia medici & venæ ſectione, brevi intervallo curata fuit.

Adſcribitur alumnis electi. Palatini. In colleg. Sap. tranſfertur.

Præceptores igitur collegii illus, diligentiam, induſtriam, aſſiduitatem *Coppenii*, cum ingenio, quod rarum, conjunctam perſpicientes, apud ſenatum Eccleſiaſticum effecerunt; ut illuſtriſſimo Principi *Joanni Caſimiro*, tunc temporis Electoralis Palatinatus tutori & adminiſtratori commendaretur; qui eum honeſto ſtipendio inſtructum, in exteras Academias mitteret.

Primò ergo anno *milleſimo quingenteſimo nonageſimo primo*, *Baſileam* adiit, inde *Genevam*: ubi *Theodorum Bezam* docentem, concionantem, diſputantem audivit; publicè quoque diſputando ſeſe exercuit.

Mittitur Baſileam & Genevam.

In Palatinatum à Mæcenatibus revocatus *Vittembergam*, vivente adhuc Electore Saxoniæ *Chriſtiano*, miſſus fuit; ubi tanta diligentia & aſſiduitate lectiones audivit; ſtudiaque ita urſit; ut mirari poſſis, quomodo, tam brevi temporis ſpatio, tot tantaque volumina, etiam domi, privatimque calamo exararit. Nam ne dicam de ſphæricis & Geometricis principiis, quæ jam antè cognita perceptaque habebat, totam doctrinam *ſecundorum mobilium*, & magnam partem *Euclidis* explicari audivit; cum interea Theologicis & Medicis quoque Profeſſoribus operam daret; è quibus inprimis ſæpè celebravit medicum *Scatonem*; quem, *Fernelio*, ſi non anteferre, conferre tamen non dubitaret.

Inde Wittembergâ.

Ibi diligentia ejus in ſtudiis.

Anno *milleſimo quingenteſimo nonageſimo ſexto*, de ſuorum voluntate menſe Junio ad iter ſe accinxit, & licet adverſæ impetuoſæque tempeſtates ingruerent, ipſe tamen animum obfirmavit, ac non ſine moleſtia & vexatione corporis in Palatinatum reverſus eſt. Eò ut rediit, tertius in colle-

Redit ad ſuos.

Fit Præceptor collegii Sapientiæ.

collegio Sapientiæ Præceptor, Haidelbergæ primum constituitur: quo reliquorum labores & onera ex parte sublevaret. Huic officio non minore fidelitate; quam dexteritate præfuit. Quod cum Senatus Academicus animadvertisset, *Hebrææ* linguæ professionem, tunc vacantem, ei concessit.

Et Professor Hebrææ lingua.

Præfit Gymnasio Neuhusiano.

Paulò pòst rectore Neuhusianæ scholæ, certis de causis *Neostadium* concedente, ipse successit; & scholæ illius gubernationem suscepit: atque ibidem matrimonium contraxit. Verum enimverò, ut in rebus humanis nihil est omni ex parte beatum, gravi mox cum morbo conflictatus est, quem tamen naturæ adhuc vegetæ robur superavit: acidulæ vero Schwalbacenses penitus expulerunt. Neuhusii dum commoratur *Hebræam* linguam magis excoluit, & Rabinum Wormatiensem mercede conduxit; quo cum se in *Talmudicorum* librorum lectione exerceret, si quando Wormatiam commearet.

Hebræam linguam excolit.

Professor Theol. designatur Haidelb.

Interea dum ibi glebæ quasi affixus, juventutem sibi commissam feliciter instituit; *Locorum communium Theologicorum* Professio Haidelbergæ, successorem desiderat. Matura igitur deliberatione ab Academia instituta, Electore *Friderico* IV. illud permittente, *Coppenius* vocatus est, anno *milleſimo ſexcenteſimo*, circa Pascha; eodemque anno *viceſimo ſexto* Julii, Theologo clarissimo D. *Davide Pareo*, Promotore, supremos in Theologiâ honores est consecutus. Hoc in munere, ipsos *tredecim* annos, tantâ cum fide & industriæ laude est versatus: ut fama nominis ejus excitatus Senatus *Bremensis*, cum anno *milleſimo ſexcenteſimo nono*, de schola instauranda cogitaret, & sic quidem instauranda instituendave, ut discentes non minore cum fructu studiorum ibi, quam in Academiis tempus collocare possent: scriptis honorificè literis *Coppenium* ad regimen illius Gymnasii invitarit. Expetendum enim eum talem judicavit; qui & antea in scholis gubernandis versatus esset: & ad novellctum ejusmodi Phœbicum excolendum, non solum doctrinam multiplicem; sed & nomnis celebritatem posset afferre. *Coppenius*, qui illud memoria teneret: *deliberandum diu, quod ſtatuendum ſemel*; ætatis ac valetudinis suæ ratione subductâ, senatui illi honorificè gratiis actis, & alio, quem idoneum ei provinciæ judicaret, nominato, munus id à se est deprecatus.

Doct. Th. creatur.

Vocatur à Bremensibus.

Renuit.

Infestabatur autem postremis vitæ annis, frequentibus catarrhis, capitis dolore, & insomnia: quæ mala lucubrationes & continuæ meditationes augebant. Nullum enim tempus inutiliter consumebat, vel vacuum effluere patiebatur, nisi quod curationi corporis, & reliquis valetudini necessariis decidebat. Sæpè manè *hora quarta* meditari ingressus, *hora decima* adhuc libris affixus deprehensus est: nonnunquam de nocte surgens, tempus aliquid legendo fallebat. Probatos priscos authores maximi faciebat: *Hebræos*, *Græcos*, *Latinos*, optimos eligebat: præstantissimas *Manutii*, *Roberti Henrici*, *Pauli Stephanorum*, & *Plantini*, librorum editiones sectabatur studiosè, & si fortè in eas incidisset, magno precio redimere non dubitabat. Ex Rabinis plurimum utebatur *Davide Kimchi*, qui eleganter in *Pſalmos* commentatus est; quem & sæpe pro lectione laudabat. *Elia Levita* Grammatico accuratissimo doctissimoque omnium, qui unquam de Hebræa lingua scripserunt, vehementer delectabatur: Ex Talmudicis scriptis libenter legebat פרקי אבות hoc est, *capitula patrum*: qui est textus liber, quartæ partis Talmud, in quinque capita divisus; atque sententias continet egregias; ita ut optimus liber omnium Talmudicorum merito censeatur. In Theologia, quæ tradere solitus erat, quantum fieri poterat, Græcorum & Latinorum patrum verbis exprimere studebat. Ea de causa *Oecumenium* in Epistolas *Catholicas*, in Latinum sermonem convertit, ac typis exscribendum curavit. Habuit in animo integrum *Theophylactum* & *Oecumenium* edere: sed cum tam Typographos, quam plerosque Theologiæ studiosos, ab ejusmodi libris abhorrere animadverteret, incepto destitit.

Auctores quos probarit.

David Kimchi Rabin. Elias Levita.

Oecumenii quædam vertit.

Quod ad Philosophiam attinet, *Platoni*, *Aristoteli*, *Theophrasto* Græco, & recentioribus *Scaligero*, *Zabarellæ*, *Fernelio*, *Scheckio*, plurimum temporis tribuebat; & ab iis Philosophum accuratè informari posse, statuebat: interea tamen à *Themistii*, *Philoponi*, *Simplicii*, *Ammonii* scriptis non abstinebat; sed eos subinde consulere, sententiamque ipsorum exquirere consueverat.

In Philosophicis quos magni fecerit.

Tres illas nobiliores linguas, viro docto præsertim Theologo maximè necessarias arbitrabatur; nec eum, qui hasce nesciret, satis excultum doctrina putabat. Hisce adminiculis eruditionem sibi comparavit non proletariam; judicium accuratum; memoriam tenacem; facultatem sensa animi proferendi elegantem.

Linguarum cognitio Theol. necessaria.

Quicquid subsecivi temporis à Theologicis occupationibus & lectionibus relinquebatur; id omne profanis authoribus tribuebat, plane ita persuasus; tantum abesse, ut istis studium Theologicum impediatur; potius ut provehatur. Qua in sententia & veteres illos in primitiva Ecclesia fuisse constat. Nam doctores Ecclesiæ velut ex consuetudine quadam minimè prohibita, ab ineunte adolescentia, ad extremam usque senectutem, in gentilium disciplinis se exercuisse certum est; idque partim diserti sermonis, & mentis exercendæ causa: partim, ut eos ipsos scriptores doctrinæ, in qua tradenda errore lapsi sunt, penitus convincerent. Ea de causa hos sibi authores evolvendos existimabat, & alios ut idem institutum tenerent, subinde hortabatur.

Autores profani ſacra ſtudia non impediunt.

Philosophica domi docet.

Quin eò usque sese demittebat: ut optimæ spei adolescentibus, quo studiorum suorum fundamenta commodius jacere possent, *Terentii* comœdias, *Ciceronis Topica ad Trebatium*, *Topica Aristotelis* privatim explicare non dedignaretur. Verè itaque de *Coppenio*, quod olim de Catone dixeris: *ipsum nunquam minus otiosum fuisse, quam cum esset otiosus*, & in otio semper aliquid agere consuesse, quo se vel alios exerceret.

Legit ICrũ scripta.

Nec tamen hic ingenium, scientiæ avidum, substitit. Nam horis aliis, quas modò suffurari potuit, *Iurisconsultorum* libros evolvit; quod, ut ajebat, eorum quoque literarum monumentis, plurimum in Theologia uti posset: aliis *medicorum scripta* non tantum cognoscendi; sed etiam sanitatis causa perlegit: aliis aliud, quo animum pasceret, suscepit.

Et medicorum.

Continuis itaque laboribus ac vigiliis vires corporis satis prostratas & afflictas, penitus exhausit: ut sufferendis amplius illis non fuerint.

Cum ergo *vigesimo tertio* Maij anni *sexcentesimi decimi septimi*, vel nullos dolores sensisset, vel dissimulasset: quod interdum faciebat, ne domesticos affligeret, lectionem etiam publicè habuisset; ante cœnam, exercitii causa ambulasset; dimidia octava mensæ assidens, primo gravedinem sensit, & caliginem oculis offundi: mox in deliquium animi incidit, loquendi facultatem amisit, ac licet à medicis è vestigio quædam, ut catarrhum sisterent, adhibita fuerint: tamen violentia fluxus natura oppressa succubuit; & vim morbi sustinere non potuit. Circa *undecimam* igitur noctis horam, spiritum Christo, qui dederat, placidè reddidit: cum *septendecim* annis publicè Haidelbergæ docuisset, ac bis Rectoris officium cum laude sustinuisset. Corpus ejus ad D. Petri in Academiæ cryptâ, Christiano ritu terræ mandatum, diem illum ὑποκαθ-άσεως πάντων, cum omnibus electis exspectat. Parentavit demortui manibus oratione vera & gravi *Balthasar Baumbachius* linguæ sanctæ & Græcæ Professor: Epitaphiis verò carminibus prosecuti sunt amici viri docti ac celebres: de quibus *Jani Gruteri* est ejusmodi:

Exspirat.

Funus.

Epitaphia à I Grutero.

Sic profecto est: semper altis invidet virtutibus
Nigra Parca, semper altis invidet scientiis
Nigra Parca, semper altis invidet conatibus
Nigra Parca, hinc ante lustra vix novem Koppenie,
In locum is communem, &, heu, nos nocte linquis in merâ,
Dignus omni æternitate: nulla vel si æternitas
Sole sub nostro moratur, dignus annos Nestoris
Vincere, atque anus Sibyllæ præterire pulverem,
Absque morbo, imo absque curis, absque canitudine.
Sic tamen jaces juventæ vix peracto termino;
Si potest jacere totus, parte qui optima sui
Vivit atque floret inter siderum festos choros,
Unde venerat: nil essa præter & pellem algidam
Terra possidere novit: spiritus parvi laris
Grandis hospes, evolavit ad quietem candidam;
Vinculisque erroris soluta tædiosi carceris,
In sinu DEI triumphat æviterno gaudio,
Vita vera illic profecto, vera vita illic viget.
Ergo nigra Parca summis invide conatibus,
Ergo nigra Parca summis invide scientiis,
Ergo nigra Parca summis invide virtutibus:
Nil tamen raptu lucraris tam immodesto, quam ut refreti
Æquoris per mille Syrtes, mille per voragines,
In vadum, in portum salutis transferamur ocyus.

Mors repentina, & quid de ea sentendum.

De mortis genere repentino varium solet esse vulgi judicium: sed non eorum qui in Christi schola sunt educati: qui credunt Deum singulorum hominum curam gerere; qui sciunt capillum capitis non posse cadere, citra voluntatem patris cœlestis: qui persuasi sunt, omnia credentibus cedere in bonum. Nec imparatus à morte opprimitur, qui sacris meditationibus assiduè deditus, in explicatione scripturæ quotidiè versatus, ad immortalitatem toto vitæ curriculo adspiravit. Cuivis dictum: *vigilate, nescitis enim, qua hora Dominus vester venturus sit.* Et verè sententiosus ethnicus: *Quàm serum est, tunc vivere incipere, cùm desinendum est! Vere tota vita discendum est: & quod Magis miraberis, tota vita discendum est mori.*

Seneca lib. de brevit. vitæ.

Scripta.

Editæ sunt ab ipso, ut modò attigimus, *Oecumenii exegeses in septem illas, quæ Catholicæ dicuntur, Epistolas:* cum *interpretatione* Latinâ *Joann. Hentenii, & annotatione ac indicis collectione Coppenii*, ad S. P. Q. Rostochiensem. Post obitum ejus etiam foras datæ sunt *notæ eruditæ in Psalmorum sacrorum librum*; & latent plura in scrinnis apud heredes.

Hæcque de Coppenio *ex oratione dicta à D. Balthasaro Baumbachio Professore Haidelbergensi.*

JOANN. JACOBUS. GRYNÆUS.

Ob. 1617. ætat. 77.

PLacuit Domino Jehovæ, qui vita est nostra & longitudo dierum nostrorum *J. Jacobum Grynæum* in hanc mundi scenam producere, *Bernæ*, Helvetiorum urbe potentissimâ ac florentissima, ipsis Calendis Octobris, anno Christi *millesimo quingentesimo & quadragesimo*, inter *sextam & septimam* vespertinam: quo eodem anno in Galliâ *Guilielmus Budæus*, in Germaniâ *Eobanus Hessus*, viri in suo quisque genere doctrinæ summi occiderunt. Nimirum ut stellæ aliæ deprimuntur, aliæ ex adversâ parte emergunt: ita benignâ Dei voluntate, cujus deliciæ sunt cum filiis hominum, præclarorum virorum obitus ortu aliorum farciuntur.

Berna patria Grynæi. Natalis.

Majo-

Majores Gryn. Proavus. Avus.

Majores ipsius agricolæ fuerunt *Veringæ* in comitatu Zollerensi ex quibus *Iacobus* Grynter proavus ex *Anna* uxore sua tres sustulit liberos, *Iacobum*, *Ioannem* hujus nostri avum, & * *Simonem*, qui primus literarum ornamentis Grynæam familiam illustravit. Pater huic fuit *Thomas*, mater verò *Adelheida Stuberina*, homines pii & honesti. Ac pater quidem ejus rexit studia juventutis, quæ munificentia inclyti senatus in cœnobio quondam *Franciscanorum Bernæ* educabatur, annis *tredecim*. Postea *Basileam* ad literarum humaniorum professionem vocatus, eò migravit anno *millesimo, quingentesimo, quadragesimo* * *septimo*: ut non sine providentia divina prima hujus Grynæi pueritia in illud doctiss. viris abundans *Athenæum* delata videatur. Vixerunt autem parentes ejus in conjugio *Basileæ*, *Bernæ* & *Rotelæ* ab anno *trigesimo tertio* ad annum usque *sexagesimum quartum*. Eo enim, mense Augusto, peste grassante, pater ejus Ecclesiæ Pastor, ad Dominum migravit. Mater autem *Adelheida viginti* circiter *sex* annis pòst eum est subsecuta, anno nempe *nonagesimo*, die *vicesimo primo* Decembr.

* De quo in vitis Philosoph. German.

Parentes. Th. Gryn. Bernæ ludo præst.

Migrat Basil. 1547.

* Al. sexto

Amittit patrem. Ann. 1564. Et matrem An. 1590.

Frequentare ludum literarium *Basileæ* cœpit cum fratre *Simone*, ipse nondum * sexennis, Rectore *Thoma Platero, Felicis* illius medici verè felicis patre. Florebant tunc in Ecclesia & Academia Basileensi præter alios *Osvvaldus Myconius* Lucernas, Pastor in summo templo: *Martinus Borhaus*, *Sebastianus Munsterus*, ille veteris Testamenti, hic linguæ Hebrææ Professor: *Wolfgangus Wissenburgius* novi Instrumenti interpres, *Bonifacius Amerbachius*, J. C. urbis oraculum. In bello illo Germanico Basilea tunc fuit asylum *Christophoro Wirtembergico Duci*, & conjugi ejus, quæ ibidem filiam enixa est, postea *Guilielmo* Hassiæ Landgravio nuptam: patruo itidem illius *Georgio* Comiti Wirtembergico, à Cæsare proscripto: Baroni cuidam *Heideccio*, item *Schertelio* & aliis. Venerunt eodem non pauci è *Suevia* Theologi suis nidulis ejecti, inter quos & *Ioannes Brentius Halà* Suevorum cedere coactus. Divertit is ad viduam *Simonis Grynæi*, & tum quidem ad *Calvinum* ac *Bullingerum*, tanquam fratres in Christo colendos, literas dedit: postea longè alius. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ.

* Septennis Thomas Platerus.

Doctores clari tunc Basileæ.

Et profugi.

An. 1538.

Anno *quinquagesimo primo*, pro more Academiarum, examinatus Grynæus, prima suorum profectuum deposuit rudimenta, & è ludo literario in *Pædagogium Academicum* ductus est, atque artium studiosis adscriptus Rectore *Bonifacio Amerbachio*, unà cum fratre *Simone*, patruele *Samuele*, postea jureconsulto, & *Felice Platero*, deinde medico. Sub id tempus lue pestilenti populariter grassante est correptus, *duodecimum* agens ætatis annum, sed à qua Dei beneficio convaluit, studiorumque cursum gnaviter ursit. Audivit autem in illo Pædagogeo, quod hodie in *Gymnasium* translatum, *Thomam Grynæum* patrem, Græca & Latina: *Huldericum Coccium* Dialecticen, *Ioannem Nisæum Augustanum* Poëtica & Rhetorica tradentes.

Adscribitur studiosis Gryn.

Peste corripitur. An. 1552.

Præceptores in Pædagog.

In secunda deinde Pædagogii classe anno *quinquagesimo quarto*, *quinto & sexto* audit *Sebastianum Castalionem*, Græca: *Cœlium* Secundum *Curionem* orationes Ciceronis, *Ioannem Acronium Frisium*, Logicen & Mathematica, *Ioannem Nisæum* Partitiones Ciceronis, & Aristotelis Rhetoricorum ad Theodecten libros proponentes. *An.* 1554 55 56.

Sub annum *quinquagesimum sextum* pater ejus Rœtelam ad inspectionem Ecclesiarum, & Pastoris munus fuit evocatus, ipse tamen cum fratre *Simone* Basileæ substitit, atque Philosophiæ studium cum Theologiæ conjunxit. Docuerunt tunc præclarè, & audivit ipse anno *quinquagesimo septimo & octavo* in classe tertia *Ioannem Hospinianum*, qui organum Aristotelis; *Huldericum Hugvvaldum*, qui Ethicen Aristotelis, *I. Acronium*, qui disciplinas mathematicas; *Marcum Hopperum*, qui Physicen explicavit. Ex Theologis *Borrhaus* tunc Jesaiam eruditè expositit, & *Simon Sulcerus*, qui ab Helveticis Ecclesiis declinare visus in capite de sacra cœna. Ejusmodi igitur Doctoris cum admirator esset Grynæus; in errorum devia est abreptus, atque *decennium* totum, ut ipsemet loquitur in sua ἐξομολογήσει, & seductus fuit, & alios seduxit, donec tandem in viam veritatis, gratia divina eum reduxit. *Th. Gryn. Rœtelam evocatur. An.* 1556. *Manente filio Basil. Vbi audit Philosoph. An.* 1557. & 58. *Et Theolog. Simon. Sulcer.* *Vnde Gryn. error de S. Cœna.*

Anno *quinquagesimo nono*, cùm aliquandiu vicariam operam in præfectura *Rœtelana* concionando præstitisset, sufficetus est *Rœtelæ* in locum fratris sui *Theophili*, cui Ecclesiæ *Hauvvingensis* Ministerium erat demandatum, cum pater ante *triennium* ad ejus Ecclesiæ pastoratum esse vocatus. Die ergo *Bartholomæi* manus imponente *Sulcero* i lo Superintendente superiorum Ecclesiarum Marchicarum, inauguratus, & diaconus est creatus. *Tyrociniũ ministerii Gryn. An.* 1559. *Theophil. Gryn. fr. Inauguratur I. Iac. Gryn. ministerio. Tubingam abiit. An.* 1563.

Hoc officio functus est ad annum usque *sexagesimum tertium*, quo de patris & amicorum consilio *Tubingam*, uberioris eruditionis causa abiit, quanquam ipse *Vvittembergam* maluisset, cum quidem antea à *Carolo Badensi Marchione*, qui concionantem in arce *Rœtelana* cum delectatione audierat, oblatum esset *annuum centum florenorum stipendium*, sed quo ipse, certis de causis, usus non est. Venit *Tubingam* supremo Januario, instructus literis commendatitiis tum Parentis tum *Sulceri* ad *Iacobum Andream* & *Heerbrandum*, adscriptus studiosis à Rectore tum *Iacobo Scheckio*, qui multis pòst annis meliores ipsi in Theologia curas gratulatus, cum eo amicitiam coluit. Ut primum ad *Heerbrandum* venit, percunctatus est de *Sulcero*, *ecquid viveret ageretve?* cui ubi Grynæus respondit, *admodum esse occupatum*, ille ἐξωνένωσε subjecit: ja er hat gern viel zu schaffen: *imo lubens multis occupatur*, ideo dixit, quia Sulcerus inspectionem Ecclesiarum superiorum Marhionatus obtinuerat, illo præterito. *Heerbrandi de Sulcero.*

I. Guilielm Stuckius condiscip. Grynæi. Doctores quos audivit Tub.

Incidit autem Tubingæ bono fato in J. *Guilielmum Stuckium Tigurinum* adolescentem antea sibi notum, studiorum socium & amicum per omnem vitam fidelissimum. Cum hoc audivit ex Theologis *Iac. Andream, Heerbrandum, Snepsium,* & J. *Brentium* F. ex Philosophicis *Samuelem Hailandum* in Ethicis, *Georgium Liblerum* in Physicis, *Martinum Crusium* tunc in Sophocle: *Samuelem Siderocratem* in Theoricis planetarum. Erat imbutus tunc Grynæus utcunque doctrina Melanchthoniana, sed dogma *Lutheri* de Eucharistia serio profitebatur, nec improbabat *Ubiquitatem*, etsi hoc improbabat, benè meritos viros sæpè hostiliter perstringi, qui secus sentirent, aut sensissent.

An. 1564.

Defendit thes. Iac. Andr. de Vbiquit. & eu. charistia. Cogitur à Scheckio ἐπέχειν.

Anno *sexagesimo quarto*, cum Tubingæ commorari ipsi integrum non esset è consilio amicorum, adhibitus est à *Iacobo Andreæ* ad *thesium* quarundam defensionem *de ubiquitate & eucharistia*, ut forte juvenem in suæ causæ patrocinium portraheret. Habita est disputatio per sesquidiem, in quo *Grynæus* maximè à *Scheckio* fuit repressus, eoque adactus, ut necesse habuerit de illis opinionibus ἐπέχειν. Postea in nundinis Paschalibus Francofurto rediens *Haidelbergæ* in censores thesium illarum *Iacobi Andreæ* eruditos incidit; *Vrsinum, Erastum* & *Xylandrum*, qui strenuè eum exercuerunt.

Ab illa disputatione, cum mediocriter Theologis Tubinganis satisfeciisset, cursoriis prælectionibus, ut vocant, *Danielem* Prophetam enarravit, & ultima Octobris ejusdem anni, cum *Conrado Wolfg. Placio, Philippo, Heerbrando*, & *Luca Osiandro* Doctor Theologiæ est renunciatus à *Iacobo Heerbrando*. Sæpè postea ad amicos dixit: *se fato Metelli Doctorem designatum.* Paulò ante gradum illum, fratrem amiserat, & alios cognatos, peste longè lateque grassante.

Doctor Theol. renunciatur An. 1564.

An. 1565. Rœtelam revocatur I. Albert. ab Annweil. Succedit parenti. Ejus labores.

Itaque sub initium anni *sexagesimi quinti* mense Januario *Rœtelam* revocatus, atque autoritate *Caroli Marchionis Badensis*, consilio præsidis J. *Alberti ab Annweil*, voce *Simonis Sulceri*, parenti in officio pastorali est suffectus. Ibi dum egit, præter ordinarios labores privatis lectionibus diaconis, publicis autem disputationibus aliàs alibi in templis provincialibus habitis, prodesse studuit & ἀναζωπυρεῖν donum in se Dei, Synodos item binas quotannis celebravit; Deo laboribus ipsius largiter benedicente, & Halcyonia Ecclesiis in Marchionatu benignè faciente.

An. 1569. Ducit Vxorem

Anno *sexagesimo nono* animum ad uxorem ducendam adjecit, & de consilio fratris *Simonis, Laviniæ* de *Canonicis, Bononiensis* civis *Catalani*, & *Lucretiæ Florentinæ* filiæ, quam *Erastus* medicus per *octennium* aluerat, fidem dedit conjugalem, nuptiis celebratis *Haidelbergæ*. Cum hac annos *quadraginta* vixit placidè, suscepitque ex ea liberos *septem*, inter quos filius unicus.

Interea autem dum *Formula concordiæ* cuditur, ac variis obtruditur, ipse Biblia imprimis diligenter evolvit, deinde veterum & neotericorum scripta contulit, & aliorum judicia per literas atque coram cognovit.

Agnoscit veritatem Et fatetur palàm.

Paulatim igitur lux ei veritatis affulgere cepit, donec è Labyrintho illo emersit, in quo ab anno ætatis *decimo nono*, ad *vicesimum octavum*, usque hæserat. Ibi ergo cùm ab aliis modestè se dissentire non dissimularet, nec ambabus illud *ubiquitatis dogma* amplecti vellet, in multorum incurrit odium atque offensionem. Interea rogatu *Henrici Petri Episcopique* Typographorum, recognovit & ad prælum emendatiora adornavit opera *Eusebii, Origenis, Irenæi, Adagiorum Erasmi*, alia.

Recognoscit auctores & ad prælum adornat.

An. 1575. Discedit Basileam.

Anno *septuagesimo quinto* Basileam, capessendæ veteris Testamenti Professionis ergo, Magistratu inclyti illius urbis vocante, & *Carolo Marchione* adsentiente, cum familia, conjuge nempe & filialibus tribus, discessit, cùm *decennium Rœtelæ* officio pastorali esset functus. Dimissus autem à Principe suo ea lege fuit, ut & ipse *Marchicarum Ecclesiarum inspector* esset, & frater *Theophilus* in Ministerio *Rœtelæ* succederet. Adsignavit illi Princeps honorarium *viginti florenorum* annuorum.

Dimissus certa conditione.

Orditur Basileæ lectiones. Ab oratione.

Basileæ ergo initium lectionum fecit mensis Octobris die *vicesimo quarto*, de *difficultate suscepti muneris* præfatus: *quam pareret tum librorum Mosis, qui explicandi obvenerant, majestas, tum antecessorum, qui idem stadium decurrissent, præstantia singularis.* Enarravit autem *Genesin* non totam, cùm in auditorum gratiam ad *Psalmos* & *Prophetas* aliquot minores deflexit. Gratis etiam habuit *lectiones historicas*, de quo tamen nunquam fuit questus, memor illius *Clementis*: ὀλιγοδεὴς ὁ σωζόμενος. Expertus est etiam variorum voculas, quod de *cœna Domini* secus doceret, quàm volebant, qui in Lutheri verba jurarant. Sed ita Deo placuit ejus fidem explorare, qui & publicis & privatis laboribus ejus, ut & œconomiæ, largè benedixit, deditque ut vulnus inter *Tigurinam* & *Basileensem* Ecclesiam sensim coiret & sanaretur. Coluit ibi amicitiam maximè cum affine *Erasto, Basilio Amerbachio, Felice Platero, Theodoro Zvingero, Christiano Vrstisio*, & in convictu suo habuit è longinquis etiam Regionibus illuc missos, generosos *Barones, nobiles, Patricios, Doctores, ac literatissimos juvenes*, de quo postea. Edidit & scripta quædam illo *novennio*, de quibus etiam infra sub finem narratiunculæ.

Enarrat Gen. psal. item & Prophetas Lection. gratis obit.

Cum successu & benedictione divina. Amicitiam Basileæ.

Convictores permulti omnium ordinum.

An. 1583. Obitus Ludov. elect. Pal.

Anno *octogesimo tertio*, *duodecimo* Octobris *Haidelbergæ* obiit *Ludovicus* Elector Palatinus, cui successit tutoris & Administratoris nomine J. *Casimirus* frater, Princeps clarissimus. Is initio statim animum ad Ecclesiam & Academiam Electoratus Palatini adjecit, consilio usus tum aliorum consiliariorum, tum D. *Danielis Tossani* Theologi. Hic privatim per literas *Grynæum* prænonuit, ipsum *Grynæum Basilea*: *Argentorato* autem *Ioannem*

Stur-

Haidelb. evocatur Gryn. An. 1584 Vbi docet.

Sturmium evocatum iri, id quod sequenti anno factum. Eo enim à Principe vocatus, adsentiente senatu *Haidelbergam* venit mense Martio, ac ferè *biennium* ibi *sacras literas* atque *historica* docuit; Ecclesiæ & Academiæ, ut & scholæ consuluit, ac studium fidemque suam Principi Casimiro egregiè probavit. Inprimis autem memoranda hic venit, omissis aliis multis, quæ cum heterodoxis fratribus habuit colloquiis, *disputatio* illa anno *octogesimo quarto* mense *Aprili* præside hoc *Grynæo* indicta, quam & ipse Princeps sua præsentia illustravit, & ad exitum deduxit optatum.

Disputatio Haidelb. Gryn. præside 1584. habita.

Ea in συζητήσει novendiali potissimùm disceptatum de *Eucharistiæ* negocio fuit, magnâ cum lenitate nostratium, sed parvâ, ne dicam, nullâ cum modestiâ adversariorum, & audita sunt paradoxa permulta, de quibus hæc saltem gustui quasi dabimus. Dixerunt illi: *Filii Dei appellatio denotat solum* λόγον, *Patres veteris Instrumenti nec promissionem nec mandatum habuerunt, de Christi carne manducandâ, agnus Paschalis & Manna ex albo sacramentorum sunt expungenda*, enunciatio hæc: *circumcisio est fœdus, non extat apud Mosen. Infideles manducant & quidem ore corporis Christi corpus*, denique cum syllogisticè jussi essent agere, quidam hæc in verba erupit, *Quorsum Syllogismis opus est, aut rationibus?* Hic quis non exclamet?

Paradoxa in ea audita.

O capita, Anticyris vix expurganda duabus!

Exitus illius disputationis.

Exitus tandem à congressione nonâ ejus velitationis hic fuit, ut & Theologi & discipuli in collegiis, qui veritati locum dare nollent, inimicique pacis & tubæ intestinarum discordiarum essent, sæpiùs sint auditi, placidè moniti, tandem benignè demissi. Ex eo in Electoralis Palatinatus templis & scholis orthodoxa de *Christi persona & Sacramentis* doctrina huc usque sonuit, pro quo DEI beneficio gratiæ agendæ sunt immortales.

An. 1585. Revocatur Basileam Gryn.

Anno deinde *octogesimo quinto*, mortuo *Sulcero*, ipse absens incredibili piorum cum desiderio, antistes Ecclesiæ Basilcensis designatur, cùm *Haidelbergæ biennium* integrum nondum exegisset. Quæ vocatio initium fuit ejus lucis, quæ *Grynæum* è tenebris eduxit. Certior itaque de vocatione illa factus, *Basileam* venit sub initium anni *octogesimi sexti*, cum applausu totius Ecclesiæ exceptus. Ibi habitis concionibus duabus, quæ etiam olim adversariis probatæ, *Haidelbergam* rediit, Principi, Ecclesiæ, & Academiæ valedixit, cumque familia *Basileam* mense Martio remigravit. Dimissus *Haidelbergæ* est bona cum Principis gratia, qui & de vehiculo ipsi prospexit, & discedentem μνημοσύνῳ aureo suæ imaginis donavit.

An. 1586. Revenit.

Hoc in officio ad beatum usque è vita exitum perstitit, omni cura, cogitatione, atque industria, ad Ecclesiæ *Basileensis*, ad studia scholarum, ad Academiæ denique emolumentum & incrementum collata. Triplex enim laborum genus ei fuit impositum, *Ecclesiasticum*, *Academicum*, & *scholasticum*. In *Ecclesia antistitis quarti* à Reformatione, & fidi *Pastoris* munere functus est, dum doctrina sana animos pavit, afflictos molestiis consolando levavit, ægrotis è cœlesti pharmacopoléo remedia subministravit, & quæ impedire cursum Evangelii possent, sedulò removit. Et hoc fine Ecclesias suæ diœcesios solenni visitatione obivit; inprimis anno *nonagesimo quarto* administro *Ioanne Triphio* Pastore Basileæ in æde D. *Leonhardi*, concordiam inter fratres aluit: utque sua Ministerio constaret auctoritas; operam dedit.

Triplex ibi laborum Gryn. genus.

Ecclesiasticum.

Visitat Ecclesias Ioann. Triphius.

In *scholastico* officio, scholæ, ut vocant, triviali *Basileæ* cum aliis doctissimis viris *Bonifacio Amerbachio*, *Samuele Grynæo*, *Theodoro Zwingero*, *Felice Platero*, & *Christiano Wrstisio* ita rationem habuit, ut & de idoneis Præceptoribus ei prospexerit, & studia discentum explorarit, & pauperiorum scholasticorum inopiæ succurrerit, verbo ut dicamus, id effecit, brevi ut tempore schola ea in magnam juventutis frequentiam excreverit. Hoc etiam ipsi moris erat, ut quotannis binas in summi templi choro festivitates celebraret, quibus brabéa distribuit diligentioribus, & ob profectus in superiorem classem promotis, deinde orationem de *scholarum præstantia*, de *officio docentum discentumque*, deque aliis argumentis jucundis habuit, & quidem, ob circumfusam illiteratæ plebis coronam, lingua vernacula.

Scholasticum Gryn. officium.

Examina scholastica instituit.

In *Academia* tandem muneribus amplissimis & laboribus maximis est perfunctus; iisque tum *statis*, ut professione Theologica & historica, tum *periodicis*, rectoratu & decanatu. Novi Testamenti professionem cum Antistitis munere suscepit, inque eo ad vitæ usque finem cum auditorum fructu versatus est. Huic professioni *historiarum* adjunxit explicationem idque sine ullius salarii numeratione. Præter istos labores legationes quoque subiit Ecclesiasticas aliquoties, tum antequam *Basileam* veniret in *Marchionatu Badensi*, tum post suum ad *Basileenses* abitum.

Academicum officium, & labores

Legationes ejusd.

Anno *octogesimo octavo Mulhusium in Sequanis* bis fuit missus, ut & Ministerio constituto cives rebelles ad pacem invitaret, & Synodo interesset. Eodem anno *Bernam* ivit ad colloquium, de controversiis Religionis instituendum, quas *Samuel* ille *Huberus* & *Claudius Alberius*, *Lausannæ* Philosophiæ Professor, excitarant, de cujus conventus exitu alibi. Invitatus etiam *Haidelbergam* secundùm abiit, salutandorum Principis & fratrum causa.

Tandem decurso vitæ in terris honestè, piè, & justè, curriculo, vires paulatim decrescere ceperunt in corpusculo laboribus, curis, vigiliisque exhausto, inprimis autem videndi sensus, naturâ in eo hebetior præsertim altero oculo, tandem ferè totus defecit anno 72. ex cephalalgia. Compensavit autem hunc defectum ingenii & memoriæ felicitate. Ac-

Laborat visus difficultate.

cessit luctus ex obitu amicissimorum hominum, quibus ipse contra votum superstes. *Funera suorum effert.* Præmisit parentes, fratres, sorores, liberos omnes, una filia excepta, generum *Amandum Polanum*, Veteris Testamenti Professorem, uxorem denique longè carissimam & desideratissimam, pestilenti lue, anno *sexcentesimo decimo*, Mense Septembri, sublatam. *Cholica laborat.* Hos subsequi, cum unicè in votis haberet, anno seculi *decimi sexti decimo quinto* cholica gravissima laborare cepit, quâ tamen Dei beneficio depulsâ, ad munus suum in templo & schola alacris rediit. *Recidivâ patitur.* Sed rediit quoque idem morbus anno *decimo septimo*: cumque abiisse iterum visus, ultimam ipse concionem & lectionem habuit mense *Iunio:* sed recidivam passus immensos cholicos & nephriticos cruciatus per intervalla sustinuit, incredibili cum patientia; *Patientia ejus in morbis.* adeo ut in summa dolorum sævitia exclamaret:

Vi nunc triste mori est, sic dulce resurgere quondam,
Christus ut in vita, sic quoque morte lucrum est.
In terris labor est, requies sed suavis in urna,
In summo venient gaudia summa die.

Febri conficitur. Postea cùm & à cholica & calculo liberatus esset, lenta eum febris invasit, quæ ipsum propemodum sine sensu confecit. Interea ipse totus in precibus, imò spiritu quasi jam in cœlis æternæ vitæ gustum præcipiebat, nihilque in votis erat aliud, quam *dissolvi, & esse cum Christo*, cui & voce & gestu seriò se *Exspirat ex voto.* commendavit. Voti compos factus est die *trigesima* Augusti intra *sextam & septimam* matutinam, qua brachiis decussatim complicatis, quo modo se alias ad somnum componebat, corporis carcere solutus, animam Redemtori suo reddidit. *Funus ei honorif. factum.* Corpus, per annos *septuaginta septem* animæ illius habitaculum, calendis Septembribus, humeris aliquot Pastorum Ecclesiæ Basileensis elatum, ac Christiano ritu, in summi templi Xysto, honorificè est terræ mandatum, prosequentibus funus consulibus, senatoribus, Pastoribus, atque Professoribus, nec non populosa civium tam urbicorum, quàm Academicorum serie; concionem habente *Wolfgango Meiero* S. Theolog. D. quæ typis excusa prodiit. Memoriæ ejus & honori tum multa à doctissimis viris *Epitaphia* scripta sunt carmina, tum *Monumentum* à suis ejusmodi locatum: *Monumentum.*

D. O. M. S.

JOANNES JACOBUS GRYNÆUS
THEOLOG. CELEBERR.
BASILIENSIS ECCLESIÆ QUARTUS
ANTISTES, ET ACADEM. PROFESSOR,
POSTQUAM IN QUINQUAG.
OCTAV. AN.
ROETELÆ IN MARCHION. BADENSI, ET HAIDELBERGÆ IN PALATINATU, POTISS. VERO BASILEÆ RAURACOR.
SIMPLICITATE CORDIS,
SINCERITATE DOCTRINÆ,
VITÆQUE INTEGRITATE,
CONSCIENTIAM DEO PROBASSET,
CURIS, LABORIBUS, SENIO, DOLORIB. COLICIS CONFECTUS,
TANDEM LENTA FEBRE EXSTINCTUS,
MORTALITATI AUREAM IMPOSUIT CORONIDEM;
ET IN HOC TEMPLI XYSTO
ÆTERNÆ BEATITATIS CORONAM PRÆSTOLATUR:
♋ TERT. CALEND. SEPTEMBR.
ANN. XVII. DECIMI SEXTI A
CHRISTO NATO SECULI,
ÆTAT. CLIMACTER. UNDECIMO.
HOC MONUM. PRO MUNERE EXTREMO GENER, FILIA, NEPOT. CUM LACRUM.
POSUER.

Ἀγαθοὶ ἦ σοφοὶ κατὰ δαίμονα ἄνδρες.

Edita sunt à variis Epicedia in obitum ejus collata, cum parentali oratione, nos *Iani Gruteri* addimus: *I. Gruteri Epigram. in Gryn.*

Te licet, Grynæe, cœlum jam gravem annis excipit:
Perque bis septena lustra lux ovasti publica;
Lux salubris, lux suavis, lux ferax, lux byssina:
Haud secus desideraris sic tamen passim à choro,
Summa quem doctrina clarum, summa quem virtus facit:
Atque si raptus fuisses sub juventæ exordio.
Id meret mens fraudis expers; id meret pectus probri
Labe nulla adinquinatum, felle nullo lividum,
Corque simplex, osque verum: denique expressissimum
Seculi exemplar vetusti, nomen Aurum cui dedit.
O Grynæe, nulla non mors est viro immaturior;
Quem mori nunquam decebat; præsidere quem solo
Omne oportebat per ævum: sicut æternum è polo
Astra spargunt cuncta lumen, cumque Luna Lucifer.
Terra sed profectò tanto digna non erat bono
Ergo te cœlum recepit, unde originem hauseras;
Inque gratitudinem illinc exprobras viventium.
Nam licet simus te honore prosecuti plurimo,
Nam licet simus te amore prosecuti plurimo:
Non tamen sat assecuti, quid fores, sumus.
Merum
Quippe eras aurum, atque optimi Margarita ponderis:
Cùm viderére esse nobis, fulvidum as, splendens vitrum.

Atque

Pietas Grynæi

Atq; ita agona in terris suum absolvit Theologus hic, non unus de multis, cujus pietas tum in omni vita, tum in extremo ejus illustris exstitit. Ibi quotiescunque officii causa fratres eum invisserunt, petivit semper, ut ante colloquium recitarent *articulos Christianæ fidei*, & *formulam precandi*, quam Salvator nobis ipse dictavit. Gratias præterea DEO seriò egit pro omnibus beneficiis, tum verò pro paterna illa castigatione morbi supremi.

Protestatio ejus.

Ad D. *Mejerum* testatus est, & ipsum hæc testari ad alios voluit: *se in fide ac doctrina, quam aliis tradidisset, constanter mansisse & obiisse, Deum orasse ex animo, ut de alio pacis veritatisq; amante pastore prospiciat ecclesiæ Basileensi, magistratui & civibus benedicat, collegis vale & gratias pro officiis dicat, mortem denique non simulatè, sed verè expetiisse*, quibus hæc subjecit: *ô præclarum illum diem, cum ad illud animorum concilium cœlumque proficiscar, & cùm ex hac turba, & colluvione discedam!* Si enim, dicebat, ethnicus ita sensit, cur nos Christiani eodem animo non simus?

Pietas in parentem fratrem, & suos.

Pietatem deinde in suos probavit summam, quando matrem viduam, piam matronam, nunquam sine munere ἀντισπεπλεύω invisit, & fratri *Tobiæ* non solùm nuptiarum expensas, sed per *novennium* certam vini, frumenti & pecuniæ vim liberali animo donavit.

Temperantia & alia virtutes.

Temperans fuit in omni vita, in victu, in cultu corporis, *humanus* erga quemvis & affabilis, *officiosus* in omnes cujuscunque ordinis, *concordiæ studiosus*, & amicitiæ virorum bonorum & doctorum, id quod *chiliades* aliquot *epistolarum*, à magni nominis viris ad ipsum scriptarum, loquuntur.

Diligentia

Ante solis ortum surrexit, diem totum precando, scribendo, legendo, ægros visitando consumens, nec meridianum somnum cœpit unquam, nisi cùm à medicis paucis ante obitum annis id ei esset consultum.

Celebritas ejus.

Fama nominis tanta, ut & principes aliique nobilitatis illustris ac patritiæ viri & juvenes senem venerandum observarint, & è regionibus longinquis audiendi ipsius causa iter susceperint, è quorum numero *Georgius Gelnicius Borussius*, juvenis egregius, qui iter ad *Grynæum* jam jam ingressurus, morbo correptus, moribunda manu hoc hexastichon ad *Jo. Fabricium* Dantiscani Gymnasii Rectorem exaravit:

Georgius Gelnicius Borussus.

Ejus epigramma in morbo.

Te visurus eram, clara Haidelberga, Grynæe,
Te quoque visurus, noluit Omnipotens.
Sedibus æthereis, ait, est Academia vera
Verus ubi doctor, me genitore, satus.
Haidelberga vale, valeas quoque clare Grynæe,
Ludus hic est melior, doctor hic est melior.

Convictores Grynæi.

Convictu ejus usi sunt & libenter & jucundè permulti, ut ipse ultra *trecentos*, qui saltem memoriæ tum fuerunt, adnotarit. Pavit autem eos non solum corporis, sed etiam animi alimoniâ, colloquiis omni ambrosia & nectare suavioribus, atque apophthegmatis & acroamatis, memoria perpetua dignis.

Colloquia cum eis.

Dicta acuta & rotunda.

Nam sententiosè ac breviter dictis maximè semper est gavisus. Interrogatus aliquando à consule, cur *Historii* ad se literis, quas salvo aliquoties signo remittebat, nihil omninò responderet? *Inhonestum est*, ex Chrysostomo inquit, *honestam matronam litigare cum meretrice.* Studiosos adolescentes uti, Liviani instar senis, ad doctrinæ gloriam consurgentes lætus adspiciebat, ita ad mensam disputaturientes ad *Polanum* rejiciebat, *plures* addens *esse, qui adorent solem orientem, quam occidentem.* De Erasmi laboribus cùm aliquando judicium ferret, *Pontifici Romano*, dicebat, *Erasmum plus nocuisse jocando, quàm Lutherum stomachando.* Cùm brumæ acerbioris tempore, *Arragosio* Medico jam octogenario, in platea occurrisset; isque, *Ecquid quæso tecum, Grynæe, modò meditabaris? Cogitabam*, ait, *parum superesse olei in mea lampade, quod facilè queat hoc exstingui frigore. Academiarum ornamenta quinq;* sæpe recitabat, εὐταξίαν, *lucem doctrinæ, disciplinam, concordiam docentium & discentium, humanitatem & beneficentiam magistratuum.* E Platina hæc *Æneæ Sylvii* apophthegmata laudabat: *omnem sectam, humana autoritate firmatam, ratione carere, sanctas esse leges, quæ vaganti licentiæ frenum imponant, ut in mare omnia flumina, sic in magnas aulas omnia vitia fluere, Regem, qui nulli fidat, inutilem esse, nec meliorem, qui omnibus corpora à malis medicis animum à malis sacerdotibus occidi, vagum monachum esse Diaboli mancipium.*

Eraſmus Pontifici nocuit.

Ornamenta Academiarum quinque.

Æneæ Sylvii apophthegmata.

Literis amicorum, præsertim historicis, plurimùm est delectatus. Itaque cum aliquando ejus generis à *Chytræo* accepisset, valdè iis fuit exhilaratus, statimque ei rescripsit, & inter alia hæc, *si non amplius in his terris te visurus sum, ibi tamen conveniemus, ubi Luthero cum Zvvinglio optimè jam convenit.*

Literis historicis delectat Grynæus.

In contumeliis ferendis *Thrasibuli* est ἀμυησίαν imitatus, ac injurias non nisi *Christiano silentio* solitus ulcisci. Quoties recordabatur primi suæ professionis novennii, quo Basilea nec vitia sua poterat nec remedia pati, recordabatur autem sæpiùs, *publici sese odii victimam extitisse* dicebat. Accidit, cùm, thesibus publicè ad disputandum propositis, magistrum quendam alumnum Academiæ, respondentem delegisset, ut pridiè disputationis, sub multam vesperam alumnus ille ad *Sulcerum* accerseretur. Paret hic, præstò est: postero mane sibi in oppidum tertio ab urbe lapide excurrendum audit. Ostendens illico, sibi respondendi partes demandatas, quas deserere nefas sit, denuo audit, profectionem antè maturandam, quàm negotium pluribus innotescat. Anne, ille iterum, ut vel præsidem præmonere non liceat? Ita quidem, ait ille, nî de stipen-

Patiens contumeliarum.

dio periclitari velis. Percussus adolescens hoc fulmine, mane se in viam dat, præses respondentem in subsellis auditorii expectare ratus, cum *Fabricio*, claro pòst Theologiæ doctore, ad disputationem item properante, auditorium ingreditur. Sed abierat jam respondens: consideretur diu. Tandem olfaciens invidorum stratagema præses, quod est difficilimum, ubique irâ superior: *quando*, inquit placidè, *à respondente meo desertus sum, rogo amicum Fabricium; ut susceptа haud gravatè hac provincia ad gloriam Dei, nunc suggestum conscendat.* Quid multis? Obtemperante illo, cum doctissima fuit disputatio, tum nullum in præside immutati animi signum animadversum.

Scripta. Scripta, quibus posteritati prodesse studuit, maximam partem sunt *didactica*, *exegetica*, vel *historica*, pauca *polemica*, ut sunt.

Epitomes Bibliorum pars prima, complectens V. T. tum librorum, tum capitum argumenta.

Σκιαγραφία *Theologiæ* secundum tres methodi formes.

Character Christianorum.

Enarratio aliquot *Psalmorum & Prophetarum*, ut *Haggæi*, *Jonæ*, *Habacuc*, *Malachiæ*, *Obadiæ*, *Danielis* quinque priorum capitum.

Explanatio Evangelii secundum Matthæum decem priorum capitum: item dicti; *Pater major me est.*

Exegesis epistolæ ad Romanos, ad Colossenses, ad Hebræos, primæ & secundæ Joannis.

Theologicorum theorematum & problematum partes tres.

Demonstrationes Evangelistarum: Jesum esse Christum, & credentes vitam habere per nomen ejus.

Theses ac disputationes Theologicæ, in Academia Basileensi habitæ. *Commonefactio de officio piorum hominum, qui necesse habent versari ad Catadupa anathematismorum, adversus doctrinam de Eucharistia.*

Irenæi opera illustrata.

Historia Ecclesiastica ex fide Græcorum codicum.

Chronologia historiæ Evangelicæ.

Apologia, qua respondetur ad *Jac. Andreæ* criminationes in scripto, cui titulus: *Disputationis de Cœna Domini confutatio.*

Prodierunt & *Epistolæ I. Jacobi Grynæi*, plenæ gravissimarum rerum lectuque dignissimæ. Et plura illius necdum edita, pii bonique sperant inposterum proditura.

Tantum de Grynæo, Theologo vero, *ex concione funebri à D. Wolfgango Majero habita: ex narratione edita de vita atque obitu ipsius, collecta per ejus nepotes J. Jacob. & Hieronym. à Brun: cumprimis verò ex oratione Jeremiæ Sohnii, vivo Gryhæo scripta, & ex amicorum M. S. aliis.*

FINIS VITARUM THEOLOGICAR.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, QUÆ HOC IN VOLUMINE REPERIUNTUR,

Ubi a. *primam* b. *alteram paginæ sectionem notat.*

Dias Prætorius regit ludum Soltvellensem & Magdeburgensem 222. a. cantum lectionibus interponit. ibid. ab Antinomis impetitur ibid. vocatur in aulam Berlinensem ib. disputat cum Jesuita quodam ibid. docet Wittembergæ 222. b. somnium ejus ante obitum. ibid. regulæ ejus loquendi de bonis operibus ibid.

Abrahamus Bucholcerus felicem se & cur prædicarit 262. a. controversias dijudicaret discit 262. b. interest Wittembergæ examini cujusdam ordinandi. ibid. vocatur Grünbergam 263. b. scholæ operam suam addicit 263. b. migrat in aulam Crosnensem 264. b. inde Freistadium ib. ejus doctrina, facundia & aliæ virtutes 264. seqq. timiditas ei objecta 266. a. Genethliacos non curat 266. b. versus Epitaphios componit 267. a. ejus concio ultima ibid. monita ejus de studio Theolog. 397. a.

Abraham Metzradt 261. a.

Academiæ Gryphisvvaldensis initium 349. b.

Academiarum ornamenta quæ 417. a.

Academiæ Rostochiensis status 376. a.

Academiæ Wittembergensis auctores 8. b.

Adamus Neuserus apostata 388.
ejus interitus ibid.

Adiaphora quando talia non sint 226. a.

Adolphus Princeps Anhaltinus 119. b.

Adoratio sacramenti an licita 79. a.

Adrianus Papa reformationem Uratislaviæ impedire conatur 89. a. cui senatus respondet ibid.

Adrianus Pauli mercaturæ addicitur 334. b. redit ad studia ibid. Wittembergæ Magister renunciatur 385. a. ludo Thorunii præficitur ibid. Dantisci scholæ & templo præest ibid. ejus doctrina ibid. εὐλογία 385. b.

Adversariorum libri legendi 398. a.

Ægidius Hunnius 344. a. de eo præsagium ibid. incidit in prava sodalitia ibid. Tubingæ dat operam Theologiæ 344. a. regit ibi collegium ibid. designatur Professor Marpurgensis 345. b. elogium ejus ab Heerbrando ibid oppugnat Sacramentarios 346. a. Flacianis itidem bellum indicit. ibid. Wittembergam venit ibid. reformat in Saxonia 346. b. & in Ducatu Lignicensi ibid. varia subit certamina ibid. in morbo confessionem edit 347. a. Ejus virtutes & dotes 347. a. b.

Ægidius Tschudus 254. b.

Æneæ Sylvii apophthegmata 418. a.

Ænigma de Franciscanis 5. b.

Albertus Brandeburgicus Dux Borussiæ ab Osiandro discit veritatem Evangelii 110. a. jubet Theologos suos sententiam de justificatione hominis coram Deo exponere 113. a. confessio ejus nova, cui subscribunt Theologi 115. a. in viam reductus ἀμωμησίαν sancit ibid. decretum ejus, quomodo de justificatione docendum sit ibid.

Albertus Moguntinus Luthero respondet 53. b.

Albertus Ursius Comes de Ballenstet atque Ascania 119. a. exercitui contra Saracenos præficitur ib. creatur Marchio Brandeburg. & elector ibid. 246.

Alberti Brandeburgici obitus 320. b.

Alberbacum cœnobium 198. a.

Albona oppidum 227. a.

Alcoranus Germanicè editus 73. a.

Ambitio multos perdit 197 a. & b.

Amandus Polanus Uratislavia Tubingam venit 383. a. ejus de Electione sententia b. Basileam transit ibid. Baroni Zerotinio præficitur ibid. Professor Basileæ constituitur ibid. virtutes ejus 384. a. conjugium ibid.

Ambrosius Blaurerus vitam monasticam deserit 198. a. docet Constantiæ & Augustæ ibid. inde discedit b. in eum Epigramma ibid.

Ambrosius Moibanus collega Hessi 90. a. ejus in studiis industria 124. a. reformat Ecclesiam Uratislaviæ ibid. scholarum

est inspector ibid. ejus cum Hesso comparatio ibid. jocus ejusdem ibid. carmen ibid.
Amicitia literaria firma 208. b.
Andreas Bauduius peregrinatur 403. b. ministerio sacro se addicit b. docet Lignicii 403. b. migrat Cromavium Boëmiæ ib. revocatur Lignicium, ubi Pastor & Inspector designatur 404. a.
Andreas Bodenstein Carolostadius alphabeti literis notatus 38. a. Romæ Theologiam discit ibid. Wittembergæ canonicus ib. Lutherum Doctorem renunciat. ibid. disputat cum Eccio 53. a. ejus theses contra Papatum 38. b. mutat ritus quosdam ibid. ducit uxorem 39. a. offendit Lutherum ib. paciscitur cum eo de pugna 39. b. expellitur Thuringia ib. ejus doctrina de cœna ib. reditum impetrat 40. a. Basileam migrat, ubi moritur ib. fabula de ejus obitu 40. b.
Andreas Cnophius ubi primus emendarit doctrinam & ritus 8. a. ejus odæ sacræ b.
Andreas Gerhardus Hyperius 44. a. 187. ejus studia in Acad. ib. peregrinatur 187. 188. succedit Noviomago b. instituit concionandi exersitium 189. a. examen Theolog. ib. epigrammata in eum b. 190. a. ejus virtutes, dotes, & scripta ib.
Andreas Osiander docet Norinbergæ 109. b. in Colloquio Marpurgi concionatur 110. a. venit in Borussiam ib. docet in Acad. Regiomontana ib. dogma ejus de justitia hominis coram Deo b. confessionem suam edit 113. b. de ea Melanchthonis judicium ib. in medio certamine moritur 114. a. ejus adsectæ b. elogium à Camerario 237. oppugnat Melanchthonem 115. a. diæta ejus & studiorum ratio 115. b. auream gestat catenam & cur. ib. levitas ei exprobrata ib. liber ejus de magistratu ibid. morbus mirabilis 115. b.
Andreas Osiander junior docet Uraci 409. b. concionator & consiliarius aulæ Wirtemberg. ib.
Abbas Adelbergensis ib. tandem præpositus, Superintendens, & Cancellarius Tubing. ib. gesta ejus 410. a.
Andreas Proles Prior Augustinianorum 3. a. prædicit reformationem religionis ib. cur ipse eam non aggressus 3. a. Provincialis Augustinianorum ib. vocatus ad Synodum contradicit de indicendo festo ib. excommunicatur & insidiis petitur b. Romam vocatus monetur, inque reditu moritur 5. b.
Angli hospites Tiguri 238. b.
Anglicus sudor 25. b.
Anguillarum insolens multitudo 117. a.
Anabaptistæ Augustæ 34. b. 180. b. inde pelluntur 35. a. 181. a. contra eos scribit Urbanus Regius 37. a.
Antverpiæ nidulantur 93. a. corum articuli 93. b. contra eos Luther. & Zvvingl. 65. Consilium de iis Musculi 180. b. turbant Ecclesiam Tiguri 14. a. Bremogarti 229. a.
Annæberga oppidum antea Schreckenberg dictum 156. b.
Anhaltini Principes unde orit 119. a.
Anhusium cœnobium in ducatu Wirtembergico 277. a.
Animæ per monachorum avaritiam non possunt liberari 138. a.
Annonæ caritas in Silesia 352. a.
Antinomi 171. b. eorum doctrina ib. à Luthero refutata. ib.
Antigoni dictum de diademate 392. b.
Antonini Imperatoris elogium 123. b.
Antonius Firnus pastor Argentorati 92. b. primus ministrorum ibi uxorem ducit 93. a.
Antonius Musa ad Lutherum quid questus 80. a.
Apostata quis 46. a.
Apostatam se esse negat Lutherus 70. a.
Ara cœli templum Romæ 137. a.
Aristoteles viginti annis Platonem audivit 268. a.
Artium & linguarum studia instrumentum reformationis 1. a.
Ascania arx unde dicta 119. a.
Alcanis etymon 119. b.
Ater an albus *proverb.* 20. a.
Avaritia sacrificulorum 137. a.
Augustæ Vindelicorum descriptio 146. a.
Augustinus an monachus fuerit 10. b. eum legit Lutherus 49. a. ex eo Oecolampadius sententiam de sacramentis discit 27. a. opera ejus Basileæ excusa 131. b. ejus de libero arbitrio sententia 200. b.
Auctores profani sacra studia non impediunt 411. b.

B.

BAbylæ martyris vox 270. b.
Bacchanaliorum celebratio reprehensa 117. b.
Baldus Lupatinus dehortatur Flacium à monachatu 227. a. aquis submersus b.
Balthasar Hubnerus Princeps Catabaptistarum 14. a.
Baptistæ Mantuani nomen olim 217. b.
Bartholomæus Coppenius alumnus Elect. Palat. 410. b. peregrinatio ejus literaria ib. Professor Hebr. linguæ Haidelbergæ & Præceptor Sapientiæ 411. a. Neuhusiano Gymnasio præficitur ib. fit Theol. Profess. Haidelbergæ ib. invitatur à Bremensibus ib. auctores quos probarit 411. b. Philosophiam domi docet 412. a. legit scripta JCtorum & Medicorum ib. repente exspirat ib.
Bartholomæus Bernhardus Feldkirch primus ministrorum in Germania uxorem ducit 39. a. facti sui rationem jubetur reddere 151. a.

Bartholomæus Pitiscus è pago oriundus 396. b. instituit Gotfrid. Ribischium ib. alumnus Bergerianus 397. b. consulit Theologos de studio Theologico rectè instituendo ib. Servestam, & in Palatinat. abit 398. b. adhibetur institutioni Palatini Principis ib. diaconi aulici munus suscipit ib. fit aulicus concionator 399. a. peregrè cum suo Principe abit ib. ejus in sacris & Mathesi eruditio 399. b. Tychonis Brahe judicium de ipso ib.
Basileensis Ecclesiæ reformatio 25. b.
Basilii obitus 280. a.
Bellum Helveticum 16. b. de eo Zvvinglii Epistola ib. ejus causa 17. a.
Bellum Germanicum & ejus causæ 165. in eo status Germaniæ 303. a.
Bellum civile primum in Gallia 334. b. alterum 335. a. tertium 335. b.
Bellum Colonienſe 358. b.
Beneficentia Argentoratensis senatus 117. b.
Benedictus Aretius docet Marpurgi 223. a. posteaBernæ ib. P. Nigidii in eum carmen ib.
Benno Episcopus Misnensis inter divos relatus 61. b.
Bernhardi dictum de remissione peccatorum 49. a.
Bernhardus Ascaniusa Princeps Elector Saxoniæ 119. a.
Bernhardus Ochinus Italicæ Ecclesiæ Tiguri præfectus 235. b. polygamiam defendit 235. b. variè vagatur ib. Colloquium ejus cum Cardinale Lotharingo ib.
Bertholdus Hallerus Theol. baccalaureus & Bernæ Canonicus 28. a. sentit cum Zvvinglio ib. interest disputationi Badensi ib. & Bernensi 28. b.
Bethaven Wittembergæ 60. b.
Biblia loco Augustini prælecta 4. b. Hebraica Ex Italia in Germaniam illata 130. b. Luthero primum visa 25. b. ab eo translata vernaculè prodeunt 70. b. Tigurina 37. a. respuit Lutherus 231. a. difficultas transferendi ea 77. a. modus transferendi ib. translatio reprehensa 77. b. Complutensia 136. a. 194. b. Jacobo Andreæ donata ab Aug. Sax. Elect. 309. Origenis 194. b.
Bibliothecæ Leidensis initium 283. a.
Bona opera ad salutem an necessaria 33. a. quæ sint 99. 224. a.
Boëmi Lutherum hortantur 52. b. & ipse Boëmos 59. a.
Bremogarta oppidum 217. a.
Brigittæ fabula 137. b.
Brunsuicensis Ecclesiæ antistites 218. a.
Bucholcerorum familia & insignia 261. b.

C.

CAlendarium novum Gregorii Pontificis 361. a. rejectum & cur ib.
Calumnæ vis 201. a.
Canon Missæ 31. b. 60. b.
Capellæ cœnobium 242. a.
Capitulum Rotomagense, & eleemosyna à Rege Portugaliæ 135. b.
Carolus Mantiojus 188. a.
Carolus Miltitius Germanus cubicularius Pontificis 51. b. 52. b. scripta ejus ib. ejus de Luthero verba ib. ridiculè explorat mulierculârum sententiam ib. Tecelium objurgat 52. b. evocat Lutherum Confluentiam 53. b.
Caroli V. judicium de Lutheri vehementia 78. b.
Caspar Bornerus Italiam Romamque lustrat 91. a. Lipsiæ docet ib. Academ. tuetur ib. P. Mosellanum Lipsiam pertrahit ib. peste exstinguitur ib.
Caspar Cruciger 93. a. ejus schema natalicium ib. Lipsia Wittembergam venit 93. b. Magdeburgi regit scholam 94. a. revocatur Wittembergam ib. juvat Lutherum in Bibliorum versione ib. notarius in Colloquio Wormatiensi 94. b. excipit Lutheri conciones ib. enarrat Symbolum Nicenum ib. excolit Mathemata 59. a. optices peritus ib. lucubrationibus morbum contrahit 95. b. precatio ejus ib. epigramma Lotichii in eum 96. a.
Caspar Glaser ephorus Principis Bipontini 30. b.
Caspar Hedio summo Templo Moguntiæ præfectus 116. b. abit Argentoratum ib. persecutionem patitur 117. a. vocatur Coloniam ib. ejus testamentum ib. Epigrammata in eum 117. b.
Caspar Olevianus Doctor Juris renunciatus, ejusque testimonium 284. a. periclitatur in flumine b. Theol. cum Jurisprud. conjungit ib. Farelli monitu docet Treviris 285. a. impeditur à Canonicis ib. custodiæ cum aliis datur 285. b. Haidelbergam abducitur ib. est cum Witgensteinii filiis ib. inde venit Herbornam ib. voces ejus in morbo & visio 286.
Caspar Satzger provincialis Minor 134. b. ejus secretarius Pellicanus ib. minister provinc. 139. b. tragœdiâ cum Pellicano 140. a. ejus testimon. Pellicano perhib. 140. b.
Caspar Schvvenckfeld 64. a. ejus doctrina refutata 231. a. respondet ei Lutherus 73. a. contra eundem Melanchthon 162. b.
Caspar Ursinus 252. b.
Caspar Waler Haidelb. concionator 128. a.
Catabaptistarum ortus & gesta cum iis Tiguri 14. a.
Catechesis major & minor Lutheri 65. b.
Catechesis Palatina qua occasione scripta 255. a. impugnatur ib. defenditur ib.
Centum gravamina Germanicæ nationis 60. a.
Ceremoniæ 79. b.
Christi deitas cur adserenda 237. a.
Christus est ubique, quomodo explicandum 116. a.
Christus semen Abrahæ 61. a.
Christianæ scholæ perpetuæ concilia 72. a.
Christiani an Lutherani dicendi 61. a.
Christiernus Daniæ Rex exul. 61. a.

Christophorus Dux Wirtembergicus, Interim repudiat 2214. b. moritur 216. a. ejus de bonis Ecclesiasticis voluntas 303. b.
Christophorus Bucholcer 261. a.
Christophorus Cornerus Superintendens Marchiæ Brandenburg. 315. b. cognatus Wimpinæ ibid.
Christophorus Pelargus ei succedit ibid.
Christophorus Pezelius 408. a.
Christophorus ab Utenheim Episcopus Basileensis 10. ei summam Catholicæ doctrinæ scribit Pellicanus 133. a.
Chronologia Funccii notata 266. b.
Cryptæ Martyrum Romæ 138. a.
Claudii Alberii controversia 366. a.
Collegia Tiguri 230. b.
Colloquium Altenburgense 207. b. 291. b. Badense 311. Bipontinum 371. a. Capitonis cum Pellicano 134. a. Cochlæi cum Brentio de invocatione sanctorum 211. b. Haidelbergense 303. a. Hertzbergense 357. a. Joann. Kestneri cum Luthero 55. b. Lutheri cum Carolstadio 39. a. cum Italo 52. a. Margaritæ Belgii præsidis cum monachis de Luth. 53. a. Marpurgense 14. b. 25. b. 65. b. nomina Theologorum in eo 14. b. capita recessus ejus colloquii 15. Maulbrunnense 255. b. Mompelgartense 310. a. Mordisii cum Melanchthone 168. a. Quedlinburgense 295. b. Ratisbonense 104. b. 346. b. Wormatiense 351. a. 147. a. 163. a. 168. a. 207. a. 305. a.
Colloquiorum effectus 310. sq.
Commentarius Lutheri in Genesin 73. b.
Cometæ tribus continuè annis conspecti 161. b. de eorum significatione 390. b.
Comitia Augustana 36. b. 66. b. 139. b. 211. a. de iis judicium Lutheri 79. b. Norinbergensia 59. b. 139. b. decretum in iis interpretatur Lutherus 60. a. offendit Cæsarem ib. Wormatiensia 139. b.
Concionator perfectus quis 25. a. ei quæ cavenda 80. a. ad populum optimus ibid.
Concilium in Germania celebrandum 60. a. pro unitate ceremoniarum an cogendum 61. b. Mantuæ indictum, transfertur 70. b. de conciliis liber Lutheri 72. a. à Pontifice promissum 161. b. Tridentinum & quale fuerit 166. a. 233. a. legitimum quod 232. b.
Concilium recusare non semper iniquum 233. a.
Concordia inter Lutherum & civitates 31. a. inter Lutherum & Bucerum 70. b. 103. b. ejus capita ibid.
Condæus captus 334. b. globo trajectus 336. a.
Confessio Augustæ à Protestantibus exhibita 67. b. 161. a. à quibus subscripta 67. b. judicia de ea ib. 161. refutata à Pontificiis 68. in variis linguas translata ib. refutatio illa à quibus subscripta 79. b. Græcè edita & Constantinopolin missa 169. a. Augustana cur dicta 211. a. quatenus probanda 236.
Conjugium Urbano Regio objectum ab Eccio 36. a.
Conradus Graserus cognatus Regiomontani 400. b. addicit operam advocato ib. Theologiæ se dedit ib. Thorunii Ecclesiæ præficitur 401. a. abhorret à disputationibus ib. docet & in schola ib. arthritide laborat b. alacritas ejus ad mortem 402. b. disputat cum Jesuita quodam 402. a. colaphum accipit ib. de divitiis Theologorum ejus sententia 402. b.
Conradus Lautenbachius Argentorati docet 316. a. vocatur à Comite Hanoviensi ib. inde Hunævillam ib. Haidelbergæ Bibliothecæ præficitur 316. b. Argentoratum concedit ib. virtutes ejus & conjugium 317. a.
Conradus Lycosthenes historicus & Theologus 273. b. docet Basileæ 174. a. sinistra dextræ loco utitur b. pro quatuor beneficiis Deo gratias egit 174. b.
Conradus Pellicanus cur sic dictus 128. b. studia ejus pueritiæ 127. a. peste bis correptus 127. b. monasticæ se mancipat, & ordines suscipit 128. a. Hebrææ linguæ amans & cur b. discit Hebræa suo Marte 129. b. labores ejus in claustro 130. a. juvatur à Reuchlino ib. emit Biblia Hebraea 130. b. primam Missam canit Sacerdos ordinatus 131. a. Basileæ fit lector Theolog. 131. b. Licentiatus & Doct. Theol. creatur 132. a. abit cum Raymundo Cardinale ib. transfert ei historiam Helveticam 132. b. quædam habet suspecta in doctrina 133. a. Rubeaci docet b. Guardianus Pfortzensis ordinatur 134. a. discit Chaldaica suo Marte b. mittitur in Galliam & Romam 135. b 136. b. Lutheri libros legit & judicium ejus de iis 138. b. accusatur Lutheranismi, & deponitur 139. b. sq. Tigurum vocatus primam ibi habet lectionem 141. b. cucullum exuit, uxorem ducit ib. Biblia Hebr. edit & varia vertit 142. sq. Basileæ prolixè acceptus 144. a. fit civis Tigurinus 143. b. ei succedit Martyr. 144 b.
Conrad. Wolffgang. Placius docet Tubing. 247. b. abit Biberacum ib. accusatur apud Ferdinandum ib. memoriæ ejus felicitas ib.
Conradus Sommerhardt 6. a. 129. b. ejus eruditio 6. a. reformationem optat 6. scripta ejus 6. b.
Consensus inter Calvinum & Tigurinos 233. a.
Consilium discendi Theolog. à Luth. datum 46. b. & ab aliis 397. sq.
Constantia Evangelium recipit, ejusque clades 153. a.
Contemtus literarum humaniorum 393. a.
Controversia inter Blaurerum & Snepfium 51. a. de gradibus scholasticis & cur ii retinendi 41. b. inter Leonem Judam & Erasmum 45. inter Lutherum & Carolostadium 39. a. 62. a. inter Lutherum & Tecelium 50. a.
Capnionis disceptata 134. a. de Adiaphoris 165. b. Stancari 166. b. Osiandrica & Flaciana 167. b. Strigelii 307. de necessitate bonorum operum 224. a. de libero arbitrio 206. b. 226. a. de peccato ib. Hieronymi Zanchii 307. a.
Controversia Sacramentaria quando mota 18. 24. b. 210. b. qualis ea sit 236. b. cur eam Melanch-

Melanchthon non tractarit 371. a. de ea judicium Melanchth. 169. a.
Cœnæ Dominicæ verba ut accipienda 15. b. sq. 62. a. de cœna Lutheri sententia 804. a. 408. b. de vero intellectu verborum cœnæ liber OEcolampadii 25. a. de eo judicium Erasmi 27. b. de cœna sententiæ Patrum à Melanchthone editæ 160. b. Osiandri verba: *Hic panis est Deus* 115. b.
Conventus Francofurtensis 162. b.
Haganoensis 72. a. 162. b.
Isenacensis 200. a.
Naumburgicus 146. b. 167. a.
Quedlinburgicus 380. a.
Servestanus 308. a.
Smalcaldicus 70. b. 104. a. 162. a. in eo Lutherus morbo correptus 71. a.
Torgensis 308. b.
Conviva commodus quis 367. b.
Cunmannus Flinsbach Wittembbergæ discit docetque 219. a. regit Ecclesias in Bipontinatu ibid. charus ministris & civibus 219. b. tentatur in morbo 229. b. reformat Ecclesias ibid. ablegatur ad Treviros 219. b.
Currendarii Servestæ 357. a.
Cyriacus Lindemannus 86. b.
Cyriacus Spangenberg. docet Islebiæ & Mansfeldiæ 347. b. resistit edicto Cæsaris 348. a. rigidus confessionista ib. sentit cum Flacio 348. a. expellitur Mansfeldia ibid. docet in Buchonia ibid. exul Argentoratum abit ibid. defendit suum dogma 348. b.

D.

DAniel Schadius 362
Daniel Tossanus fovetur à Duce Wirtembergico 333. a. Lutetiam mittitur b. docet Aurelix ibid. obsidetur Aurelia 334. b. periculum Tossani 335. a. in insidias incidit precioque redimitur b. Sancerram cum suis petit 336. a. Mombelgartum abit, & Stutgardiam vocatur; quod abnuit 336. b. revocatur Aureliam 337. a. à Pontificio quodam servatur 337. b. libraria ejus diripitur ib. clam in turri cum suis latitat ibid. è Gallia discedit ib. Haidelbergam vocatus est Electori à sacris 337. b. Ambergam mittitur 338. a. dimissus Neostadii docet ib. inde Haidelbergam revocatur ib. disputat cum Ubiquitariis 339. a. succedit I. Jacobo Gymnæo b. amittit uxorem ibid. petit vacationem 340. b. retinetur 341. a. exspirat 343.
David Chythræus puer admodum lectiones publicas audit 324. patrono Petro à Menzingen utitur ib. primum ejus cum Melanchthone colloquium 324. b. cum eo vivit, auditque Lutherum ib. Haidelbergam & Tubingam venit ib. redit Wittembergam 325. a. in Italiam proficiscitur ib. Rostochium venit, unde à variis vocatur 325. b. seq. à Cæsare in Austriam accersitur 326. b. excurrit in Ungariam ib. Academiam Juliam constituit 327. a. Torgæ conventui, ut & alibi, interest 327. morbus ejus fatalis 328. a. Votum ejus & virtutes 329. nævi itidem 330. a. polemica non edidit, & cur! ibid.
David Kimchi 411. b.
David Rungius stipendio donatus à Wittembergico 350. a. Professor Wittemberg. designatur. 350. b. ejus lectiones & disputationes quales ibid. præficitur alumnis Elect. Saxon. & Duci Saxon. Augusto 351. a. forma ejus precandi 351. inter canendum moritur 352. a.
David Voitus Jenæ docet, & post Dantisci 301. b., evocatur Jenam atque inde Wittembergam ibid. in itinere morbum nactus ib. ratio ejus docendi 302. a. alienus à contentionibus ibid.
Deus est homo; an sit figurata enunciatio. 408. b.
Deus quomodo in sanctis habitet 115. b. sq.
Definitio peccati apud Joannem explicata 122. a.
De defensione legitima 72. a.
Defensio Reformationis Anhaltinorum 399. a.
Dictionarium Hebræum à Pellicano confectum 130. a. idem à Capinione factum b.
Didymus Alexandrinus cæcus 245.
Dies conculcatarum indulgentiarum 50. a.
Diodorus Stoicus cæcus 245. b.
Dionysius Agrius 287. b.
Discrimen personarum in deitate 121. b.
Discrimen politicæ & Ecclesiasticæ potestatis 152. a.
Disputatio cum Anabaptistis Tiguri 14. a. Badensis in Helvetia 25. a. Bernensis 25. b. 28. a. 142. a. alia 310. b. Haidelbergensis 339. a. alia 391. b. 415. a. Lipsica 35. a. 25. b. Vinariensis inter Strigelium & Flacium 200. b. 290. a. Uratislaviensis 90. a.
Divitiæ an sapientem deceant 410. a.
Dogmata olim usitata 148. b.
Domestica institutio 347. b.
Dona Dei varia 82. b.
Dudithii de Quirino judicium 391. a.
Duo armorum genera in Theolog. 320. b.
Drama de decem virginibus ex sacra historia 2. a.
Dramatum exhibitio quatenus probanda 7. b.

E.

EBerhardus Widenseius 32. b.
Ebrietas cavenda 241. a.
Eclipsis solis totalis horrenda 127. b.
Ecclesia vera quæ 7. a. ubi fuerit ante duo aut plura secula 1. a.
Elias Levita 135. a. 411. b.
Enarrationes Evangeliorum Melanchthon. 328. a.
Epicedium in obitum
Bacmeisteri 379. a.
Barbaræ uxoris Strigelii 200. a.
Beuerlini 175. b.
Borneri 91. b.

Buceri 107. a
Coppenii 412. a
Crucigeri 96. a
Draconitæ 195. a
Fagii 100. b
Forsteri 146. b
Georgii Anhaltini 123. a
Gerhardi Geldenhaurii 44. a
Gigantis 252. a
Grünradii 396. a
Grynæi 416. a
Hessi 90. b
Holmanni 283. a
Justi Jonæ 126. a
Lutheri 75. b. sq.
Mathesii 194. a
Melanchthonis 169. b. sq.
Musculi 186. b
Myconii 89. a
OEcolampadii 27. a
Pfauseri 199. a
Quirini Reuteri 393. a
Sohnii 300. b
Strigelii 203. b
Stuckii 368. a
Summerharti 6. a
Tossani 343
Ursini 257. a
Wimphelingi 11. a
Zellii 92. b
Zvvinglii 17. b
Epistolæ OEcolampadii & Zvvinglii 144. a
Epistola Adriani Pontificis ad Zvvinglium 13. b. Buceri de Zvvinglii sententia 19. a Caroli V. Imperatoris ad Principes Imperii 57. a. Capnionis ad Forsterum 146. a Cochlæi ad OEcolampadium 24. a
Eccii ad Urbanum Regium 35. a
Ferinarii ad Ursinum 253 b
Franciſci Galliæ Regis ad Melanchthonem 161. b. Lutheri ad Argentoratenses 62.
Angliæ Regem 63. b
Caroloſtadium 40. b
Georg. Spalat. 47. a
Hessum 64. a
Langum 50. b
Livonos 60.
Melanchthonem 67. a
Wencesl. Lincum 66. a
Melanchthonis ad ecclesias Mansfeldicas 98. ad Georg. Anhalt. 166. ad Bullingerum 231. a
Morlini ad Osiandrum 131 b
Oleviani ad Paulum F. 286. a
Osiandri ad Morlinum 113. a
Sohnii ad patrem 297. b
Strigelii ad Wolffg. à Kötteritz 200. b
Tossani ad Quir. Reuterum 391. a
Urbani Regii ad Eccium 35. b
Ursini ad Monavium 391. a
Epitaphium Amlingi 403.
Baudisii 851.
Borneri 91. b
Borrhæi 192. a
Beurlini 175. b
Bullingeri 241. b
Brentii 217. a
Crellii 248. b
Flinsbachii 220. a
Geileri 4. b
Gesneri 355. a
Gualteri 28. . a
Graseri 401. sq.
Günradii 395. b
Grynæi 416. a
Holmanni 283. b
Hyperii 189. b
Lutheri 75. sqq.
Lycosthenis 174. b
Musculi 186. b
OEcolampadii 27. a
Polani 384. a
Phrygionis 46 b
Q. Reuteri 393 a
Schvvebelii 31. a
Sohnii 300. b
Stolonis 150. a
Strigelii 203. a
Stuckii 368. a
Thom. Grynæi 191. a
Tossani 342. a
Ursini 257. a
Wimphelingi 11. a
Zvvinglii 17. b
Erasmus monitus 43. a. ejus judicium de Lutheri doctrina 54. a. instigatur in Lutherum 55. a. reprehendit Lutheri responsum ad librum regis Angliæ 59. b. scribit in Lutherum 61. qui respondet 6. . b de eo pissidio Melanchthonis judicium 160. b. judicium Erasmi de Lutheri vehementia 78. b. hyperaspisten edit 63. b ejus colloquia prohibita 318. a. jocando nocuit Pontifici 417 a
Erasmus Sarcerius docet Lubecæ 157. a item alibi ibid.
Elogium ejus 157. b
Erhardus Snepfius juri civili dat operam 154. b. deinde Theologiæ, docetque in Greichgoâ 155. a Wimpinam abit, inde ad Nassovium Saræpontan. & Marpurgum 155. a. Stutgardiam migrat b. pellitur ob Interim 156. a. Jenæ moritur ibid.
Ernestus Dux Brunsuicensis 37. a
Errores Pontificiorum ex Jure Canonico collecti 55.
Essentiali justitia Christi sumus justi, quomodo accipiendum 116. a
Etlinga aliâs Posidonopolis 116. b
Etymon episcopi Germanicum 5. b
Evangelii felix cursus 60. a ejusdem pestes 76. a
Evangelici an concilio se debeant submittere 234. b
Evangelistæ olim qui 153. a
Exitus disputationum Theologicarum 38. a
Explicatio articuli: *Credo remissionem peccatorum* 49. a
Exegesis veræ doctrinæ de sacramentis. 255. b

F.

FAmilia Lutherorum 48. a. Stuckiorum 363. b.
Fauſtini Socini liber 391. a.
Fedus hereditarium inter Saxonem, Marchionem Brandeburgicum & Haſſiæ Landgravium 1671.
Fedus Helvetiorum cum Galliæ Rege 233. b. ab eo Bullinger dehortatur ibid.
Fides diabolorum aulico commendata 266. a. Fides debet eſſe certa 40. a. vera quæ 216. b. de fide juſtificante ſimilitudo Pomerani 122. a.
Filius Dei λόγος dicatur 126. b. Salomonis dictum de eo 122. a.
Forma abnegationis apud Turcas 188.
Franciſci ſtigmata 138. a.
Franciſcus Colbius primus Bernæ reformat 29. a. ejus vita ibid.
Franciſcus Ciſnerus cardinalis Toletanus edit Biblia quadrilinguia 136. a. 194. b.
Franciſcus Lambartus diſputat cum Zvvinglio 13. convertitur ibid. refutat monachos 249. a.
Franciſcus Lechetus Scotiſta 136. b.
Franciſcus à Sickingen 23. b. fovet viros doctos 29. b. ejus Epiſtolæ ib. gerit bellum Principibus 30. a. occumbit in eo ib. elogium & Symbolum ejus ibid. offert hoſpitium & patrocinium Luthero 54. a. invitat eundem ad ſe ex itinere 56. a.
Franciſcus Stancarus docet Regiomonti 110. a. migrat Francofurtum 113. b. Melanchthon. 166. a. doctrina ejus 235. b.
Fridericus III. Elector. Palat. 399. a. ejus de Urſino judicium ibid.
Fridericus Elect. Saxoniæ exoſus ob Lutherum 54. a. purgat ſe ib. conſulit Eraſmum ſuper negotio Lutheri b. monetur de Luthero puniendo 61. a. deſignatur Cæſar. 85. a.
Fridericus Myconius ingreditur monaſterium 83. a. ſomnium ejus ib. patroni divi 83. b. ſacris initiatur 85. a. Gotham vocatur 86. a. abit in Belgium b. mittitur in Angliam ib. viſitat Eccleſias 87. b. phthiſi ægrotat 88. a. Lutherus eum conſolatur ib. valedicit Principi ſuo 88. b.
Fridericus Staphylus ſedecim annis audit Lutherum & Melanchtonem 110. a. docet in Academ. Regiomontana ibid. Oſiandri dogma improbat 111. a. ejus de juſtificatione ſententia 113. a. deficit ad Pontificios ib. ei Melanchthon reſpondet 73. a. ſcribit in Lutherum 305. a. refutat eum Jac. Andreæ. ibid.
Fridericus VVidebramus Jenam miſſus 268. a. regit Serveſtæ ſcholam b. Iſenacum migrat ibid. Jenam & inde Wirtemberg. vocatur ibid. ejus de cœna ſententia 269. a. ſubſcribit articulis Torgenſibus ibid. Naumburgum relegatur ibid. exul à Naſſovio ſuſcipitur 269. b. Bremæ ſedat diſſidia & in Solmenſi Comitatu reformat ibid. Haidelbergam vocatur ib. ubi moritur 270. a. ejus confeſſio 270. b.

G.

Georgius Princeps Anhaltinus 119. a. jura diſcit b. adjungitur conſiliariis Alberti Moguntini 120. a. legit Lutheri ſcripta ibid. amplectitur ejus doctrinam ibid. inſtaurat ditionis ſuæ Eccleſias 120. b. præficitur diœceſi Mersburgenſi 164. b. teſtimonium ejus ordinationis 120. b. docet & ſcribit publicè 121. a. colloquia ejus de rebus forenſibus, Phyſicis, Theologicis 121. teſtamentum condit, & auget ſtipendia miniſtrorum 122. b. Synodos celebrat 123. b.
Georgii Ducis Saxoniæ ad Lutherum, & Eccium verba 53. a. intercipit literas Lutheri, unde diſſidium 66. a. alia ei cum Luthero controverſia 70. a. Apoſtolus diaboli cur dictus ibid. Succeſſorem nactus contra voluntatem 72. a.
Georgii Brandeburgici conſtantia 211. a.
Georgius Comes Wirtembergicus reformat 230. a. Tigurum venit 232. b.
Georg. Æmilius 48. a. 289. a.
Georg. Heltus Forchemius 119. b.
Georg. Heinſius 7. a.
Georg. Caſſander 256. b.
Georg. Blandrata 235. b. accuſat Bullingerum 237. a. ejus vox blasphema ibid.
Georg. Bucholcer à Monachis veneno ſublatus 261. b.
Georg. Wincler. occiſus 64. b.
Georg. Gelnicius
Georgius Major eſt inter pueros Symphoniacos Elect. Saxon. 223. a. Dat Theologæ operam b. regit Magdeburg. ludum 223. b. Paſtor Islebiæ ibid. interest colloquio Ratisbonenſi 224. a. exulat: ac Mersburgenſi Eccleſiæ præficitur ibid. regit Eccleſiam Mansfeldenſem ibid. controverſia de ne neceſſitate bonorum operum movetur 224. a. ſententia ejus ibid. aliorum paradoxa de eadem ibid. b. longo morbo laborat ib. Lauterbachii in eum Epigramma 224. b.
Georgius Mylius præficitur Eccleſiæ & ſcholæ Auguſtanæ 361. a. invidia ei conflata ob novum calendarium 361. removetur ab officio & Ulmam abit 361. b. Wittembergæ Profeſſor, Cancellarius, & Paſtor 362. a. inde dimiſſus Jenam concedit 362. b. revocatur Wittembergam ibid.
Georgius Sohnius Wittembergæ Philoſophica cum juridicis & Theolog. conjungit 297. a. deſerit juris ſtudium, & cur b. Marpurgi Profeſſor deſignatur 298. a. collegia & diſputationes habet b. oppugnat Ubiquitarios ibid. Haidelbergæ collegio Sapientiæ præfectus, Profeſſor, & conſiliarius Eccleſ. 299. a. ejus eruditio, diligentia & integritas vitæ. b.

Georgius Spalatinus eſt à literis & ſacris Elect. Saxon. 46. b. ad eum ſcribit Pontifex ib. intereſt Comitiis Wormatiæ & Auguſtæ 47. a. cogitat deſerere officium ib. moritur mœrore animi 47. b.
Gerhardus Geldenhaurius 43. b. eſt à ſacris Epiſcop. Ultrajectino ibid. Auguſtanæ, ſcholæ præficitur ib. Marpurgi docet & moritur 43. b. ſq.
Gervaſius Scholaſticus 229. a.
Gobelinus Perſona legendas quasdam in dubium vocat 1. b.
Gorgo Baltica 166. b.
Goslarienſis Eccleſia conſtituta 32. b.
Gotfrid. Ribiſch. 397. a.
Gradus qui ante prætorium Pilati, nunc ſunt Romæ 138. a.
Graichgoa Regio Germaniæ 275. a.
Gregorius Bintzlius 12. a.
Gregorius Reſſius vir doctus 131. a.
Grunbergæ oppidi deſcriptio 264. a.
Gubernatio Eccleſiæ in quibus conſiſtat 164. b.
Guilielmus Clebitius 295. b.
Guiſius interficitur 335. a.

H.

HAus Wurſt / Lutherus reſpondet 52. b.
Hartmannus Bayer docet Francofurti Evangelium 246. b. loco movetur 247. a. filium Joannem relinquit ibid.
Hebrææ linguæ præſtantia 400. b.
Heerbrandorum familia 317. a.
Herman. Tulichius 372. b.
Helvetii ad concilium Tridentinum vocati 490. iterum 234. a.
Helveticarum Eccleſiarum doctrinæ ſumma 236. b.
Henric. VIII. Anglorum *Rex* ſcribit in Lutherum 59. b. facit divortium cum uxore 87. a. conſtituit ſe caput Eccleſiæ in Anglia ibid. Annam Clivenſem ductam repudiat ibid. decreta de religione promulgat ibid.
Henricus Bullingerus bis de vita in infantiâ periclitatur 217. a. vivit pane mendicato b. Coloniæ baccalaureus creatus 228. a. legit Lombardum, Patres, Lutheri quædam ib. accedit ipſos fontes ibid. Capellis ludo præficitur 228. b. Tiguri Zvvinglium audit ib. docet Bremogarti 229. a. patria pellitur b. Tiguri Zvvinglio ſuccedit ib. defendit Tigurinos poſt cladem 230. a. non damnat à ſe diſſentientes b. reſpondet Luthero 231. b. purgat Tigurinos ad Haſſum 252. reſpondet Embdenſibus 233. b. ſuſpectus de quibusdam 234. b. conſenſus cum Calvino & Martyre, ib. à Brentio oppugnatur 237. b. Confeſſionem ſcribit à multis probatam 236. a. morbo corripitur 248. a. in eo oratio ejus de ſe ad miniſtros 240. b. valedicit magiſtratui 241. b. ſucceſſorem nominat ib. conjugium ejus 242. a.
Henricus Lupulus 12. a.
Henricus Majus audit Camerarium & Strigel. 365. b. præeſt ludo Sangerhuſii ibid. venit Northuſium ibid. concionator aulicus Comitum Stolbergenſium ibid. recuſat ſubſcriptionem formulæ concordiæ ibid. vocatur Wittembergam 369. a. labores ibi ejus & certamina ibid. dimiſſus abit in Palatinat. ibid. Haidelbergæ Senatu Eccleſiaſtico adjungitur ib. mendacio pueri in vitæ periculum incidit. b. viſitatores Saxonici quid in eo deſiderarint ib.
Henricus Saxoniæ Dux præter votum ſuccedit Georgio 87. b. ejusdem memorab. reſponſum ibid.
Henricus Stolo egeſtate laborat 147. b. Erphordiæ docet 148. a. periculum ab urſis ibid. relicto ſtudio juris fit ſacrificus b. miſſificat & concionator Wormatiæ ibid. Lutheri doctrinam amplectitur ibid. abit Neoſtadium; & in patriam, unde Haidelbergam vocatur 149. a. ibi docet in ſchola & templo ibid. improbat Interim 149. b. intereſt conventibus Religionis cauſa ibid.
Henricus Strobandus 402. b. ejus merita in Graſerum ib.
Hermannus Archiepiſcopus *Colonienſis*, Reformationem Eccleſiarum tentat 164. a. 219. a. evocat Melanchthon. & Bucerum 164. a.
Hermannus Ludovicus Friderici III. Elect. Palat. Filius cum ephoro in Ligeri perit 284. b.
Hieronymi Boſſeci de electione divina controverſia 234. b.
Hieronymus Groslotius 337. ejus arx diruta b.
Hiſtoria Eccleſiaſtica à Wigando & aliis conſcripta 289. b. de eâ Sturmii judicium ib.
Hiſtoriæ virtutes ibid.
Horreum templum Evangelicorum exuritur 335. b.
Hortus cardinalis Rotomagenſ. 135. b. de Hyena ſomnium Melanchthonis 163. b.
Hugo Latimerus cum aliis martyrio affectus 87. a.
Huldericus Zvvinglius. vide Zvvingl.
Huſſi Epiſtolæ 71. b.

I.

Jacobus Andreæ cur Smidlin dictus 302. a. ab opificio ad ſcholam traducitur b. Tubingæ in Stipendium recipitur ib. Diaconus Stutgardiæ 303. a. ob Interim migrat Tubingam b. docet Göppingæ ibid. convertit Judæum ſuſpenſum 304. a. Badenſem reformat. adjuvat ibid. componit Rotenburg. Eccleſiam ibid. Notarius in colloquio Wormat. b. Francofurti ad Mœnum concionatur 304. b. impeditur à Pontific. fruſtra ib. Auguſtam miſſus accuſatur, ſeque defendit 305. a. Erphordiam mittitur 306. a. inde ad Synodum Poſſiacenam ibid.

cancellarius & præpoſit. Tubingæ deſignatur 306. b. vocatur Hagonoam 307. b. varia & longa itinera ſuſcipit concordiæ cauſa 307. ſq. Pragæ cum Maximil. Cæſare colloquitur 308. a. item cum Flacio ibid. evocatur Neoburg. Ratisbonam, & in Saxoniam b. Concordiæ opus conſuit 135. b. iterum evocatur à variis ibid. 309. b. falſi accuſatus purgat ſe Bernenſibus 310. b. ſq. præſagit mortem 311. b. confeſſionem edit 312. a. ſermones ejus in morbo b. ratio ejus docendi & ſcripta 313.

Iacobus Beuerlin. docet Tubingæ 175. a. Tridentum mittitur ib. abit in Galliam, ubi peſte exſtinguitur b. omen in ejus abitu ibid.

Jacob Faber Stapulenſis audit Capiton. Argentor. 42. b.

Iacobus Heerbrandus noctua Suevica dictus 318. a. exercet ſe docendo b. ad ſuos reverſus Eccleſiæ operam addicit 319. a. Tubingæ Diaconus b. dimittitur ob Interim & reſtituitur 320. a. Brentii cum eo familiaritas ibid. Pfortzemium migrat b. redit Tubingam 321. a. Francofurtum cum Marchione abit 676. Pentateuchum explicat ib. Jenam ſtipendio mille flor. vocatur 677. auget rem familiarem 321. b. præpoſitus, cancellarius, conſiliarius, & Inſpector declaratur ibid. rude donatur 322. a. lethargo correptus moritur ibid. hortos colit ibid. Bibliis unis uſus 323. a. dona ei miſſa ib. ejus inſignia ib.

Jacobus Hogoſtratus Lutheri adverſ. 51. a.

Jacobus Kimedoncius 255. b.

Iacob. à *Salza* Epiſcopus Uratislavienſis 124. a. ejus verba ad Moibanum ibid. moderatio ibid.

Jacob. Wimphelingùs, vide Wimpheling.

Idolum Anaſtaſii 135. b. Mariæ ſpecioſæ Ratisbonæ 139. a. Neptuni Eslingæ 116. b.

Jenenſes negant Ubiquitatem 237. b. nimium tribuunt Synodo ib. adiaphoriſm. oppugnant ib.

Jeſuitarum natura depicta 273. a. eorundem molimina 361. b.

Imago Dei quid Oſiandro 110. a.

Imagines an prohibitæ in N. T. 62. a.

Impii cur piis diutius vivant 246.

Indulgentiarum nundinatio 42. a. 148 b. occaſionem præbet reformationi 50. a. oppugnat Lutherus b. elogium & definitio 84. a. non datæ gratis b. pecunia ex iis corraſa 136. b.

Infantes vernaculè baptizantur 24. b. ſine Pontific. ceremon. 43. a.

Interim Pontificiorum turbas dat in Germania 100. a. ejus ſcriptores donis affecti 105. b. 196. b. imdrobatur à Bucero & à Pontificiis ipſis 105. b. 106. a. judicium Brentio de eo 213. a. mala ex eo orta 165. b. refutatum à Calvino & Bullingero 232. b. obtruditur Argentoratenſibus & Conſtantienſibus 99. b. 198. a. ab Auguſtanis receptum 145. b. octo conventus in Saxonia ejus cauſa 165. de eo diverſæ ſententiæ 289. a.

Intrare Hebræis quid 147. a.

In vita æterna an alter alterum agniturus ſit 74. b.

Invocatio ſanctorum cur fugienda 77. a. Lutheri de ea ſententia 78. b. de ea colloquium Brentii & Cochlæi 211. b. item cum Eccio 68. b.

Invocatio Chriſtianorum & Ethnicorum quomodo diſcernenda 121. a.

Joachimus II. Elect. Brandeburg. 262. b.

Joachimus à Berge 399. a. colloq. ejus cum Pitiſco ibid.

Ioachimus Morlinus à Brunſuicenſibus in Boruſſiam venit 111. a. 218. a. docet variis in locis 217. a. 111. a. Lutheri ſectator 218. Oſiandri cauſam cognoſcit 111. a. ſententia ejus de juſtificatione 113. a. ſcribit contra Oſiandrum b. 218. a. dimittitur ab Alberto Boruſſiæ Duce 114 b. 218. a. Brunſuicenſi Eccleſiæ præficitur 218. a. revocatus in Boruſſiam fit Epiſcopus Sambienſis 113. b. 218. a. ejus de cœna ſententia 218. b. moritur ex calculi ſectione 218. a.

Joannes Elector Saxoniæ 66. b.

Joann. Fridericus Elect. Saxon. intereſt diſputationi Wittemb. 152. a.

Joann. Caſimirus Palat. defendit Colonienſem Archiep. 338. b. adeſt diſputationi 339. b. moritur 340. b.

Joann. Baro ab Ungnad 274. a. curat multa in Slavonicam linguam transferenda 275. a. præeſt Stiriæ & Carinthiæ ib. migrat Tubingam ib.

Joannes Miniſter Melanchthonis 167. a.

Joann. Aurifaber 90. b. ejus monumentum ib.

Ioann. Æpinus Paſtor Hamburgenſis 118. a. inter primos Evangelicos Theol. D. ibid. in Angliam mittitur ib. oppugnat Interimiſt. formulam ib. in eum Melanchthonis Epigramma 118. b.

Joann. Boccatius 1. a.

Ioannes Brentius Haidelbergæ baccalaureus renunciatur 208. b. ibi ejus præceptores & commilitones ibid. diligentiâ nimia inſomniam contrahit ib. Evangelii doctrinam amplectitur 209. a. fit canonicus Haidelbergæ b. docet Halæ Suevorum non ſine fructu & adverſariis ib. Miſſam interdum celebrat, deque eo ſe excuſat 210. a. reformat in Ducatu Wirtemb. 212. a. ſeq. in bello Germanico ejus periculum 212. b. inſidiæ ei ſtructæ 213. monitus fugit latetque in ſylva 213. b. hoſpitium ei à Wirtembergico oblatum ib. Baſileam & alió abit 214. a. mutato nomine præfectum arcis agit ib. vocatur à diverſis oblatis muneribus ib. conſcribit confeſſionem 214. b. ad concilium Trident. miſſus 215. a. præpoſitus Stutgardiæ 215. b. Confeſſio ejus de cœna ib. ſcholas in monaſteriis conſtituit. 216. a. Pſalmos enarrat ib. Teſtamentum condit de fide & Religione ſuâ ibid. patientia ejus in morbo 216. pietas in parentes 217. b.

Joannes Brismannus 97. b.
Joannes Bugenhagen Pomer. docet Treptæ in ludo 150. b. explicat & sacra ib. adjungitur collegio presbyterorum ibid. patriæ historiam colligit ibid. occasio qua veritatem Evangelii agnovit ibid. Wittemb. docet 151. a. resistit Carolost. b. Daniæ Regem coronat, & Ecclesias constituit varias 152. a. Epigramma Melancht. de eo b. celebrat festum translationis Bibliorum 153. b. prolixus in concionibus ib. veneficium contemtu pellit ib.
Ioann. Bullinger. 217. b. vitæ ejus perioche ibid.
Joannes Capnio moritur 140. b. ejus apotheosis & controversia ib. defenditur & à Bullingero ibid.
Joann. Cochlæus 182. a. refutatus à Bullingero 231. b.
Joann. Diazius à fratre occisus 105. b.
Ioann. Draconites sectatur Paulum Fagium 194. a. docet Rostochii, & in Borussia Episcop. Sambiensis b. redit Wittemb. & opus Biblicum orditur, cui immoritur 194. b. sq. Epigramma in eum P. Nigidii. 105. a.
Ioann. Eccius 33. a. 135. a. 139. a. ejus jactantia 28. b. disputat cum Caroloſtadio 38. a. & cum Luthero ibid. 53. a. argumenta ejus pro Pontifice 53. a. bullam contra Lutherum impetrat. 34. a. interest colloquio Ratisbonensi 104. b. scribit in Melancht. 159. a. ejus ad eundem verba in Comitiis Augustanis 161. a. disputat cum eo Wormatiæ 173. a.
Joann. Rudolphus Ehinger 362. a.
Joann Ferber Wirtemberg. apostatâ 188. a.
Ioannes Forsterus Ingolstadii Capnionem audit 146. a. eidem est familiaris ib. Lipsiæ Mosellanum audit b. docet in templo & schola ibid. mittitur ad conventum Naopurg. ib. juvat Lutherum in Bibliis transferendis 147. a. Georg. Fabricii in eum Epigramma ibid.
Ioannes Funccius est à concionibus Duci Borussiæ, & simul à consiliis politicis 192. a. accusatur & capitis damnatur 197. crimen ei objectum. b.
Joannes Frederus 290. b.
Ioann. Geilerus 13. b. docet Friburgi 4. a. Argentorati detinetur ibid. Prosopographia ejus & liberalitas 5. a. acceptus Imperat Maximil. ibid. reprehendit prælatos & Monach. 5. b.
Joann. Guilielm. de Fulach 363. b.
Ioannes Gigas Northusanus in Silesiam vocatur 252. a. melancholiâ laborat ib. in ejus elog. Lipſ. Fabricius b.
Joann. Gropperus 104. b. Bucerum commendat ib. eidem resistit 105. a.
Ioann. Iacob. Grynæus 412. b. ejus majores 413. a. error de cœna unde 413. a. inauguratur sacro ministerio ibid. abit Tubingam ibid.
I. Guiliel. Stuckius ejus condiscipulus 414. a. defendit Jac. Andreæ Theses de Ubiquitate ibid. cogitur ἐποχὴν à Scheckio ibid. succedit patri, & veritatem agnitam fatetur 414. b. discedit Basileam ibid. ibi docet cum successu 414. b. alit convictores ib. 417. a. Haidelbergam evocatus disputat cum adversariis 415. a. Basileam revocatur ib. ibi officium ejus triplex 415. visitat Ecclesias, & examina scholast. instituit b. ejus legationes ib. visus hebetudine laborat ibid. patientia in morbo & protestatio 416. a. pietas in suos 417. a. celebritas ejus & dicta ib. literis historicis delectatur ib. contumeliarum patiens 417. b.
Joann. Heerbrand. 304. a.
Ioann. Hessus Uratislaviæ Ecclesiæ Magdalenanæ præficitur 89. a. ejus elogium b. disputat cum Pontificiis 90. a. moritur ib.
Ioann Hilten. 2. a. prædicit Reformationem Religionis b. ejusdem alia vaticinia 2. b. opinio de fine mundi 3. a.
Ioann. Holmannus 282. b. ejus funera domestica ibid. Lugdunum commigrat ib. auctoritas & gratia ejus 283. a.
Ioannes Isemannus 209. a. docet Halæ & Brenæ adducit ib. idem cum eo sentit 210. a.
Ioann. Islebius Agricola acceptus Principibus 196. a. auctor sectæ Antinomorum ib. à Luthero reducitur in viam ib. docet Berlini, & Interim cudit ibid. ejus jactantia 196. b. conatur componere controv. de Adiaph. ibid.
Joann. Justingus astronomus 131. a. ejus Ephemerides ibid.
Joann. Kestner præpositus Vinar. 85. b.
Joann. Ketzman 205. a.
Ioannes Kuchlinus impeditur in studiis 359. b. ab Ursino suscipitur ib. minister fit Ecclesiæ ibid. expulsus docet Embdæ 360. a. inde Amstelrodami ib. Lugdunum vocatus moritur ib.
Ioannes Marbachius Jenæ diaconum agit 251. a. Isnæ succedit Fagio ibid. Argentoratum vocatur ib. mittitur Tridentum ib. surrogatur Hedioni ibid. evocatur ab Othone Henrico Elect. Palat. b. mittitur Wormatiam ibid. Decanus Thomani collegii ib. Epigramma in eum I. Pappi ib.
Ioannes Matheſius utitur mensâ Lutheri 193. b. docet in valle Joachimica ib. ejus obitus & agon 194. ejusdem familia 193. a.
Ioannes Oecolampadius 21. a. mercaturæ destinatur ibid. abit Bononiam, discitque Græcas & Hebræas literas 121. b. *de ritu Paschali* 22. b. fugit multorum consortia ibid. venit Basil. ibid. Theologiæ Doct. ibid. 42. a. Augustam abit 22. b. ingreditur monasterium 23. a. disputat cum Eccio 25. a. Basileæ reformat b. ejus morbus supremus 26. a. oratio in morbo ibid. rumor de ejus obitu 27. a. ab Augustino doctrinam de sacramentis didicit 27.
Ioannes Pappus Tubingam missus 382. a. præficitur Comitibus Falcosteniis ibid. redit Argentoratum ibid. ubi Professor & Pastor. b. officia itidem alia ibid.

Joannes Parsimonius diaconus Augustæ 296. a. ibidem ludum aperit ib. pulsus Tubingæ docet 296. b. fit aulicus concionator & dein Abbas Hirsaugiensis ib.
Joann. Sebastian. Pfauser est à sacris Maximiliano regi post Cæsari 198. b. dimissus Lavinganæ Ecclesiæ præficitur b. in eum Candidi epigramma 199. a.
Joannes Pfessinger Lipsiæ docet 221. ejus statura & scripta b. Bers. in effig. ejus carmen ib.
Joannes Pistorius Niddanus 311. b.
Joann. Pincier 359. a.
Joann. Poliander 97. b.
Joann. Remeccius 48. a.
Joannes Schvvebel 29. a. initiatur sacris ib. ejus sacerdotii testimonium b. deserit monachatum 29. b. venit ad Francisc. à Sickingen ib. inde ad principem Bipontinum 30. a. ubi reformat ib. ejus amici & adversarii 30. b. obitus 31. a. non vult dici Luth. b.
Joannes Spangenberg. conjungit Philosoph. cum Theolog. 97. a. docet Northusæ, & in comitatu Mansfeld. ib. & seq. elog. ejus à Mel. 98. b.
Joannes Staupicius 8. b. D. Theol. & vicarius Augustinian ib. 128. b. de eo Lutheri oratio 9. a. adest Luthero Augustæ ibid. suffraganeus Salisburg. ib. lapsum memoriæ festivè excusat 9. b.
Joannis Stuckii fortitudo 363. b.
Joann. Guilielm. Stuckius ad materteram translatus 364. a. inde Lavatero commendatus ib. Lausannam & Argentoratum missus ib. exinde Lutetiam b. Tubingæ Scheckium audit ib. cum P. Martyre abit ad conventum Possiacenum ib. præficitur Gallis erudiendis 365. a. abit Patavium ib. reversus succedit Ammiano ib. dein Bibliandro 366. a. methodus ejus sacra explicandi ib. cholica laborat b. funus ejus & conjugium ib. & seq.
Joannes Sturmius 364. b.
Joannes Tecelius 50. a. ejus de Indulgentiis hyperbolæ ib. objurgatus à Miltitio 52. b. consolatur eum Luth. 53. b. moritur ib. promissiones ejusdem 84. a. honos ei habitus ibid.
Joann. Trith. 135. a. ejus Biblioth. ib.
Joann. Conr. Ulmerus vivit cum Simone Gryn. 330. b. Wittemb. domesticam scholã aperit 331. a. reform. in comitatu Reinecens. ib. Scaphus. Ecclesiæ præficitur 331. b. catechesin urget ib. rude donatur. ib. ratio ejus docendi 332. a.
Joann. Wessel us 44. a.
Joann. Wedman 292. a.
Joann. Wigandus Norinbergæ ludo præest 288. a. postea ecclesiæ Mansfeldensi b. oppugnat Georg. Majorem, Adiaphoristas, Interimistas 288. b. seqq. hortos excolit 289. a. Magdeburgum vocatur ib. Ecclesiasticam historiam colligit 289. b. vocatur Jenam 290. a. inde dimissus fit Wismariæ Superintendens b. revocatur Jenam ad idem officium 291. discedere jubetur 292. a. Episcopus Pomezanensis declaratur ib. Epitaphium sibi componit ibid.
Joann. Wolfius collega Simleri 244. a. ejus vitæ curriculum ib.
Joann. Voitus 85. a. 301. a. Vinariæ Monachus veritatem Evangelii palam fatetur ib. pœna ipsi à cucullatis irrogata ib. relinquit monasticen ib. est à sacris Saxoni ib. docet Ronneburgi b.
Joann. Zinck Professor Friburgi 199. b. ejus de scholis Lutheranis judicium. ib.
Jodocus Gallus Pellicani avunculus 262 b. Selestádii præceptore usus Wimphelingo ib. Haidelbergæ regit Bursam novam 127. a. Theolog Baccalaur. & Licentiatus ib. vitæ ejus curriculum 136. a. non vult sepeliri vestitus b. improbat Pellicani monachatum 127. b. componit dissidium inter monachos & plebanum Pforzem. 134. a.
Josephus Budensis Ungarus 144. a.
Josias Simlerus apud Bullingerum educatur 243. a. Gesneri loco docet b. Novi Test. interpres succedit Bibliandro 244. a. post & Martyri ib. lectiones suas edi non vult ib. promtitudo ejus in docendo, & memoriæ felicitas ib. tumultuariè legit auctores b. podagrâ laborat 244. b. mortem sibi prædicit 244. a. præsagium Martyris de eo 244. a. 245. a. Bezæ in eum Epigr. ib. in Mathem. ferè αὐτοδίδακτος ib. ejus virtutes, mores & scripta b.
Islebia unde dicta 247. b.
Italorum mos disputandi 38. a.
Judex controvers. eccles. quis 215. a. 305. a.
Judæi Grammatices ignari 130. b.
Judæa confundit Th. D. Christ. 129. a.
Julius dialog. Erasmo adscriptus 46. a.
Julius Dux Brunsuic. reformat 307. b.
Julius Plug. Episcopus Naumburg. 32. b. 196. b.
Julinum Pomeraniæ oppid. 150. a.
Juramentum candidatorum Wittemb. 113. b. per sanctos an dicendum 235. b.
Jurisprudentiæ abusus 308
Justitia hominis coram Deo quæ 79. a. Osiandro quid 110. b.
Justus Jonas puer à peste servatur 125. a. discit primum jura, dein Theol. ib. succedit *Hennigo Göden* JC. 125. promovet primos Evang. D. Th. b. Halæ Sax. docet 126. a. Luth. ejus hospit. usus ib. agit in aulâ Saxonicâ ib. præficitur Ecclesiæ Eisfeldiæ ib. Stigelii in eum Epigramma ib.
Justi Jonæ JC. supplicium 197. b.
Justus Menius Gothæ docet 154. a. postea Lipsiæ ibid.
Ivo Strigelius 154. b. Medicinæ Doct. & Fronsbergiorum medicus 199. a.

L.

LAbores duri tres 172. b.
Laurentius Campegius Cardinalis, Papæ legatus 61. a.

Legatum Palatini adstantem Missæ excreatur Augusti Cardin. 305. b.
Legenda de Jo. Chrysost. 71 b
Leo Judæ non fuit Judæis parentibus natus 44. b. docet in Helvetiorum Eremo ib. dein Tiguri, ubi & moritur 45. a. Vetus Testamentum cepit vertere ibid.
Leonhardus Eccius JC. 34. a
Leonhard. Kaiser ob religionem crematus, 65. a. de ejus martyrio Lutherus ibid.
Leonhard. Krentzhem. ejicitur 346. b. monita ejus de studio Theol. 398. a
Leonhard. Pellicanus 127. a. ejus obitus ib.
Lex DEI 122. a
Lichtenfels. oppidum 83. a
Liber Concordiæ editur 309 a. à quibus subscriptus ibid. non omnibus probatur b. seminarium discordiæ 362. a
Libri adversariorum prosunt 43. b
libri Lutheri exusti 54. b
Linguarum cognitio Theologo necessaria 411. b
Locarni ecclesia 235. a
Loci communes ex dictis scripturæ 398. a. Musculi loci commun. 154. a
Logica olim qualis tradita 228 a
Lucas Bacmeister discipulus Lossii 372. b. Hamburgi Æpinum audit 373. a. Wittembergam abit ibid. deserturus studia à matre retinetur b. instituit filium Daniæ Regis 374. a. Jurisprud. studium amplectitur ibid. redit ad Theolog. b. fit concionator aulicus 375. a. offendit aulicos libertate sua b. Rostochii Pastor & Professor ib. ejus methodus docendi 376. b Academiam instaurat 377. a. curat scholasticos tenuiores ibid à diversis vocatur 377. b. abit in Austriam cum legato 378 b
Lucas Lossius 372. b
Lucas Osiander 409. a
Lucas Pollio docet in scholâ Vratislaviæ 259. a Lipsiam mittitur ib. Diaconus ad D. Elisabethæ Vratisl. ibid. Adamo Curæo surrogatur 259. b legem acuit nil curans offensiones ibid. votum & symbolum ejus 260. a. morbus & preces in eo 160. admonitio ad collegas ibid. conciones ejus de vitâ æternâ 261. b
Ludovicus Elect. Palat. fidem vult servari Luthero 56. a. 57. b
Ludovicus Palat. Bipontin. 39. a. ejus matrimonium ibid. consulit Sturmium b. moritur ibid.
Ludovicus comes Oetingensis reformat 303. b
Ludovicus Lavaterus 245. b. docet Tiguri ibid.
Ludovicus Rabus succedit Zellio Argentorati 220. b. postea Hedioni ibid. vocatur Ulmam 221. a. relinquit filium apostatam ibid.
Lutherus nascitur 48. a. mendicato pane vivit ibid. Erfordiæ Magister renunciatur 43. b. aggreditur Juris studium ib. morbo corripitur ibid. indnit cucullum 49. a Wittebergam venit 9. a. 49. b. Romam mittitur ibid. Doctor Theol. renunciatur 9. a. 49 b. Christum, Prophetas & Apostolos patefacit 50. a. impugnat indulgentias 50. 1q. Haidelbergæ disputat 51. a 209. a. Augustam venit 51. b. habet in animo discedere 52. a. 54. a. 78. provocat ad Concilium 52. a. Lipsiæ cum Eccio disputat 52. b. sq. Scribit ad Papam, Cæsarem & Moguntinum 53. a. exurit jus Canonicum 55. a. Wormatiæ se coram Cæsare sistit 56. a actio cum Trevirensi 57. a. proscribitur à Cæsare & excommunicatur à Papa 57. b. intercipitur in via b. ejus Pathmus & quid ibi egerit ib. & seq. redit Wittebergam 58. b. ejus animi robur 58. b. De eo Urbani Regii judicium 17. a. Carolostadium reprehendit 59. a. invehitur in Episcopos ib. pugnat cum Anabaptistis 59. b. respondet Regi Angliæ ib. confertur cum Mahometo 61. a. uxorem ducit, id variè acceptum 62. b. graviter animo & corpore ægrotat 64. b. sq. colloquitur cum Zwinglio 65 b. 211. a. Coburgi subsistit comit. August. tempore 66. b. scribit ad Episcop. & Clerum ibid. Melanchthonem hortatur 66. b. & sq. admonet suos Germanos 68. b. labores & preces ejus Coburgi ib. de Justificatione ejus pronuntiatum 69. a. crimina sibi intentata diluit 69. b. seq. disputat cum Diabolo 70. a. gravissimè ægrotat 71. a ordinat Episcopum 72. b. judicium ejus de ceremoniis & excommunicatione 73. a Mersburgum secedit ib. absolvit Genesin 74. a Islebium ægrotans venit b. ultima ejus colloquia 74. b. precatio in agone 75. a. Wittembergæ sepelitur ib. ejus παῤῥησία 76. a. martyrium optat b. eloquens in vernacula 77. b. vehementia ejus reprehensa 78. a. insidiæ ei structæ ibid. tentationes à diabolo b. Cadaver ejus appetit. m. ib. an sententiam de Cœna mutarit 30. a. ejus rhythmi, recreationes b. labores 81. a. liberalitas & iracundia 81. prædicit quædam 81. b. valetudo & statura ib. conjugium ibid. judicium ipsius de suis scriptis, & aliorum 82. a non vult ut de suo nomine Christiani appellentur b. de libris suis quos probarit ib. 153. a. Insignia ejus 82. b.

M.

Magna confessio Lutheri 65. b. ei respondent alii ibid.
Mandatum Cam. ad August. de cal. 361. b
Marsilii Patavini contra Papatum 139. a
Marsiliæ laus 360. a
Maternus Eccelius Past. Vratisl. 25. a
Materni Episcopi precatio 358. a
Martinus Borrhaus docet Wittembergæ 191. b. Anabaptistis adhæret ibid in Borussiam abit. ibid. mutat sententiam ib. docet Basileæ 192. a. mores ejus ib. fenestrariam discit 192 b

Martinus Bucerus Seleſtadii Dominicanis ſe adjungit 102. a. ex ſcriptis Eraſmi & Lutheri Evangelii veritatem haurit b. Haidelbergæ docet, unde in Belgium abit cum Elect. 102. b. inſidias evadit ibid. tranſit ad Franciſcum à Sickingen ibid. pellitur à Spirenſi vicario ib. Argentorati reformat 103. a. Ulmæ itidem ibid. concordiam cum Luthero init b. ejus capita ibid. Baſileenſibus non probata 104. a. retractat quædam ibid. ambiguis loquendi formis uſus ib. dicterium in eum b. intereſt colloquio Ratisbonæ 104. b. evocatur ab Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo 105. a. conſcribit formam emendationis ibid. diſputat cum Malvenda b. rejicit Interim ibid. in Angliam venit 106. a. ubi moritur 106. b. hæreſeos damnatur 107. a. cadaver ejus comburitur b. reſtituitur ibid ratio ejus docendi 108. a. Contareni de eo judicium ibid. malè literas pinxit 179. a

Martinus Chemnitius Sabinum in Boruſſiam ſequitur 272. b. Regiomont ſcholæ & bibliothecæ principis præficitur ib. migrat Brunſuigam 272. 307. b. refutat decreta concilii Tridentini 273. a. epigramma Georg Calamini in eum ibid.

Martinus Frechtus docet Haidelbergæ collega Simone Grynco 145. a. vocatur Ulmam, ubi & Latinè & vernaculè concionatur ib. ſententia ejus de Cœna ibid. & de libro Interim b. in carcerem compingitur ut & frater ejus 145. b. dimiſſus Tubingam vocatur 146. a. ibi docet & moritur. ibid.

Martinus Lutherus. vide *Lutherus.*

Martini Mellerſtadii de Luthero judicium, 49. b.

Martinus Mollerus Eccleſiaſtes Görlicenſis 154. a

Maſſiliæ Laus 258. a

Mathemata an Theologo tractanda 245. b

Matth. Chytræus vivit apud Brentium 323. b. docet Ingelfingæ ibid. in concione interpellatur ibid migrat Menzingam ibid.

Matthæus Gribaldus 183. b

Matthæus Judex 289. a

Matthæus Vegelius à Vito Theodoro promotus 314. a. eccleſiæ miniſter deſignatur ibid. Norinbergam transfertur ibid. ejectus docet in Boruſſia ib. inde cedit, & in Ducatu Wirtembergico præficitur eccleſiis 314. Abbas Alberſpacenſis declaratur b. Theſaurum Theologicum edit ibid. Lutheri ſectator ibid.

Matthias Flacius à monachatu abſtrahitur, 227. a. venit Baſileam, Tubingam, & Wittembergam, ub graves ſenſit tentationes b. docet Wittembergæ & Brunſuigæ ibid. de adiaphoris movet certamen cum aliis 226. a. Magdeburgi cum aliis ib. Centur. hiſt eccleſiæ contexit b. item de libero arbitrio Strigelio movet ib. & de peccato originali ib. ingenium ejus quale 226. b.

Martyrologium ab eo quomodo collectum ibid.

Matthias Garbicius 227. b

Matthias Zellius docet Argentorati 92. a. accuſatur apud Epiſc. Argent. & reſpondet ibid. ejus collegæ ib. moritur 92. b. divitias in miniſtro improbat ib.

Meinardus primus Livoniæ Epiſcopus 6. a

Melanchthonis gaudium ex valetudine Lutheri 71. b. ejus morbus 72. b. 163. a. luctus ex Luth. obitu 76. a. ejus geneſis 157. b. Grammaticam quomodo doctus 158. a. adoleſcentulus docet b. Tubinga Wittembergam abit 159. a. Simleri de eo præſagium & Lutheri judicium ibid. intereſt diſputationi Lipſicæ b. & viſitationi Saxonicæ 160. a. conſilium matri datum ab eo in certaminibus religionis b. ſcribit confeſſionem Proteſtantium nomine 161. a. vocatur à Rege Angliæ & Galliæ b. labitur de ſcalis 162. a. è curru 163. a. defertur ad Cæſarem b Eccium refutat una regula 164. a. ſomnium ejus flagrante bello German. 165. a. ad Tridentinum concilium mittitur 166. a. id iter impeditur b. à Flacio oppugnatur 167. b. & ab Oſiandro 115. a. amittit uxorem 168. b. teſtamentum condit 169. nimia ejus diligentia 170. b. contemnit opes 171. a. merces ei relata b. valetudo ejus ibid. dicta 172. b. judicium Scal. de eo ibid. item Eraſmi 173 a. Bembi ibid de ſcriptis ejusdem b ejus laus 170. & ſeq.

Melchior Angerus Theologus 399. a

Melchior Iſinderus melancholia laborat 110. a

Mendacium Ital. de Lutheri obitu 73 b. de obitu itidem Jacobi Andreæ 313. a. de parentibus Lutheri & vita 78. a. de Brentio 21. a. de evangelicis omnibus 303. a

Menſo Alting. 360. a

Michael Heerbrand. 317. a

Michael Sidonius 182. b. donatur epiſcopatu Mersburg. 196. b

Minæ Pontificiorum in Evangel. 211. b. 335. b

Miniſtri cur odio expoſiti 241. a

Miſſæ ut Romæ celebratæ 49. b. privatæ Wittembergæ abrogatæ 57. b. formula à Luthero edita 60 b. nomen Miſſæ 62

Miſſæ Germanicæ formula 64

Monachatus olim quanti factus 83. a

Monachi Bernæ exuſti 133. b

Itali Latinè neſciunt 136. b

Antiphona eorum Romæ ante Papam 137. a. hypocriſis 23. b

Moniales deſerunt clauſtra 60. b

Monaſteria in ſcholas verſa 3. a

Moneta Franciſci imagine ſignata 141. b

Mors repentina & quid de ea ſentiendum 407. b.

Mores doctrinæ reſpondeant 50. a

Moſes cum Homero collatus 79. a

Muſicæ uſus 12. a. 317. b

Mutatio religionis prædicta 2. b. 3. a. 5. b. 6 a. 9 a. 44. a. 131. a. cauſæ mutatæ religionis 162. b.

N.

NAtalis cujusvis est initium calamitatum 5. a.

Neostadii Palatinat. schola aperta 256.

Nicolaus Amsdorff 32. a. Wittembergæ agit ibid. defendit abrogationem missæ b. Magdeburgum evocatur ib. Episcopus Naumburg. ordinatur ib. 164. a. deponitur 33. a. oppugnat Wittemb. & Lipsi. ib.

Nicolaus Backmeister 202. a.

Nicolaus Crellius cancell. Sax. 407. b.

Nicolaus Gallus ludo Mansfeldico præfect. 156. b. docet Ratisbonæ ib. inde VVittemb. profugit ib. conjungit se cum Flacio ib. Magdeburgi docet, reditque Ratisbonam ibid. 226. a. 259. a.

Nicolaus Jageteufel 218. a.

Nicolaus Radzivil 237. a.

Nicolaus Rhodingus patriæ scholam regit 249. a. docet Marpurgi ib. Dolæ itidem Burgund. ib. Hassiæ juniores Princip. erudit. ib. Marpurgum vocatur b. succedit Henrico Vietori 249. b. abhorret à certaminibus & novis phrasibus 250. a. P. Nigidii in eum carmen b.

Nicolaus Rus baccalaureus Theologiæ 6. b. reprehendit superstitiones ib. in Livoniam secedit ib. libri ejus exusti. ibid.

Nicolaus Selneccerus Pastor & Professor Lipsiæ 315. a. Electori Augusto à sacris ib. controversia ei cum Beza ib. alii adversarii ib. ejus Ubiquitas b.

Nomina Hebræa oppidorum & pagorum ad VVittembergam 85. b.

Notha Patrum scripta 133. a.

O.

OBservanda concionatori quæ 398. a. objectio Pontificiorum, qua probare volunt, Lutheranos non habere fidem veram 247. b. officium Inspectoris generalis in Ducatu VVürtembergico 278. a.

Omnia contemnit, qui se moriturum cogitat 330. a.

Opera Gersonis 5. b.

Ordinativ ministrorum reducta 62. a.

Origenis Biblia cujus ope scripta 194. b.

Oratio Pellicani de studiis emendandis 133. b.

Osvvaldus Mycontus Erasmi & Glareani studiosus 108. a. ludo Basileæ præest b. Tiguri item & Lucernæ, unde pellitur ib. fit Diaconus Basileæ ib. succedit Oecolampadio ib. facit cum Luthero in negocio Eucharistiæ ibid. non vult ornari gradu abitque officio ib. Glareani in eum carmen 109. a.

Otho à Grünrade Philosoph. & Theologiæ dat operam 394. a. commendatus Nassovio præficitur comitibus b. præest comitatui Nassovico ib. ephorus Friderici IV. Palat. ib. cui Catechesin & Biblia explicat, precesque præit 395. a. præses Senatus Ecclesiastici ib. recitationem capitum nostræ religionis instituit ib. reformat in Hanovico comitatu ib. scholas constituit ib. in Ducatu Simmerensi reformat 395. b. Ambergense Gymnasium ordinat ib. abdicat se officio ib. Symbolum ejus 396. a. granaria constitui suadet ibid.

P.

PAllas *Spangel.* Theol. Haidelb. 127. a. ejus obitus & Epitaphium ibid.

Pantaleon Weiß Candidus dictus 369. b. fovetur ab Abbate, quo cum Ambergam venit 370. a. inde Bipontum ib. VVittemb. Melanchth. audit ib. scholæ & Ecclesiæ Bipont. præficitur b. reformationem absolvit ib. subscribit form. Concord. ib. cum Principe suo abit 371. a. maturè ad mortem se parat ib. Epitaph. sibi componit b.

Papa Antichristus 32. b. 54. b. an caput Ecclesiæ jure divino 53. a. Deus in terris 56. a. simulat reformationem 71. b. in lapide fissili expressus 80. a. conscientias tenuit captivas 134. a. ejus satell tes Romæ 137. b.

Papasellus monstrum in Tiberi repertum 160. a.

Papatus errores capitales tres 32. b. venatio est Romani Episcopi 54. b. à Diabolo institutus 74. a. in eo capita Catecheseos manserunt 193. a. multi in Papatu Papatum improbarunt 1. b.

Parisiensis laniena 240. a. 337. a.

Patria ubi 198. a.

Patres ut legendi 398. a.

Patrum & Philosophorum scripta quantum valeant 315. a.

Paulus Crellius templo arcis Wittemb. præficitur 248. a. decennium Theol. audivit ib. Calvinistis resistit mortem ib. præsagit mortem ibid.

Paulus Eberus adolescens ex lapsu miserè affectus 204. Wittemb. collegio Philosoph. adscribitur 205. b. Melanchthonis repertorium ib. ratio ejus docendi 206. a. Grammaticam publicè proponit ib. succedit Forstero b. deinde Bugenhagio 207. a. Onoltzbachii componit controversiam b. ex itinere morbum trahit ib. Schosseri in eum Epigramma 208. a.

Paulus Fagius Isnæ ludum regit 99. a. docet Argentorati ib. Isnam, ubi docet in templo, & Typographiã instituit ib. Constantiæ & Argentorat. docet 99. b. inde Haidelb. ib. in Angliam abiturus valedicit 100. a. Biblia transferre incipit ib. cadaver ejus effossum crematur ib. restituitur cum Bucero 107. b.

Paulus de Heredia de Caballisticis mysteriis 135. a.

Paulus Const. Phrygio Basileæ docet 46. a. Tubingam vocatur, ubi moritur ib. 214. a.

Paulus Scalichius Borussiæ Duci à Consiliis subducit se & proscribitur 197. a.

Paulus Scriptor suo Marte literas didicit 128. a. docet ipsos doctores Tubingæ ib.

ob veritatem Evang. exosus ante Lutherum 128. b. concionem habet *de morib. Palæst.* in missa prima Pellicani 131. a. prædicit reformationem ib. fugit carcerem, & in Galliam iturus exstinguitur 131. b.
Paulus Pfedersheimer Judæus conversus 128. b.
Paulus Speratus in Gallia & Italia versatus 97. a. è carcere liberatus in Borussiam venit ib. Episcopus Pomezan. creatur ib. Odæ ejus sacræ b.
Peccatum est substantia in Sp. Sanctum quid 226. b.
Pentateuchus Hebr. cum Chaldaica versione 135. b. Germanicè prodit 60. a.
Pensiones apud Helvetios reprehensæ 12. b.
Petrus Bertius 360. b.
Petri Bufleri liberalitas in literas & Fagium 99. b.
Petri Malvendæ ratio disputandi 105. b.
Petri Martyris de Cœna sententia 361. a.
Petri Rami controversia 239. b.
Petrus Schadus Mosellan. alias 91. a.
Petrus Schottus 4. a.
Petrus Simler instaurat cœnobium Capellan. 242. a.
Petrus à Soto 215. b. 321. a.
Petri Tossani elogium 332. b. canonicus Metensis ib. docet Evangel. Mombelgarti ib. versatur cum Joh. Fabro Stapulensi ib. & in aula Navarræa ib. amicus Sim. Grynæi ib. moritur 333. a.
Petrus Paulus Verger. 70. a.
Petrus Vincentius 288. a.
Philippus Elect. Palat. 22. a. de ejus laudibus Wimpheling. 11. ei Oecolampadius charus 22. a. fovet Jodocum Gallum 127. b.
Philippus Hassiæ Landgravius 25. a. instituit Marpurgi colloquium b. in Helvetiis quid laudarit 28. a. evocat Melanchthonem 114. a. auxilia ab Helvetiis petit 132. b.
Philippus Barnimus Pomeran. Dux nuptias celebrat 70. b. votum ibi Lutheri ib.
Philippus Comes Rheneccius Reformat. 331. a. moritur ejus familiæ ultimus b.
Philippus Heerbrand. 307. b. 309. a.
Philippus Heilbrunner alumnus Ducis Würtembergici 405 b. Tubingæ repetens ib. Lavingæ Professor 406. a. Bibliothecam digerit ib. interest Synodis & Ratisb. Colloq. 406. b. Inspector Ecclesiarum ib.
Philippus Melanchthon vide *Melanchthon*
Philippus Morneus 364. b.
Philosophia meditatio mortis 266. b. utilis Theologo 350. a.
Pietas cum primis literis instillanda 217. a. fundamentum omnium virtutum 367. a.
Piorum omnium genesis communis 266. b.
Platonis dictum de artibus 95. a. pro quibus gratias egerit 324. b.
Polycarpus Lyser. regit Tubingæ Stipend. illustre 379. b. vocatur Wittemberg. 280. a. Concordiæ librum promovet ib. dimittitur Wittemberga b. Brunsuigæ docet ib. revocatus Wittembergam fit aulicus concionator 380. b. certamina ejus ib. legatum pauperibus relinquit 381. b.
Pœna in deficientes à Papatu 235. a.
Pœnitentia vera quæ 9. b.
Pontificii idololatræ esse nolunt 164. a.
Porta lucis liber 143. b.
Prædestinatio & de ea quomodo disputandum 9. b.
Præpositus in cœnobiis quis 176. b.
Preces hirudo curarum 67. b.
Primus concionator Evangelicus Argentorati 92. a. 102. b. Bernæ 29. a. Biponti 31. b. in Borussia 97. a. Dantisci 385. b. in Graichgoa 155. a. Haganoæ 43. a. in Mansfeldico comitatu 98. b. Rigæ 8. a. Scaphusiæ 330. b. Vinariæ 85. a. Uratislaviæ 124. a. Wittembergæ 7. a
Primi martyres in Germania 60. b.
Prima Ecclesiarum visitatio 65. a.
Primus minister uxorem ducens 39. a.
Prima pax in religione 69. b.
Primus Truber parochus & canonicus 273. b. taxat idololatriam & superstit. ib. libris spoliatur 274. a. docet Rotenburgi & Auraci ib. invenit artem Wandalicè scribendi ib. Wandalica edit ib. honorarium ejus stipend. à Carniolanis 274. b. ante obitum nomina remittit debitoribus 275. a.
Processio habita Romæ 137. a.
Prophetæ Luthero qui 62. a.
Protestantium nomen ubi & quomodo natum 65. b.
Psalmi Germanici in templa introducti 79. a.
Psalterium vernaculè editum 61. Chaldaicum 134. b. & Luth. de eo judic. 153. b. Quinquelingue 181. b. in Psalt. Hypomnemata Strig. 202. a.
Purgatorium an sit 138. b.

Q.

QUatuor in agone inculcanda 261. a.
Quæstiones undecim à Maximiliano tunc rege Melanchth. propositæ 164. a.
Quæstio de Exorcismo 369. a.
Quodlibetaria disputatio 209. a.
Qui ad gradum D. Thol. Wittembergæ admittantur 248. b.
Quirinus Reuter alumnus Elect. Palat. 390. a. abit in Silesiam b. Ursini ad eum verba ib. erudit Dudithii filium ib. revocatur in Palatinatum 391. a. Ecclesiæ docendæ præficitur 392. a. Sapientiæ collegii Præceptor ib. Professor Haidelbergæ & Ephorus collegii Sapientiæ ib. verba ejus in agone 392. b. querela de literarum studiis 393. a.

R.

RAymundus Cardinalis Legatus Papæ in Germaniam 132. a. Pellicanum ornat gradu gemino ib. corradit reliquias sanctorum ib. missam celebrat solennem & indulgentias elargitur. 132. b.
Reinhardus à Rotenburg defendit Musculum 177. b.
Reconciliationes intutæ 201. b.
Relapsi in peccata quomodo consolandi 198. b

Religio mutata Basileæ 25. b. Capellis Helvetiorum 229.a. Donavverdæ 182.a. in Palatinatu 390.a. Tiguri 13.b. 228.b.
Renata Ferrariæ Ducis vidua 336.a.
Requisita doctoris quæ 190. a.
Rigæ fundator 8. a.
Rinovium oppidum 242. b.
Ritus cœnæ ob Oecolampadio institutus 27.b à Zvvinglio 20. b. in reformatione Misniæ relicti 125. b.
Robertus Barnus Angliæ Martyr 72. a. 188.a.
Rodolphus Brunus 363. b.
Rodolphus Collinus 225. b.
Rodolphus Gualterus docet Tiguri 182. a. ejus labores & filius cognominis ib.
Rodolph. Simler. 242. b.
Rodolph. Stuckius 363. b.

S.

SAcramentarii belli initium 39. a. 73. a.
Sacramentariorum sex sectæ 64. a.
Sacramenta sunt symbola gratiæ 19.a. 31.b. de iis & verbo & ministris Luther. 79. de iisdem axioma Melanchthonis 164. a.
Sacræ Scripturæ auctoritas 30.b. 79.a. 148.b. ejus intelligendæ regulæ 2. b.
Sacrificulorum existimatio 148. b.
Salomonis & Siracid. gnomæ 122. b.
Salomon Gesner annonæ caritate pressus 352.a. pane furfuraceo se sustentat ib. agit pædagogum 352. b. Argentorat. abit ib. adscribitur ibi alumnis senatus ib. erudit Dudithii filium 353.a. præficitur ludo Boleslavienſi ib. & Gymnasio Stetinensi ib. contentio ejus cum J. Stygio ib. Wittemb. docet 353. b. certamen cum Hubero & Calvinianis ib. & seq. confessio ejus 354.b. consolatio adversus tentationes diaboli ib. prosopographia 355. a.
Samuel Huber movet certamen de electione 346.b. 353. b. 362.b. 381.a. controversia ejus Bernæ 366.a. ejus errores b.
Sancti quomodo colendi 31. b. sanctorum invocatio quid solatii afferat 2.a. de ea Lutheri sententia 78. b. de eadem disputatum Augustæ ab Eccio & Melanchthone 68.a. ibi Eccio contrad. Cochlæo b.
Schemhamphoras Judæorum 73. a.
Scipio de immortalitate animorum 341.b.
Scripta à Würtemberg. ad Græcos missa 388.b.
Schola Argentorati aperta 104.b.
Scholasticæ vitæ dignitas 263.b. 268. b.
Scholarum salus in quibus consistat 406. a.
Sebastianus Castalio 237. b.
Sebastianus Comes à Schlick 59.b.
Sebastianus Münster Pellicani discip. orationem habet 133. b.
Seditio rusticorum in Germania 38. b. 86. a. 155. a. auctores ejus 210. b. Luther. & Principes hortatur 62. a. Myconius in Saxonia sedit. 86. a.
Snepfius à seditiosis concionator expetitur 155. Melanchthon eorum articulos refutat 160. a. Brentii de eodem scripto judicium 210. b.
Sententiæ consolatoriæ 342. a.
Sepulcrum Domini Wittembergæ 85. a.
Severus Imperator negligit calumnias 152. b.
Simon Heinsius 7.a. Ecclesiastes Wittembergæ ib. moritur 7. b.
Simon Lemnius auctor famosor. carm. 71.b.
Simon Sulcer. œconom. collegii Basileæ 271. a. vocatur Bernam ubi docet ib. redit Basileam & ephor. alumnis præficitur ib. post Basileæ succedit Wissenburgio & Münstero 271.b. Myconio item ib. reformat in Badensi Marchion. ib.
Socratis laus 203. b.
Socrates cur ad mortem alacris 240. b.
Sophron liber Platoni charus 122. a.
Staupiciorum familia 8. b.
Stella Messiæ liber 129. a. auctor Petrus Niger b.
Stella nova in signo Cassiopææ 240. a.
Stephan. Gerlach. Brentio consanguineo commendatus 387.a. Tubingæ in colleg. recip. ib. fit repetens in stipendio 387.b. abit in Thraciam cum Davidę Ungnad. Barone ib. in itinere è gravi morbo liberatur ib. ejus inde signum 388.a. Constantinop. venit ib. inquirit in Græcorum religionem 388. b. charus Græcis ib. Tubingam reversus præficitur Ecclesiæ & Academiæ 389. a. cerebri & memoriæ ejus infirmitas ib. laborat vertigine & tremore 389. b.
Studia artium & linguarum instrumenta reformationis 1. a. de iis egregia Lutheri sententia 79. b.
Substantiæ vocabulum quid in controversia Cœnæ significet 239. b.
Superstitiones citò in Ecclesiam irrepserunt 152.
Sylvester Prierias contra Lutherum scribit 51. a.
Sylvester de Schauenburg patrocinium Luthero offert 54. a.
Sylvester Tegetemejer 8. a.
Symqolum Nicenum 211. a.
Symphorianus Minister Ecclesiæ Argentoratensis 92. a. ejus vita ante liberior ib.
Syngramma Suevicum 408. b.
Synodus Bernensis 366. b. Dresdæ 380.b. Islebiana 289.a. Isenacensis 182. a. Marpurgi 289.a. Nemausii 239. b. Neostadiana 338. b. Possiacena 306. a. 564. b. acta ibidem 306.b. ad eam Martyr missus 364.b. Regiomontana 218. a. Rupellana 239. a. Wolffenbyti 308. a. de Synodis Nazianzeni dictum 236. b. quomodo indicenda 237. a.

T.

TAbulæ Alphonsinæ discrepant à Ptolemaicis 95. a.
Targum quid 100. b.
Templum Senense 144. b. pulcerrimum 136. b.
Tenebræ in Papatu 209. a.
Tentationes quomodo superandæ 79. b.
Terentius olim quomodo excusus 159. a.
Tertia persona Deitatis cur Spiritus dicta 121. b

Testamentum Vetus versum 45.a. Erasmi Novum 135.a. N. Test. vernaculè editum à Luther 59.a. ejus lectio interdicta à Pontific. ib. Nov. Test. Græci exemplar nullum olim in Germania 144.b.
Testamentum Brentii editum 239.a. ei Bullinger. respondet ib.
Testimoniorum Academic. utilitas 368.b.
Theatrum vitæ humanæ à quo incoatum & perfectum 174.b.
Thalmud Judaicum 135.a.
Theobald. baro Geroltzeggius 12.b.
Theobald. Thammerus 232.a. mittitur ad Bullingerum 235.a. ejus errores ib. deficit ad Pontificios ib.
Theodorus Bibliander succedit Zvvinglio 142.b. ejus lectiones Pellicanus excipit 143.a. laborat visu 193.a. Theodori Bezæ absurda 310.b. ab Hubero refutata ib.
Theodoricus Schnepsius condiscipulum habet Jacobum Andreæ 275. Tubingæ incendio libros amittit 267.a. magister domus & ducalis stipendii gubernator b. ministerio initiatur 277.a. Professor Tubingæ designatus ib. ad colloquium Wormat. missus 277.b. fit Pastor & Superintend. generalis ib. ejus labores in Templo & Schola 278. vocatur à variis 279.a. legationes, valetudo, confessio b. fit edentulus ib. paraphrasis ejus in Jobum 280.a. prohibet pompam funebrem 281.a. moderatio ejus 383.a.
Theologi functio gravis 248.b.
Theologi ex JCtis facti 21.b.
Theologi veri qui 9.a.
Theologi Colonienses & Lovanienses Lutheri doctrinam damnant 53.b.
Theologia practica 259.b.
Theologiæ studium quomodo suscipiendum 397.b.
Theologia nobili an discenda 394.a.
Themistocles fuit suis platanus 329.a.
Theses Anabaptistarum 63.b. Carolostadii contra Papatum 38.b. J. Hessi 90.a. Lutheri contra indulgentias 50.a. Martini Mylii à Gesnero oppugnatæ 353.b. & seq. Tecelii pro indulgentiis 354.a. Ursini de Sacramentis 253.b.
Thomas Cajetanus Cardinalis, ejusque cum Luthero actio 51.b.
Thomas Cromelius 188.a.
Thomas Grynæus à patruo Simone educatus 191.a. docet Bernæ ib. 412.b. & Basileæ 413.a. reformat in Marchionatu Badensi 191.a. Rœtelæ obit ib. filii ejus b.
Thomæ Münceri liber 61.b.
Thomas Platerus 413.a.
Tiguri religio mutata 13.b. 228.b. seq. collegium ab Anglis exulibus institutum 235.a. collegia duo vetusta 230.b. Ecclesia Italica 235.b. exules Galli
Tigurinorum consuetudo 36. juramento promittunt dona non accepturos 297. à Luthero damnati 485. ab aliis conviciis proscissi 238.b.
Tilemannus Heshusius docet Haidelbergæ 295.b. dissidium inter ipsum & Clebitium ib. dimissus in Borussiam venit ib. dissidium inter ipsum & Wigandum ib. vocatur Helmstadium ib. negat ubiquitatem generalem 296.a.
Timotheus Kirchnerus 291.b.
Titulorum & graduum Academicorum usus 12.a. 43. de iis Melanchthon 171.a. defendit eos Brentius 212.a.
Treptoa oppidum Pomeraniæ, & ejus etymon 8.a.
Tres fontes Romæ orti, ubi Paulus capite plexus 137.b.
Tridentinum Concilium quale 233.a. 320.a. nec universale, nec liberum, nec Christianum 234.b. disturbatur 251.a.
Tristitia animi multos tollit 47.b.
Tuiscones unde dicti 119.a.
Tumultus Augustanus 361.b.
Turbæ in Helvetia ob religionem 229.b.
Turæ jugum à Germanis optatum 105.a. 164.b de bello contra Turcas Luther. 65.b.
Turcicam linguam discere utile 243.a.
Turcæ cujusdam judicium de Lutheranis & Pontificiis 388.a. blasphemiæ pœna apud Turcas b.
Turris fastigium Uratislaviæ collapsum 125.a.
τὸ Carolostadii unde, & quomodo probatum 39.b. 62.a.

V.

VAticinium Hilteni de monasteriis 3.a. 223.b. Lutheri de Sacramentariis 73.b.
Ubiquitas adserta 237.a. argumenta pro Ubiquitate 296.a. quid Jacobo Andreæ 310.a. ipsius fundamenta ib. Selnecceri 315.b. P. Martyris de Ubiquitate verba 310.a.
Ubiquitariorum voces 339.a.
Venatio imago insidiarum diaboli 58.a.
Vestitus novus in Germaniam invectus 127.b.
Vestitus ornatissimus quis 396.b.
Veronica Romæ in templo D. Petri 137.a.
Victor. Strigel. Friburgi dat literis operam 199.b. Wittemb. Luth. & Melanchth. audit ib. Postillam inchoat & privatas scholas habet 200.a. docet Jenæ ib. ibi uxore orbatur ib. certamen cum Flacio ob similitudinem, qua ipse usus 200.b. in carcerem ducitur 201.a. in eo ægrotat tandemque liberatur ib. discedit Jena 201.b. frustra revocatur ib. Lipsiæ Profess. designatur 203.a. interdicitur ei lectione publ. ib. Lipsia discedit & cur 203.b.
Vocatur Haidelbergam, ubi moritur ib. & seq.
Varia ei objecta 204.a.
Vigilii martyris libri 231.a.
Virtutes Imperatoris 205.b. magistratui necessariæ 247.b.
Visitatio Saxonic. Ecclesiar 65.a. 407.b. in ea Colloq. Luth. cum rustico 80.b.
Vis educationis 243.a.
Vito durum oppid. 242.b.

Vitus Theod. docet Norinb. 96. b. elogium ejus à Melanchth. 97. a. æmulatio inter Vitum Theod. & Osiandrum ib.
Ulricus Dux Würtemb. 46. a. reformat. op. Brentii 212. a. moritur 303. b.
Ulricus Langemantel Augustanus 43. b.
Vocabulorum *Abstracti & Concreti* usus in doctrina de Christi Persona 262. b.
Urbani Pierii Mæcenas Comes Hohensteinius 407. a. Francof. ad Oderam juris stud. amplect. 407. b. docet ib. præest Ecclesiæ Brandeb. ib. Wittem. vocatur ib. in carcerem compingitur ib. liberatus Ambergam venit 408. a. inde Bremam ib. confessio ejus de cœna ib.
Urbanus Regius 33. a. vivit cum Zasio b. Ingolstadii ephorus nobilium ibid. dat nomen militiæ 34. a. creatur poëta & orator ib. docet Augustæ 34. b. confert cum Zvvinglio de peccato orig. ib. colloquitur cum Anabapt. femina ib. pellitur Augusta 35. a. redit eò ib. disputat cum Pontificiis 37. a.
Ursi morticina non tangunt 148. a.

W.

Waldensium scripta 243. b.
Wigandus Orthius 189. a. Marpurgi Hyperio succedit 195. b.
Wimphelingi studia 10. a. docet Haidelb. b. actio cum monachis ib. precatio ejus 11. b. in Geiler Epigramma 5. a.
Wimpina unde dicta 275. b.
Wittembergæ etymon & latitudo 85. b. 95. a.
Wolffgangus Princeps Palat. Bipontin. 30. b.
Wolfgang. Amlingus scholæ Servestanæ præest 356. a. docet Ecclesiam Coswigii & & dein Servestæ b. ubi Ecclesiarum Inspector ib. decalogum integrum restituit 750. oppugnat Ubiquitarios, exorcismum, & oralem manducationem 356. b. & seq. curat scholam, pauperes, eleemosynas, defunctos, disciplinam, ecclesiam ib. ejus labores, & Symbolum 357. b. & seq. precatio in morbo 358. a.
Wolfgang. Fabric. Capito 41. b. discit medicinam, cujus & doctor renunciatur ib. docet Th. Freib. ib. audit ibi Zasium 42. a. concionatur Bruchsellæ ib. amicitiam cum Oecolampadio init ib. docet Basileæ ib. 134. a. Moguntiam venit 42. a. hortatur Lutherum ib. & seq. ordini equestri adscribitur ib. docet Argentorati ib. Haganoæ docet 43. a.
Wolfgang. Musculus monasterium ingreditur sacrisque initiatur 176. b. vita ejus monastica 177. a. defendit Lutheri doctrinam 177. b. ejus constantia 176. a. periculum ejusdem ib. claustrum relinquit 178. b. uxore ducta discit textoriam 179. a. locat operam suam in fodiendis aggeribus ib. vivit cum Bucero ejus amanuensis 179. b. docet sine stipendio ib. Argent. fit diaconus 180. a. inde Augustam vocatur b. Arabicam linguam suo Marte discit 181. b. notarius in colloquia Ratisb. 182. a. discedit Augusta 183. a. vocatus in Angliam abnuit b. docet Bernæ 183. b. sermones ejus in fatali morbo 185. & seq.
Wolfgang. Jonner 242. b.
Wolfgang. Severi de Luth. rhythmi & versus 82. b.
Wolfg. Weis, & Epitaph. ejus 370.

Z.

Zacharias Schilter. docet Hebraica Lipsiæ 348. b. locos communes explicat 349. a. fit canonicus Misnensis, Ephorus Academ. Lips. & Adsessor consistorii ibid. elogium ejus 349. b.
Zacharias Ursinus Wittemberg. missus 253. a. Melanchth. charus ib. quem Wormatiam sequitur ibid. peregrinas Tiguri subsistit 235. b. Mercerum audit ib. præest scholæ patriæ ib. Sacramentarius dicitur ib. dimittitur 254. a. Tiguri Martyrem audit b. Haidelbergam vocatur 254. b. ibi Locos communes explicat ib. dimissus Neustadii docet 256. a. Sturmii de eo judicium ib. è lecto dictat libros & Epistolas 256. b. inscriptio Musæi ejus 257. b. testimonium à Melanchth. ibid.
Zvvinglius 11. b. Basileam & Bernam missus 12. a. Viennam Austr. abit ib. Basileæ docet ibid. Valer. Maximum legit 12. b. Tigurum vocatur 13. a. insidiæ ei structæ 16. a. convicia in eum jactata b. exit in bellum 17. a. in quo cadit ib. cadaver ejus exustum ibid. cor illæsum repertum ibid. calumnia atri spiritus 19. b. seq. conciones Zvvinglii quales 20. b. ejus studiorum ratio 21. a. judicium de Carolostadio 39. b. confert suam sententiam cum aliis 18. b. & cum Bullingero 228. b. Bibliotheca ejus 230. a. opera edita 231. b.

FINIS.